UAN
IDAD AUTÓNOMA DE NUEV
CCIÓN GENERAL DE BIBLIOTEC

NTO

Theol

1.

NOM
RAL D

BX1758
.A5
1782
v.1
c.1

E#2-6#45
1080044783
UNIVERSIDAD AUTONOMA DE NVEVO LEON
ALERE FLAMMAM VERITATIS
UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

VNIVERSIDAD AVTONOMA DE NVEVO LEON
ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS




G. Damiotti scul.

230



# THEOLOGIA
## MORALIS UNIVERSA
## R. P. GABRIELIS ANTOINE

*A REVERENDO PATRE*

## *PHILPPO DE CARBONEANO*

PRIDEM NOTIS, ET APPENDICIBUS AD USUM MISSIONARIORUM POTISSIME AD SACROS CHRISTIANORUM RITUS, ET ECCLESIÆ ORIENTALIS DISCIPLINAM SPECTANTIBUS AMPLIFICATA,

*Dein novis acceſſionibus ex geminis ſcholarum & Eccleſiæ Doctoribus* S. THOMA AQUINATE & S. BONAVENTURA CARD. *depromptis ad* PAROCHOS, CONFESSARIOS, *præſertim vero ad* STUDIOSAM JUVENTUTEM *informandam aucta, & illuſtrata*

## *A R. P. BONAVENT. STAIDEL M. C.*

ACCEDUNT

TRIA OPUSCULA EX AUREO MELCHIORIS CANI DE LOCIS THEOLOGICIS LIBRO DESUMPTA, ET DISCEPTATIO PROOEMIALIS DE LEGE DIVINA.

## EDITIO X. ABSOLUTISSIMA
## A JO. DOMINICO MANSI
ARCHIEPISCOPO LUCENSI

MEDULLITUS INSPECTA, PERMULTIS ALIIS ADDITIONIBUS EX OPERIBUS

BENEDICTI XIV. ET CLEMENTIS XIII. & XIV.

*Litteris apoſtolicis excerptis locupletata, correcta, nonnullis figuris æneis in fronte quorumdam Tractatuum ornata,*

ET IN SEX TOMOS DISTRIBUTA.

*TOMI PRIMI PARS PRIMA.*

46529

VENETIIS MDCCLXXXII.

APUD ANTONIUM ZATTA

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

UNIVERSIDAD AUTONOMA DE NUEVO LEON
CAPILLA ALFONSINA BIBLIOTECA UNIVERSITARIA
Rollo-15 MICROFILMADO 6/1/83

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# NOI RIFORMATORI

## Dello Studio di Padova.

Concediamo Licenza ad *Antonio Zatta* Stampator di *Venezia* di poter riſtampare il Libro intitolato: *Theologia Moralis Univerſa P. Gabrielis Antoine &c.*, *a P. Dominico Manſi Archiepiſc. Lucenſi Medullitus inſpecta* &c., oſſervando gli ordini ſoliti in materia di Stampe, e preſentando le Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Data li 27. Ottobre 1774.

( Andrea Querini Riform.

( Girolamo Grimani Riform.

( Sebastian Foscarini Cav. Riform.

Regiſtrato in Libro a Carte 171. al Num. 142.

*Davidde Marcheſini Segretario.*

UNIVERSIDAD AUTONOMA DE NUEVO LEON
CAPILLA ALFONSINA BIBLIOTECA UNIVERSITARIA
MICROFILMADO



# STUDIOSÆ JUVENTUTI
## JOANNES DOMINICUS MANSIUS.

*Cum jam annos in litterariis laboribus confeciſſem, nilque magis commendabilius exiſtimaſſem quam ſtudioſæ Juventuti, illi præſertim, quæ Theologicæ Diſciplinæ dat operam, manum adjutricem præbere, equum duxi hanc P.* Antoine *Moralem Theologiam inſpiciendi ſubire onus, ut caſtigatior tandem, ac locupletior evaderet. Cum igitur, fere per otium, animum eidem adjunxiſſem, multa deprehendi, quæ emendatione digna mihi videbantur, nonnulla cæteroquin obſcura meliori luce illuſtranda; quædam demum Doctrinis certioribus, ac ſolidioribus augenda, ac munienda. Hanc itaque obivi provinciam, niſus præcipue* BENEDICTI XIV. *aureis Operibus, ex quibus omnium, quæ in cauſa erant adimplendi quod opus erat, genuinum ſenſum tranſcribere me non piguit. Errores præterea, eoſque grandiores, qui Typothetarum nonniſi vitio irrepſerant ( nulli ſiquidem alii eos tribuere non auſim ) emendavi, quæ repetita delevi, & quæ ſupervacanea cenſui, obtruncavi. Habes igitur Theologiam Moralem abſolutiſſimam, qua fruaris velim, ſupremos vitæ meæ labores tibi commendans, ac veluti ex teſtamento tradens atque donans.*



UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# SS. D. N. BENEDICTI XIV.

## PONTIFICI OPTIMO MAXIMO.

FR. PHILIPPUS DE CARBONEANO ORD. MIN. OBS.

NOvam hujuſce Theologiæ Moralis Editionem, Nomini inſcriptam Tuo, BEATISSIME PATER, in publicam emittere lucem conſtitui; quod tantum ei ex Te, hac in Editione, decoris & ornamenti acceſſerit, ut quidquid in ea perfectum ſit atque optimum, id tuum jure meritoque dicatur. Ut enim prætercam, me ad novam hanc procurandam impreſſionem ex magna illa motum fuiſſe exiſtimatione, quam huic Theologiæ judicium illud Tuum conciliaverat, quo præ ceteris digna habita eſt, quæ in Collegio de Propaganda Fide Adoleſcentibus ad Sacras Miſſiones deſtinandis explicaretur, Tua doctrina eſt, PATER BEATISSIME, qua ambigua quæ ſunt explicantur, & confirmantur; quæ obſcura videbantur, clarius, & luculentius exponuntur; & qua ea ſupplentur, quæ quanquam Confeſſariis, aliiſque ſcitu ſint neceſſaria, in hac tamen Theologia deſiderabantur. Nec iis tantum in ea ita ordinanda, & perficienda ſum uſus, quæ a Te, ſive pro Ethicæ Chriſtianæ puritate ſarta tecta ſervanda; ſive pro tollendis abuſibus & inſtauranda Eccleſiæ diſciplina, ac divino cultu ampliando, decreta ſunt & conſtituta; verum etiam perutili illo Tractatu tuo de Synodo Diœceſana, ex quo plura deprompſi, quæ propriis addita locis, opus mirifice illuſtrant, ornant, & augent. Quam ob rem vel ex hoc unice opere poterit quiſque conjicere, quot ad Petri Cathedram evectus pro Dei augenda gloria ſubieris labores; quam bene, maximam, qua polles, eruditionem atque ſapientiam, ad Sacrorum Miniſtros inſtituendos, conſervandam, tuendam, ampliandamque Religionem aptaveris; qua denique induſtria, fidelium omnium animas per rectam æternæ ſalutis viam ad cæleſtem gloriam perducere ſtudueris: Hinc Paſtores habent curæ & ſollicitudinis Apoſtolicæ exemplum: Hinc viris omnibus Eccleſiaſticis patet, qua ratione, miſſis vanis & inutilibus, ad ſolidiora, tuta & neceſſaria Sacrarum litterarum ſtudia incumbere oporteat: Hinc denique Chriſtiani omnes, & regulas diſcent, ad quarum normam, cum Religionis functiones, tum mores componere debeant ſuos, ac perpetuo movebuntur ad Deum exorandum, ut Te Summum Paſtorem, totius Eccleſiæ bono, diu ſoſpitem, incolumemque conſervet.

IN



IN NOVISSIMAM

HANC MEAM DECIMAM EDITIONEM

Recurrente hoc Anno MDCCLXXXII. publici juris factam; iterum auctam, mendiſque accuratiſſime expurgatam,

# MONITUM.

*CUm jam poſtremæ meæ Editionis in lucem emiſſæ hujuſce* P. ANTOINII *ſub anno* MDCCLXXVI. *Theologiæ, præter ſpem, nulla reliqua apud me ſupereſſent exemplaria, eo me adductum eſſe arbitratus ſum, ut ſtatim eam iterum typis mandarem, ut aſſiduis ſtudioſorum petitionibus poſſem facere ſatis. Et revera neminem latet, niſi ſit a libris omnino alienus, quod cum primum celeberrimus Auctor Opus hoc ad uſum Parochorum perfectum publici juris Nanceii feciſſet, dum eſſet Univerſitatis Muſſipontanæ Rector, omnium in ſe doctiſſimorum Virorum oculos convertit, adeo ut & cum ſuſpicerent, & in omnem poſteritatem ſibimet optime conſuluiſſe præſentirent. Inter eos præcipue Doctores Sorbonici minime dubitarunt, quin teſtarentur, Opus ipſum egregium, brevitatem conjungens cum claritate & integritate, certioribus innixum fundamentis eſſe, Scriptura Sacra, Sanctorum Patrum auctoritate, Conciliorum cum Oecumenicorum, tum particularium definitionibus, juris utriuſque regulis ac placitis, praxi & uſu Eccleſiæ, præſtantiſſimorum Theologorum ſententiis, nec non rationum ſolidiorum momentis gravioribus. Quid plura? ni malis addere, in eo a vitioſo aliunde utroque extremo caute prudenterque Auctorem recedere, nimia videlicet relaxatione, & majori, quam par ſit, ſeveritate, mediam conſtanter incundo viam, eamque certiorem, & tutam.*

*Ut primum in Italiam pervenerunt iſtiuſmodi Theologiæ exemplaria, haud mirum, ſi hæc una præ ceteris a Summo, & Sapientiſſimo* BENEDICTO XIV. *fel. rec. electa fuerit, dignaque habita, ut poſt Gallicas Editiones Romæ iterum excuderetur, & in Collegio de Propaganda Fide adoleſcentibus ad Sacras Miſſiones deſtinandis explicaretur. Atque hoc in cauſa fuit, cur primum Fr.* PHILIP. DE CARBONEANO *Ord. Min. Obſ. eam provinciam ſuſceperit, ut quæ ambigua erant explicaret, & confirmaret; quæ obſcura videbantur, clarius & luculentius exponeret, eaque ſuppleret, quæ deſiderabantur. In his ita explendis doctiſſimus* CARBONEANUS *non tantum iis uſus eſt, quæ ab eodem Summo Pontifice, ſive pro Ethicæ Chriſtianæ puritate ſarta tecta ſervanda, ſive pro tollendis abuſibus, & inſtauranda Eccleſiæ diſciplina, & divino cultu ampliando decre-*

*ta*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*ta fuerant, & conſtituta; verum etiam perutili illo Tractatu* de Synodo Diœceſana, *ex quo plura depromſit, quæ propriis addita locis Opus mirifice illuſtrarunt, ornarunt, auxeruntque.*

*Hujuſmodi fuit* P. PHILIPPI DE CARBONEANO *labor atque cura; ſicque ornata perfectaque tum Romæ, tum Venetiis prodivit* ANTOINIANA *Theologia Moralis, donec poſtremis annis alterum, eumque inſignem Doctorem, Patrem nimirum* BONAVENTURAM STAIDEL, *quamplurimorum acceſſionum auctorem nacta eſt. Quam ſit ipſe bene de litteraria Republica meritus, jam aliunde conſtat; nec eſt neceſſe, ut hoc loco ſubjiciam ipſius additamenta, utpote quæ univerſa ex* DIVO THOMA AQUINATE, *ex Seraphico* S. BONAVENTURA, *ac ex* Conſtitutionibus Pontificiis, *præcipue prælaudati* BENEDICTI XIV. *fuere deprompta. Non mirum igitur ſi tot acceſſionibus aucta in magnam excreverit molem, & eo uſque progreſſa ſit, ut VI. Tomos conficiat.*

*Sed ad me redire fas ſit. Cum* JOANNES DOMINICUS MANSIUS *fel. recor. Lucenſ. Archiep., quæ in ea inſpexerat, antequam vita excederet, tranſmiſiſſet, ut ſi illam novis typis traditurus eſſem, ſuis additionibus & animadverſionibus locupletatam prodire facerem; ſic nunc, ut ſaltem tanti Viri memoriæ opus meum immolarem, id exequi curavi. Quoniam porro in præcedenti Editione eadem uſus ſum characterum forma, tum in* ANTOINII *genuino textu, tum in eo* CARBONEANI, *in utroque etiam in hac Editione eamdem magnificentiam, eamdemque typorum elegantiam proſequutus ſum, cum hac tamen diſtinctione, quod textui* CARBONEANI *præmittitur ſignum* ✠, *cumque eo clauditur. Porro ut res, quæ ad P.* STAIDEL *pertinent, ob oculos haberentur, minori uſus ſum typorum forma, ut videre eſt in notis, quæ ſubjiciuntur pagellis, iiſque etiam characteribus diſtinxi Diſſertationes & notas præpoſito ſigno* §. *Præterea aliquot in locis additæ ſunt quædam aliæ notæ, ad explicandas amplius illuſtrandaſque res, quæ ob brevitatem nimiam cenſura notandæ videbantur; Loca item Theologica ex* MELCHIORE CANO *deprompta, & excerpta, ex quibus fontes Theologiæ hauriuntur, libenter adjeci; & inſuper recentiori Diſceptatione Hiſtorica de Lege Divina ditavi; quam omnibus Tractatibus præponere viſum eſt, ut facile ab omnibus conſpiciatur. Neque enim falſarius ſum, aut mendax, ut promittam multa in fronte Operis, & nulla exequar: ut evenit nuper in quadam recuſione hujus Theologiæ Venetiis prolata 1770., cujus Typographus in fronte promiſit aliquot Tractatus, neque ſtetit ſponſionibus. Ea igitur, quæ ipſe promiſit neque protulit, exequor nunc ego, atque adjicio.*

*Inſuper ad majorem concinnitatem, majeſtatemque ſervandam, ſingulis tractatibus figuras æneas præponere curavi, quæ cum iis, de quibus agitur, relationem habent. Sicque effectum eſt, ut faventibus Superis, nec quid auctius, nec quid ornatius optari queat.*

MINO-



MINORITÆ CONVENTUALIS

# PRÆLOQUIUM

## *AD LECTOREM.*

SUnt pro more multa ac varia, de quibus ſingillatim admonendus es, Humaniſſime Lector, priuſquam noſtra evolvere incipias, aut de Opere univerſo pene in aliam formam nunc mutato pronuncies. Haud mora eadem præfaturo mihi non videtur neceſſarium vel in auctoris laudes excurrere, vel Operis dignitatem enarrare; quandoquidem Viri rerum Theologicarum conſultiſſimi jamdiu qua voce qua ſcriptis & illas perſecuti ſunt, & hanc commendarunt. Quod præconiorum caput eſt præcipuum, illud ſic paucis perſtrinxit Illuſtriſſimus Joſephus Palma Archiepiſcopus Lucenſis in Paſtorali Epiſtola mutuata ab Eminentiſſimo præſule, qui nuperrime tenuit Ariminenſem lituum: *Inter recentiores eſt valde celebris Theologia Dogmatica Moralis P. Antoine S. J. Siquidem Romæ fuit ſæpius edita, a multis Scholis & Academiis ſuſcepta, atque in Schola de Propaganda Fide etiamnum traditur: utpote quæ magis aliena a laxis opinionibus, quibus plerumque ſcatent Caſuiſtarum libri, quos idcirco circumſpecte admodum oportet adhibere.* Hunc maxime ob finem Vindobonenſis Archiepiſcopus, & Cardinalis Migatius nominis fama celebratiſſimus (ut plures alios reticeam Antiſtites pervigiles) noviſſime juſſit, ut in ea Regia Cæſarea Univerſitate *Clerici morum Regulas hauriant ex Gabr. Antoine e S.J. Theol. Morali* (a). Ad rem noſtram accedamus.

In primis novam hanc adornare editionem Antoinianæ Theologiæ compulit raritas exemplarium, uno jam abhinc anno penitus diſtractorum. Occaſione vero iſta cur de novis additionibus cogitaverimus, multa fuerunt in cauſſa. Primo ipſa per ſeſe Auctoris Theologia, quantumvis præſtans & proficua, non eſt tamen numeris omnibus adeo abſoluta, ut ſubſidiariam manum omnino excludat, utique ob communem illam rationem, quia fœtus hominis eſt, iſque Divino afflante Spiritu haud productus. Ex quo obiter intelligitur, eam a nonnullis fruſtra in invidiam abduci prætextu quarumdam rigidorum ſententiarum, quas complectitur. Secundo etſi Auctoris textui ingens acceſſerit & lumen & decus ex iis, quæ poſtmodum geminato labore adjecta ab Eruditiſſimo P. Carboneano, nihilominus cum hic magna ex parte operatus ſit inſtitutioni Adoleſcentum, qui in Pontificio Collegio de Propaganda Fide ſacris Miſſionibus obeundis aptantur, ac propterea diligenter compilarit, quæ ad Chriſtianorum ritus, & Orientalis Eccleſiæ diſciplinam pertinent; cum item quæ protulit pure moralia, ad particulares materias referantur ferme omnia, ideo ipſum magis Urbi quam Orbi conſuluiſſe dilucet, ſicque non tam expleviſſe quam excitaſſe deſiderium aliorum Studioſorum, qui de Miſſionibus nullatenus ſolliciti non niſi morales eaſque uberes exoptant notationes. Sane ut hujuſmodi expectationi communi tandem ſatis fieret, ſimulque exacte compleretur, quod neceſſario faciendum pridem judicarant Sapientiſſimi Triumviri Romani, Sergius, Carboneanus ipſe, ac Moya (b), cœperunt procul hinc ſerio cogitare perdocti aliqui: idque reipſa perfectum nunc cerneretur, niſi Tridentinam Sedem nuper reliquiſſet, qui modo in Paſſavienſi eminet Leopoldus Erneſtus Firmianus, nobilitate, doctrina, religione, ma-

(a) In. fin. Prolegom. ad Catech. Rom. Edit. Vindobon. (b) Vide infra ſ. 2. approbat. hujus Operis.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

magnanimitate, beneficentia præſtantiſſimus Antiſtes. Tertio eidem Morali Theologiæ momentoſum quid præterea deeſſe deprehenditur. Ut notum eſt; initio prodiit deſtituta Tractatu omnium neceſſario ac utiliſſimo, qui *de Humanis Actionibus* ſolet inſcribi; quia nimirum Auctori placuerat materiam hanc diſcutere in priore Theologiæ ſuæ parte Scholaſtico-Dogmatica, ubi proprius locus exerte vindicandi catholicum articulum Humanæ Libertatis, a Novatoribus præſentis ævi tantopere impetitum. Deinceps quoque, tametſi ſæpius recuſa, & acceſſionibus amplificata, per Scholas vagata eſt ſine eodem Tractatu, quaſi ſine capite. Phrygio tandem conſilio in poſtrema editione fuit equidem illi præfixus; aſt talis, qualis exierat e calamo Auctoris, Polemicum potius quam Moralem Theologum agentis: quippe idcirco eſto Dogmaticis abundet doctrinis, in reliquis tamen Moralis Facultatis maxime propriis infeliciter deficit. Exinde porro conficitur, Theologiam hancce ſeorſim impreſſam, ita ſenſim increviſſe additionum alienarum mole, ut ad præſentem uſque diem caput præ ſe tulerit aut nullum, aut reliquo corpori minus conforme.

Enuntiatis cauſſis ſingulis, quæ induxerunt nos additamenta cumulare, jam obvium erit conjicere, quidnam peculiare complectatur præſens nova editio. Locavimus in fronte Operis Diſſertationem Proœmialem valde prolixam, quoniam ſimul concatenata exhibet, quæ ſunt fere omnigeni argumenti moralis, atque ad propoſitum nobis ſcopum conducentia viſa ſunt. Nimirum in ea reperire eſt, præter accuratam Humanorum Actuum expoſitionem, doctrinas multas partim ex Theologia Dogmatica, & Scholaſtica, partim ex Ethica, Pſycologia, aliiſque cognatis Diſciplinis adſcitas, quæ penitiorem progignunt eorumdem Actuum notitiam. Sparſim etiam interjecta exempla ab experientia, communique hominum converſatione petita, quibus magis perviæ & utiles redduntur theoreticæ inſtitutiones. Accedunt principia, canones, notiones generales; unde & plurium ab Eccleſia proſcriptarum Theſium tabida radix dignoſcitur; & ſeges uberrima elicitur ad illuſtranda, quæ ſubinde in particularibus Auctoris Tractatibus occurrunt perfunctorie vel tenuiter dicta; & mens denique Studioſorum capacior efficitur, atque ita fœcundatur, ut de rebus morum nedum intra ſcholarum umbras ſubtiliter diſceptare, ſed etiam in publicis cœtibus, ſacriſque miniſteriis apte ſermocinari valeant. Quod quidem poſtremum cordi eſſe debet Clericis illis, qui abſoluto licet ſtudiorum curriculo, aſſumptiſque Paſtoralibus curis, ſat curtæ ſupellectilis, ac jejuni ſenſus ſeſe paſſim produnt; quoniam in Moralibus addiſcendis, ut olim notavit Joan. Gerſonius (a) *ad ſola ſingularia ſe totos dant, nullam ad prima principia reſolutionem facientes, eo quod vel illa neſciunt, vel negligunt, aut toti litterales ſunt & ſine ſpiritu*: item quia parum anxii *de reponendis in armariolo mentis*, juxta monitum Doctoris Angelici (b), quæ ad veram ſolidamque eruditionem pertinent. In eadem Diſſertatione continentur præterea Prolegomena in univerſam Theologiam Moralem; & ſimul quædam veluti rudera ex antiquis Scholæ Proceribus deprompta, unde facili opera conſtrui poteſt peculiaris diatriba de neceſſitate, & utilitate Doctrinæ divinitus revelatæ. In quo quidem argumenti genere prorſus hoſpitem eſſe Moralem Theologum neutiquam licet: tum quia chriſtiana morum Diſciplina maxime pendet a regulis Supernaturalis Religionis: tum quia, ſi nunquam antea, hoc certe tempore excrevit progenies Incredulorum qua manifeſtorum, qua perſonatorum. Tandem adjectæ Diſputationes geminæ, altera *de Relatione actuum in Deum*, altera *de Conditionibus operis meritorii*. Auctoris porro Operi multa ſparſim interſeruimus, quæ partim Notarum, partim

(a) Tract. *de Sollicitud. Eccleſiaſtic.* (b) Opuſc. 72. *de Modo acquirendi ſcientiam.*



tim diſſertationum ſpeciem habent. Singulos videlicet Tractatus, qui generales materias complectuntur, ac veluti baſes ſunt univerſæ Facultatis Practicæ, crebris operoſiſque animadverſionibus conati ſumus dilucidare; tum ut inde majus adjumentum capiant quicumque avent res cognoſcere per cauſſas, ſive (ut laudatus ait Cancellarius Pariſienſis) *ſingularia caute colligere, & ſapienter reſolvere ad regulas generales*; tum ut eorum falſa perſuaſio corrigatur, quibus Morale ſtudium videtur exigui momenti, ac permodicæ difficultatis quod ab eodem Gerſonio (a) ſic negatur; *Hanc Sapientis admonitionem Eccli. 3. v. 22.* quæ tibi præcepit Deus, illa cogita ſemper, *non obſervant multi Theologorum noſtri temporis, qui de moralibus quaſi de rudibus materiis ſtudere, vel inquirere non dignantur. Sciemus, inquiunt, talia cum volumus; cum tamen nulla ſit ad agnoſcendum bene & reſolute ſcientia difficilior propter circumſtantiarum innumeras varietates. Nec eſt aliquis tam excellentis ingenii, nec a puero in hac ſcientia tam exercitatus, qui non quidem noviter quotidie inveniat, quod prius non ita plane cognoſcebat.* Particularibus etiam materiis quorumdam Tractatuum adjunximus non modo ſcholia deducta ex præjactis in Proœmiali Diſſertatione doctrinis, ſed Notas interdum longiores, immo & unam alteramque Diſputationem, puta de *Negotiatione eccleſiaſticorum*, ac de *Peculio Clericorum Sæcularium*. Demum pro coronide præclara duo monumenta SS. D. N. CLEMENTIS XIII. integre tranſcripta, ſuiſque locis indita: nimirum Epiſtola Encyclica de *Clericis Negotiatoribus*, & Decretum noviſſimum *de Indulgentiis*. Quidquid vero prius aderat ſive in textu auctoris, ſive in Carboneanis Appendicibus totum relictum prorſus intactum, novæ editionis Moderatoribus ita volentibus. Si mihi facultas libera fuiſſet, dempſiſſem ex priore Tomo Tractatum de *Actibus Humanis*, utpote ex dictis magis Dogmaticum quam Moralem, atque poſt additionem Proœmialis Diſſertationis hactenus deſcriptæ fere ſupervacaneum. Placuit hæc palam referre, ne quis mihi diem dicat ob molem hujus Theologiæ valde adauctam, & marſupiis aliquatenus infeſtam.

Non deerunt tamen, qui ſaltem objectabunt mihi ſtylum Aſiaticum, nimiamque Teſtimoniorum congeriem: ſicuti ex adverſo, qui de brevitate non ita ſolliciti, me potius carpant, quod ſilens præterierim aliquas Auctoris ſententias, pernicioſæ laxitatis nomine nuper ſugillatas ab exoticis Cenſoribus graviſſimis. Aſt velim priores animadvertant, me verſatum in enucleanda (b) *compendiaria Theologia illius Auctoris, qui nonnulla identidem habet nimia profecto brevitate, & præciſione ſcripta*: adde, qui non pauca prorſus omiſit ceteroqui apponenda, quæ ſcilicet pertinent ad notionem, & ſeriem Tractatuum, ad ſtatus Quæſtionum, ad diſtinctiones, aliaſque præliminares obſervationes. Rurſus, provinciam hanc a me ſuſceptam, non ad indulgendum eorum palato, qui moralia primoribus labiis attigiſſe contenti, e nata ſolum occaſione de iiſdem, ut poſſunt, eloquuntur: ſed gratia potiſſime Clericorum, qui profeſſa opera ac meditato conſilio incumbunt Theologiæ Morali ordinatim ſeu addiſcendæ, ſeu interpretandæ, & quibus interdum ingenium minus cultum, aut modica ſuppellex tum ſanioris litteraturæ, tum probatorum librorum. Ad ejuſcemodi autem ſcopum conferant necne crebra Auctorum deſignatio, ampla Teſtimoniorum ſeries, ſermo magis redundans quam compreſſus, peritorum ſit judicium. Alii vero, quæſo, meminerint, inſtituti mei rationem ſat perſpicue in ſuperioribus patefactam abduxiſſe me ab ediſſertandis iis Tractatibus particularibus, in quibus extare perhibentur molles illæ ſententiæ. Tum quæ iſthæc eſt moroſitas, ut me ob alia copioſa additamenta jam delaſſatum cogant venari lepores ultra montes?

Duo

(a) Tract. *de Orat. & ejus valore.* (b) Vide infra judicium Triumvir. Rom.

Duo præterea criminationis loco forſan obtendentur: ſcilicet & valde aperta liberaque ſcribendi ratio de rebus etiam magnopere controverſis, & nimium frequens antiquorum Scholaſticorum uſus, quaſi SS. Eccleſiæ Patribus forent coæquandi ipſorumque intuitu vileſceret omnis doctrina recentiorum Scriptorum Moralium. Ad primam quod ſpectat, ſcitum eſt illud Ezechielis (a) *Væ qui conſuunt pulvillos ſub omni cubito manus, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis ad capiendas animas: & cum caperent animas populi mei, vivificabant animas eorum.* Nec minus decantata, quæ apud Henricum Gandavenſem leguntur. (b) *Ubi eſt veritas ad dicendum opportuna, quam ſcilicet novit Doctor eſſe utilem atque expedientem audientibus ... ſi non, prout novit, eam dilucidat, ſed per ambages procedit, & non quæ ſentit proponit, ſed aliena, ut puto, mortaliter peccat (ſive timore, ſive odio ad talem veritatem ſic celandam perducatur) non ſolum in veritatem, ſed etiam in officium Doctoris: & non ſolum ipſe, ſed quicumque ſunt ejus promotores, inſtigatores, & fautores in hoc ... Et hoc præcipue in arduis quæſtionibus, in quibus periculum continetur; ad quas arguendo pro & contra, quaſi puteum abyſſi aperit, & veritatem non explicando ipſum non claudit.* Jam Prophetica perterrefactus comminatione, ac monito ſolemnis Doctoris imbutus cum ad ſcribendum accederem de rebus *moralibus*, in quibus non corrigiæ tantum, ut vulgo dicitur, ſed totius pellis, immo univerſi hominis vertitur ſalus, aut perditio ſempiterna, non potui non enuntiare ſincere, ac fidenter (ſepoſito quovis partium ſtudio, & ſalvo qui ſingulis Theologis, Scholiſque debetur, honore) quæcumque poſt accuratum examen ſeu vera, ſeu vero proximiora detexi; ſicque aliud nihil mihi vindicavi, quam quod a cunctis ſapientiæ amatoribus ſervandum agnovit vel Gentilis Comicus (c)

*Haud unquam quod rectum eſt & juſtum*
*Silens præteribo. Quippe ....*
*Candide ſervare decet loquendi libertatem.*

Ad diluendam porro criminationem alteram hæc valebunt. Cum res, uti mox ajebam, momentoſas tractaturus in animum induxiſſem nil fere aſſerere ſine gravi teſte, eos dictorum meorum ſponſores placuit potiſſimum afferre, quos conſtat ſapientia, pietate, doctrina plurimum excelluiſſe, ut ita ſecundum Doricum adagium *lapidem ad funiculum ducerem.* Atqui tales mihi viſi ſunt primores Scholaſtici, videlicet Alenſis, Thomas, Bonaventura, Scotus, Richardus, Antoninus, Ægidius, Bacconus, Henricus, Angelus; quippe (d) *in antiquis eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia*; & (e) *traditio Magiſtrorum ac doctrina inveterata, quaſi lex eſt.* Igitur nil mirum, ſi ex eorum Commentariis ſedulo collegerim, quod optimum, ac veritati affine exiſtimavi. Neque idcirco in SS. Patres deliquiſſe putandus ſum: tum quia horum oracula præcipuo loco a me commendata, atque etiam prolata, ubi occurrebant ſcopo meo congruentia: tum quia Scholaſtici illi Principes ex horum fontibus maxime potarunt. Unde S. Ignatius Loyola (f) ipſos præſertim hoc nomine commendat, quod *Scripturæ ſacræ, & veterum Auctorum ſcriptis, Conciliorum ſanctionibus, & variis Eccleſiæ Sanctæ conſtitutionibus, ad ſalutis noſtræ ſubſidium feliciter utantur.* Talem methodum ſectando mens dumtaxat fuit ab iis procul recedere, qui poſteriori ætate auſi ſunt edicere (g) *Doctrina fidei a Veteribus, doctrina morum magis a Junioribus petenda. De ſententia Doctorum antiquorum verum ſciri non pote-*

(a) Cap. 13. verſ. 18. (b) Quodl. 10. q. 16. (c) Ap. Clem. Alexandr. lib. Strom. (d) Job. c. 12. verſ. 12. (e) Salvian. l. 5. *de Provident.* (f) Lib. *Exercit. ſpirit.* mihi pag. 267. (g) Inter Propoſit. damnat. a Cler. Gallican. Univerſit. Pariſ. & Lovan.



*rit, niſi ipſe Thomas, aut Auguſtinus, aut alii excitentur a mortuis. Hæc objectio opinio nova videtur, doctum urgere nequit, nam tota Moralis Theologia nova eſt.* Ceterum vetuſtis Magiſtris ſæpius adjunxi & recentiores præcipuos, tum Canoniſtas, tum Theologos: puta Covarruviam, Fagnanum, Gonzalez, Molinam, Pirrhingium, Anacletum, Navarrum, Sylvium, Pontium, Suarezium, Hennum, Cuniliatum, Wigandum, Coletum, alioſque; ut propterea Plinianum illud (a) jure uſurpare poſſim: *Sum ex his, qui miror antiquos; non tamen noſtrorum temporum ingenia deſpicio.* A nominandis autem noviſſimis quibuſdam Scriptoribus, alioqui famigeratis eruditiſque, religioſe abſtinui; quoniam, cum inter ſe acriter digladientur, pædagogo monſtrante vel puerulus a Martiali didici, *fumantem urſi naſum non tentare.* Loquar apertius: *dum omnibus ſi fieri poteſt, pacem habere* (b) peropto, ac ſi per vires liceret, pacem inter omnes etiam conciliare. Profecto ob hunc maxime finem ſtatui, frequenter eloqui verbis, ſenſibuſve Benedicti XIV. quem utpote univerſalis Eccleſiæ Magiſtrum, avitæ diſciplinæ Reſtauratorem, ſacri Juris omniſque Eccleſiaſticæ ſcientiæ Illuſtratorem, non poſſunt non ſuſcipere, revereri, ſectari Cordati quique. Eodem plene ductus conſilio (ut nova ſimul, ac vetera proferrem) duorum priſcorum Doctorum graviſſima edocumenta paſſim adjunxi, Angelici videlicet & Seraphici; qui nedum in Scholis ſcientiam diſſeminarunt, ſed etiam tamquam lucernæ ſuper candelabrum poſitæ in Domo Domini effuderunt quaſi flumen ſapientiam, & reliquerunt illam omnibus quærentibus veritatem. Non hic porro litem ingredior a recentibus Criticis (c) Venetæ Vineæ intentatam de veritate plurium Opuſculorum, quæ deinceps invenies a me citata ſub nomine S. Bonaventuræ ſecundum vulgatas editiones, ſenſumque magis communem. His etenim ſtare Moralem Tractatorem e Criticis ſolutum diſquiſitionibus omnino par fuit; præſertim cum fama ferat, proditurum inſignem Agnatum Tranſalpinum ipſorum Cenſorem, qui adornata nova editione Operum Seraphici Doctoris ſtrenue demonſtrabit, eam Vineam, utpote Ovdiniano conſperſam cinere, ſpinas magis quam uvas præter expectationem feciſſe.

En ſingula, Erudite Lector, quæ mihi viſa ſunt neceſſario nuntianda hoc ipſo in limine, ut conſilii ſtudiique mei ratione ex toto perſpecta, ſimul & univerſi Operis ſeriem, atque œconomiam uno velut obtutu apprehendas, & pro ſingulari tua humantitate ac benevolentia meum qualemcumque laborem boni conſulas. Sed quidnam dicam vobis, novella Clericalis Ordinis germina, Sacræ Theologiæ Moralis Candidati? Habetis doctrinam ſapientiæ, & diſciplinæ, quam Auctor inclytus ſcripſit in ſuo Codice, illam naviter addiſcite, quippe (d) *doctrina bona dabit gratiam.* Tum ipſa vita eamdem exprimere pro viribus conamini. Nam ex M. Baſilio (e) *qui Philoſophiam verbo tenus apud alios manentem facto confirmavit, ſapit ſolus; reliqui velut umbræ volitant.* Multa præterea ſanæ frugis, & exquiſitæ eruditionis Eccleſiaſticæ vobis ſuppeditavit Cl. Profeſſor Carboneanus. De poſtremis hiſce Additamentis, a me omnium minimo nunc inſertis, nihil decernens, finem præfandi facio verbis D. Ambroſii ſuos Inſtitutionum ſacrarum libros abſolventis (f) *Hæc apud vos depoſui, Filii, quæ utrum aliquid profectus habeant, vos probabitis.*

APPRO-

(a) Ap. [illegible]agnan. in cap. *N[illegible]innitaris*, n. 351. (b) Ad Rom. c. 12 verſ. 18. (c) Vid. Diatr. Hiſtorico-Chronologico-Criticam *de Geſt. & Script. S. Bonav*, edit. Venet. 1750. (d) Prov. c. 13. v. 15. (e) Serm. de Adoleſcent. (f) Lib. 3. Offic. in fin.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# APPROBATIO MULTIPLEX.

QUandoquidem Approbationes variæ, quæ ſecundum iteratas editiones hujuſce Moralis Theologiæ diverſis in locis diverſiſque temporibus prodiere, totidem ſunt graviſſima judicia Virorum omni exceptione majorum, quibus & Auctoris dignitas, & Operis præſtantia mirum in modum declarantur: ea propter placuit hic univerſas ſubtexere quinque paragraphis diſtinctas ſervato ordine ipſarum editionum.

## §. I. Approbationes Gallicanæ

*Illuſtriſſimi Epiſcopi loci, ubi facta eſt prima editio.*

SCipio Hieronymus Dei gratia, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ auctoritate Epiſcopus Comes Tullenſis, S. R. I. Princeps, Regi a Sanctioribus Conſiliis &c. omnibus præſentes viſuris Salutem in Domino.

R. P. Paulus Gabriel Antoine Soc. Jeſu Presbyter S. Theologiæ Doctor, Ex-Profeſſor, & Univerſitatis Muſſipontanæ Rector, Nobis expoſuit ſe Curſum Theologiæ Moralis ad uſum Parochorum & Confeſſariorum ex methodo elaborare, ut nec prolixitas tædium, nec obſcuritatem brevitas pariat, ac tradita in eo doctrina ſanioris Ethicæ Chriſtianæ principiis innitatur. Cum vero perſpectum habeamus, tum ex quarumdam ejuſdem Operis partium lectione, tum præſertim ex relatione Doctoris Sorbonici, viri pietate & ſcientia eximii, cui Librum hunc attente legendum dedimus, non levem ex eo utilitatem percipere poſſe Parochos & Confeſſarios; Nos non ſolum hoſce Tractatus Theologicos in noſtra Diœceſi in lucem edi & doceri permittimus, ſed etiam valde hortamur omnes rebus Theologicis operam dantes, ut ſedula illorum lectione ſcientiam curandi animas, quæ eſt ars artium, ſibi comparare ſtudeant.

Datum Tulli Leucorum die 5. Octobris anno Domini 1725.

✠ Scipio-Hieronymus, Epiſcopus Comes Tullenſis.

*Reverendi Patris Provincialis.*

EGo Præpoſitus Provincialis Provinciæ Campanæ Soc. Jeſu, poteſtate ad id mihi ab Admodum Reverendo Patre Præpoſito Generali ejuſdem Societatis tradita, facultatem concedo, ut Patris *Pauli Gabrielis Antoine*, ex eadem Societate Liber, qui inſcribitur *Theologia Moralis &c.* trium ex ejuſdem Societatis Theologorum judicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has dedi Litteras. Argentinæ die 7. Novembris 1725.

Ludovicus Languille.

*Cenſoris Regii.*

ILluſtriſſimi D. D. Regiorum Sigillorum Cuſtodis juſſu Librum perlegi Typis editum Nanceii, anno 1731. apud Joannem Baptiſtam Cuſſon, cui titulus eſt: *Theologia Moralis Univerſa, Auctore R. P. Paulo Gabriele Antoine, Societatis Jeſu Presbytero, S. Theologiæ Doctore & ex-Profeſſore*: Opus egregium, brevitatem conjungens cum claritate & integritate, ita ut fuſiori expoſitione non egeat; nihilque in eo deſideres morum directioni & caſuum occurrentium deciſioni neceſſarium vel utile, certioribus innixum fundamentis, Scriptura Sacra, Sanctorum Patrum auctoritate, Conciliorum cum œcumenicorum tum particularium definitionibus, juris utriuſque regulis ac placitis, praxi & uſu Eccleſiæ, præſtantiſſimorum Theologorum ſententiis, nec non rationum ſolidiorum momentis gravioribus; a vitioſo alſunde utroque extremo caute & prudenter recedens, nimia videlicet relaxatione & majori quam par eſt ſeveritate; mediam conſtanter ineundo viam, eamque certiorem & tutam; ſtylo denique exaratam puro, nitido & eleganti. Nedum igitur aliquid impediat, quominus in hocce florentiſſimo, & Chriſtianiſſimo regno diſtribuatur, quin immo utiliſſimum fore exiſtimo, ſi in ipſo, majoris commodi gratia, typis quoque mandetur. Datum in Sorbona, anno reparatæ ſalutis humanæ ſeptingenteſimo ſecundo ſupra milleſimum, die vero menſis Januari ſeptima. A Le Moine, Doctor & Socius Sorbonicus, Eccleſiæ Collegiatæ Sancti Benedicti Canonicus, Librorum Cenſor Regius.

*Cenſoris ibidem Regii.*

EX mandato Illuſt. D. D. Regiorum Sigillorum Cuſtodis legi hanc *Theologiam Moralem*, quæ intra paucos annos typis pluries edita, ſe publica exiſtimatione non indignam probat. Ipſa ſanis & optimis morum regulis conſtanter adhæret; e Scripturis & traditione ſua haurit momenta, quæ ad ſenſus alienos non detorquet: Evangelicam ſectatur diligenter ſeveritatem, quam argutiolis emollire aut enervare non ſtudet: nihil igitur mirum ſi hoc opus ſpectatiſſimis omnium ordinum viris probatum fuerit: itaque e re videtur illud prælo rurſus committi, ut facilius & promptius haberi queat, ac tandem e manibus excutiantur libri illi morales, qui non in edificationem, ſed in deſtructionem ſcripti fuiſſe videntur. Datum in Sorbona die duodecima menſis Martii anno 1733. Saint AUBIN.



## §. II. Unanime judicium trium Romanorum Theologorum, qui juſſu BENEDICTI XIV. Theologiam hanc examinarunt an. 1748.

IN Opere, quod inſcribitur, *Theologia Moralis univerſa ad uſum Parochorum, & Confeſſariorum auctore P. Paulo Gabriele Antoine Soc. Jeſu*, nihil quidem id nobis perluſtrantibus occurrit, quominus Clericorum Seminariis, aliiſque Eccleſiaſticorum Cœtibus perlegendum provide, atque utiliſſime proponatur. Quia tamen nonnulla identidem habet nimia profecto brevitate, ac præciſione ſcripta, ea intellectu, vel Magiſtro, uti in ſimilibus compendiariis operibus accidit, indigere exiſtimamus, ne ſanæ ceteroquin Auctoris doctrinæ ad improbatos, improbandoſve ſenſus detorqueantur. Atque ita &c. Romæ 1748. Kalend. Aug.

*Thomas Sergius Prior Oper. S. Rom. Inquiſ. Conſult.*

*Ita & ego cenſeo Fr. Philippus de Carboneano Ord. Min. Lect. Jubil. Sac. Cong. Ind. Conſultor, Supremæ, & Univ. Inquiſit. Qualificator, & in Collegio Urbano de Propaganda Fide Philoſophiæ Profeſſor.*

*Ita & ego cenſeo Fr. Carolus Dominicus de Moya Ord. Min. Conv. Magiſter, in Rom. Archigym. Publ. Theol. Prof. Theologicæ Academiæ Cenſor, Collegii D. Bonav. Regens, & Rector, ac promovendorum ad Epiſcopatum Examinator.*

## §. III. Approbationes Romanæ pro editione an. 1752.

UT Reverendiſſimi Patris Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri juſſa facerem, operam dedi animumque adjunxi, attente ut expenderem *Notas, Appendices, & Tractatum de Sacris Chriſtianorum Ritibus*, quibus R. P. Philippus de Carboneano Ord. Min. *Theologiam Moralem Univerſam* R. P. Pauli Gabrielis Antoine Soc. Jeſu Presbyteri, mirum in modum illuſtravit, ornavit, & auxit. Qua in re ingenue fatear oportet, me obſervare nil potuiſſe vel hilum recedens a rectis Chriſtianorum moribus, aut a ſincera eorumdem Religione. Atque adeo, nec ſine animi mei jucundiſſima voluptate, cuncta in iiſdem legendis reprehendi a Viro Clariſſimo exquiſita ac recondita eruditione referta, optimo, nitidoque rerum ordine atque delectu diſpoſita, eleganterque pertractata. Ea propter nullus dubito, quin laudabilem moralis diſciplinæ ſtudioſis quibuſcumque, & ſacris præſertim Miſſionariis, operam ille poſuit, quæ & ab omnibus probari, omniumque commodo & utilitate Typothetarum arte vulgari & mereatur, & debeat. Datum Romæ in Ædib. S. Andreæ de Valle v. Kal. Jun. An. R. S. CIↃ. IC. CC. LII.

*An. Franc. Vezzoſi Cler. Reg. in Archigymnaſio Rom. Hiſt. Eccleſiaſt. P.*

JUſſu Rever. P. FR. Auguſtini Urſii Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri legi Tractatus, & notas Eruditiſſimi Patris Fr. Philippi de Carboneano Ord. Min. eaſque dignas cenſeo, quæ typis edantur, cum nihil contineant Fidei, boniſque moribus contrarium, & ad ſaniorem doctrinam percipiendam ſint comparatæ. Datum Romæ in Conventu S. Mariæ ſuper Minervam die 26. Junii 1752.

*Fr. Vincentius Dinelli Ord. Præd. Cathed. Caſanat.*

QUæ Vir plane doctus Philippus a Carboneano Morali Theologiæ Gabrielis Antoine e Societate Jeſu Romana hac tertia editione, apte copioſeque addidit, ea & Rever. P. M. S. P. A. Auguſtini Urſii juſſu perlegi, & vehementer probavi, & omnium lectione digna cenſeo. Romæ ex Æd. SS. Quirici & Julitæ xvii. Kal. Sept. anno CIↃ.IC.CC.LII.

*F. Angelus Moncada Ord. Præd. in Coll. Urb. de Propaganda Fide Philoſophiæ P.*

## §. IV. Approbatio Romana pro editione an. 1757.

OPus inſcriptum *Theologia Moralis P. Gabrielis Antoine Soc. Jeſu Presbyteri Pars altera de Sacramentis &c. Auctore P. F. Philippo de Carboneano Ord. Min. Regularis Obſervantiæ plurimum auctum*, juſſus a Rever. P. F. Joſepho Auguſtino Urſio Sacri palatii Apoſtolici Magiſtro diligenter legi, tantumque abfuit, ut quidquam in eo deprehenderim, quod Orthodoxæ Religionis decretis rectæque morum inſtitutioni repugnans eſſet, ut admiratus cer-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

certe fuerim ſummam non Auctoris modo, ſed etiam Adnotatoris in ethicis rebus doctrinam, & facultatem, Quamobrem quum Eccleſiæ Occidentis, multoque magis Orientis Clericis utile in primis frugiferumque futurum perſpiciam, dignum arbitror, quod in lucem edatur.

Dabam ex Ædibus S. Franciſcæ Romanæ die 3. Martii MDCCLVII.

*D. Aloyſius Stampa Abbas Olivetanus Promovendorum ad Epiſcopatum Examinator, & in Collegio de Propaganda Fide Studiorum Præfectus.*

§. V. APPROBATIONES ROMANÆ PRO EDITIONE AN. 1764.

DIſſertationem quam Conventualis Theologus Operi, cui titulus: *Theologia Moralis Univerſa Auctore R. P. Paulo Gabriele Antoine*, præmiſit, Notaſque quibus varias ejuſdem Diſciplinæ partes ſparſim illuſtravit, juſſu Rever. Patris F. Thomæ Auguſtini Ricchini Sac. Apoſtolici Palatii Magiſtri diligenter perluſtrantes nihil invenimus, quod a recta Catholicæ Religionis fide, atque Morum inſtitutione deſciſcat, immo tuto ſperamus Theologi noſtri laborem fore ſummopere Clericis rerum Moralium Studioſis profuturum. Quare dignum cenſemus, ut egregium opus, toties evulgatum, iterum cum prædicta Diſſertatione, & Notis typis commendetur. Datum ex Ædibus S. Franciſcæ Romanæ die 5. Auguſt. 1764.

*D. Theodorus Paroni Abbas Olivetanus.*

*D. Benedictus Torre L. T. Olivetanus, & S. Greg. SS. Rit. Conſultor.*

DIſſertationes, & Notas, quas huic noviſſimæ Romanæ editioni Theologiæ Moralis Auctore R. P. Paulo Gabriele Antoine addidit Conventualis Theologus, jubente Rever. P. Thoma Auguſtino Ricchinio Sac. Palatii Apoſtolici Magiſtro attente perluſtravi: cumque in eis nihil, quod Catholicæ Fidei, boniſque Moribus adverſetur, offenderim, ipſas typis dari poſſe cenſeo. Datum Romæ die 21. Auguſti 1764.

*D. Anaſtaſius Canzi S. Th. Lector in Collegio S. Crucis in Jeruſalem.*

ACCEDIT PRÆFATIO P. PHILIPPI A CARBONEANO PRO EDITIONE AN. 1757.

THeologia hæc prodit iterum in lucem a me aucta, & illuſtrata. In altera Editione anni 1748. præter Tractatum de Sollicitatione, & Commentarium ac Conſtitutiones, quibus Confeſſarii a Pœnitentibus nomen complicis exquirere prohibentur, nihil addidi quod vel ex Conſtitutionibus, vel ex Tractatu de Synodo Diœceſana Benedicti XIV. depromptum non eſſet. Eo enim unice conſilio manus ad opus impoſueram, ut perutilis Supremi Pontificis doctrina, per Theologiam, quæ omnium fere manibus teritur, facilius vulgaretur; &, ut loca, quæ in ea obſcura, vel ambigua eſſent, Apoſtolicæ Sedis decretis comprobata, & ſapientiſſimi Pontificis doctrina explicata forent. Omiſi vero, quæ ad Orientalem Eccleſiam pertinerent, etſi plura occurrebant tum in Conſtitutionibus, tum in antedicto Tractatu: ea tamen ſelegi, & in adverſariis meis una cum aliis ad Eccleſiam Orientis ſpectantibus adnotavi, ut materia præſto eſſet ad Theologiam in uſum Miſſionariorum, quam Summus Pontifex elaborare me juſſerat, perficiendam. Plura enim alia ad rem hanc pertinentia collegeram ex Thoma a Jeſu, Verricello, a Breno, Goario, Allatio, Arcudio, Papadopoli, Schelſtratio, Simonio, Renaudotio, Morino, Martene, Bruno, Aſſemano, aliiſque viris doctis, qui de Orientalis Eccleſiæ jure, deque ipſius diſciplina, & Ritibus ſcripſerant. Decreta vero deſiderabantur a Sacris Urbis Congregationibus pro ſolvendis Miſſionariorum dubiis edita. Supplicavi, & ut hæc quoque concederentur, Summus Pontifex benigniſſime annuit. Hæc omnia cum Inſtitutionibus de Sacris Chriſtianorum Ritibus, quas pro inſtruendis adoleſcentibus in Collegio de PROPAGANDA FIDE elucubraveram neceſſariam operi perficiendo materiam ſuppeditare videbantur. Sed dum mecum ipſe de Theologia hac ad uſum Miſſionariorum conficienda cogitarem, Thomas Sergius Vir Clariſſimus monuit me nova, quam Generoſus Salomonius meditabatur hujus Theologiæ Moralis Editione, hortatuſque eſt, ut huic potius, quæ Eruditorum calculo, & communi plauſu probata eſſet, ea, quæ ad Miſſionarios pertineret, adderem, quam novam incerto eventu perficerem. Placuit conſilium, ſtatimque, ut ei morem gererem, adii Eruditum Virum Petrum Pompilium Rodota, qui pro nova Verricelli editione Decreta omnia, & alia plura circa Apoſtolicas Miſſiones collegerat, ut ea mihi pro hac exornanda Theologia concederet. Is vero, non ſolum decreta concedere, ſed velle etiam ſe mecum rei operam dare ſpopondit. Atque ita revera ſeſe paratum exhibuit; nam præter decreta, alia etiam ad me miſit, quibus opus augeri, & illuſtrari potuiſſe arbitrabatur: ſed aliis, quæ communicare volebat, uti non potui: monuique hominem, ut deinceps ab iis parandis abſtineret, quod ea, quæ ipſe exhiberet, vel jam antea eſſent a me diligentius conquiſita & diſpoſita, vel ad opus, quod ſuſceperam, juxta initum conſilium conferre non viderentur. Uſus vero ſum decretis multis; nam nonnulla e Verricello, & aliqua ex Patre a Breno deprompſi; plura etiam acceperam a Viro Illuſtriſſimo ac Præſule

Am-



Ampliſſimo Gullielmi Supremæ Inquiſitionis Aſſeſſore. Atque hinc habes, quo conſilio opus ſuſceperim, quibus e fontibus materiam hauſerim, quibuſque ſim uſus præſidiis. In opere autem illuſtrando, notas, appendices, tractatuſque adhibui. In notis, quæ ſtellula deſignantur, præter Conſtitutiones, & aliquot Tractatus de Synodo Diœceſana BENEDICTI XIV. capita nonnulla etiam ex purioris Theologiæ principiis attuli, quibus aliquæ, minus Viris doctis probatæ, Auctoris opiniones corriguntur: in appendicibus fuſim diſſeritur de auctoritate, & uſu legum Romanorum Pontificum, & Decretorum ſacrarum Urbis Congregationum in Eccleſia Orientali: de Fidei profeſſione, de vitanda Hæreticorum, Schiſmaticorumque in Sacris communione; de antiqua & nova Eccleſiæ diſciplina circa prohibitionem librorum; de Orientalium jejuniis, deque varia Orientalium Eccleſiarum circa ſingula Sacramenta diſciplina. In Tractatu denique, qui eſt de Sacris Chriſtianorum Ritibus; quem in hac editione plurimum auxi, I. Sacrorum Rituum naturam; Novatorum circa eoſdem errores; exteriorem Chriſti Eccleſiæ cultum, & Orthodoxum ſyſtema expoſui, ac vindicavi: II. Statum explicavi Orientalis Eccleſiæ, varias Hæreticorum ſectas, quæ in ea ſunt, ac præcipuos eorumdem errores, & rituum, qui in diverſis Eccleſiis vigent, varietatem: III Obligationem oſtendi, qua quiſque tenetur in ſemel ſuſcepto ritu manere: IV. Denique ritus illos recenſui, qui vel ab Apoſtolica Sede proſcripti ſint, vel rejiciendi videantur. Iis addidi quamplurima dubia, quorum ſolutio eruditis viris jucunda, Orientalibus utilis, ac Miſſionariis omnino neceſſaria videbatur; ac præterea Propoſitiones omnes a Summis Pontificibus damnatas, brevi explicatione donatas. Accedit denique inſtructio de praxi Sacramenti Pœnitentiæ, italice conſcripta. Hæc ſunt, quibus Theologia hæc, in nova quam exhibemus editione, aucta fuit. Non dubito, Erudite Lector, quin tibi, ſi non ut optima, ſaltem ut maxime utilia probanda ſint. Vale. (*)

(*) *Vel ex ſerie duntaxat hujus Præfationis (quando deeſſent argumenta alia, a quibus referendis nunc conſulto abſtineo) ſatis aperte intelligitur Benedictum XIV. & gratum & ratum habuiſſe, ut Moralis hæc Theologia, prævio ipſius mandato a ſelectis TT. perluſtrata, dein additionibus locupletata, ſicque Romanis typis impreſſa, prælegeretur Studioſæ Pubi Urbani Collegii de Propaganda Fide. Qui enim Virum Doctum* juſſiſſet *poſt additiones primas novam* elaborare materiam ad eamdem Theologiam in uſum Miſſionariorum perficiendam, *ſi minus accepta fuiſſet ipſa Theologia? Cum vero, quod annuente & probante Pontifice Sapientiſſimo factum, ad hanc uſque diem in eodem Celebri Collegio ſervetur, ecquis de aſſenſu pariter SS. D. N. CLEMENTIS XIII. poterit jure ambigere?*

*R E I M P R I M A T U R.*

Si videbitur Rever. Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

*Dominicus Jordani Archiep. Nicomed. Viceſgerens.*

*R E I M P R I M A T U R.*

F. Thomas Auguſtinus Ricchinius Ord. Prædic. Sacri Palatii Apoſtol. Magiſt

IN-

# INDEX.

## TOMI PRIMI PARS PRIMA.


DISCEPTATIO hiſtorica de Lege Divina, & de Sacris veteris, & novi Teſtamenti libris. 17
MELCHIORIS CANI Epiſcopi Canarienſis Inſtitutiones ad Theologiam maxime ſpectantes. 25
*Quid Theologia ſit.* ibid.
*Quid Theologia ſit ſpeculativa.* 26
*Quod Theologia vere ſcientia ſit.* 27
*Diſcrimen inter fidem & Theologiam.* ibid.
*Quænam ſit fidei Theologiæque ratio formalis.* 28
*Revelatio principiorum quibus limitibus contineatur.* 29
*Quæ ſint Theologiæ principia.* ibid.
*Quodnam ſit principiorum diſcrimen.* 30
*De principiis ſecundariis, & aſcititis.* ibid.
*Quatenus principia quædam demonſtrari contingant.* ibid.
*Quomodo fides humanis adjumentis obtineatur.* 31
*Quod fides non Eccleſiæ auctoritati, ſed divinæ veritati innitatur.* 32
*De duobus generibus argumentorum, quibus omnis diſputatio tranſigitur.* 34
*Locorum Theologicorum numerus & Expoſitio.* ibid.
*De Locorum ſeu Fontium Theologicorum uſu.* 37
*De uſu Conciliorum ſeu ſacrorum Canonum in reſolvendis caſibus conſcientiæ.* 38
Tractatus de Uſu Juris Canonici & Civilis, & de vero uſu caſuiſtarum de Jure Canonico.
§. I. *Quid ſit jus Canonicum.* 41
*Judex, Judicium, Clerus, Sponſalia, Crimen.* 43
§. II. *De Jure Canonico noviſſimo, & quando citetur.* 44
§. III. *De jure non ſcripto ſeu de conſuetudinibus.* ibid.
§. IV. *De modo utendi jure Canonico in reſolvendis caſibus Conſcientiæ.* ibid.
De Jure Civili.
§. V. *Quid ſit Jus Civile.* ibid.
§. VI. *De modo quo citari ſolet Jus Civile.* 45
Diſſertatio Procemialis Patris Staidel. De Humanis Actibus, ac de Præcipuis aliis morum materiis. 46.
ART. I. *De Prænotionibus Generalibus.* ibid.
ART. II. *De Actionum Humanarum Natura, ac Diviſione.* 68.
ART. III. *De Voluntario, ac Libero.* 75
SECT. I. *De Voluntario.* ibid.
SECT. II. *De Libero.* 83
ART. IV. *De involuntario, ejuſque cauſis.* 91
SECT. I. *De involuntario.* ibid.
SECT. II. *De cauſis involuntarii.* 92
§. I. *De violentia.* ibid.
§. II. *De Metu.* 93
§. III. *De Ignorantia.* 96
§. IV. *De Concupiſcentia.* 107
ART. V. *De Moralitate Actionum.* 113
SECT. I. *De Eſſentia Moralitatis.* 114
SECT. II. *De Speciebus Moralitatis.* 115
SECT. III *De Numero Specierum Moralitatis.* 118
SECT. IV. *De Fontibus Moralitatis.* 123
SECT. V. *De Subjecto Moralitatis.* 157
SECT. VI. *De Moralitatis Effectibus.* 161
SECT. VII. *De Dotibus meritorii Operis.* 163


---

# NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.


AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione, del *P. F. Filippo Roſa Lanzi*, Inquiſitor Generale del Santo Officio di *Venezia* nel Libro intitolato: *Theologia Moralis univerſa a R. P. Paulo Gabriele Antoine primum concinnata &c.*, non v'eſſer coſ' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per atteſtato del Segretario noſtro niente contro Principi, e buoni coſtumi; concediamo Licenza ad *Antonio Zatta* Stampator di *Venezia* che poſſi eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Data li 4. Novembre 1768.

( ANGELO CONTARINI PROC. RIFORM.
( ALVISE VALARESSO RIFORM.
( FRANCESCO MOROSINI 2. CAV. PROC. RIFORM.

Regiſtrato in Libro a carte 364. al Num. 2601.

*Davidde Marcheſini Segretario.*

Regiſtrato al Magiſtrato della Beſtemmia in libro a carte 5.

*Andrea Grattarol Segretario.*






# DISCEPTATIO HISTORICA

*De Lege Divina, & de ſacris veteris, & Novi Teſtamenti Libris.*

EXitioſa res peccatum. Creaverat Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam: huic dederat mentem ratione pollentem, & in bonum natura ſua converſam, ſed ſuo permiſſam arbitrio, ut quocunque vellet ſeſe ad libitum inflecteret. Ipſe vero accepta ab omnipotenti Creatore lege obſervatu facillima, qua ligni ſcientiæ boni & mali fructus ipſi interdicebatur, externa dumtaxat ſuggeſtione mulieris, non interna concupiſcentiæ, quæ nondum ipſi inerat, ſollicitatione victus, primum Dei mandatum guſtato fructu vetito violavit. Hinc omnis mali origo. Hinc Adamus, & Eva nudos eſſe ſe erubuerant. Hinc cœpit concupiſcentia contra rationem pugnare; durumque deinceps in omnes homines, qui ab iis prognati ſunt, imperium exercuit. Hujus rei exemplum inter primos ipſorum filios luculentum apparuit. Cainus quippe invidia ſuccenſus Abelem fratrem, quaſi univerſus orbis utrique continendo par non eſſet, interfecit. Horum poſteri impietatem ad ſummum perduxere: adeo ut tempore Noe viri juſti, omnis caro viam ſuam corrupiſſe dicatur: nec aliter quam perpetuis quadraginta dierum imbribus totiuſque terræ eluvione flagrans ubique hominum libido fuerit reſtincta. At vix a filiis Noe reparatum eſt genus humanum, cum rurſus in flagitia, & ſordes ruere, neglectoque ſolius Dei veri cultu, idolis ſervire cœpit. Aucto hominum numero, de diſceſſu in varias terræ regiones cogitatum eſt. Sed prius turris Babel, ſive *confuſionis*, audaci mortalium conatu inchoata, potentiori Dei nutu fuit interrupta. Quippe ibi confuſum eſt labium univerſæ terræ, & lingua communis in plures diviſa; adeo ut ſublato, quo inter ſe devinciebantur, loquelæ commercio, alii in alias terras commigrare ſint coacti. Sed etiamſi locis diſſiti, & ſermone diverſi forent, in hoc tamen conveniebant, quod moribus perditi, omnium ſcelerum generi eſſent mancipati. Nonnullos tamen in tanta malorum colluvie illibatos, & puros ſervavit ſibi Deus, *qui dives eſt in miſericordia*, & cujus bonitas hominum nequitiæ prævalet. Inter cæteros eminet Abrahamus, qui ſpecialiter electus eſt, ut eſſet credentium pater. Is cum natus eſſet in Ur Chaldæorum, ſeu in Chaldæa Meſopotamiæ finitima, quæ etiam Meſopotamia dicitur, utpote Meſopotamiæ provincia; & cum patre ſuo Thare habitatum veniſſet in Haram, ſeu Charan in Chaldæa; is, inquam, mortuo patre, eductus eſt a Deo de terra, & cognatione ſua, deductuſque in terram Chanaam. Cumque ipſi ſuperandus fuiſſet Euphraſes, ut in eam terram veniret, vocatus eſt *Hebræus*, ideſt *tranſitor*. (Gen. c. 14. v. 13.) Hincque ipſius poſteri appellati ſunt Hebræi, & lingua eorum hebraica. Joſephus tamen. (lib. 1. antiquit. Judaic. c. 6.) putat ab Hebero, e cujus ſtirpe ortus eſt Abrahamus, ut legitur Gen. c. 11. hebraicam gentem, & linguam eſſe cognominatam. Utcunque illud ſit, cum & Abrahamus, & uxor ejus Sara ætate eſſent provecti, ſic eum allocutus eſt Dominus: *Suſcipe cælum, & numera ſtellas, ſi potes: & dixit ei, ſic erit ſemen tuum. Credidit Abram Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam.* Gen. c. 15. v. 5. Poſtea vero non Abram, ſed Abraham appellatus eſt; quia pater multarum gentium fuit conſtitutus. *Et ſignum accepit Circumciſionis, ſignaculum juſtitiæ Fidei*; & genuit filium Iſaac, *& circumcidit eum octavo die, ſicut præceperat ei Deus.* Unde quamvis Circumciſio tranſierit in Legis Moſaicæ Sacramentum his verbis, Lev. c. 12. v. 3. *Die octavo circumcidetur infantulus*; non tamen a Moyſe primum orta eſt; ſed Patres, ſeu Patriarchæ Moyſe antiquiores eam ab Abrahamo acceptam obſervarunt, prout Judæos admonet ipſe Chriſtus, Joan. c. 7. v. 22.

Ut autem Abrahamus illuſtre ſui erga Deum amoris præberet exemplum, quo certum fieret, ipſum ſoli Deo, ut ſummo bono adhærere, cætera vero ab eo non diligi, niſi propter Deum, paratus erat eundem filium ſuum Iſaac, triginta ſeptem annos jam natum, ſecundum Hebræorum traditionem, jubenti Domino in holocauſtum offerre. Jam ambo pervenerant ad montem, quem iis monſtraverat Deus, qui dicitur mons eſſe Moria, cujus in altero vertice templum fuit extructum; in altero, cui nomen *Calvaria*, Chriſtus fuit Cruci affixus. Jam Iſaac, figura Chriſti, humeris ſuis holocauſti ligna in Calvariæ montem, ut fas eſt credere, portaverat. Cumque ipſum altari ſupra lignorum ſtruem impoſuiſſet Pater, in eum ſtricto gladio manum extendebat; eratque illum immolaturus, niſi mitius Angelus de cælo obſtitiſſet. Tunc vero vidiſſe dicitur diem Chriſti, ſive ſpeciali revelatione intellexiſſe Chriſtum humani generis Redemptorem, ex poſteris ſuis ſecundum carnem eſſe naſciturum. Quippe hujus typum gerebat non tantum Iſaac, ſed & aries, quem inter vepres cornibus hærentem vidit Abrahamus, & in holocauſtum pro filio obtulit. Tunc celebre promiſſum, quod jam acceperat a Deo, rurſus audivit, his verbis Geneſ. 22. v. 18. *Benedicentur in ſemine tuo* (Chriſto) *omnes gentes terræ.* Idem repetitum eſt ejus filio Iſaac, Geneſ. c. 26. v. 4. & confirmatum ipſi Jacob Iſaaci filio, Gen. 28. v. 14. quocirca idem Jacob, qui etiam dictus eſt Iſrael, Gen. 32. v. 28. Pater XII. Pa-

triarcharum (quorum ſex nati ſunt ex Lia, ſcilicet Ruben, Simon, Levi, Judas, Iſſachar, Zabulon; duo ex ancilla Liæ, nempe Gad, & Azer; duo ex ancilla Rachelis, ſcilicet Dan, & Nephtali; & tandem duo ex Rachele, nempe Joſeph, & Beniamin) cum jam morti proximus foret, degens in Ægypto, quo ſuo tempore famis contulerat, acceritus a filio ſuo Joſeph, qui a fratribus venditus, volente Deo, ad ſummum gloriæ, & poteſtatis apicem pervenerat, totique Ægypto a Rege erat præfectus: Jacob, inquam, congregatis filiis paulo ante mortem, hoc illuſtre de Chriſto vaticinium edidit, Gen. 49. v. 10. *Non auferetur ſceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium.*

Ac re quidem ipſa natus eſt Chriſtus Meſſias tempore Herodis Magni, qui, cum eſſet alienigena, nempe Antipatri Aſcalonitæ filius, Regnum Judææ a Senatu populoque Romano petiit, & accepit circa autumnum anni Juliani VI. Periodi Julianæ 4674. Mundi 3964. A quo tempore regnavit annis 37. ex Joſepho lib. 7. antiquit. Judaicarum, cap. 10. ita ut diem objerit ſupremum menſe Novembri an. 42. Juliani, Mundi 4001. Hunc primum Judæi Regem externum habuere.

Ut vero promiſſionem Abrahamo, Iſaac, & Jacob factam impleret Deus, numeroſam iis poſteritatem poſt mortem Joſeph in Ægypto dedit. Sed cum Iſraelitæ, ſeu Hebræi ab Ægyptiis duriſſime haberentur, ita ut edicto Regio conſtitutum eſſet, ut filii eorum, ſtatim ac erant in mundi auras emiſſi, projicerentur in flumen, ne ſi magis creſceret ipſorum numerus, tandem Ægyptiis fierent ſuperiores, & ſeſe in libertatem aſſererent: Deus, qui tempore, & loco per providentiam ſuam prædefinitis, nunquam ſuis defuit, Hebræis paravit Moyſen, qui adhuc infans cæterorum more in Nilum fuit projectus; ſed ex aquis a filia Regis Pharaonis divino conſilio ſervatus eſt, & enutritus. Ab eo poſtea Hebræi ſeu Iſraelitæ, aut Judæi in deſertum ducti ſunt, pandente ſinum ſuum mari rubro, iiſque viam aperiente, ut ſicco veſtigio tranſirent: ſicque ab Ægyptiaca ſervitute ſunt liberati. At Ægyptii cum eos perſequuntur, relabentibus maris fluctibus, cum curribus, armis, & inſtrumentis ſunt oppreſſi. Idem Dux Hebræam gentem in deſerto rexit, ac miſſo cælitus divino pabulo, figura corporis Chriſti, per quadraginta annos aluit.

Sed populus duræ cervicis ad quotidiana Dei beneficia minime attentus, effrænatiſque naturæ per primi hominis peccatum corruptæ motibus potius, quam rationi obtemperans, a Deo ſæpius avertebatur ad res creatas, & in ducem ſuum non raro rebellabat. Deinde privati & in ſeipſos contumelioſi, & in alios injuſti, criminum omne genus, Gentilium more, contra naturæ legem patrabant: adeo ut dominante in iis non ſecus ac in Ethnicis concupiſcentia, ferocientibus pravæ libidinis motibus, & omnino inferiori parte contra ſuperiorem ſeſe altius efferente, opprimeretur animi vis, labefactaretur libertas, conticeſceret ratio. Unde ut lex naturalis, quæ apud Judæos, ut apud reliquos populos per peccatum erat pene extincta, in hominum animis reviviſceret, ac rationi contra cupiditatem ſuppetias ferret, poſitiva lege fuit renovanda.

Igitur cum ventum fuit ad montem Sinai, mandatum accepit Moyſes a Deo, ut juberet *ſanctificari* populum, quoniam Dei vocem erat auditurus. Tunc vero nube denſiſſima montem cingente, cum tonitru & fulguribus, clangore buccinarum vehementius perſtrepente, audita eſt vox Domini Decalogum, ſeu decem præcepta populo annuntiantis, ut refertur Exod. c. 20. & Deut. c. 5. in quibus decem præceptis, quæ moralia ſunt, ſive quæ ad regendos populos comparata, quæcunque ad Legem naturalem & immutabilem pertinent, breviter comprehenduntur: ita ut Decalogus nihil aliud ſit, niſi lex naturalis ſcriptis conſignata. Sunt autem hæc præcepta hujuſmodi.

„ I. Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de Terra Ægypti, de domo ſervitutis. Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem... non adorabis ea neque coles...

„ II. Non aſſumes nomen Dei tui in vanum ...

„ III. Memento ut diem Sabbati ſanctifices...

*Qui dies Sabbati in diem Dominicam a Chriſtianis eſt commutatus.*

„ IV. Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.

„ V. Non occides.

„ VI. Non mœchaberis. (a)

„ VII. Non furtum facies.

„ VIII. Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium.

„ IX. Non concupiſces uxorem proximi tui.

„ X. Non domum, non agrum, non ſervum, non ancillam, non bovem, non aſinum, & univerſa, quæ illius ſunt. “

Cum vero Populus præſentia Dei foret perterritus, rogavit Moyſen, ut ipſe tanquam internuntius Deum ſolus adiret, & quæcunque didiciſſet a Deo, hæc ad ſuos referret. Itaque acceſſit Moyſes ad caliginem, qua Majeſtas Di-

vina

(a) Per vocabulum *Mœchari* ſpeciatim intelligitur illud peccatum, quod uxor ſubjecta viro per matrimonium committit, faciendo alteri copiam ſui corporis. At generatim intelligitur omnis coitio, quæ habetur cum muliere aliqua, quæque appellatur etiam *fornicatio*, quia fornicis nomine veteres appellabant lupanaria, eo quod meretrices ſub fornicibus habitare conſueverant.



vina contegebatur; ibique judiciales leges accepit, ut videre licet Exod. c. 21. 22. 23. quibus ea, quæ jus inter Judæos reddendum ſpectant, fuſe exponuntur. Hujuſmodi leges tranſcribere nihil attinet. Præcipuas referam.

„ Servus Hebræus pecunia emptus ſex annis ſerviet, poſtea liber erit. Quod ſi ſponte in ſervitute permanſerit, auris ipſi perforabitur, & erit ſervus in ſæculum.

„ Qui hominem prudens occiderit, capite pœnas luet; qui imprudens, exilio mulctabitur.

„ Qui patrem, matremve pulſaverit, conviciumque iis dixerit, capitali ſupplicio afficitor.

„ Qui percuſſerit ſervum ſuum, vel ancillam, ita ut vel hæc, vel ille ab ictu objerit, reus judicio fiet.

„ Si quis prægnantem feriens fœtum ipſi excuſſerit, tum vel ipſa vivet, & hic damno erit obnoxius, quantum mariti intererit: vel eadem morietur, & reddet animam pro anima. Si oculo, vel dente, vel manu eam mutilaverit, reddet oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu &c. “

*Quo quidem loco generalis ſancitur lex Talionis; ut qualem quiſque intulit injuriam, tale pendat ſupplicium. Idque in legem XII. Tabularum tranſiit, ut patet ex Juſtiniani Inſtitutionibus, l. 4. tit. 4.*

„ Si fur noctu domum effugiens vulneratus fuerit, & ex vulnere moriatur, percuſſor non erit reus ſanguinis. “ Aliter ſe res habet, ſi fur per diem furetur. Nam, ut inquit S. Aug. q. 84. in Exod. *poteſt diſcerni, quod ad furandum, non ad occidendum venerit.* Itaque lex divina ſtatuebat hoc loco quemlibet hominem juſtitiæ vindicem contra furem nocturnum, quomodocumque vim inferentem. Quod etiam tranſmiſſum eſt in Legem XII. Tabularum. *Nam ea lege vim vi repellere licebat*, ut refert Tullius in Oratione pro Milone. Idque ad jus gentium pertinere, auctor eſt Florentinus leg 3. ff. *de juſtitia, & jure.* At hinc male quis inferret, bona temporalia nunc defendi poſſe, etiam interdiu, cum occiſione rapientium; id quippe omnino eſt prohibitum. Et in ipſis Juris Romani Inſtitutionibus lib. 4. tit. 3. §. 2. cum dicitur, *qui latronem inſidiatorem occiderit*, actione injuriarum *non teneri*, adduntur hæc verba, *utique ſi aliter periculum effugere non poteſt.* Immo nemini per Chriſti legem licet etiam ſe defendendo animum habere quemquam occidendi. Sed ſi, dum alterius ictum avertit, hunc enſe feriat, non ipſi eſt imputandum, eo quod nihil in ea re faciat, *niſi cum moderamine inculpatæ tutelæ*, ut loquitur S. Th. 2. 2. q. 64. art. 7. *Et ideo ſi quis ad defendendam propriam vitam utatur majori violentia, quam oporteat, erit illicitum.* Quem S. Thomæ locum explicans Sylvius ait; *Moderamen inculpatæ tutelæ in eo conſiſtere, ut non plus facias in tui defenſionem, quam ſit opus ad evadendum malum, quod tibi intentatur.*

Hanc Doctrinam communem habet S. Thomas cum ſui temporis Doctoribus, Alexandro Halenſi, D. Bonaventura, & aliis. Sed ſeveriores fuere præcedentes Eccleſiæ Patres. Nam S. Auguſt. lib. 1. de libero arbit. n. 13. alias c. 5. a peccato liberos eſſe infitiatur, *qui pro iis rebus, quas contemni oportet, humana cæde polluti ſunt.* Et epiſt. 47. alias 154. n. 5. *De occidendis hominibus, ne ab eis quiſque occidatur, non mihi placet conſilium; niſi forte ſit miles, aut publica functione teneatur, ut non pro ſe hoc faciat; ſed pro aliis.* Idque S. Aug. didicerat cum ex S. Ambr. lib. 3. de Officiis c. 4. ubi ſic loquitur: *Non videtur, quod vir Chriſtianus & juſtus, & ſapiens quærere ſibi vitam aliena morte debeat, utpote qui etiamſi in latronem armatum incidat, ferientem referire non poſſit, ne dum ſalutem defendit, pietatem contaminet.* Tum etiam ex S. Cypr. qui Ep. 56. ſic pronunciat: *Occidere non licet, ſed occidi neceſſe eſt.* Et Epiſt. 57. *Occidere innocentibus nec nocentem liceat.* Nunc ad Legum Judaicarum enarrationem redeamus.

Si quis virginem nondum deſponſatam corruperit, dotabit eam, & in uxorem accipiet. Si pater puellæ nuptias recuſaverit, raptor dotem dabit.

Si quis nefandum & abominabile crimen commiſerit, morti dabitur. Sacrificans idolis pereat. Viduæ & pupillo non nocendum. Non urgendus pauper debitor, nec uſuris opprimendus. Non accipiendum pauperis veſtimentum pro pignore: *ipſum enim eſt ſolum, quo operitur*

Principi populi non maledicendum.

Primogenita omnia Domino offerenda.

Inimici pecus reduces: ſub onere jacens ſublevabis, ut ſe erigat.

Innocentem & juſtum non occides. Nec accipies munera, *quæ etiam excæcant prudentes, & ſubvertunt verba juſtorum.*

Advenam ſeu peregrinum bene habebis. Sex diebus operaberis, ſeptimo ceſſabis. Anno ſeptimo non colliges fructus, ſed pauperibus relinques.

Ter in anno apparebit omne maſculinum in conſpectu Domini, in loco quem elegit, ſcilicet in Templo Hieroſolymitano. Tria enim erant feſta ſingulis annis, quibus Judæi ſiſtebant ſe in Templo, in quo ſolo ſacrificia poterant offerri. Nunc enim jam inde a Templi deſtructione non ſacrificant; ſed tantum in Synagogas ad orandum conveniunt.

Primum ex iſtis Feſtis erat ſolemnitas *Azymorum*, ſeu *Paſchatis*, Æquinoctio verno, in memoriam liberationis a ſervitute Ægyptiaca. Secunda ſolemnitas erat *Hebdomadarum*, ſeu *Pentecoſtes*, quæ die quinquageſimo poſt Paſcha celebrabatur ad offerendas primitias operum ſeu frugum. Hoc die quinquageſimo poſt primum Paſcha data fuerat lex Moyſi in monte Sinai. Eodem die, poſt aſcenſum Chriſti in Cælum, deſcendit Spiritus Sanctus in Apoſtolos, ut refertur in Act. Apoſtol. c. 2.

Tertia denique ſolemnitas erat *Scenopeja*, ſic vocata, ſeu *Tabernaculorum*, circa Æquinoctium autumnale, ad agendas Deo gratias pro acceptis toto anno beneficiis, & pro ſpeciali auxilio, quo per quadraginta annos in deſerto Iſraelitas ſervaverat ſub tentoriis.

Hæc cum Moyſes ad populum retuliſſet, altare ex duodecim lapidibus ſub monte conſtituit

Rurſum aſcendit in montem, ibique quadraginta diebus, totidemque noctibus intra nubem commoratus eſt. Quo tempore præcepta cæremonialia, circa tabernaculum ædificandum, circa arcam Fœderis, circa ſacrificandi ritum ab ipſo Deo accepit.

At immorante diutius Moyſe, ingratus populus, in malum pronus, Aaron compulit ex fuſis mulierum inauribus vitulum conflare, cui divinum exhibuit cultum, hoſtiaſque obtulit. Quod cum Moyſes in reditu e monte comperiſſet, tabulas lapideas, quas afferebat, ſcriptas digito Dei, & continentes præcepta, quæ in monte de medio ignis intonuerat ipſe Deus, ad radices montis confregit; accerſitiſque ad ſe Levitis præcepit, ut ſtrictis gladiis populum cæderent; quo impetu *quaſi viginti tria hominum millia cecidiſſe*, tradit verſio noſtra vulgata. Exod. c. 32. v. 28.

Poſtea reverſus eſt Moyſes in montem, & per alios quadraginta dies fuſis pro populo precibus Deum placavit. Deut. c. 9. v. 18. & 25.

Denique obtenta venia, & diſpoſito ad pœnitentiam populo, novas tabulas præcidit, montemque repetiit, unde ſcriptum a Deo ſecunda vice Decalogum, tranſactis tertio quadraginta diebus, ad populum retulit, fronte ipſius propter conſortium, quod propius cum Domino habuerat renidente, & duo veluti luminis cornua ſpargente: quem ſplendorem cum Iſraelitæ ferre non poſſent, velamento vultum ſuum tegere coactus eſt Moyſes.

Ita Lex tradita dicitur in Scripturis Sanctis, & populo Judaico impoſita: Deus tamen his præceptis, quæ ſcripſit in Monte Sinai, alia deinceps addidit plurima, Moyſen alloquens in Tabernaculo, ut toto Levitico legitur. Nam hoc libro ſpecialiter tractantur ea, quæ ſpectabant ad res ſacras, quarum Miniſtri e Tribu Levi ſumebantur; quandoquidem in eo agitur de ritu Sacrificiorum, de variis præparationibus ad ſacrificia, de munditiis, & immunditiis legalibus; & conſequenter de ciborum delectu, de purificatione puerperarum, de circumciſione puerorum, de feſtis, de votis &c.

Verum hæc omnia in mercedem duntaxat terrenam, & temporalem collineabant, non in æternam felicitatem; neque ex amore Dei, ſed ex timore pœnæ perficiebantur. Unde Lex vetus in hoc erat imperfecta, quod circa res externas duntaxat verſaretur; quod umbras tantum proponeret futurorum bonorum, nec mentem intrinſecus afficeret. Quapropter indicabat quidem malum; ſed non afferebat remedium. Vulnerata & ægra natura indigebat Medico, ut ſanaretur. Indigebant homines terræ adhærentes cœleſti duce, qui viam ipſis ad cælum, veram nempe illorum patriam aperiret. Hunc expectabant in Limbis non tantum Abrahamus, & qui ex eo ſecundum carnem erant prognati, quique ſub Lege Moſaica vixerunt; ſed & ipſe Adamus omnium Parens hominum, & alii: qui licet ortum non ducerent ex Abrahamo, tamen humani generis Salvatorem aliquando venturum divinitus acceperant, in eumque crediderant, & ſperaverant.

Eundem prænuntiabant identidem Prophetæ; multa & ante legem, & ſub lege apud Hebræos geſta præfigurabant.

Primo enim Moyſes, traducto per mare rubrum populo, figura fuit Chriſti Domini, non ſecus ac ſucceſſor ipſius Joſue, qui eumdem populum ſuperato Jordane in terram promiſſam deduxit. Nam Chriſtus verus Moyſes, & verus Joſue per lavacrum regenerationis, ſalutareſque Baptiſmi aquas ex peccati ſervitute in libertatem filiorum nos aſſerit, & in beatam manſionem, & quietis ſedem traducit.

Secundo. Quæ contingebant tum ſub Hebræorum Judicibus, tum etiam ſub Regibus, res prænotabant futuras: ac vel ipſum Chriſtum, vel ipſius ſponſam Eccleſiam adumbrabant. Id patet ex Gedeone, Samſone, aliiſque Judicibus; id etiam maxime in Davide, Salomone, aliiſque Regibus, ut cuilibet Scripturas Sacras attente legenti, & vetus cum novo Teſtamento conferenti, erit perſpicuum.

Tertio. Multi ex Prophetis clare & aperte abſque ulla figura redemptorem humani generis annuntiarunt. Nam præter vaticinium Jacob, cujus paullo ante meminimus, Iſaias c. 7. v. 14. hanc inſtinctu Divino de Chriſti ortu prædictionem edidit. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus EMMANUEL.* Peperit autem Maria, Virgo Sanctiſſima, B. Joſeph deſponſata, formatum in ſe Spiritus Sancti virtute Salvatorem *JESUM CHRISTUM*, tempore Herodis Magni Judæorum Regis, qui mortuus eſt circa 25. Novemb. diem an. 42. Juliani, adeo ut Chriſti nativitas tardius eveniſſe non potuerit, quam 25. die Decemb. anni 42. Juliani, a mundo condito 4000. Ex quo ſequitur, dudum completam fuiſſe Iſaiæ prædictionem.

Item Daniel ab Archangelo Gabriele ita eſt edoctus, Dan. c. 9. v. 24. *Septuaginta hebdomades* (annorum, quæ faciunt annos 490.) *abbreviatæ ſunt* (ideſt breves, & paucæ decretæ ſunt) *ſuper Populum tuum, & ſuper urbem ſanctam tuam, ut conſummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur juſtitia ſempiterna, & impleatur viſio & Prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo, & animadverte: ab exitu ſermonis ut iterum ædificetur Jeruſalem* (ideſt ab eo tempore quo ab Artaxerxe Longimano Rege Perſarum exibit edictum, quo concedet Nehemiæ, & aliis Judæis, ut Jeruſalem



ſalem inſtaurent; quod edictum latum eſt menſe *Niſan*, qui Martio noſtro fere reſpondet anno vigeſimo Regni Artaxerxis Longimani, ut legitur Eſdræ lib. 2. c. 2. qui annus incidit in annum Periodi Julianæ 4260. Mundi 3550., *uſque ad Chriſtum ducem hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ erunt*, ideſt hebdomades 69, quæ continent annos 483., qui ſi addantur num. 3550., quo notatur annus Edicti Artaxerxis, dabunt annum mundi 4033., quo baptizatus fuit Chriſtus Redemptor noſter, completo anno ætatis 33., & inchoato anno 34., Duciſque & Legislatoris officio functus). *Et rurſum*, non completis, ſed currentibus illis annorum hebdomadibus, *ædificabitur platea, & muri in anguſtia*, ſeu difficultate, *temporum*, propter obſtantium vicinorum populorum incurſus. *Et poſt hebdomades ſexaginta duas*, additis ſeptem memoratis, ideſt poſt hebdomades 69. *occidetur Chriſtus*, ſcilicet circa medium hebdomadæ ſeptuageſimæ, quæ nempe, ſicut edictum Artaxerxis exiit menſe *Niſan*, incipere debuit ab eodem menſe hujus anni mundi 4033 Æræ Chriſtianæ 30., hoc eſt a Primo Paſchate, quod Chriſtus poſt baptiſmum ſuum celebravit. *Et non erit ejus populus, qui eum negaturus eſt:* ideſt Judæi, qui clamabunt Pilato, *non habemus Regem niſi Cæſarem: Crucifige, crucifige eum*, non erunt amplius ipſius populus. *Et Civitatem, & Sanctuarium diſſipabit populus* (Romanus) *cum duce venturo* (Tito Veſpaſiani filio) *& finis ejus vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio*, ideſt, decreta deſolatio populi Judaici carentis templo, & Prophetis, viriſque doctis deſtituti, ac per orbem vagi, & contempti, nec unquam ad priſtinum ſtatum reſtituendi. *Confirmabit autem pactum multis hebdomada una*, nimirum ſeptuageſima, qua Chriſtus novam legem promulgabit; *& in dimidio hebdomadis*, ſcilicet anno ejus quarto, mundi 4037., ipſius Chriſti 37., Æræ Chriſtianæ 33., die 3. Aprilis, feria 6. in ſolemnitate Paſchæ, hora more Judaico nona, Gallico vero tertia pomeridiana, *deficiet Hoſtia & Sacrificium*, ſeu per mortem Chriſti abrogabuntur ſacrificia, & hoſtiæ veteris, ſeu Moſaicæ legis. *Et erit in templo deſolationis abominatio*, ſcilicet poſtea templum polluetur ab impiis Judæis, qui ſe *Zelotas* nominabunt, quorum facinora & Urbis, & ipſius Templi vaſtationem, quæ accidit anno Æræ Chriſtianæ 70. provocabunt. *Et uſque ad conſummationem & finem perſeverabit deſolatio*; ideſt, hæc deſolatio erit perpetua, ſive uſque ad ſæculorum conſummationem perſeverabit.

Hujus prædictionis veritatem non tantum adventu ſuo, & morte, ſed etiam nova prædictione confirmavit Chriſtus Dominus (Matth. c. 24.)

Nec omnino de ea dubitare ſinit populi Judaici ſtatus, & conditio. Nam eorum Civitas everſa eſt, Templum dirutum, diſperſa gens. Ubicunque degunt, ibi tolerari magis, quam admitti videntur. Nullum habent Ducem, aut Principem, nulla Sacrificia, nullam Reipublicæ formam. Remota, & plerunque mœniis vicina iis aſſignatur regio in urbibus, ut a reliquis incolis omnino ſegregentur. Ad munera civilia vocantur nunquam; nullos gerunt Magiſtratus; nullam habent adminiſtrationis partem in Republica; & quaſi forent diverſa hominum ſpecies, a cæterorum conſortio penitus excluduntur.

E contrario in immenſum crevit Eccleſia Chriſti, tum miraculis, quæ fecit ipſe, cum adhuc in terris viveret, tum iis, quæ ipſius nomine ab Apoſtolis, & Martyribus toto orbe terrarum ſunt patrata. Viles, abjectique homines, ſine opibus, ſine armis, ſine ullo humano præſidio, relictis retibus, aggreſſi ſunt prædicare Chriſtum Crucifixum, *Judæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam*. Horum inceptis Judæi, Gentileſque junctis viribus obſtiterunt; atque ut eos prorſus attererent, omnem humanam ſapientiam, omnem ſæculi potentiam advocarunt, ſed fruſtra. *Nam quæ ſtulta ſunt Mundi elegit Deus, ut confundat ſapientes; & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt, deſtrueret; ut non glorietur omnis caro in conſpectu ejus.*

Itaque poteſtas humana Divinæ conceſſit, ac Gentiles Judæorum teſtimonio, Judæi vero confeſſione Gentilium a Chriſtianis ſunt debellati. Nam fatebantur quidem Gentiles completas eſſe Prophetias, quæ proferebantur de Chriſto, ſi modo eſſent veræ; ſed eas falſas eſſe contendebant, & a Chriſtianis confictas. Verum Judæi, quorum teſtimonium, quaſi plus æquo favens Chriſtianis recuſari non poterat, Prophetiarum veritatem, tanquam illarum cuſtodes perpetui, propugnabant. Unde optime more ſolito, S. Auguſtinus in Pſal. 57. v. 22. & alibi ſæpe; *Per omnes gentes* (inquit) *diſperſi ſunt Judæi, teſtes iniquitatis ſuæ, & veritatis noſtræ. Ipſi habent codices, de quibus prophetatus eſt Chriſtus, & nos tenemus Chriſtum; & ſi quando forte aliquis Paganus dubitaverit, cum ei dixerimus Prophetias de Chriſto, quarum evidentiam obſtupeſcit, & admirans putaverit a nobis eſſe conſcriptas; de codicibus Judæorum probamus, quia hoc tanto ante probatum eſt. Videte, quemadmodum de inimicis noſtris alios confundimus inimicos*: nimirum Gentiles teſtimonio Judæorum, & Judæos confeſſione Gentilium. Ergo tandem vicit veritas, Regeſque, & Imperatores aurea ſua ſceptra ligno Crucis ſubjicere magno duxerunt honori. *A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris.* Chriſtus orbem terrarum inſpirata dilectione, non incuſſo terrore domuit. Lex ejus, lex gratiæ eſt, quæ non ſervis datur, ſed filiis; quæ non indicat tantum quid agendum ſit, ſed ad illud implendum voluntatem vireſque tribuit. Hanc legem ſolus poterat ferre, qui ſolus poterat concupiſcentiam noſtram vincere, & eximere nos a tyrannide peccati, ſcilicet Chriſtus, homo Deus, qui infinito Sanguinis ſui pretio abundantem pro nobis omnibus ſatisfactionem Patri obtulit, & gratiam medicinalem, qua languores noſtri ſanarentur, & mala vinceretur

cu-

cupiditas, obtinuit. Hæc eſt gratia Salvatoris, qua non tantum velle poſſumus, ſed qua volumus bonum, illudque ſancto amore perficimus.

Igitur lex gratiæ, lex nova, lex Evangelica, multo potentior eſt, & efficacior, quam lex vetus, & Moſaica, tametſi utraque ab eodem principio, nempe Deo, ſit profecta, nec differat a lege naturali renovata, & inculcata, quæ docente Chriſto Domino, Matth. 22. v. 37. duobus his præceptis comprehenditur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua & in tota mente tua... Diliges proximum tuum ſicut te ipſum.* Sed lex vetus per Moyſen ſervum accepta fuit; lex nova per Chriſtum lata, qui erat Dominus; Lex vetus terrena duntaxat pollicebatur, exteriores tantum regebat actus, interiores non attingebat: Lex nova æternam felicitatem promittit; homines non exterius modo, ſed etiam interius ad præceptorum obſervationem diſponit. *Ibi*, inquit S. Auguſtinus lib. de Spiritu, & litt. n. 29. alias c. 17. *in tabulis lapideis digitus Dei operatus eſt, hic in cordibus hominum. Ibi ergo lex extrinſecus poſita eſt, qua injuſti terrerentur; hic intrinſecus data eſt, qua juſtificarentur.*

Hoc diſcrimen in Epiſtolis ſuis paſſim inculcat Divus Paulus. *Quoniam autem*, inquit ad Galatas c. 3. v. 11. *in Lege* (ſcilicet Moſaica) *nemo juſtificatur apud Deum, manifeſtum eſt, quia juſtus ex fide vivit.* Deinde v. 19. *Quid igitur lex? propter tranſgreſſiones* (declarandas) *poſita eſt; donec veniret ſemen* (ſeu Chriſtus) cui *promiſerat* Deus, ſe in ipſo homines eſſe juſtificaturum. Declarandæ erant autem per legem tranſgreſſiones, ut homines ſuperbi peccata ſua agnoſcentes, Chriſti gratia ſibi opus eſſe ad legem implendam faterentur; atque ita lex tacite homines ad Chriſtum tranſmitteret. Quod docet idem Apoſtolus, dum ait ibidem v. 23. *Prius autem, quam veniret fides, ſub lege cuſtodiebamur concluſi in eam fidem, quæ revelanda erat.* Tandem c. 4. v. 4. *At ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, ut eos, qui ſub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.*

Lex igitur vetus, non ſecus ac lex naturalis, Deum ſummo amore diligendum docebat; ſed eam dilectionem non præſtabat. Unde per ſolam legem veterem, aut naturalem impleri non poterant legis præcepta, cum ad id opus ſit charitate, quæ non eſt a natura, ſed a gratia, ſive a Spiritu Sancto, ut docet Apoſtolus ad Romanos c. 5. v. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.* Non tamen legis naturalis, vel Moſaicæ præcepta erant impoſſibilia: ſed per ea monebantur homines & facere quod poſſent, & petere quod non poſſent. *Magnum aliquid Pelagiani ſcire ſe putant*, inquit S. Auguſtinus lib. de gratia; & libero arbitrio, n. 32. alias cap. 16. *quando dicunt: non juberet Deus quod ſciret non poſſe ab homine fieri. Quis hoc neſciat? ſed ideo jubet aliqua quæ non poſſumus, ut noverimus quid ab illo petere debeamus. Ipſa eſt enim fides, quæ orando impetrat, quod lex imperat.* Et n. 37. alias c. 18. *Hæc omnia præcepta dilectionis, ideſt charitatis, quæ tanta ac talia ſunt, ut quidquid ſe putaverit homo facere bene, ſi fiat ſine charitate, nullo modo fiat bene; hæc ergo præcepta charitatis inaniter darentur hominibus non habentibus liberum voluntatis arbitrium; ſed quia per legem dantur & veterem & novam (quamvis in nova venerit gratia, quæ promittebatur in vetere, lex autem ſine gratia littera eſt occidens, in gratia vero Spiritus vivificans) unde eſt in hominibus gratia Dei, & proximi, niſi ex ipſo Deo? Nam ſi non ex Deo, ſed ex hominibus, vicerunt Pelagiani: ſi autem ex Deo, vicimus Pelagianos. Sedeat ergo inter nos Judex Apoſtolus Joannes, & dicat nobis:* Chariſſimi diligamus invicem. *In his verbis Joannis cum ſe illi extollere cœperint, & dicere, ut quid nobis hoc præcipitur, niſi quia ex nobis habemus ut invicem diligamus? ſequitur continuo idem Joannes confundens eos, & dicens*, quia dilectio ex Deo eſt. *Non itaque ex nobis, ſed ex Deo. Cur ergo dictum*, diligamus invicem, quia dilectio ex Deo eſt, *niſi quia præcepto admonitum eſt liberum arbitrium, ut quæreret Dei donum? Quod quidem ſine ſuo fructu prorſus admoneretur, niſi prius acciperet aliquid dilectionis, ut addi ſibi quæreret, unde quod jubebatur impleret. Cum dicitur*, diligamus invicem, *lex eſt: cum dicitur*, quia dilectio ex Deo eſt, *gratia eſt.*

Itaque legis veteris, & naturalis complementum eſt in lege nova, ut teſtatur ipſe Chriſtus, Matth. c. 5. v. 17. *Nolite putare, quoniam veni ſolvere legem, aut Prophetas: non veni ſolvere, ſed adimplere.*

Quoniam tamen triplicis erant generis præcepta in lege veteri, ſcilicet *moralia* quæ nempe ad mores ſpectabant; *cæremonialia*, quæ ad ritum divini cultus, ad feſta, ad ſacrificia, ad altaria, ad varias purificationes &c. pertinebant; ac demum *judicialia*, quæ jus civile Judæorum, & judiciorum formam inter eos obſervandam præſcribebant; ſola præcepta moralia in nova lege remanſerunt: judicialia vero, quoniam Judæis ſolis erant poſita; & cæremonialia, quoniam adumbrabant Eccleſiæ Sacramenta, Chriſtumque venturum ſignificabant, novo fœdere, quod umbras & figuras veteris legis deſtruit, ſunt abrogata.

Quo vero tempore lex vetus omnino abolita ſit, & mortua, non conveniunt Theologi. Probabilius tamen eſt, id factum non fuiſſe niſi in morte Chriſti, poſtquam nempe in Cruce pronunciavit, Joan. 19. v. 30. *Conſummatum eſt*: id eſt, perfecta & ad finem adducta ſunt omnia, quæ ad implendam Patris voluntatem, ad homines redimendos, ad legis, & ſacerdotii veteris, figurarumque omnium complementum erant neceſſaria.

At



At quamvis inter Chriſtianos dubium non ſit, quin poſt Chriſti mortem lex vetus fuerit *mortua*; contentio tamen non levis inter S. Hieronymum, & Auguſtinum exarſit, utrum ſimul fuerit *mortifera*, ideſt, utrum ſtatim poſt Chriſti mortem peccati lethalis reos fecerit illos omnes, a quibus eſt obſervata. Etenim S. Hieronymus putabat, eam legem, per quam ſignificabatur Chriſtus venturus, non potuiſſe ſine culpa ſervari, poſtquam Chriſtus veniſſet, ac ſeſe pro generis humani ſalute hoſtiam Patri obtuliſſet. Nam obſervationes legales fuiſſent ſignificationes falſæ, & conſequenter reprehendendæ, tamquam malæ: *finis enim legis, Chriſtus, ad juſtitiam omni credenti*, ex Ap. ad Rom. c. 10. v. 4. Unde idem ad Galatas c. 5. v. 2. *Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam ſi circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit.* His & aliis hujuſmodi Scripturarum teſtimoniis nitebatur S. Hieronymus Epiſt. 75. inter Auguſtinianas n. 14. alias cap. 4. ac demonſtratum arbitrabatur, ſtatim poſt Chriſti mortem *cæremonias Judæorum & pernicioſas eſſe, & mortiferas Chriſtianis; & quicunque eas obſervaverit, ſive ex Judæis; ſive ex Gentilibus, eum in barathrum diaboli devolutum.* Cumque ipſi opponebatur exemplum Apoſtolorum Petri, & Pauli, & Jacobi, qui poſt Chriſti mortem cæremonias Judaicas aliquando obſervaverant, reſpondebat, Apoſtolos de hac œconomia ſeu diſpenſatione inter ſe ad tempus conveniſſe, ac ſe legis, a qua abhorrebant, ſectatores ſimulaſſe, ne Judæos offenderent, & in Evangelicæ legis odium adducerent. Unde cum Apoſtolus Paulus ad Galatas c. 2. v. 11. reſtitiſſe ſe dicit in faciem Petri, *quia reprehenſibilis erat*, eo quod cum eſſent ſimul Antiochiæ, ubi Chriſti diſcipuli circa annum æræ Chriſtianæ 41. dicti primum fuerant Chriſtiani, ex Act. Apoſt. c. 11. v. 26. ipſe D. Petrus ſe e a convictu Gentilium legis obſervandæ gratia, ſubtraxiſſet; id totum ficte, & ſimulate inter eos geſtum ajebat D. Hieronymus, ut nimirum exemplo S. Petri D. Paulo morem gerentis, non in ipſum contendentis, diſcerent omnes abolendas eſſe legis cæremonias, nec gentibus ad fidem converſis imponendas. Quomodo enim D. Paulus ſerio ac ſincere D. Petrum arguere potuiſſet, quod Judæorum metu ſubtraxiſſet ſe a convictu Gentilium, quibuſcum libenter edebat, antequam Antiochiam adveniſſent Judæi? Cum etiam ipſe Paulus eodem Judæorum metu Timotheum patris Gentilis, & matris Judææ filium circumciderit, Act. Ap. c. 56. v. 3. & *votum Nazaræatus* nuncupavit, Act. 18. v. 18. Quo voto qui tenebantur, a populo, Religionis cauſa, ſeparabantur. Nam *Nazaræatus* ſeparationem ſignificat, quæ vel erat perpetua, qualis fuit Samſonis, & Samuelis, qui fuerunt Nazaræi perpetui; vel erat ad tempus, quod dum diſcurrebat, Nazaræi abſtinebant ab eo omni, quod inebriare eos poterat; capillos non tondebant, aliaque obſervabant, quæ referuntur Numeror. c. 6. At elapſo tempore, quod ſibi præſtituerant, templum, purgandi ſui cauſa, petebant; radebant capita; ſacrificia offerebant: quæ omnia, ſuadente Jacobo, præſtitit S. Paulus cum aliis Judæis, Act. Apoſt. c. 21. v. 26. Unde infert S. Hieronymus, utrumque Apoſtolum, ſcilicet Petrum & Paulum *bene quidem ſenſiſſe de abolitione Legis Moſaicæ; ſed ad ſimulationem obſervandæ ejus timore compulſum.*

Aliter tamen ſentiebat S. Auguſtinus, ut patet Epiſt. ipſius 82. ad S. Hieronymum. Nam tria diſtinguit tempora: primum ante Chriſti mortem: ſecundum a morte Chriſti ad ſufficientem Legis Chriſtianæ promulgationem; tertium, poſt ſufficientem Evangelii prædicationem.

Primo tempore, ſcilicet ante Chriſti mortem præcepta legalia obſervanda fuiſſe ſtatuit, idque exemplo Chriſti Domini, qui a parentibus circumciſus eſt, Luc. 2. v. 21. qui mundatum leproſum ad Principem Sacerdotum miſit, Marci c. 1. v. 44. qui aſcendit ad diem feſtum, Joan. 7. v. 10. &c.

Secundo tempore, nimirum poſt mortem Chriſti Domini, uſque ad ſufficientem Evangelii prædicationem, quamvis mortua eſt lex, eam tamen eadem Ep. 82. n. 15. alias c. 2. negat ſtatim fuiſſe mortiferam; ac licet Gentibus non eſſet imponenda, non exiſtimat eam a conſuetudine Judæorum auferri debuiſſe tanquam deteſtandam, & damnandam; ſiquidem ab Apoſtolis Petro & Paulo legitur obſervata. In eo quippe maxime diſtinguenda fuit Lex ſancta, quam Deus ipſe dictaverat, ab impio idolorum cultu, quod hic repente a Gentilibus, qui ad Chriſti fidem tranſibant, fuerit ejurandus tanquam deteſtabilis; illa vero paulatim duntaxat abolenda per novam legem fuerit, & veluti ad tumulum cum honore deducenda. Licet enim illius cæremoniæ nullam haberent vim aut vitam; ſiquidem *amiſerant tanquam vitam officii ſui: veruntamen ſicut defuncta corpora neceſſariorum officiis deducenda erant quodammodo ad ſepulturam, nec ſimulate, ſed religioſe, non autem deſerenda continuo, vel inimicorum obtrectationibus tanquam canum morſibus projicienda.* Ead. Epiſt. n. 16. alias c. 2.

Cum ergo D. Paulus arguit S. Petrum, quod Judæorum metu abſtineret a cibis ſumendis cum Gentilibus Antiochiæ, quibuſcum libere ante Judæorum adventum veſcebatur, id factum eſt ſerio, non ſimulate: non quod legis obſervatio tunc lethalis foret Judæis, dummodo eam non ſpectarent ut neceſſariam; ſed quod D. Petrus exemplo ſuo contra propriam ſcientiam Gentiles illos induceret ad credendum, Judaicos ritus eſſe adhuc in lege Evangelica ad ſalutem neceſſarios; ſicque iis erat offendiculo, & hanc D. Pauli objurgationem merebatur, ad Galatas c. 2. v. 14. *Si tu cum Judæus ſis, Gentiliter vivis, & non Judaice, quomodo gentes cogis judaizare?*

At re quidem vera cum Apoſtolus circumcidit Timotheum; cum votum Nazaræatus ſuſcepit,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

pit, ac ſe oblato ſacrificio in templo purgavit, in iis omnibus ſolos ſpectabat Judæos; iiſque ſolis volebat oſtendere, non abhorrere ſe a Lege Moſaica, tanquam mala, & deteſtanda, ut multi calumniabantur; ſed hæc non ideo præſtitit, quod legis Moſaicæ obſervationes ad ſalutem neceſſarias poſt Chriſti mortem, ac Reſurrectionem judicaret. *Si enim per legem juſtitia*, inquit ad Gal. c. 2. v. 21. *Ergo gratis Chriſtus mortuus eſt*. Et c. 5. v. 2. *Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam ſi circumcidamini* (ſcilicet ſpem ponentes in circumciſione velut Chriſtianis ad ſalutem neceſſaria) *Chriſtus vobis nihil proderit*. Unde quamvis circumciderit Timotheum, ſcilicet ex matre Judæa natum, ne Judæis eſſet inviſus; non tamen Titum Gentilem circumcidit; nec ullo modo Gentiles ad fidem converſos Judaicis ritibus ſubjici paſſus eſt. Eadem Epiſt. ad Galatas cap. 2. v. 3. & ſequentibus.

Itaque aliud eſt conſulere dignitati legis Moſaicæ ſeamque cum honore poſt Chriſti mortem ſepelire, atque ab impio falſorum numinum cultu diſtinguere; aliud eam ſpectare ut neceſſariam. Primum ab Apoſtolo Paulo factum legimus; non item ſecundum. Ideoque putandum eſt cum S. Auguſtino, non ſimulate, non *ex compacto*, ſed vere, & ex animo reprehenſum D. Petrum a D. Paulo, utpote exemplo ſuo offendentem Gentiles ad Chriſtianam Religionem converſos, nec recte *ambulantem ad veritatem Evangelii*. Idque eo certius haberi debet, quod S. Paulus ibidem coram Deo teſtetur verum ſe dicere, non mentiri, ad Galatas c. 1. v. 20. *Quæ autem ſcribo vobis*, inquit, *ecce coram Deo, quia non mentior*. At mentitus eſſet, ſi reprehenſio fuiſſet tantum ſimulata, ut optime obſervat S. Auguſtinus laudata Epiſtola, n. 7. alias c. 2. *Si hoc fecit Petrus, quod facere debuit; mentitus eſt Paulus, quod eum viderit non recte ingredientem ad veritatem Evangelii. Quiſquis enim hoc facit, quod facere debet, recte utique facit. Et ideo falſum de illo dicit, qui dicit eum non recte feciſſe, quod eum novit recte facere debuiſſe. Si autem verum ſcripſit Paulus, verum eſt, quod Petrus tunc non recte ingrediebatur ad veritatem Evangelii. Id ergo faciebat, quod facere non debebat; & ſi tale aliquid Paulus jam ipſe fecerat, correctum potius etiam ipſum credam Coapoſtoli ſui correctionem non potuiſſe negligere, quam mendaciter aliquid in ſua Epiſtola poſuiſſe: & ſi in Epiſtola qualibet; quanto magis in illa, in qua prælocutus ait:* „Quæ autem ſcribo vobis ecce coram Deo, quia non mentior“.

Tanti autem ponderis D. Hieronymo viſæ ſunt hæ S. Auguſtini rationes, ut ipſe in hujus ſententiam poſtea deſcenderit, quemadmodum intelligitur ex Epiſt. 180. S. Auguſtini ad Oceanum, n. 5.

Tertio tandem tempore, ſcilicet, ex quo ab Apoſtolis prædicatum fuit Evangelium, non ambigitur inter Chriſtianos mortiferam eſſe Legis Moſaicæ obſervationem, nimirum quoad cæremonias, quæ Chriſtum venturum præfigurabant. Unde non affirmare dubitat S. Auguſtinus prædicta Ep. 82. n. 18. alias c. 2. *Quicumque eas obſervaverit, ſive ex Judæis, ſive ex Gentibus, non ſolum veraciter, verum etiam ſimulate, cum in barathrum Diaboli devolutum*.

At ſi hæ legales cæremoniæ temporales tantum fuerint, certum eſt præcepta moralia, quæ legem naturalem renovant, ut diximus, quæque novo fœdere ſunt confirmata, nullum unquam finem eſſe habitura. Quamobrem cum hujuſmodi præcepta non tantum in Novo Teſtamento, quod Chriſti Sanguine ſignatum eſt, ſed etiam in veteri multis modis propoſita ſunt, & inculcata, nihil melius, ac utilius ſuaderi poteſt Fidelibus, quam ut in Divinis tum veteris Teſtamenti libris legendis, ac meditandis aſſidue ac diligenter verſentur. Nam prætérquamquod ad docendum accommodatæ & ſcitu digniſſimæ ſunt Sacrorum Bibliorum hiſtoriæ, quibus mundi creatio, primorum parentum lapſus, hominum propagatio, electio populi Judaici, ejuſdem liberatio, victoriæ de Infidelibus divinitus reportatæ, lex conſtituta, & innumera omnipotentiæ divinæ ſigna, & miracula commemorantur, præter vaticinia Prophetarum de Chriſto venturo, de ipſius morte, & Reſurrectione, de Eccleſia ab ipſo conſtituenda; quæ omnia in novo Teſtamento completa novimus, & quibus utriuſque Teſtamenti conſenſio apprime demonſtratur; præter hæc, inquam omnia, quæ a Chriſtianis accurate ſciri expedit, accedunt divina documenta ad morum ſanctimoniam comparata, in ſacris paginis ubique ſparſa, præſertimque in libris, ut vocant, *ſapientialibus*, tradita, quæ ſi quis legere, & animo imprimere ſtuduerit, nihil habebit amplius ad ſalutarem morum ſcientiam deſiderandum.

Quoniam vero utile eſt ſacrorum librorum ſeriem memoriæ præſentem habere, ut facilius, cum opus eſt, adeantur, eos hoc loco breviter enumerare non pigebit, prout referuntur in Conc. Trid. ſeſſ. 4. in decreto de Scripturis.

Igitur in veteri Teſtamento ſtatim occurrit Pentateuchus, ſive volumen quintuplex Moyſis, cujus primus liber inſcribitur *Geneſis*, id eſt generatio, quia primam mundi creationem refert. Secundus *Exodus*, ſive exitus, quia exitum filiorum Iſrael ex Ægypto commemorat. Tertius dicitur *Leviticus*, quo Levitarum officia, & munia deſcribuntur. Quartus liber eſt *Numerorum*, qui varias populi Hebræi numerationes recenſet. Quintus denique dicitur *Deuteronomium*, ſeu ſecunda lex, quia legis repetitionem, & inculcationem continet.

Pentateuchum excipit liber *Joſue*, qui hiſtoriam Joſue Succeſſoris Moyſis complectitur, tum liber *Judicum*, qui Judices poſt Moyſen, & Joſue fuerunt populi Judaici duces, liber *Ruth*; quatuor libri Regum, qui Reges poſt Judices populum rexerunt; duo *Paralipomenon*, id eſt derelictorum; qui ſupplent, quæ in Regum libris erant



erant derelicta, ſeu prætermiſſa. Accedunt Eſdræ liber primus, & ſecundus, qui *Nehemias* etiam vocatur. Poſtea veniunt *Tobias*, *Judith*, *Eſther*, *Job*, *Pſalterium Davidicum* CL. Pſalmis conſtans. Sequuntur libri *Sapientiales*, qui Salomoni communiter tribuuntur, ſcilicet Parabolæ, ſeu *Proverbia*, *Eccleſiaſtes*, ſeu Concionator; *Canticum Canticorum*, *Sapientia*, & *Eccleſiaſticus* a Jeſu filio Sirach compoſitus.

His cohærent majores Prophetæ, nimirum Eſaias, ſive *Iſaias*, *Jeremias* cum *Baruch*, *Ezechiel*, *Daniel*: Tum duodecim minores Prophetæ, videlicet *Oſee*, *Joel*, *Amos*, *Abdias*, *Jonas*, *Michæas*, *Nahum*, *Habacuc*, *Sophonias*. *Aggæus*, *Zacharias*, & *Malachias*. Opus concludunt duo libri Machabæorum, qui ſic vocantur a præcipuo ſacrorum bellorum duce Juda *Machabæo*, ut ait S. Hieronymus.

In novo autem teſtamento primum locum habet *Tetrateuchus*, ſeu quatuor voluminum liber continens quatuor Evangelia, ſcilicet ſecundum Matthæum, ſecundum Marcum, ſecundum Lucam, & ſecundum Joannem. Deinde Actus Apoſtolorum a S. Luca Evangeliſta conſcripti. Tum quatuordecim Epiſtolæ B. Pauli Apoſtoli. Poſtea ſeptem Epiſtolæ Catholicæ, ſcilicet non ad unum dumtaxat hominem, aut populum, ſed ad omnes Chriſtifideles directæ; quarum una Divi Jacobi, duæ S. Petri, tres B. Joannis Evangeliſtæ, & una D. Judæ, ſeu Thaddæi. Poſtremus ſacrorum librorum eſt Apocalypſis ejuſdem S. Joannis Evangeliſtæ, quam ſcripſit in Inſula Pathmos, in quam ab Imperatore Domitiano propter Chriſti fidem fuerat relegatus.

Atque hæc quidem ſufficiunt quoad legem Divinam, atque veteres & novos Teſtamenti libros.

---

EXCERPTA QUÆDAM EX

# MELCHIORIS CANI

## EPISCOPI CANARIENSIS

### *INSTITUTIONIBUS AD THEOLOGIAM MAXIME SPECTANTIA.*

*Quid Theologia ſit.*

Theologia quidem, ſi Græcam vocem in Latinas vertimus, ratio eſt ſermoque de Deo. Omnis autem, quæ ratione & via de aliqua re ſuſcipitur, inſtitutio, eſſentiam & potentias, quas vocant, ac cætera omnia veſtigat, quæ illi rei ſunt peculiariter ac proprie attributa. In Theologia ergo quædam facultas intelligitur, quæ Dei naturam, vim & proprietates inquirit. Nec vero Theologo ſatis eſt, quæ Deo in ſe abſolute conveniunt, facultatis ſuæ viribus juribuſque tribuere: niſi etiam illa vindicet, quæ Deo quaſi accidunt in ordine ad creaturas. Dei enim notionem omni ex parte rimatur.

Bipartita igitur eſt Theologiæ tractatio: una de Deo ſecundum ſe: altera de eodem, quia rerum eſt principium ac finis. Nec Theologus tamen ſumma & infima, divina & humana miſcet: ſed adeo articulate, clare, artificioſe, hæc componit illis, his illa jungit, ut non modo nullam ſivi viciſſim obſcuritatem afferant; verum etiam utraque utriſque adhibeant lumen. Quid? quod ſicut ſolem intueri nequimus adverſum, ejuſque radiis acies noſtra ſenſuſque vincitur: ſic ad divinæ lucis obtutum mentis noſtræ oculi alucinantur & caligant. 1. *Tim.* 1. Quamobrem neceſſe eſt, ut Deum ſua natura inviſibilem in effectis ſeu in umbra, in ſpeculo, in imagine, in ſignis veſtigiiſque cernamus. Inviſibilia enim ipſius a creatura mundi per ea quæ facta ſunt intellectu conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus & divinitas. *Rom.* 1.

Cum vero inter omnia, quæ oculorum ſenſu percipimus, rationalis creatura Deo ſimillima ſit, ad imaginem quippe Dei factus eſt homo; *Geneſ.* 9. nihil profecto invenies, in quo divina bonitas, poteſtas & ſapientia magis eluceant. Quare Theologiæ diſciplina, quamvis de Deo ipſa præcipue ſit, plurimum tamen circa homines humanaque verſatur: & cum ex homine, tum ex iis, quæ Deus homini fecit atque effecit, divinæ naturæ cognitionem quærit.

Quod ſi potentiam, benignitatem & providentiam Dei indagare & proferre, proprium Theologiæ munus eſt, de fine, quem Deus non alium quam ſeipſum hominibus comparavit, deque mediis ad hunc finem neceſſariis, virtutibus, legibus, gratia, incarnatione, ſacramentis, longiſſima licet Theologi diſputatio, non eſt ab inſtituto Theologiæ aliena. Non ſolum ob eam cauſam, quam D. Thomas ſane gravem reddit, ne Theologia, quæ effectrix etiam eſt non modo ſpeculatrix, manca & minuta hac parte omiſſa linqueretur: ſed multo magis quod eæ res Dei ipſius probitatem, æquitatem, virtutem, integritatem, beneficentiam, libe-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

liberalitatem, miſericordiam, patientiam, longanimitatem inſigniter & præclare patefaciunt & illuſtrant. Cujus rei ignoratio cauſa quibuſdam erroris illius fuit, ut exiſtimarent diſciplinam hanc non eſſe contemplandi gratia inventam, ſed agendi.

### *Quod Theologia ſit ſpeculativa.*

DE fine, & mediis (quæ non ad mentem, ſed ad effectum referuntur) humanæ vitæ, plurimam Theologus diſputationem inſtituit: unde Theologiæ vis non in cernendo potiſſimum, ſed in agendo ſita eſt. Theologiæ, & Scripturæ idem finis eſt. Hujus eſt dilectio. Nam finis legis charitas, 1. *Tim.* 1. Idem Auguſtinus Gregoriuſque teſtantur. *Lib.* 1. *de Doct. Chriſt. cap.* 35. *&* 36. *Hom.* 10. *in Ezech.* Non ergo Theologia præcipue ad contemplandum tendit, ſed ad amandum. Porro doctrina ſpeculatrix oculos maxime ad cernendum poſtulat, non ad agendum vires. Nec ſtultitiæ eos arguit, qui in actione torpent, ſed in ſpeculatione tardos. Scriptura a diſcipulis opera exigit, torpentes ut varios & otioſos carpit, *Matthæi* 7. Et fides in charitatem refertur, non contra. *Matth.* 22. & 1. *Cor.* 13. Nam fides diligendi cauſa datur. Et fides ſine operibus mortua eſt. *Jacob.* 2. Unde illud rurſum: *Luc.* 1. Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus in remiſſionem peccatorum eorum. Quæ ſcientia in praxim ſpectat. *Prov.* 9. Et ſcientia ſanctorum prudentia. 2. *Tim.* 3. Omnis ſcriptura divinitus inſpirata, utilis eſt, &c. ut perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus. Qui dicit ſe noſſe Deum, 1. *Joan.* 2. & mandata ejus non ſervat, mendax eſt. Et id genus innumera in Scripturis reperiuntur. Unde Theologiam non eſſe ſpeculatricem, ſed effectricem, nec finem ejus præcipuum eſſe contemplationem, ſed actionem, videri poſſet.

Sed notandum eſt, alium eſſe finem doctrinæ, alium doctoris: ſive, alium eſſe finem doctrinæ primarium, alium poſtremum. Ut ſi verbi cauſa dicimus, vini duos eſſe fines, unum ad bibendum, alterum ad medendum. Charitas ergo docentis Dei, atque ea re doctrinæ quidem hujus finis eſt, at non primus, ſed ſecundus. Nam & cognitio contemplatioque naturæ, ut ait eleganter Cicero, manca quodammodo atque inchoata eſt, ſi nulla actio rerum conſequatur. Vani ſunt, *Sap.* 13. inquit Sapiens, omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei, &c. & alius item. *Rom.* 1. Qui cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, &c. Quapropter ſi ex fine ſecundo naturam diſciplinæ conſideres, jam tibi Phyſica inter actuoſas numerabitur. Et finis noſter primus, ut D. Thomas veriſſime ſentit, viſio Dei eſt clara & manifeſta. Quia vero finem illum adipiſcimur mente & voluntate, cognitione & amore; fit, non ut cognitio ex ſe amorem, ſed ut utraque res ad viſionem referatur. Quod ſi cognitio viæ ex ſe non niſi ad patriæ cognitionem referenda eſt, quamvis illa non ſit per ſe idonea, niſi ei affectus dilectioque jungatur, viſio vero Dei, cujus fides ſeminarium, contemplatio potiſſimum eſt, non effectio, ſequitur Theologiam maxime ſpeculativam eſſe, non practicam. Liceat enim, quando de ſcholæ diſputatione habetur oratio, ſcholæ verba uſurpare; quod ſemel monuiſſe ſuffecerit.

Adde, quod Theologia Dei naturam, potentiam & proprietatem inquirit. Eſt ergo Deus hujus ſcientiæ proprium objectum; atque adeo ſpeculationis cauſſa comparatur: Atque Auguſt. *Lib.* 2. *de Trinit. cap.* 14. *&* 15. aperte docet, ſapientiam de qua Apoſt. 1. *Cor.* 12. loquitur, intellectualem notionem eſſe & contemplationem rerum æternarum. Sine dubio autem ſacra doctrina ſapientia eſt, eaque re ſpeculativam eſſe conſtat. Quod vel Theologiæ nomen præfert. Ut etiam addubitare ſtultum eſſet, num Phyſiologia, Aſtrologiaque ſpeculatrices ſint an effectrices, cum nomina teſtentur his contemplationem rerum ingeri, non mores & actionem. Tametſi Medici, nautæ, cæterique rebus publicis addicti, otioſam naturæ aſtrorumque notionem aſpernantur, actuoſam colunt. Sic ambigere, Theologia ſpeculatrix ne ſit an effectrix, e communi ſenſu remotum eſt. Cum nihil aliud ipſa ſit, quam ratio ſermoque de Deo. Quanquam prudentes otioſam eſſe nolunt; ſed ad humanæ vitæ & uſum & finem accommodari.

Præterea, Theologia omnem de Deo cognitionem tradit, ſive ea per naturæ lumen, ſeu divino ſolum munere & illuſtratione habeatur. Cum igitur ſpeculetur quicquid de Deo cognoſcere humana ingenia poſſunt, nimirum aut ſpeculativa eſt, aut ſcientia de Deo nulla eſſe ſpeculativa poteſt. Quod licet nonnulli huic argumento dederint, adeo tamen abſurdum eſt, ut refelli non debeat. Quin Theologia noſtra divinæ ſapientiæ quædam impreſſio eſt, quæ eadem & ſpeculandi vim habet & agendi. *Pſ.* 4. Nihil igitur obſtat, cur non idem lumen vultus Dei, quod ſignatum eſt ſuper nos, utraque oſtendat, & quæ contemplari oportet & quæ agere. Sicut anima rationalis quod formarum omnium præſtantiſſima ſit, vires quidem excellenter habent & ſentiendi & vigendi; ſed in ea tamen vis intelligendi prima eademque præcipua eſt. Nec vires illa exercet reliquas, niſi ut proprio tandem intelligentiæ munere perfungatur. In hunc itaque modum D. Thomas ſcienter ac perite dixit: Theologiam muneribus utriſque fungi & ſpeculandi & agendi, quamvis magis ſpeculetur quam agat. Non enim agit, niſi quia agendo ad perfectam Dei cognitionem tendit.

Quibus rebus breviter explicatis illa tria perſpicue ſatis intelliguntur, quæ a principio exponenda erant: nempe quænam ſit Theologiæ propria notio ac definitio, quæ rurſum illi ſubjecta materies, circa quam ipſa verſetur, quis tandem illius finis tum primus tum ſecundus. Theologia igitur ſcientia eſt, quæ docet, quidnam natura divina ſit, & quæ naturæ ejus vires ac proprietates. Deus ipſe eſt doctrinæ huic objectum ſubjectumque propoſitum, & quaſi verſanda materia; his enim modis res, quam facultas quælibet mente tractandam cognoſcendamque proponit, a Philoſophis appellatur. Finis primarius quidem naturæ divinæ notio, & contemplatio per Dei potentias, virtutes & proprietates explicata: poſtremus autem earum rerum actio, quæ ad mores ſunt ac bene beateque vivendum neceſſariæ.



### *Quod Theologia vere ſcientia ſit.*

THeologiam ſimpliciter & abſque ullo temperamento ſcientiam nuncupamus. Haud inſcii Philoſophum in ſcientia evidentem, & claram concluſionis notitiam exigere. Cujuſmodi quum in principiis Theologia non habeat, ne in concluſionibus quidem habere poteſt. Pugnat enim, rationis concluſionem dilucidam, apertam & manifeſtam effici, ſi res, e quibus illa colligitur, obſcuræ, opertæ, atque involutæ ſunt. Porro autem ſi non ut Philoſophus, ut ſacri auctores, ſic nos certe loquimur, qui doctrinam hanc ſcientiam abſolute vocarunt. Scire, Auguſt. *Lib.* 12. *de Trin. c.* 1. inquit, quemadmodum fides & piis opituletur, & contra impios defendatur, proprio appellare vocabulo ſcientiam videtur Apoſtolus. Illud autem ſine dubio munus Theologiæ proprium & officium eſt. Et Hieronymus, ut alios omittamus, ſcripturæ ſacræ doctrinam, quam Theologi profitemur, ſcientiam ſapientiamque paſſim appellat. Quin ſacræ litteræ, ubi res certa eſt, ibi nullo modo ſciendi vocabulum reformidant. Nota ſunt illa: *Job* 13. Scio quod redemptor meus vivit, &c. 1. *Reg.* 24. Item: *Sapient.* 10. Scio, quod certiſſime regnaturus ſis, &c. *Prov.* 2. Item: Dedit illi ſcientiam ſanctorum. Item, ſcientiam Dei invenies, quia Dominus dat ſapientiam, & ex ore ejus prudentia & ſcientia. Et Apoſtolus. 1. *Cor.* 12. Alii quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alii autem ſermo ſcientiæ.

Præterea evidentiam Philoſophus in diſciplinis flagitat, ut rerum cognitio nec fallere poſſit, nec mutari. Firmam enim immutabilemque notionem ſcientiæ vocabulum poſtulat. Cum igitur quæ res in fidem ac Theologiam incidunt, qua ratione in eas incidunt, ſtabiles immobileſque ſint, nec in eis Theologus errare, labi aut decipi queat: fit, ut ſine perſpicuitate etiam Theologia ſcientiæ proprie ſibi appellationem vindicet. Quæ eadem cauſa ſubeſt, ut diſciplina hæc etiam circa res contingentes, hoc eſt, ſua natura minime neceſſarias, ſine ſui nominis impendio & jactura verſetur: Neceſſitatem quippe in doctrina idcirco Philoſophus requiſivit, quod ſine ea nec rerum nec cognitionis ſtabilitas & immutabilitas appareret. At cauſæ vel fortuito antegreſſæ, harumque effecta, ſuapte natura parum firma & conſtantia, ut ſub Theologiam & fidem cadunt, non mobilia & quæ modo huc atque illuc transferantur, ſed certa immutataque perinde ac perennia manent. Quamobrem utraque Deus proprie ſcire dicitur, & quæ neceſſario eveniunt, & quæ nobis in caſu & fortuna (ut vulgo loquuntur) ſunt poſita. Rite ergo Theologiam ſcientiam dicimus, in qua certitudo immobilis, firma conſtantia, & ut ita dicamus, infallibilitas concluſionis eſt.

Quin Muſica & Aſtronomia a pleriſque ſcientiæ nuncupantur, & tamen vix unus aut alter cælorum ſyderumque errantium converſiones, a quibus diſciplinæ illæ nunc pendent, proprio vel inſtrumento vel experimento exploravit. Aſtrologi fere juniores veterum experimenta, tanquam certa earum rerum præjudicia ſequuntur, quas ipſi tractandas, judicandaſque ſuſcipiunt. Theologia igitur jure quoque Scientia vocabitur, præſertim cum hujus doctrinæ principiis accidat, ut obſcure nobis ſint cognita. Nimirum enim, ſi nobis his perſpicua ac dilucida forent, nihilo ſecius ſuum hæc diſciplina, & nomen & rationem tueretur. Ac revera, ſi modo Philoſophus viveret, non aliud nomen inveniret, quo Theologiam aptius & congruentius appellaret. Nam fidem dicere, quæ non auctoritati proxime, ſed rationi & ſyllogiſmo innitatur, abſurdum eſt. Alioqui ſi prior propoſitio certa ex fide ſit, poſterior autem ratione naturæ probabilis, concluſionis fides erit, non opinio. Quod plane falſum eſt.

### *Diſcrimen inter fidem & Theologiam.*

THeologiam ergo, quando aliud melius non occurrit, ſcientiæ vocabulo nuncupemus. Firma enim & ſtabilis earum rerum perceptio & comprehenſio eſt, quæ e certis conſtantibuſque principiis manifeſta connexione nectuntur. Nec enim illud vere dici poteſt, Theologiæ conſequentias probabiles & obſcuras eſſe, non evidentes & firmas. Cujus rei ponunt hebes argumentum, quod ſi certa eſſet claraque connexio, concluſiones non jam ad Theologiam, ſed ad fidem attinerent. Nam hæc ratio ridicula eſt, jureque reprehenditur. Eſt enim facile & apertum fidei Theologiæque diſcrimen. Quod fides proxime, & ut ſic dicamus, immediate auctoritate nititur, Theologia vero proxime & immediate ratione. Habent enim ſe fides & Theologia non aliter, quam habitus principiorum & ſcientia concluſionum. Et ſicut naturæ lumen abſque ratiocinationis medio,

principiorum naturalium notitiam efficit: ita lumen fidei nullo adhibito rationis argumento, earum rerum perſuaſionem facit: quibus fideles aſſentimur divina ſolum auctoritate nixi. Non igitur conſecutionis evidentia & firmitas Theologiam tollit, ſed facit: non aufert, ſed infert.

Quanquam ſunt in hac, ſicut & in aliis diſciplinis, opinationes quædam rebus ſcitis exploratiſque permixtæ. Utque doctrina Phyſica, naturæ licet ipſa congruens & conſentanea, non omnes concluſiones explorate conficit: ſed quaſdam probabili argumentatione ſuadet. Sic plurima Theologus pronunciat quidem conſtanter, certo, fidenter: in quibuſdam tamen præclare agi ſecum putat, ſi veriſimile quod ſit invenerit. Nec arbitratur ſeſe ſcire quod neſciat: aut, perinde ut ſi omnia certa eſſent Theologiæ dogmata, nihil formidat, nihil ambigit: ſed illud cavet & providet; ne univerſis temere aſſentiens & valde cuncta aſſeverans, earum etiam rerum auctoritatem, quæ ſunt certiores, & illuſtriores, connectat.

Sed cum incerta connexio eſt vel altera propoſitio eſt incerta, quæ cum fidei principio ſumitur, concluſionis opinio erit, Theologia proprie non erit. At ſive ambo ſyllogiſmi principia ſint, ſeu alterum ex fide certum, alterum ex natura evidens, concluſio ad Theologiam pertinebit, modo conſecutio, aut clara luce naturæ ſit, aut fidei illuſtratione cognita. Haud enim ſecus ejuſmodi concluſionis ſcientia refertur ad fidem, quam ad habitum principiorum naturales diſciplinæ.

*Quænam ſit fidei Theologiæque ratio formalis.*

CUm diſciplina omnis quoſdam habeat fontes, quos ſcientiæ principia dicimus; quoſdam deinde rivulos, quos quaſi ſcientiæ fines, concluſiones appellamus: neceſſe eſt Theologo cognoſcere quænam facultatis ſuæ cauſæ & principia ſint, quæ effecta cauſis illis, principiiſque connexa. Principia vero Theologiæ primum cognoſcenda ſunt: nam his cognitis, multo facilius extrema intelligemus.

Ut comprehendamus brevi quæ ſint Theologiæ principia: expediemus primum, quænam ſit hujus doctrinæ ratio formalis. Deinde quæ ejus nativa germanaque principia. Atque in his, quæ capitalia ſint; quæ vero legitima quidem, ſed ſecundaria tamen. Poſtremo, quæ ſint extranea & aliena, hoc eſt, aſcita & accerſita ab exteris diſciplinis.

Formalis ratio Theologiæ, non eſt una & ſimplex, ſed duplex & bipartita. Eſt namque ratio formalis rei objectæ, quia res eſt, quomodo deitas Theologiæ ratio dicitur. Eſt item ratio rei, ut mentem ad aſſentiendum movet, quemadmodum veritas prima revelans Theologiæ habetur ratio. Sic rationem videndi intelligimus & colorem & lucem: colorem quidem priore modo, lucem autem poſteriore. Atque illam quidam vocant rationem quæ, hanc rationem ſub qua. Quia vero de ratione formali rei huic doctrinæ ſubjectæ, quia res eſt, nulla eſſe poteſt inter viros doctos controverſia; de ratione formali ex parte habitus & potentiæ cognoſcentis hujuſmodi concluſiones ſtatuuntur.

I. *Concluſio*. Ratio formalis fidei non eſt ratio Theologiæ formalis. Nam ſi Theologiæ principia lumine prophetiæ cognoſcerentur, aut lumine etiam gloriæ beatorum, concluſiones nihilo ſecius ad Theologiam pertinerent. Erat enim Chriſtus Dominus longe omnium quicumque fuerunt, Theologia divinæque naturæ cognitione princeps, qui tamen ſine fide concluſionibus Theologiæ aſſentiebatur. Exigit quippe fides in ratione ſua formali obſcurum quiddam & inviſum, cum ſit ſubſtantia rerum ſperandarum & argumentum non apparentium. *Hebr.* 11. Theologia vero evidens quoque & clara eſſe poteſt. Nam eſt ratio ſermoque de Deo. Atque inter prophetiam & fidem (ſi D. Thomæ credimus) nonnihil intereſt, nec lumina ſunt eadem, quibus vates ad vaticinandum, & fideles ad credendum illuſtrantur. At ſi vates illuſtratione ſua illa Theologiæ principia cognoſcat, & ea, quæ conſequuntur ac repugnant, ratiocinando colligat: Theologus profecto erit, tametſi Theologiæ ejuſmodi ratio formalis non fidei lumen ſit, ſed prophetiæ.

II. *Concluſio*: Eſſe revelatum a Deo lumenve divinitus infuſum, eſt ratio Theologiæ formalis, ſive illud lumen fidei ſit, ſeu prophetiæ, ſeu gloriæ. Theologia namque lumen aliquod natura ipſa ſuperius generaliter ad principia cognoſcenda requirit. Sed quale illud in ſpecie futurum ſit, nec nomen Theologiæ, nec notio propria definit. Verum quia Theologi non de beatorum, ſed de viatorum Theologia diſputant, nec quærunt quid diſciplinæ ipſi, ſed quid naturæ noſtræ conſentaneum ſit, idcirco fere aſſerunt, Theologiæ principia per fidem a Theologo intelligi. Lumen quippe prophetiæ, vel quoniam rarum eſt, generali præceptioni nihil obſtare creditur: vel quoniam eſt, ut lumen fidei, obſcurum, in lumine fidei communiter & confuſe intelligitur. A qua nos conſuetudine minime abhorrentes, Theologiæ noſtræ principia per fidem accipi oportere ſæpe dedimus.

III. *Concluſio*. Unde tertia naſcitur, Theologiæ noſtræ formalem rationem eamdem ac fidei eſſe. Tametſi aliter ad aſſentiendum principiis movet, aliter ad aſſentiendum concluſioni. Illis, inquam, ſine medio ſyllogiſmo & ratione, huic ratione & ſyllogiſmo intermedio. Quo diſcrimine, ut diximus Theologia & fides non verbis & cogitatione, ſed univerſa re & toto genere ſecernuntur, quamvis utriuſque ratio eadem formalis ſit.

*Re-*



*Revelatio principiorum quibus limitibus contineatur.*

DIvus Thomas multis in locis fidei nomen, ut videtur, exiſtimat manare latiſſime, idque verſari in omnibus, quæ Deo ſunt dicta & revelata, ſive auctoribus ſacris atque canonicis, ſive aliis quibuſcumque divino quodam ſpiritu afflatis. Quod ſi verum eſt, ratio fidei formalis longe etiam lateque patebit: ut non ſolum contineat revelationes prophetis & Apoſtolis factas, ſed eas etiam, quæ ceteris quoque ſanctis Eccleſiæ Dei factæ ſunt: immo illas etiam, quas viri interdum improbi divinitus habuerunt, ut Balaam *Num.* 24. & Cayphas, *Joann.* 11. quorum prædictiones ad fidem attinere, ne dubitari quidem poteſt. Eadem ergo cauſa ſubeſt, ut cætera etiam, quæ quibuslibet aliis revelata a Deo ſunt, ad fidei rationem referantur.

At alibi verbis 1. *p. q.* 1. *ar.* 8. *ad* 2. nihil obſcuris docet, fidem noſtram inniti revelationibus aliis præter eas, quas Apoſtoli & Prophetæ, auctores videlicet canonicorum librorum ediderunt. Id quod Paulus confirmat, quo loco ait, fideles eſſe ſuperædificatos ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo ſummo ſingulari lapide Chriſto Jeſu. *Eph.* 4. Nulla igitur alia niſi Prophetarum, Chriſti, Apoſtolorumque doctrina fidem Eccleſiæ fundat, nulla alia Theologiæ principia continet. Eadem enim ſunt diſciplinarum principia ac fundamenta.

Adde quod fides eſt virtus Theologica cum religione Eccleſiæ erga Deum conjuncta & ſociata. Non ergo quæcumque a Deo revelata ad fidei virtutem pertinent, ſed ea tantum quæ ad eccleſiæ etiam religionem pertinebunt. Quia vero nihil Eccleſiæ refert ea credere an non, quæ Brigidæ Catharinæque Senenſi viſa ſunt, nullo certe modo ad fidem referuntur.

Adde etiam, quod fides, de qua hic ſermo ſit, non eſt privata virtus, ſed communis. Ea enim re catholica dicitur, hoc eſt, univerſalis. Quo circa privatæ revelationes, cujuſmodicumque & quorumcumque illæ ſint, ad fidem catholicam non ſpectant, nec ad fundamenta & principia eccleſiaſticæ doctrinæ, quæ vera germanaque Theologia eſt. Cujus rei illud item non leve argumentum eſt, quod quæ non per Eccleſiam & ejus publicos adminiſtros fidelibus proponuntur, illa non credit catholica fides. Videlicet æquum erat, ut quæ ad Rempublicam generaliter attinerent, hæc non privati quivis homines ad eam retuliſſent, ſed ejus communes omnino adminiſtri. Fundamenta ejus, inquit, in montibus ſanctis *Pſal.* 86. Id quod explicaturus ſtatim adjunxit: Dominus narrabit in ſcripturis populorum, & principum horum, qui fuerunt in ea. Scripturæ ergo privatæ non ſunt fidei eccleſiaſticæ fundamenta, ſed ſcripturæ populorum, quas nobis principes Eccleſiæ tradiderunt.

Quamobrem in principiis Theologiæ noſtræ non ea ſunt habenda, quæ private & ſingulariter quibuſdam hominibus a Deo ſignificata ſunt, ſed quæ communiter & publice Eccleſiæ ſuæ loquutus eſt Deus: Id ſi conſentaneum eſt, uti videtur certe, neceſſario ſit conſequens, ut ratio fidei Theologiæque formalis non ſit tam diffuſa & ampla, quam nonnullis apparet, ſed multo aſtrictior atque contractior, ut intelligatur eſſe veritas prima Eccleſiæ revelans ea, quæ ad religionem attinent. Id, quod ſine dubio fidei conſtantia, certitudo & firmitas, requirebant. Nullo enim loco firma ſtabiliſque ac fixa conſiſteret, ſi privatas revelationes ſequeretur.

Nec quiſquam nobis angelorum in via fidem & religionem objiciat, quibus neſcimus an Deus quæ credere illos oportebat, per ſe hæc an per aliquem publicum adminiſtrum angelum ſuperiorem propoſuerit. Illud dicimus, in angelis quoque communem fuiſſe fidem, communem revelationem, quæ non privatæ uſurpationis eſſet, ſed publicæ religionis.

Jam quod objiciebatur de Balaam & Cayphæ prophetiis, hoc facile rejicitur. Non enim illorum verba ad fidem ſpectant, quia dixerunt illi, ſed quia auctores ſacri ſcripſerunt. Ac formalis Theologiæ ratio quænam illa ſit, breviter quidem, ſed non indiligenter expoſitum eſt. Sequitur ut explicemus quæ ſint hujus diſciplinæ propria legitimaque principia.

*Quæ ſint Theologiæ principia.*

FAcile nunc e rebus poſitis intelligitur, omnia, quæ ſunt per ſacros auctores Eccleſiæ divinitus revelata, in propriis Theologiæ principiis habenda. Non ea ſolum, quæ auctores ſacri ſcriptis ſuis prodiderunt, ſed quæ verbo etiam poſteris commendarunt. Auctores autem ſacros appellamus, non eos modo, qui libros canonicos ſcripſerunt, verum etiam Chriſtum Dominum, qui & vitæ & doctrinæ Catholicæ primus eſt auctor, & Apoſtolos, qui miniſtri fuere ſermonis.

Nec ſi Conciliorum & Apoſtolicæ ſedis auctoritas fidem certam facit Catholici dogmatis, aut Sanctorum etiam omnium conſenſus & conſpiratio una, idcirco aut principia Theologiæ cumulamus, aut ejus formalem rationem extendimus. Quoniam nec Concilia, nec ſedis Apoſtolicæ pontifex, nec ſancti ſcripturarum interpretes, novas fidelibus revelationes edunt, ſed quas ab Apoſtolis accepit Eccleſia, aut poſteris integras & illibatas tradunt, aut illas exprimunt & interpretantur, aut certe conſequentia & connexa colligunt, adverſa & repugnantia manifeſtant.

Principiorum itaque Theologiæ numerus e libris ſacris atque Apoſtolorum traditionibus integerrime conſtituitur. Unde duobus primis locis contenta erunt omnia, quæ initiis Theologiæ

*giæ*

giæ veris & germanis numeranda ſunt. Sed his initiis tanquam ſeminibus ab Eccleſia datis, quæ Chriſtus Apoſtolis, Apoſtoli Eccleſiæ dederunt, paſtores & doctores ac Theologi in univerſum omnes ea rigant, & excolunt, & quæ plantæ, traduces, propagines ex eis oriuntur, proferunt & oſtendunt.

Illa fundamenta ſunt Theologicæ eccleſiaſticæque doctrinæ, quæ Chriſtus per Apoſtolos poſuit; cæteri ſive concilii Patres, ſive Pontifices ſummi, ſeu Eccleſiæ doctores ſancti, omnino ſuperædificant. 1. *Cor.* 3. Nam fundamenta alia nemo poteſt ponere præter ea, quæ poſita ſunt, Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Jeſu.

### *Quodnam ſit principiorum diſcrimen.*

ENimvero diſciplinarum principia non eodem gradu locata ſunt omnia. Quædam enim ſimpliciter prima ſunt, quæ vi ſua generali cætera continent, ut in metaphyſicis illud: Impoſſibile eſt ſimul affirmare & negare. Qualia in Theologia ſunt illa: Deus eſt remunerator inquirentium ſe. *Heb.* 11. In quibus tanquam in primis credibilibus omnes fidei articuli implicite continentur, ut D. Thomas eiſdem quoque verbis affirmat. 22. *q.* 1. *ar.* 7.

Alia ſunt principia præcipua quidem & immediata, ſed contractiora tamen, quam illa communia, quæ erant cæterorum omnium quaſi fontes. Hujus generis in Phyſicis ea ſunt: Res naturales materia formaque conſtare. Naturam eſſe principium motus & quietis.

In Theologia vero articuli fidei capitales, qui ut idem ait, primo & per ſe credendi fidelibus proponuntur. Nimirum enim de Deo, qui eſt res Theologiæ ſubjecta, ea articuli enuntiant, quæ vel ex perpetua æternitate in Deo inſunt, vel humanæ ſalutis ergo diſpoſita in tempore ac diſpenſata ſunt. Eumdem quippe Deum, qui trinus & unus eſt, qui creavit mundum, qui & impios facit juſtos, & felices pios: eumdem inquam, credimus & hominem factum & natum, & mortuum, & ſepultum, & ſuſcitatum, & elevatum in cælos. Jure igitur hæc prima ſunt & propria Theologiæ pronunciata, quæ a nobis de ſubjecto diſciplinæ noſtræ vel maxime ſupponuntur. Initiis enim his principalibus non conceſſis, Theologus progredi ne digitum quidem poteſt.

At ſunt priora illa ſimilia iis, quas Philoſophus appellat dignitates. Accedentem namque ad Deum oportet credere quia eſt, *Heb.* 11. & inquirentibus ſe remunerator ſit. Quicunque igitur diſciplinam hanc divinam diſcere parat, cum neceſſe eſt duas illas generales prænotiones animo antecepiſſe. Quæ dignitatum nota propria atque inſignis eſt.

Ad hæc poſteriora principia ſuppoſitiones Theologiæ non injuria vocabuntur. Eas enim Theologus diſcipulo ſuadere quodam modo aut explicare certe valet. Verum horum cognitio, ſive etiam illorum, haud aliunde habetur, quam ex Deo mentem hominis illuſtrante. Dei enim donum fidem eſſe teſtatur Apoſtolus, *Eph.* 2. *Rom.* 1. Qui de gentilibus Deum cognoſcentibus ait: Deus enim illis manifeſtavit.

### *De principiis ſecundariis, & aſcitis.*

SEd præter hæc duo principiorum genera, ſunt alia non propter ſe potiſſimum petita, ſed ut D. Thomas ſentit, eorum, quæ ſunt potiſſima, explicandorum gratia. Cujuſmodi ſunt, inquit, præter articulos fidei omnia, quæ in ſacris litteris aſſumuntur, vel Dei natura & majeſtate explicanda, vel exponenda ipſius in homines benevolentia, rerumque omnium procuratione, quæ illis eſſent utiles & neceſſariæ. Hæc vero licet non fidei ſunt nec Theologiæ præcipua capita, ſed his ex accidenti conjuncta & quaſi principia ſecundaria: accipit tamen ea Theologus, non aliter ac Philoſophus principia per ſe nota, ſine medio & ratione, perinde ut articulos fidei acceperat. Hæc enim quaſi naturalis atque inſita in animis fidelium notio eſt, ut quidquid ab Apoſtolis ſcriptum traditum eſt, verum eſſe ſentiant. Ac Theologiæ legitima germanaque principia hæc ſunt.

Quæ autem vel a Metaphyſicis, vel a Phyſicis, vel a Mathematicis, vel a reliquis demum naturæ diſciplinis aſciſcit, perſpicua per ſe evidentiaque principia, non ex ſua ſunt vi atque natura, ſed foris inventa in proprium uſum mutuatur, aut certe jure quodam ſuo vindicat. Forſitan quiſpiam dixerit: Nonne igitur multæ variæque erunt rationes Theologiæ formales? Siquidem multarum diſciplinarum varia item principia ſunt. Minime vero. Non enim ex adjunctis & extrinſecus attributis doctrinarum formalis ratio petitur, ſed ex propriis nativiſque principiis. Atqui in Theologia horum omnium una & eadem ratio formalis eſt, nempe lumen fidei divinitus donatum. Quæ igitur ſint Theologiæ principia, tum germana tum aliena, atque ex illis quæ prima quæ ſecunda, ex primis vero quæ generalia quæ quaſi in ſpeciem contracta, ſatis, ut opinamur, dilucide aperte docuimus.

### *Quatenus principia quædam demonſtrari contingat.*

DOcet Philoſophus abſurdum eſſe, de cujuſque diſciplinæ principiis velle cum quovis homine diſſerere. Conſentit D. Baſilius: in quolibet ſtudio, inquit, quod ordine in finem procedit, impoſſibile eſt, primorum ſubjectorum demonſtrationes inquirere. Sed neceſſe eſt omnium artium, quæ probatione nituntur, principiis ſine inveſtigatione aut ratione poſitis, reliqua, quæ deinceps ſequuntur, cum ratione



tione oſtendere. Sic & Theologiæ myſterium ex fide minime rationibus probata ædificium quærit. Hactenus Baſilius. Atque Hilarius: Fides *Lib.* 2. *ad Conſtant. Aug.* ait, non in quæſtione Philoſophiæ eſt, ſed in Evangelii doctrina.

Cum vero & Theologia & fides eo tanquam ſummo principio admitantur quod omnia in Scripturis a Deo revelata vera ſint, ſtultum videtur eſſe, id aut in dubium vertere, aut Philoſophiæ argumentis velle finire. Quaſi fides in quæſtione philoſophiæ ſit, & non magis oporteat, cum in aliis doctrinis, tum in hac maxime diſcipulum addiſcentem credere. Ac revera ut prima philoſophiæ principia quibuſque non omnino rationis expertibus animo antecepta ſunt, nec niſi abſurdiſſime in quæſtionem vocarentur: ſic omnes Chriſtiani iſtam ſive anticipationem ſive prænotionem nullo argumento intercedente habent animo quaſi inſculptam, Deum eſſe natura veracem, neminemque proinde ab eo poſſe falli. Quod tamen alibi comprobaturi ſumus.

Neque hinc imprudentiæ nomine accuſari debemus, ſi de re, quæ controverſa eſſe non debet, controverſiam facimus, & primum fidei ac Theologiæ fundamentum non teſtimonia ſolum, ſed etiam ratione conſtituimus. Nam diſciplinarum principia non eamdem rationem univerſa ſubeunt. Quædam enim ſunt tam nota atque perſpicua, ut qui ea in quæſtionem vocant, hi non ſint verbis, argumentis & diſputatione arguendi, cum vel ſenſu vel pœna ut ait Philoſophus, egeant. Ut quodlibet eſſe vel non eſſe. Omne totum eſſe majus ſua parte. Alia vero ſunt ejuſmodi, ut & negari ex ignorantia quandoque poſſint, & rationibus etiam illuſtrioribus comprobari. Sic enim ille tradidit dialecticen & metaphyſicen eos coarguere, qui aliarum diſciplinarum principia inficiantur. Atque ipſe idem Philoſopus, ſæpe ex effectis manifeſtis cauſas eorum minus manifeſtas perſuadet, quibus cauſis tamen Philoſophiæ principia continentur.

Sed & duas eſſe cujuſque diſciplinæ partes exploratum eſt. Unam, in qua principia ipſa tanquam fundamenta ponimus, ſtatuimus, firmamus. Alteram, in qua principiis poſitis, ad ea quæ ſunt inde conſequentia proficiſcimur. Atque in hac quidem poſteriore, ſi quis principia negarit, quæ nimirum in ſcientia ſupponuntur, non eſt cum eo contentioſa diſputatione certandum. Si enim Theologo ſuas concluſiones ex principiis colligere volenti neget quiſpiam Deum eſſe, ſtultus erit ſi adverſum ejuſmodi, diſputationem Theologicam velit inſtituere. In illa vero, quam priorem eſſe diximus, licebit utique non ſolum obſcura perſpicuis illuſtrare, ſed etiam minus nota principia, ex his, quæ ſunt nobis notiora, oſtendere. Fere autem fit, ut cauſæ rerum, quæ ſunt ſuapte natura manifeſtæ, ſint nobis obſcuræ. Ut oculo nictycoracis radii ſolares tenebræ ſunt; ita ſi vero ſapienti negaretur Deus eſſe, licet primum ſit Theologiæ principium, daret tamen ille operam, ut via aliqua & ratione Deum eſſe conſtitueret.

Non igitur mirum eſſe cuipiam debet, ſi hoc ſane opere, ubi de principiorum Theologicorum firmitudine agimus, ipſa nos principia non modo explicemus, verum etiam conſtituamus. Aliter autem urbium fundamenta inimicus concutit, qui conatur evertere: aliter artifex, qui nititur non ſolum jacere, ſed etiam confirmare.

### *Quomodo fides humanis adjumentis obtinetur.*

QUia vero fides in primis ad Theologiam facit, operæ pretium nobis facturi videmur, ſi & de ipſa quomodo habeatur, pauca quædam attigerimus. Primum ergo id ſtatuimus, juxta communem legem aliqua exteriora & humana incitamenta neceſſaria eſſe, quibus ad fidem inducimur. Quomodo enim credent ei quem non audierunt? *Rom.* 10. *Jo.* 15. Quomodo autem audient ſine prædicante? Item ſi non veniſſem, & loquutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent: & ſi opera non feciſſem, quæ nemo alius fecit, excuſationem haberent de peccato ſuo. Non igitur ſolum neceſſarium eſt, ut credituro ea quæ fidei ſunt ſimpliciter ab homine proponantur, quaſi prima principia diſcipulo: verum etiam opus eſt exteriorem aliquam perſuaſionem, & humanum incitamentum adhiberi, quomodo principia geometriæ nonnulla a magiſtro & explicantur & ſuadentur. *Exod.* 4. Hinc illud eſt, quod cum dixiſſet Moyſes Domino, non credent mihi, Dominus dedit ei poteſtatem ſigna faciendi. *Marc.* 16. Hinc rurſum illud: Prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. Huc illa pertinent. Hic venit in teſtimonium, *&c. Joan.* 1. ut omnes crederent per illum. Et Sergius Paulus vir prudens cum vidiſſet factum, credidit, admirans ſuper doctrinam Domini. *Act.* 13. Et Centurio videns quod factum fuerat glorificavit Deum dicens: Vere filius Dei erat iſte. *Luc.* 23. Et cognovit pater, quod illa hora eſſet, in qua dixit ei Jeſus filius tuus vivit: & credidit ipſe, & domus ejus tota. Atque multa hujuſcemodi in evangeliis paſſim obvia ſunt. Philippus denique & Petrus non utcunque fidem Eunucho, Cornelioque propoſuere: ſed & cauſas etiam adhibuerunt. *Act.* 8. & 10.

Deinde id quoque ſtatuendum eſt, auctoritatem humanam & incitamenta omnia illa prædicta, ſive alia quæcumque adhibita ab eo qui proponit fidem, non eſſe ſufficientes cauſas ad credendum, ut credere teneamur: ſed præterea opus eſſe interiori cauſa efficiente: id eſt Dei ſpeciali auxilio moventis ad credendum.

Docent id D. Thomas ac D. Auguſt. quin ſacræ

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ſacræ literæ id quoque docent. *Lect. 2. in 10. cap. ad Rom. lib. 1. Retract. c. 21. & alibi ſæpe*. Quam ſpecioſi, inquit, pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona. Sed non omnes obediunt Evangelio. Iſaias enim dicit, Domine, quis credidit auditui noſtro, & brachium Domini cui revelatum eſt? *Rom.* 10. Item nolite murmurare invicem: Nemo poteſt venire ad me, niſi pater, qui miſit me, traxerit eum: eſt ſcriptum in Prophetis, & erunt omnes docibiles Dei. *Iſai.* 53. Omnis, qui audivit a patre & didicit, venit ad me. *Joan.* 6. Et inferius quibuſdam diſcipulis dicentibus, durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire? propterea (inquit Dominus) dixi vobis quod nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum a patre meo. Et alio loco. *Joan.* 12. Cum autem tanta ſigna feciſſet coram eis, non credebant in eum: ut ſermo Iſaiæ impleretur; Domine, quis credidit auditui noſtro, & brachium Domini cui revelatum eſt, &c.

Externæ igitur omnes & humanæ perſuaſiones, non ſunt ſatis ad credendum, quantumcunque ab hominibus competenter ea quæ ſunt fidei proponantur. Sed neceſſaria eſt inſuper cauſa interior, hoc eſt, divinum quoddam lumen incitans ad credendum, & oculi quidam interni Dei beneficio ad videndum dati. Viderunt (inquit Moyſes *Deut.* 29.) oculi tui ſigna illa portentaque ingentia, & non dedit tibi Dominus cor ad intelligendum, & aures ad audiendum, nec oculos ad videndum. Hoc quoque ſua voce dilucide confirmavit Chriſtus Petro inquiens: Beatus es Simon Barjona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed pater meus qui in cælis eſt. *Joan.* 1. Certe Petrus audierat Joannis Baptiſtæ teſtimonium, quo aperta voce clamaverat, Chriſtum eſſe filium Dei. Multa inſuper Chriſti miracula viderat, & tamen poſt hæc omnia non aut teſtimonio, aut auctoritati Joannis, non miraculis viſis, fidei confeſſionem Chriſtus aſſignat, ſed divinæ revelationi. Et ad Theſſalonicenſes: 1. *Theſ.* 1. Gratias agimus Deo, quoniam cum accepiſſetis a nobis verbum auditus Dei, accepiſtis illud, non ut verbum hominum, ſed ſicut eſt vere, verbum Dei qui operatur in vobis, qui credidiſtis.

Sunt & alia pleraque ſacrarum literarum teſtimonia in hujus rei confirmationem. Ut ad Corinth. Nemo poteſt dicere Dominus Jeſus niſi in Spiritu ſancto, &c. 1. *Cor.* 12. quæ ſequuntur. 2. *Cor.* 3. *Actor.* 16. Et rurſum inter ſpiritus chariſmata Paulus numerat fidem: & alibi: Non ſumus ſufficientes, &c. Et apud Lucam: Quædam mulier colens Deum audivit Paulum, cujus Dominus aperuit cor intendere his quæ dicebantur a Paulo. Et illud: Erigit mane, *Iſai.* 50. mane mihi erigit aurem. Dominus Deus aperuit mihi aurem, ut audiam quaſi magiſtrum. Dies nos deficeret ſi omnia vellmus commemorare, quibus ſecundum hoc fundamentum ſtabilitur. At quorſum multa? Quid enim apertius hoc Apoſtoli teſtimonio? Gratia eſtis ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt. *Epheſ.* 2.

*Quod fides non Eccleſiæ auctoritati, ſed divinæ veritati innitatur.*

PRædictis autem tertium fundamentum ſubjiciendum eſt, rationem formalem noſtræ fidei non eſſe Eccleſiæ auctoritatem, hoc eſt fidei ultimam reſolutionem non fieri in Eccleſiæ teſtimonium. In cujus confirmationem illud eſt: Crediderunt Domino, & Moyſi ſervo ejus. *Exod.* 14. Non dixit: Moyſi. Item: *Joan.* 12. Qui credit in me non credit in me, ſed in eum qui miſit me; &c. 1. *Theſſ.* 2. Et Apoſtolorum: Gratias agimus Deo, quoniam &c. quæ modo adduximus.

His vero tribus certis ſtabilibuſque ſententiis illa etiam conjuncta eſt, ultimam fidei noſtræ reſolutionem fieri in cauſam interiorem efficientem, hoc eſt in Deum moventem ad credendum. Unde huic articulo: Deus eſt trinus, & huic, Eccleſia non poteſt errare, & cæteris univerſis doctrinæ Chriſtianæ principiis aſſentio per infuſam fidem. Non quod Joannes dixerit, aut quivis alius homo, ſed quod Deus revelaverit. Huic autem Deus revelavit, immediate credo a Deo motus per inſtinctum ſpecialem. Itaque ex parte objecti ratio formalis movens eſt, divina veritas revelans: ſed illa tamen non ſufficit ad movendum, niſi adſit cauſa interior, hoc eſt, 22. *qu.* 2. *ar.* 9. *ad* 3. Deus etiam movens per gratuitum ſpecialemque concurſum, *Lib.* 11. *Confeſſ. cap.* 3. Unde D. Thomas & Auguſt.

Quod ſi hæc omnia unde manant videre volumus, illud tandem intelligamus oportet, habitum fidei in ordine ad Theologiæ diſciplinam ſe habere, ut habitus intellectus ſe habet ad humanas ſcientias & facultates. Ut itaque intellectus noſter in diſcurſu diſciplinarum naturalium, primo cum principiis congreditur, deinde ad reliqua cognoſcenda proficiſcitur, quæ videlicet a principiis poſitis derivantur: ſic in cognitione ſupernaturalium rerum quædam ſunt principia ſupernaturalia, ex quorum fide fidelis animus ad cætera inveſtiganda procedit. Accedentem *Hebr.* 11. (inquit) ad Deum oportet credere quia eſt, & quod inquirentibus ſe remunerator ſit. *Hebr.* 3. Et iterum. Cum deberetis magiſtri eſſe propter tempus, rurſum indigetis, ut doceamini quæ ſint elementa exordii ſermonum Dei. Et ſtatim docet quænam ſint ejuſmodi elementa inquiens. Intermittentes inchoationis Chriſti ſermonem ad perfectionem feramur: Non rurſum jacentes fundamentum pœnitentiæ, fidei ad Deum, baptiſmatum doctrinæ, impoſitionis quoque manuum, reſurrectionis mortuorum & judicii æterni.

Quibus rebus expoſitis facile (ut opinamur) intel-



intelligi poteſt, vera eſſe quæ paulo ante ſunt dicta: Hoc eſt oportere, humana quædam & exteriora adminicula intervenire ad credendum: nec tamen ea eſſe idonea per ſe, nec fidei noſtræ reſolutionem in ejuſmodi fieri, ſed in interiorem cauſam divinam quæ excitet & moveat ut credamus. In aſſenſum ſiquidem principiorum geometriæ, vel arithmeticæ multa veniunt quaſi præambula & antecedentia, ut cognitio ſenſitiva, explicatio & ſuaſio præceptoris, qui eadem principia non utcunque proponit, ſed explicat etiam vel per exempla ſenſibus manifeſta, vel per effecta notiſſima. At ratio aſſentiendi formalis non eſt quicquam illorum: ſed ſunt illæ quaſi determinationes, & veluti conditiones, ſine quibus ejuſmodi principia a diſcipulo non intelligerentur. Ratio autem formalis, lumen naturale eſt inexiſtens, quo videlicet evidens ille aſſenſus efficitur: ut & lumen hoc exterius ratio formalis eſt, quæ colores efficit evidentes. In hunc ergo modum proponere credenda, ſuadere, miracula facere, determinat quidem intellectum ut credat, quaſi conditiones, ſine quibus vix unquam intellectus determinatur. At ratio formalis aſſentiendi lumen fidei eſt, quod Deus infundit credenti.

Jam ſi hæc quæ diximus ſacris literis acommodaveris, invenies profecto, ea eſſe uſque adeo conſentanea, ut obtinere a quovis vel adverſario debeamus. Huc enim pertinet illud Joannis. *Joan.* 4. Jam non propter tuam loquelam credimus: ipſi enim audivimus, & ſcimus quia hic eſt vere Salvator mundi. Ut illa alia prætereamus, quæ retro ſunt a nobis commemorata.

Cæterum ſi neganti principia Philoſophiæ naturalis, ex effectis notiſſimis nitamur ea ſuadere: non quærimus cauſam a qua principia Philoſophiæ naturalis pendeant; ſed argumentum aliquod vel indicium certum ejus rei quæ in controverſiam venit. Ac fere in omnibus diſciplinis contingit, ut adverſus ignorantem cauſam utamur effectu: & adverſus negantem effectum utamur cauſa, propter utriuſque mutuam connexionem. Ita terram interjici inter ſolem & lunam, ex Lunæ defectu ſuadet Aſtrologus: nec affert tamen genus argumentationis ineptum.

Quod igitur in cæteris artibus, idem quoque in Theologia contingit, ut rerum ordo interdum humani ingenii cauſa permutetur. Ita fit ut contra negantes novum teſtamentum aptiſſime argumentemur ex veteri: atque ex diverſo contra negantes vetus teſtamentum, ex novo. Etenim ab his quæ notiora ſunt nobis, ad ea quæ minus nota ſunt, quodam quaſi naturæ ductu homines ferri, non ſolum Philoſophus author eſt, ſed nullo etiam philoſopho authore experimur. Ut Judæo, cui vetus teſtamentum certius eſt, novum ex veteri ſuademus. Habemus, inquit, firmiorem 2. *Pet.* 1. propheticum ſermonem, cui bene facitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco, donec dies illuceſcat, & lucifer oriatur in cordibus veſtris. Et in Actis: *Actor.* 17. Ii qui cum aviditate verbum Pauli ſuſceperant ſerutabantur quotidie ſcripturas, an hæc ita ſe haberent. Contra vero oportet ut adverſus eum qui novum teſtamentum recipit, ac rejicit vetus, ex novo veteris authoritatem colligamus.

Ad eundem quoque modum authoritas Eccleſiæ cum ſacrarum literarum authoritate connexa eſt; & per legem connexorum utramque in alterius probationem ſumimus. At ſi generaliter quæratur; unde fideli conſtet, ea quæ fide tenet eſſe a Deo revelata, non poterit Eccleſiæ authoritatem inducere: quia unum de revelatis eſt, Eccleſiam errare non poſſe. Ut ad Timoth. habetur. 2. *Tim.* 3. Nec verus catholicus, quod nonnulli fingunt, aſſentitur huic. Eccleſia eſt verax, ſolum per conjecturas humanas, quibus acquiſita fides innititur. Ad quem modum & Saraceni ſuis præceptoribus, & Judæi ſuis Rabbinis, & gentes ſuis Philoſophis, & omnes denique ſuis majoribus inhærent. Non ſic autem Chriſtiani: ſed per interius lumen infuſum a Spiritu ſancto, quo firmiſſime atque certiſſime moventur ad credendum, Eccleſiam chriſtianam errare non poſſe: Saracenorum, Judæorum, Paganorum errare poſſe.

Denique non eſt Eccleſiæ authoritas ratio per ſe movens ad credendum, ſed cauſa, ſine qua non crederemus. Quippe ut nos credamus, juxta præſcriptam a Paulo legem, oportet ut illa, quæ credere debemus, nobis per hominem proponantur. Providit autem Deus, ut Eccleſia eſſet, quæ certo ac firmo judicio ea, quæ vere nobis ſunt credenda proponeret. Proponit enim Eccleſia, ut rem exempli cauſa illuſtremus, Evangelium Matthæi eſſe a Deo revelatum: nec mihi proponere niſi verum poteſt. Ego igitur non credo Evangeliſtam dicere verum, quia Eccleſia eum dicat verum dicere, ſed quia Deus revelavit. Et tamen Eccleſia proponens eſt cauſa, ſine qua ego non admitterem illud Evangelium eſſe Matthæi. Spiritu itaque ſancto Eccleſiam afflatam certo credo, non ut veritatem authoritatemve libris canonicis tribuat; ſed ut doceat illos non alios eſſe canonicos. Nec ſi nobis aditum præbet ad hujuſmodi ſacros libros cognoſcendos, protinus ibi acquieſcendum eſt, ſed ultra oportet progredi, & ſolida Dei veritate niti.

Qua ex re intelligitur: quid ſibi voluerit Auguſtinus cum ait: Evangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ moveret authoritas: & rurſum: Per catholicos Evangelio credideram. Videlicet negotium Aug. erat cum Manichæis, qui abſque controverſia ſuo cuidam Evangelio credi volebant, & Manichæi fidem aſtruere. Rogat igitur Aug. ecquid facturi ſint, ſi in hominem incidant, qui ne Evangelio quidem credat: quove genere perſuaſionis ſint eum in ſuam ſen-

ſententiam adducturi. Certe ſe affirmat, non aliter potuiſſe adduci ut Evangelium amplecteretur, quam Eccleſiæ authoritate victum. Non itaque docet fundatam eſſe Evangelii fidem in Eccleſiæ authoritate, verum ſimpliciter nullam eſſe certam viam, qua ſive infideles ſeu in fide novitii, ad ſacros libros ingrediantur, niſi Eccleſiæ catholicæ unum eundemque conſenſum. *In epiſt. fundam. cap.* 4. Id quod ſatis ipſe explicat, qui & tradit, quod certum argumentum in controverſia de uno quolibet libro ſacro ex Eccleſiæ authoritate ſumitur; ſed non ad hanc, ſed ad divinam authoritatem fides divinorum librorum referenda eſt. *Et lib. de utilit. creden. ad Honorat.* Atque hæc eo adducta ſunt, quod multis argumentis diluendis ſervient, ut in libro ſequenti conſpicietur.

*De duobus generibus argumentorum, quibus omnis diſputatio tranſigitur.*

ARgumentum omne, vel a ratione, vel ab authoritate ducitur. His enim duobus modis cujuſque rei, quæ in controverſiam venit, aſſenſionem facimus. Cum vero in reliquis diſciplinis omnibus primum locum ratio teneat, poſtremum authoritas: at Theologia tamen una eſt, in qua non tam rationis in diſputando, quam authoritatis momenta quærenda ſunt. Etenim locum ab authoritate adeo ſibi proprium vindicavit, ut rationes vel tanquam hoſpites & peregrinas excipiat, vel in ſuum etiam obſequium adſciſcat, quaſi longe repetitas. Quippe fidei potiſſimum innititur, quæ niſi ab authoritate proficiſcatur, non modo fides eſſe, ſed ne intelligi quidem poteſt. Eſt namque fides (ut Apoſtolus tradit) *Hebr.* 11. argumentum rerum non apparentium, quas ſi certas certa velis ratione facere; cum ratione profecto inſanies.

Principem itaque locum, ſicut apud fideles, ita apud Theologos authoritas habet. Ratio deinde velut pediſſequa ſequitur. Id quod Apoſtolus videtur ſignificare, cum ait; *Tit.* 1. Oportet Eccleſiæ doctorem amplecti eum, qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem, ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere. Primum enim ſtringat fidei ſermonem neceſſe eſt, quicunque Chriſtianæ ſcholæ magiſter eſſe volet: ſed niſi mox doctrinæ rationem adhibet, fidelis quidem eſſe poterit, fidelium doctor eſſe non poterit.

Nam & homines quantumlibet experientes, quod ex Philoſopho recte collegit D. Thomas, 1. *Metaph.*, diſputare cum adverſariis non queunt, niſi experimento ratio artis acceſſerit.

Utraque igitur Theologo neceſſaria eſt, & authoritas & ratio. Sed ita tamen, ut authoritas primas in Theologia partes obtineat, ratio vero habeat poſtremas. Unde recte docet D. Thomas, quod argumentari ex authoritate eſt maxime proprium hujus doctrinæ: *1. p. q. 1. art. 8. ad 2.* eo quod principia hujus doctrinæ per revelationem habentur. Et ſic oportet quod credatur authoritati eorum, quibus revelatio facta eſt. Nec hoc derogat dignitati hujus doctrinæ. Nam licet locus ab authoritate, qui fundatur ſuper ratione humana, ſit infirmiſſimus: locus tamen ab authoritate, qui fundatur ſuper revelatione divina, eſt efficaciſſimus. Tantum ille. Ratio utrinque in promptu eſt. Nam ille ex humana inſcitia vel malitia falli & fallere poteſt, at iſte nequaquam. *Sap.* 9. Scit enim Deus omnia, inquit ſapiens, & incertæ providentiæ noſtræ. Et cum Evangeliſta & Propheta *Jo.* 3. *Pſ.* 115. ait Apoſtolus; *Rom.* 3. Eſt autem Deus verax, omnis autem homo mendax.

*Locorum Theologicorum numerus & Expoſitio.*

QUia Moralis Chriſtiana eſt Doctrina, quæ vel per revelationem proponitur, vel ex revelatione, quantum fieri poteſt deducitur, qua percipimus quid agere vel non agere debeamus ut noſtram adipiſcamur ſempiternam ſalutem, ac felicitatem: Hinc præcipuus hujus diſciplinæ fons eſt divina revelatio, & in divina Scriptura, quæ dicitur verbum Dei ſcriptum, & in Traditione, quæ appellatur verbum Dei non ſcriptum continetur. Verbum enim Dei datum eſt homini, ut virtute divinæ claritatis purgata ejus mens a peccati caligine debita ſua officia diſceret; *Omnis ſcriptura* (ait Apoſtol. 2. ad Timoth.) *utilis eſt ad docendum ... & erudiendum in juſtitia, ut perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus.* Ratio autem eſt; quia cum officia moralis Chriſtianæ ſint juris naturalis, vel ſupernaturalis, in his humana ratio ſine divina revelatione ſæpe cæcutit; ita ut homo nec facile, nec ſemper abſque tali lumine advertere poteſt, an dum in moralibus practice agit, dirigatur a ſolo recto rationis dictamine, abſque eo quod admiſceatur aliqua amoris proprii vel alterius paſſionis deceptio.

Divina ſcriptura dividitur in vetus, & novum teſtamentum. Vetus continet 45. libros, & Novum 27. ſicque ſunt 72. libri divini, ſcilicet Geneſis, & alii, quos Tridentina Synodus recenſet, & ſacros ac canonicos declarat; & in ipſa divina ſcriptura ſigillatim videri poſſunt. Libri ſacri Canonici appellantur; quia norma ſunt & regula fidei, ac morum, & quia in Eccleſiæ canonem ſunt relati.

Varii ſunt divinæ Scripturæ ſenſus. Et primo litteralis, & myſticus, ſeu ſpiritualis. Senſus litteralis eſt ille, quem littera ipſa exprimit, ut ubi ait, Abraham duos filios habuit unum de ancilla, alterum de libera. Senſus myſticus eſt ille, qui non verbis ipſis, ſed rebus per verba ſignificatis indicatur; ut in allato exemplo de Abrahamo, ubi non nomina illa ancillæ & liberæ, ſed perſonæ his nominibus myſtice ſeu ſpiritualiter ſignificatæ, Jeruſalem nem-



pe terreſtrem, & Eccleſiam ſignificant, ut ex Apoſt. *Gal.* 4.

Senſus litteralis alius eſt proprius quem verba proprie accepta important ac efficiunt, ut in hac propoſitione, Abraham duos filios habuit; metaphoricus vero qui exurgit ex verbis improprie acceptis, ut cum dicitur, Chriſtus ſedere ad dexteram Patris. Dexteræ enim vocabulo non corporis pars, ſed honoris æqualitas intelligitur. Senſus myſticus triplex eſt: Allegoricus, cum res geſtæ in veteri lege accipiuntur ut figura eorum, quæ implenda erant in nova lege. Sic aries inter vepres cornibus hærens & ab Abrahamo immolatus loco Iſaaci *Gen.* 22. in ſenſu allegorico ſignificat Chriſtum ſpinis coronatum, & Cruci affixum. Tropologicus, qui ad informandos mores pertinet. Sic circumciſio carnis, quæ apud Judæos in uſu erat, in ſenſu Tropologico, & morali ſignificat vitiorum, & cupiditatum reciſionem *Roman.* 2. *v.* 29. Anagogicus; & hic eſt cum verba, & res geſtæ referuntur ad cœleſtem Patriam: ſic Apoſt. *Hebr.* 9. ingreſſum Pontificis in Sancta Sanctorum refert ad introitum Chriſti in Cœlum. Idcirco ſenſus myſticus ut allegoricus eſt de rebus credendis, & refertur ad fidem. Tropologicus ſeu moralis de agendis, & refertur ad Charitatem. Anagogicus de ſperandis, & dicit ordinem ad ſpem.

Præter verbum Dei ſcriptum attendendum eſt quoque verbum Dei non ſcriptum, ideſt Traditio non humana, ſed divina, non per privatos authores propoſita, ſed non interrupta Paſtorum ſucceſſione fideliter ad nos tranſmiſſa: quia hæc divinam revelationem oretenus traditam nobis exhibet. Hæc Traditio eſt ſecundus Chriſtianæ Moralis locus.

Tria ſunt genera Traditionum; divina ſcilicet, quæ a Chriſto derivatur; apoſtolica, quæ ab Apoſtolis ortum habet; nonnulla enim Apoſtoli, ut Eccleſiæ Paſtores inſtituerunt; eccleſiaſtica, quæ auctores habet Apoſtolorum ſucceſſores. Vera nota ſeu argumentum divinæ Traditionis eſt, quod omne, cujus initium non invenitur in Conciliorum canonibus, nec in decretis ſummorum Pontificum aut in Patrum ſtatutis, & ſemper, ubique, & ab omnibus ſervatum eſt: Hoc profecto a Chriſto Domino originem ducit, ac proinde eſt divina Traditio.

Divina Traditio eſt vera regula in rebus fidei, & morum, & ut talis neceſſario agnoſcenda. Sic docet D. Paul. 1. *Theſſ.* 2. *ſtate, & tenete traditiones, quas didiciſtis, ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam noſtram.* Et hoc obſervatum fuit etiam in lege Moyſis, ut *Jeremiæ 6. 6. Interrogate de ſemitis antiquis quæ ſit via bona, & ambulate in ea.* Imo etiam ab initio de hoc Moyſes populum admonuit *Deuter.* 32. 7. *Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi.*

Tertius locus Theologicus eſt judicium, conſenſus, & auctoritas Eccleſiæ, quæ eſt cætus fidelium hominum, nempe unius & ejuſdem Chriſtianæ fidei profeſſione, & eorumdem ſacramentorum communione conjunctus, ſub regimine legitimorum paſtorum ac præcipue Romani Pontificis viſibilis totius Eccleſiæ capitis, & ejuſdem Eccleſiæ inviſibilis capitis & Sponſi, Chriſti Domini Vicarii in terris. Judicium, conſenſus, & auctoritas Eccleſiæ in definiendis controverſiis fidei, & morum infallibile eſt, ut nec fallere nec falli poſſit. Hinc Eccleſia dicitur ab Apoſtolo 1. *Timoth.* 3. Columna, & firmamentum veritatis. Hanc infallibilitatem pollicitus eſt ſuæ Eccleſiæ Chriſtus Dominus cap. ult. *Matth. v.* 20 ubi ait ſe nunquam ei defuturum; Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi. Et *Jo.* 14. ubi alloquens Apoſtolos teſtatus eſt ad ipſos miſſurum alium Paraclitum ſpiritum veritatis perpetuo in Eccleſia manſurum, qui eos ſucceſſoreſque ſuos doceret omnem veritatem quam ipſe eiſdem revelarat: *ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum, Spiritum veritatis,* & v. 26. *ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.* Quare infallibilis eſt Eccleſia ſive congregata in Conciliis, ſive per Provincias diœceſeſque diſperſa. Verum cum Eccleſia præcipue in Conciliis congregata ſuum judicium aſſenſumque proferre ſoleat, hinc Concilia Generalia ad hunc tertium locum theologicum pertinent; idcirco res ita exigit ut aliqua breviter circa rationem Conciliorum Generalium aperiantur.

Concilii nomen idem ſignificat, ac in regnis comitia, quæ aliud non ſunt, quam Principum, Procerum, magiſtratuum in unum locum Congregatio ad regni negotia pertractanda: idcirco Concilia Eccleſiæ aliud non ſunt, niſi Eccleſiæ Præſulum conventus, ut de rebus ad Eccleſiam ſpectantibus agant. Concilia, alia Generalia ſunt ad quæ congregantur totius Eccleſiæ Epiſcopi; Alia Nationalia ad quæ conveniunt unius regni, aut Nationis Præſules; Alia Provincialia in quibus ſub Metropolitano reperiuntur unius Provinciæ Epiſcopi; Alia Diœceſana in quibus ſunt ſub Epiſcopo totius Epiſcopatus Presbyteri.

In quæſtionibus morum definiendis poſt Scripturam, & Traditionem conſulenda eſt Eccleſia præcipue in Generalibus Conciliis congregata, ideſt conſulenda ſunt Concilia Generalia. Concilia Oecumenica ſeu Generalia, quæ univerſalis Eccleſiæ conſenſu ſunt recepta, divinam revelationem nobis exhibent ac univerſalem Eccleſiam repræſentant, quæ cum a Spiritu Sancto dirigatur errare non valet. Unde ajunt Apoſtoli *Act.* 15. verſ. 18. *viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis.* Hinc ſemper Conciliis Generalibus habita eſt reverentia, quæ ipſi divino verbo exhibetur, ut patet exemplis ipſius naſcentis Eccleſiæ ad hæc uſque tempora.

Quartus Ethicæ Chriſtianæ fons, ſeu locus eſt ſummi Pontificis de aliqua morali controverſia ſolemne judicium. Et hoc comprobatur ex ipſa divina Scriptura, Joann. 21. v. 15. *Paſce oves meas*, & ſic alibi. Ex ſcriptura igitur Romanus Pontifex, ut Petri legitimus ſucceſſor in dubiis circa fidem, & mores nos inſtituere debet, & hoc patet etiam ex perpetua praxi Eccleſiæ, quæ quovis ſæculo aſſueta fuit in dubiis fidei, & morum judicium ſummi Pontificis exquirere, & reverenter excipere, ut paſſim habetur in Eccleſiaſtica hiſtoria.

Quintus fons & locus moralis Chriſtianæ ſunt Concilia particularia, ideſt judicium particularium Eccleſiarum, ſive Nationalium, ſive Provincialium, ſive Diœceſanarum. Tametſi hæc particularia Concilia univerſo Eccleſiæ conſenſu non ſunt recepta (ſi enim univerſim recipiantur, fiunt Generalia, ideſt vim habent ac Generalia) gravis tamen momenti eſt eorumdem judicium, ac authoritas, ut ipſius Scripturæ teſtimonio comprobatur: Matth. 18. 20. *Ubi ſunt duo, vel tres in nomine meo congregati, ibi ſum in medio eorum*. Concilia particularia proponunt judicium plurimorum Epiſcoporum, qui propoſitam quæſtionem examinaverunt, non obiter ſed attente, quilibet antiquam ſuæ exhibendo Eccleſiæ Traditionem. Igitur hujuſcemodi judicium in morali valde æſtimandum eſt, maxime ſi attendatur ad ſupra latam Chriſti Domini promiſſionem intereſſendi conventui, ubi plures in nomine ejus eſſent congregati. Praxis quoque Eccleſiæ graviter ſententiam confirmat. Nam illa fuit ſemper Eccleſiæ conſuetudo, ut ſæpe celebrarentur Concilia particularia, quæ vel eſſent diſpoſitiones ad Generalia, aut præteriti Concilii Generalis executiones; ſicuti plurima in Eccleſiaſtica hiſtoria exhibentur exempla.

Hoc patet etiam ex ratione. Concilium Univerſale eſt infallibile, quia univerſam Eccleſiam repræſentat, quæ eſt columna fidei, & veritatis firmamentum. Igitur & Concilia particularia gravis ſunt auctoritatis, utpote quæ totam Eccleſiam particularem repræſentant; idcirco a Conciliis Generalibus, localia, ſeu particularia ſemper habita fuere in magno honore, & æſtimatione, ac fideles eis ſubjiciendos eſſe decrevere. Et de hoc plura habentur exempla.

Sextus locus ſeu fons Chriſtianæ moralis eſt judicium Epiſcoporum, præſertim quando plures in idem conſentiunt. Et hoc itidem ex ipſa Scriptura comprobatur. In veteri enim lege quando dubium aliquod circa res ad religionem ſpectantes Judæis oriebatur, ad Sacerdotes mittebantur Deuteronom. 17. 9. *Venies* (inquit Deus) *ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem, qui fuerit illo tempore, qui indicabunt tibi judicii veritatem*. Imo Chriſtus Dominus ita præcepit Matth. 23. 2. *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi; omnia ergo quæcumque vobis dixerint facite*. Et ita etiam docuere Patres, quorum plurima habentur teſtimonia, quorum brevitatis gratia, aliqua recenſere prætermitto. Epiſcopi revera jure divino Rectores ſunt Eccleſiarum, Patres, & Doctores populorum ut Apoſtoli Act. 20. 18. *Spiritus Sanctus poſuit eos Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*. Igitur in moralibus etiam Epiſcoporum judicium conſulendum eſt.

Septimus Chriſtianæ moralis fons eſt Patrum auctoritas, quæ major, vel minor eſt, quatenus plures, vel pauciores in idem conſentiunt, aliis non contradicentibus. Patres ſunt ii, quos Deus juxta Apoſtol. 1. Cor. 12. 28. poſuit in Eccleſia tamquam Doctores: quocirca eorum doctrina in Moralibus reverenter ampleſtenda eſt. Patres inſuper habentur hi, qui tum ob eminentem ſcientiam, tum ob inſignem ſanctitatem, tum ob venerandam antiquitatem cenſentur Traditionis cuſtodes. Igitur ſicuti quando ſunt concordes, irrefragabilem faciunt auctoritatem; ita dum plures in idem dogma conveniunt auctoritatem habent non ſpernendam, ſed ſummopere venerandam: Hinc in moralibus conſulendi ſunt Patres, illi præcipue, qui materiam aliquam pertractant.

Octavus Ethicæ Chriſtianæ fons eſt Theologorum Scholaſticorum authoritas; non eorum tamen, qui ex ſola ratione, ſed eorum qui præcipue ex divina revelatione, ex Eccleſiæ, Pontificum, Patrumque oraculis doctrinam morum percipiunt; ex his peti poſſunt argumenta ad fidem moreſque ſpectantia, quos Eccleſia ipſa conſulit ubi de fide, & moribus agitur, quorum ſententiæ rationem habet.

Dixi qui *ex revelatione doctrinam morum percipiunt*: quia Theologi, qui ſolam rationem, quæ corrupta & cæcutiens eſt, oſtentant, minime audiendi ſunt. Conſulendi ſunt igitur inſigniores morales Theologi, qui divinæ revelationi nituntur, & principem locum habent inter Ethicæ Chriſtianæ D. D., quales ſunt S. Thomas, Bonaventura, Antoninus, Raymundus &c. Hos enim commendat eruditio in divinis ſumma, & profunda, atque vitæ integritas, unde digni habiti ſunt ut Eccleſia eos in albo Sanctorum adſcriberet; qui ex ſincero fideliſſimoque veritatis amore, non ingenio contendendi ſcripſere. Hujuſmodi pariter, ſed in inferiori claſſe ſunt Cajetanus, Silveſter, Soto, Sylvius, Toletus, Comitolus, aliive multi ingenio, & doctrina inſignes, & integritate morum ſpectabiles, dummodo tamen veteres non reprobent, & in contrarium ſenſum detorqueant.

Conſulendi ſunt pariter inſigniores Canoniſtæ, quales ſunt Panormitanus, Navarrus, Covaruvias, Fagnanus, Cabaſutius, aliive non pauci. Canoniſtarum enim authoritas magni eſt momenti.

Magni item habendum eſt doctrinale judicium S. Theologiæ facultatum, ſeu Accademiarum



rum, ſeu Univerſitatum, ac earum præſertim, quæ per orbem totum ſunt in ſumma æſtimatione, cujuſmodi ſunt Lovanienſis, Duacenſis, Salmaticenſis, & maxime Sorbonica Pariſienſis, quam Epiſcopi, imo, & ſummi Pontifices conſulere non dedignantur.

Nonus Moralis Chriſtianæ fons eſt naturalis ratio, juxta illud Iſaiæ cap. 46. 8. *Redite prævaricatores ad cor*; ideſt naturalis ratio revocet peccatores ad conſcientiam. Ratio enim naturalis homini a Deo data eſt ad veritatis agnitionem comparandam; cum naturalis ratio ſit Divini ipſius luminis communicatio; ut ait coronatus Propheta; *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine*. Quare valde utilis eſt naturalis ratio in Chriſtianæ moralis ſtudio. Hæc enim ſuppeditat communia morum principia, cujuſmodi ea ſunt: *Bonum eſt faciendum, malum fugiendum: quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*: Ex his variæ deducuntur concluſiones, quibus varia explicantur officia, quæ exercere tenemur erga Deum, erga proximum, erga majores, erga nos ipſos. Verum ratio naturalis verſari debet in theologicis non ut domina, ſed ut famula, & pediſſequa: oportet (ait D. Thomas 1. p. q. 1. art. 8.) ut ratio ſubſerviat. Inſervire debet naturalis ratio in theologicis tamquam pediſſequa ex principiis revelatis concluſiones eliciendo, ac regulas exponendo, ad quarum normam ordinare ſeu conformare debemus actiones noſtras, ut bonæ ſint, & vitia ab his arceamus. Quare nemo non videt eos ratione abuti, qui in rebus theologicis primum locum tribuunt rationi; non ſecus ac in rebus fidei hæretici faciunt; nonnulli in moralibus, qui Dei ipſius (ait Juveninus) judices ſe conſtituentes, affirmant ſaltem indirecte, virtualiter, & interpretative, *hæc aut illa præcepta*, ſi ad litteram ſumerentur non ſatis fore attemperata infirmitati noſtræ, & ex hoc temerario judicio argumenta petunt, quibus præcipua Dei mandata clare cæteroquin in divinis litteris expoſita convellere, vel ſaltem ſophiſticis cavillationibus ſubvertere, aut enervare ſtudent, & conantur. Neminem latet nullum eſſe præceptum in Decalogo, quod ſuis ratiociniis ex principiis (ut iis videbatur) deductis, non labefactaverint, ut notat Juveninus. Unde Alexander Papa VII. die 25. Septemb. an. 1665. de ejuſmodi ſcriptorum placitis merito dixit, opiniones Chriſtianæ diſciplinæ laxativas & animarum perniciem inferentes, natas ex ſumma luxuriantium ingeniorum licentia.

*De Locorum ſeu Fontium Theologicorum uſu.*

Circa uſum vero prædictorum Chriſtianæ moralis fontium ſeu Locorum, cum hæc non ſint æqualis ponderis, & auctoritatis, ſua prudenti cautione adhibenda ſunt, nempe ubi quæſtio moralis reſolvi poteſt per expreſſam revelationem, ſtandum eſt revelationi, quidquid in contrarium ratio humana ſuggerat, aut reclamet. Revelatio ſiquidem in ſe regulam certiſſimam morum continet, utpote quæ infallibili verbo Dei nitatur, cum ex oppoſito humana ratio erroris periculo ſubjaceat, ac proinde mendax in ſcripturis divinis homo appellatur Roman. 3. v. 4. *omnis autem homo mendax*, & Deus ex oppoſito ita verax eſt, ut ſit ipſa veritas, idcirco nec fallere, nec falli poſſit.

Quod ſi quæſtio ſolvi nequeat per expreſſum Dei verbum, ſed per neceſſariam demonſtrationem ex principiis revelatis; ſtandum eſt hujuſmodi demonſtrationi nihil attendendo ad id quod ratio humana nebulis paſſionum obcæcata in contrarium ſuadeat. Propoſitio enim quæ ex propoſitione revelata neceſſario ſequitur, irrefragabilis eſt auctoritatis.

Si quæſtio autem moralis, neque per expreſſum Dei Verbum, neque per neceſſariam demonſtrationem ex revelatis reſolvi queat; audiendi ſunt hi, quorum in Eccleſiis eſt facultas docendi ſimul & præcipiendi quid ſuper eam quæſtionem definierint, cum hi ad divinam revelationem propius accedant. Quia cum Deus eos conſtituerit ut genuinum Scripturæ, & Traditionis ſenſum exponant, iſti conſulendi ſunt ubi manifeſta non habetur revelatio: *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus*. Malach. 27.

Ubi talis quæſtio, neque per revelationem expreſſam, neque per neceſſariam demonſtrationem ex revelatis, neque per ſuperiorum Decreta ſolvi nequit, conſulendi ſunt, qui antiquitate, doctrina, pietate ſunt in Eccleſia excellentiores. Habent enim hi ab antiquitate, quod teſtes ſint, ac cuſtodes divinæ traditionis; a doctrina, quod ſint divinæ revelationis interpretes; a pietate, quod ab humanis affectibus in exponendis morum regulis eorumque difficultatibus diſſolvendis immunes extiterint. Ex quo patet quod cum major, ac ſanior pars antiquorum Patrum, & Theologorum in aliquod morum dogma convenerint, illis eſt adhærendum. Quod ſi tandem circa morales difficultates Patres Patribus adverſantur; Theologi inſigniores alii alia tradant, celebriores Canoniſtæ diverſa opinentur, tunc rationis eſt definire. Sed in hoc neceſſe eſt ut magna cautione procedatur, ideſt 1. opus eſt ut caveamus, ne rem ſecundum inclinationem pravorum noſtrorum affectuum decidamus; quidquid enim placet, & amamus, hoc bonum, & ſanctum nobis eſt. Unuſquiſque proprium defectum & paſſionem excuſat, defendit, & cohoneſtare ſtudet. 2. ut caveamus ne a partium ſtudiis ſeu affectionibus abducamur. Ex hoc enim fit ut quiſque pro ſuſceptis ſive jure, ſive injuria ſemel partibus, veritatem ſtare pertinaciter tueatur, eaque omnia, quæ contra ſentiunt aliarum partium defenſores ut falſa rejiciat, ac reſpuat. 3. ut medio quantum fieri poteſt inter laxiores & rigi-

gidiores opiniones tramite incedamus. Etenim ſicuti ſine culpa nec gravari poteſt dulce Chriſti jugum, ita nec via ſalutis amplior reddi poteſt, dum anguſta in Evangelio deſignatur. 4. Oportet ut in opinionum ambiguitate, quod propius revelationi accedere deprehendimus, ac parti quæ magis legi favere videbitur, religioſe adhæreamus.

### *De uſu Conciliorum, ſeu ſacrorum Canonum in reſolvendis caſibus Conſcientiæ.*

Nota I. Concilia in ſuis Canonibus de tribus agere ſolent; 1. de his quæ ad Fidem, 2. de his quæ ad mores, & 3. de his quæ ad Diſciplinam pertinent. Et cum Jus civile & canonicum ad invicem aliquando juvent; hinc fit ut quandoque agant de his quoque quæ ad jus civile ſpectant. Canones Fidei exponunt quæ credenda, aut non credenda ſunt: Canones morum quid circa mores fieri poſſit aut debeat, quid non poſſit fieri nec debeat. Canones Diſciplinæ ſtatuunt quale eſſe debeat regimen eccleſiaſticum. Nam quod in civili Republica appellatur Politia, in Republica Chriſtiana dicitur diſciplina. Regulæ canonico-civiles hæ ſunt, quæ inſtitutæ ſunt ab Eccleſia ad jus civile firmandum.

*Nota* II. Quod cum Conciliorum canones non uno eodemque tempore conſtituti ſint, hinc fit non in omnibus eumdem ſtylum inveniri, nec formulas eaſdem loquendi; etenim nunc comparantur ad mores unius regionis & gentis; modo ad inſtituta alterius regni ſeu nationis. Imo ex quo non uno eodemque tempore conſcripti ſunt canones, exinde contingit quod varietas vocum modo puræ, modo barbaræ latinitatis in illis reperiatur, unde non levis exoritur difficultas, ut eorum genuinus ſenſus intelligatur; eo vel maxime, quod pro temporum varietate eadem vox quando unum, quando aliud ſignificat. Quare ad verum eorumdem Canonum ſenſum aſſequendum opus eſt recurrere ad Gloſſarium Ducange, vel ſi hoc haberi facile nequeat, ad P. Annatum in ſuo Theologiæ Apparatu, ubi agit de Conciliis: ibi enim inveniet ſtudioſus quæ ad intelligentiam Canonum conducere valent.

Qui igitur uti voluerit ſacris Canonibus ad reſolvendos caſus conſcientiæ, profecto opus eſt ut prius plane dignoſcat quinam ſint canones fidei, quinam morum, quinam diſciplinæ, ac tandem quænam regulæ canonico-civiles. Canones fidei invariabiles ſunt; cum invariabilis ſit fides quam explicant; cum Deus nequeat inter ſe mutuo pugnantia revelare, v. g. hodie revelare quod ſit trinus, poſtea declarare quod trinus non ſit; quia ita ſibi aperte contradiceret. Canones quoque morum invariabiles ſunt; quia 1. præcepta Decalogi quæ ipſi explicant, variare nequeunt, cum præcipiant quod intrinſece bonum eſt, & prohibeant quod ab intrinſeco eſt malum. 2. Præcepta pariter Evangelica quæ per Canones explicantur, ſunt inviolabilia, quia legi Evangelicæ non debet alia divina lex ſuccedere. Concilia enim in ſuis canonibus tota ſunt, ut ingruente aliqua hæreſi, vel gravi difficultate circa res fidei, vel morum, declarent, ſeu clarius exponant quæ Deus in ſuis divinis Scripturis ſubobſcure revelavit, ſeu præcepit aut prohibuit, abſque eo quod ne minimum quidem veritati revelatæ addant, vel detrahant. Quocirca canones fidei in generalibus Conciliis editi, ſunt uberiores articulorum fidei, ſive præceptorum Decalogi explicationes, non ſecus ac concluſiones in ſcientiis naturalibus ſunt uberiores expoſitiones principiorum, quæ in iiſdem ſcientiis ſunt per ſe nota. Canones tamen diſciplinæ variabiles ſunt, eo ferme pacto quo varia eſt ſæcularis Politia pro diverſitate loci, temporis, vel perſonarum. Regulæ autem canonico-civiles non plus habent firmitatis quam leges civiles, utpote quæ non alio fine conſtituantur, niſi ut jus civile in ſuo robore maneat. Igitur qui uti voluerit Conciliorum canonibus ad caſuum moralium reſolutionem, ad hæc omnia attendere debet, ne regulas variabiles cum invariabilibus confundat.

Exemplo vero aliquo res apertius circa differentiam canonum fide, morum, & diſciplinæ explicabitur, Si Doctor cum pertinacia aſſereret uſuram non eſſe peccatum, eſſet hæreticus: non eſſet vero hæreticus mercator qui amore pecuniæ uſuras exerceret. Et ratio eſt; quia Doctor peccaret contra canonem fidei, quo definitur uſuram eſſe peccatum; & mercator peccaret contra canonem morum, quo uſura interdicitur. Rurſus nec contra fidem, nec contra mores, ſed contra diſciplinam peccaret ignarus Parochus, qui publicum uſurarium eccleſiaſtica ſepultura non privaret, modo illud non factum ſit malitioſe. Et ratio eſt; quia Parochus nec fidei nec morum canonem, ſed canonem diſciplinæ violat. Quare ut hæc regula ad praxim reducatur, Doctor abſolvi non poſſet, niſi hæreſim retractaret: mercator, niſi damnum temporale repararet; parochus, niſi conſulto prius Epiſcopo noviſſet quomodo ſe in hoc caſu gerere deberet, Et ſic in aliis dicendum.

Qui autem dictos canones diſtinguere velit, uti debet gravi conſideratione, cum nihil difficilius ſit, quam diſtinguere exacte quinam ſint canones fidei, quinam morum, quinam diſciplinæ; dum ſæpe hæc tria in uno eodemque objecto conjuncta reperiuntur, puta in Baptiſmo ad fidem pertinet te ſcire baptiſmum rebus conſtare, materia nempe & forma, ſcilicet vera ac naturali aqua, quæ eſt materia, & verbis *ego te baptizo in nomine Patris &c.*





quæ ſunt forma. Ad mores, quod adultus non recipiat baptiſma niſi cum ſanctis diſpoſitionibus, & quod miniſter non illud conferat cum conſcientia peccati mortalis. Ad diſciplinam, quod Baptiſmus talibus ac talibus ritibus accidentalibus conferatur, qui ritus non ſemper iidem fuere.

Difficultas diſtinguendi inter canones fidei, morum, & diſciplinæ augetur a mutua eorumdem canonum ab invicem dependentia; quia regulæ diſciplinæ moralia præcepta determinant, & moralia præcepta fidem vivam reddunt: v. g. fides credendi Deum eſſe adorandum, niſi talis fides ad praxim reducatur per illud morale præceptum *memento ut diem ſabbati ſanctifices*, & præceptum hoc *ſabatbum ſanctifices* vagum eſt, niſi ad aliquem particularem Religionis actum determinetur, uti fit per eccleſiaſticum præceptum, quo jubetur ut eo die Miſſa audiatur, & divinis officiis ſiſtatur.

Ad hoc vero ut canones fidei, morum, & diſciplinæ diſtinguamus, opus eſt ut hæc tria attendamus: nempe 1. Symbolum Apoſtolorum, ut cognoſcamus canones fidei; 2. Præcepta Decalogi, per Evangelium expoſita, ut agnoſcamus canones morum. 3. Præcepta mere Eccleſiaſtica, ut canones diſciplinæ deprehendamus. Nam, ſicut antea jam notavimus, canones fidei non aliud ſunt, quam explicationes ampliores Symboli Apoſtolorum; Canones morum, uberiores expoſitiones Decalogi; canones diſciplinæ; certæ juris eccleſiaſtici applicationes. Igitur ſi velimus prædictos canones diſtinguere, oportet ut hæc tria attendamus. Et enim fiet nos dignoſcere canones fidei, ſi eos ad Symbolum comparaverimus: Sic apprehendemus canones morum, ſi cum Decalogi præceptis eos conferamus; tandem percipiemus canones diſciplinæ, ſi cum præceptis eccleſiaſticis comparaverimus. Diximus notanter *cum præceptis mere eccleſiaſticis*; quia, quando præcepta Eccleſiaſtica jubent quæ fidem reſpiciunt, vel imponunt quæ reſpiciunt mores, tunc vel ad fidem, vel ad mores ſpectant, & non ſecus ac præcepta fidei & morum, ipſa quoque præcepta eccleſiaſtica circa res hujuſmodi verſantia, ſunt invariabilia.

Ex dictis igitur colligitur 1. canones omnes, quibus ſtatuitur Deum unum eſſe in ſubſtantia, trinum in perſonis, cæteraque alia quæ in Symbolo continentur, ad fidem ſpectare; canones omnes explicantes præcepta affirmativa, vel negativa, quibus præcipiuntur actus interiores exterioreſve fidei, ſpei, charitatis & religionis circa hæc myſteria exercendi, ſeu actus vetantur hujuſmodi myſteriis adverſantes, ſunt canones ad mores ſpectantes, utpote qui ſint latiores ſeu uberiores expoſitiones illius Decalogi præcepti *Dominum Deum tuum adorabis*. Item canones omnes, quibus ſtabiliuntur dies feſti, & ſolemnitates circa Trinitatem, Incarnationem &c. canones ſunt diſciplinæ; quia non aliud ſunt quam Eccleſiaſtici præcepti explicationes.

Colligitur 2. omnes illos canones eſſe de fide, qui determinant Eccleſiam ſacram eſſe Rempublicam, non civilem ſeu politicam, ut pote non ab hominibus, ſed ab ipſo Deo fundatam inſtitutamve, ac conſiſtentem non in puris hominibus, ſed civibus ſacro baptiſmate initiatis, & Præſulibus, ideſt Epiſcopis, Sacerdotibus, Diaconibus per Sacramentum Ordinis conſecratis, cum hæc omnia pertineant ad articulum fidei *Credo ſanctam Eccleſiam*. Ita canones omnes ſtatuentes, quales diſpoſitiones ineſſe oporteat in iis qui in Eccleſia præſunt & ſubſunt, ſunt canones morum; quia ſunt ampliores explicationes illius præcepti Decalogi *Honora patrem tuum, & matrem tuam*. Regulæ item omnes quæ ordinant tempus, locum pro recipiendis ſacris Ordinibus, ſeu veſtes præſcribuntur quibus convenit ut clerici a laicis diſtinguantur, ſunt canones diſciplinæ.

Ita pariter canones omnes pertinentes ad Sacramentorum ſubſtantiam; v. g. quod homines nonniſi per Baptiſmum in Eccleſiam recipiantur, non corroborentur niſi per confirmationem, ac nonniſi per Euchariſtiam nutriantur hujuſcemodi canones ad fidem ſpectant, utpote qui ſint fuſiores explanationes articuli *Credo in remiſſionem peccatorum*; quo articulo ſignatur, homines juſtificari per ſacramenta, aut eorum votum. Quod vero Sacramenta recipienda non ſint ab adultis niſi cum ſanctis diſpoſitionibus, cum ſanctitate a Miniſtro & illo conſecrato conferantur, ad canones morum ſunt ſpectantia. Quod tandem Baptiſma non conferatur ſolemniter niſi in feſto Paſchatis, vel Pentecoſtes; quod Confirmatio datur immediate poſt Baptiſma, ut fiebat olim, vel in adulta ætate, uti nunc fit, ad meram diſciplinam pertinet. Ad fidem pariter pertinet non unum, ſed plures debere eſſe Epiſcopos Apoſtolorum ſucceſſores. Quod ſancta ordinatione conſecrentur; quo explicatur articulus *Credo ſanctam Eccleſiam catholicam*. Item ad fidem ſpectat quod Matrimonium ſit Sacramentum. Pertinet autem ad mores quod Epiſcopi vocati ſint a Deo, non intruſi, docti & non indocti, ſancti & non vitioſi, ita ut præminere debeant laicis ſanctitate, utpote qui Chriſti Domini vices, ſeu perſonam repræſentant; idcirco hoc canone explicatur locus ille *Sancti eſtote quoniam ego ſanctus ſum*. Sic ad mores pertinens eſt, quod Matrimonium habeat ea omnia, quæ ad eſſentiam contractus ſunt ſpectantia. Ad diſciplinam tandem pertinet extenſio major, vel minor Epiſcopalis Diœceſis, cum limites Epiſcopatuum creſcant & decreſcant pro arbitraria determinatione Eccleſiæ. Item quod Prælati inſtituti ſint modo ſorte, ut Matthias, modo ad preces Populi, ut

ſeptem Diaconi, modo electione, modo præſentatione, ut contingit in quibuſdam locis. Et reſpectu Matrimonii talia, vel talia impedimenta ad illius invaliditatem; cum hoc jure poſitivo ſit inductum. Patet igitur quod varietati quam pati poſſunt canones diſciplinæ quoad circumſtantias loci, temporis, perſonarum, non ſint ſubjecti etiam canones fidei & morum, utpote qui pertineant ad Decalogum, ideſt ad legem naturalem, ita ut ubique terrarum, & gentium ab omnibus generatim ſint admittendi.

Colligitur 3. canones fidei & morum ſic invariabiles eſſe quoad ſubſtantiam, ut nunquam factum ſit in illis variationem contigiſſe, niſi circa expreſſiones. Et ratio eſt; quia doctrinam fidei & morum non recipit Eccleſia ab hominum documentis, ſicut humanæ ſcientiæ, v. g. Phyſica quæ mutatur ſecundum varia quæ nobis objiciuntur phænomenorum experimenta; verum doctrinam fidei & morum recepit Eccleſia a Deo revelante, cujus infinitæ ſapientiæ nulla nova cognitio advenire poteſt: Et cum ſit immutabilis, nequit ſuis ſemel revelatis contradicere; ac ideo canones poſteriores fidei & morum poſſunt quidem priores explicare, minime vero prioribus derogare. Sic ex. c. unitas Perſonarum in divinis, quæ ante Synodum Nicænam exponebatur, quod Perſonæ eſſent quid unum, poſt eamdem Synodum, quod Perſonæ eſſent conſubſtantiales &c.

Colligitur 4. canones pariter diſciplinæ, prout habent explicare canones fidei, vel morum, cum ex hac parte ſpectent ad jus naturale, eſſe prorſus invariabiles, & ſolum variabiles eſſe poſſe quoad modum, quo, vel fidei exercitium determinant; vel præcepta Decalogi applicant ad praxim; dum ex hoc capite pertinent ad jus ſeu ad legem poſitivam. Sic canones quibus Eccleſia ſtatuit ſolemnitatem Feſtorum, jejuniorum auſteritatem &c. ea parte qua præcipiunt pietatem erga Deum, vel ſobrietatem in nobis ipſis, quia ſecundum tale munus pertinent ad jus naturale, variari nequeunt; variari quidem valent quoad modum celebrandi feſti, vel jejunia obſervandi; quia ſecundum talem reſpectum ſpectant ad jus poſitivum.

*Nota* I. Canones diſciplinæ, etiam ex illa parte qua variabiles ſunt, variandi non ſunt niſi publica Eccleſiæ authoritate, quæ vel etiam mutationem ſtatuat, vel juſtis de cauſſis permittat, minime vero authoritate privata; quia nulla lex authoritate privata mutari poteſt.

*Nota* II. Canones diſciplinæ tamdiu valere ſeu permanere in ſuo vigore, quamdiu Eccleſia ſtatuit novas pænas, vel ſtatutas innovat contra inobedientes, vel aliquid aliud adhibet ut vigorem eorum tueatur. Quare canones antiqui quibus diſciplina Monaſtica, & Cleri reformatio ſtatuitur circa ea quæ ſpectant ad ſubſtantiam votorum & eſſentiam Clericatus, nunc quoque ſuum habent vigorem, cum Tridentina Synodus antiquos canones innovaverit.

*Nota* III. Tunc canones diſciplinæ vigere deſinunt, quando Eccleſia contrariam legem ſtatuit, aut uſum contrarium non obſiſtendo permittit; quia tunc aut mutationem decernit, aut ſaltem eam tolerat. Sic præceptum recipiendi quater in anno Euchariſtiam, mutatum eſt a Concilio Lateranenſi can. *Omnes utriuſque ſexus* n præceptum ſumendi ſemel in anno. Sic jejunium non amplius viget in ſancto rigore, ſicuti quando fiebat hora tertia poſt meridiem, nec fiebat cœnula quæ nunc permittitur veſpere, & comeſtio ſeu prandium circa meridiem. Et hoc permittitur in Religionibus etiam ſtrictioribus. Sic pœnitentiæ peccatoribus olim per canones injungendæ, Eccleſia permittente, ad prudentiam Confeſſarii relictæ ſunt. Sic &c.





# TRACTATUS

## De uſu juris canonici & civilis, & de vero uſu Caſuiſtarum.

## DE JURE CANONICO.

### §. I.

### *Quid ſit Jus Canonicum.*

JUS Canonicum idem latine ſonat ac regulæ ex cap. can. diſt. 3. & tali nomine ſignificantur leges eccleſiaſticæ ad divinum cultum & ad ſupernaturalem finem pro animarum ſalute ordinatæ. Jus Canonicum aliud eſt ſcriptum, quod continetur in corpore Juris canonici; & eſt illud, quod proprie ſolet appellari jus canonicum, & fertur ab Eccleſiaſtico legislatore, qui plerumque leges ſuas per ſcripturam promulgare ſolet. Aliud non ſcriptum, & hoc eſt conſuetudo quæ longo uſu firmata non ſecus ac lex, ſeu jus ſcriptum vim habet obligandi.

Canon ſcriptus generice acceptus dividitur in canonem ſpecifice ſumptum, ſeu in ſignificatione minus ampla, in decretum, in epiſtolam, in Decretalem, in dogma, in mandatum, in interdictum & ſanctionem. Hæc diviſio fertur a Gloſſa in Decreto Gratiani diſt. 3. v. *Omnes*. Nomine canonis ſpecifice ſumpti, ſeu in ſignificatione minus ampla intelligitur Conſtitutio, ſeu lex edita a Concilio Generali. Decretum etiam ſpecifice ſumptum eſt Conſtitutio edita a Summo Pontifice nulla præcedente alicujus conſultatione. Epiſtola Decretalis dicitur Conſtitutio facta a Summo Pontifice ad conſultationem alterius ſcripto tranſmiſſa & publicata. Dogma eſt Conſtitutio doctrinalis circa fidem; mandatum Conſtitutio circa mores; Interdictum Conſtitutio aliquid prohibens, nulla certa pœna pro tranſgreſſoribus impoſita. Sanctio tandem per quam aliquid prohibetur, ut ſimul adjiciatur aliqua pœna tranſgreſſori. Omnes hæ Conſtitutionum ſpecies aliquando veniunt & confunduntur ſub uno eodemque canonis nomine. Canon denique alius dicitur extravagans, alius incluſus in corpore juris: hic dicitur omnis Conſtitutio, quæ repoſita eſt in voluminibus componentibus corpus juris canonici. Canon extravagans vocatur ea Conſtitutio, quæ nondum poſita eſt in dictis voluminibus; ſed quaſi extravagatur, quales ſunt Conſtitutiones Summorum Pontificum editæ poſt compilationem totius juris Canonici; quod nomen adhuc retinent quædam Conſtitutiones, quæ componunt librum Extravagantium intra corpus juris; quia tale nomen habuerunt, antequam eidem corpori adnecterentur.

Corpus Juris Canonici eſt Collectio canonum illorum ſeu regularum quibus Chriſtiani diriguntur vel ad divinum cultum exercendum, vel ad eorum ſupernaturalem finem aſſequendum. Corpus Juris canonici aliud eſt antiquum, aliud novum, aliud noviſſimum; & illud dividitur in commune omnibus Chriſtianis, & in particulare alicui nationi ſeu Genti. Corpus juris canonici antiqui illud eſt, in quo per varios authores canones collecti ſunt, quibus Eccleſia prioribus ſæculis per octingentos annos uſa eſt; & hoc conſtat variis Canonibus Apoſtolorum, nempe Conciliorum & Pontificum. Canones Apoſtolorum ſunt nonnulla præcepta, quæ Apoſtoli Epiſcopis & Presbyteris ad animarum curam, Eccleſiarumque gubernationem generatim pertinentia tradidere, quæ longo tempore hominum memoria conſervata tandem ſcriptis conſignata ſunt, licet authore ac tempore incertis. Unde nati ſunt Canones Apoſtolici ſeu Conſtitutiones Apoſtolicæ, quæ S. Clementi Papæ attribuuntur, tametſi eorum Apoſtolicorum Canonum authoritas non ſit omni exceptione major; quandoquidem diverſa diverſis temporibus illis additamenta appoſita ſunt. Canones antiqui Conciliorum ii ſunt qui in pluribus Conciliis priorum temporum editi fuere. Prioribus enim ſæculis plurium Civitatum Epiſcopi nonnunquam ad decidendas cauſſas majoris momenti ſimul convenere, quorum Congregationes Concilia vocabantur. Hæc tamen tribus prioribus ſæculis ob æſtus perſecutionum rarius agebantur; nonnulla tamen etiam ex difficillimis illis temporibus ad noſtram notitiam pervenerunt, veluti Concilia ſub Victore Papa habita de Paſchæ controverſia; Carthaginenſe ſub Agrippina Epiſcopo, cujus meminit Cyprianus Epiſtola 71., & alia plura, dum toties tales Conventus haberentur, quoties commode fieri poterant. Verum ex quo ſub Magno Conſtantino pax Eccleſiæ reddita fuit, frequentius ac meliori ordine facti fuere Epiſcoporum Conventus: ſub ipſo Conſtantini imperio celebrata fuere Ancyranum in Galatia anno 314. Neocæſareenſe in Ponto, quæ ſunt eorum, quorum



UNIVERSIDAD AUTÓNOM
DIRECCIÓN GENERAL D

ſeptem Diaconi, modo electione, modo præſentatione, ut contingit in quibuſdam locis. Et reſpectu Matrimonii talia, vel talia impedimenta ad illius invaliditatem; cum hoc jure poſitivo ſit inductum. Patet igitur quod varietati quam pati poſſunt canones diſciplinæ quoad circumſtantias loci, temporis, perſonarum, non ſint ſubjecti etiam canones fidei & morum, utpote qui pertineant ad Decalogum, ideſt ad legem naturalem, ita ut ubique terrarum, & gentium ab omnibus generatim ſint admittendi.

Colligitur 3. canones fidei & morum ſic invariabiles eſſe quoad ſubſtantiam, ut nunquam factum ſit in illis variationem contigiſſe, niſi circa expreſſiones. Et ratio eſt; quia doctrinam fidei & morum non recipit Eccleſia ab hominum documentis, ſicut humanæ ſcientiæ, v. g. Phyſica quæ mutatur ſecundum varia quæ nobis objiciuntur phænomenorum experimenta; verum doctrinam fidei & morum recepit Eccleſia a Deo revelante, cujus infinitæ ſapientiæ nulla nova cognitio advenire poteſt: Et cum ſit immutabilis, nequit ſuis ſemel revelatis contradicere; ac ideo canones poſteriores fidei & morum poſſunt quidem priores explicare, minime vero prioribus derogare. Sic ex. c. unitas Perſonarum in divinis, quæ ante Synodum Nicænam exponebatur, quod Perſonæ eſſent quid unum, poſt eamdem Synodum, quod Perſonæ eſſent conſubſtantiales &c.

Colligitur 4. canones pariter diſciplinæ, prout habent explicare canones fidei, vel morum, cum ex hac parte ſpectent ad jus naturale, eſſe prorſus invariabiles, & ſolum variabiles eſſe poſſe quoad modum, quo, vel fidei exercitium determinant; vel præcepta Decalogi applicant ad praxim; dum ex hoc capite pertinent ad jus ſeu ad legem poſitivam. Sic canones quibus Eccleſia ſtatuit ſolemnitatem Feſtorum, jejuniorum auſteritatem &c. ea parte qua præcipiunt pietatem erga Deum, vel ſobrietatem in nobis ipſis, quia ſecundum tale munus pertinent ad jus naturale, variari nequeunt; variari quidem valent quoad modum celebrandi feſti, vel jejunia obſervandi; quia ſecundum talem reſpectum ſpectant ad jus poſitivum.

*Nota* I. Canones diſciplinæ, etiam ex illa parte qua variabiles ſunt, variandi non ſunt niſi publica Eccleſiæ authoritate, quæ vel etiam mutationem ſtatuat, vel juſtis de cauſſis permittat, minime vero authoritate privata; quia nulla lex authoritate privata mutari poteſt.

*Nota* II. Canones diſciplinæ tamdiu valere ſeu permanere in ſuo vigore, quamdiu Eccleſia ſtatuit novas pœnas, vel ſtatutas innovat contra inobedientes, vel aliquid aliud adhibet ut vigorem eorum tueatur. Quare canones antiqui quibus diſciplina Monaſtica, & Cleri reformatio ſtatuitur circa ea quæ ſpectant ad ſubſtantiam votorum & eſſentiam Clericatus, nunc quoque ſuum habent vigorem, cum Tridentina Synodus antiquos canones innovaverit.

*Nota* III. Tunc canones diſciplinæ vigere deſinunt, quando Eccleſia contrariam legem ſtatuit, aut uſum contrarium non obſiſtendo permittit; quia tunc aut mutationem decernit, aut ſaltem eam tolerat. Sic præceptum recipiendi quater in anno Euchariſtiam, mutatum eſt a Concilio Lateranenſi can. *Omnes utriuſque ſexus* n præceptum ſumendi ſemel in anno. Sic jejunium non amplius viget in tanto rigore, ſicuti quando fiebat hora tertia poſt meridiem, nec fiebat cœnula quæ nunc permittitur veſpere, & comeſtio ſeu prandium circa meridiem. Et hoc permittitur in Religionibus etiam ſtrictioribus. Sic pœnitentiæ peccatoribus olim per canones injungendæ, Eccleſia permittente, ad prudentiam Confeſſarii relictæ ſunt. Sic &c.





# TRACTATUS

## De uſu juris canonici & civilis, & de vero uſu Caſuiſtarum.

## *DE JURE CANONICO.*

### §. I.

### *Quid ſit Jus Canonicum.*

JUS Canonicum idem latine ſonat ac regula ex cap. can. diſt. 3. & tali nomine ſignificantur leges eccleſiaſticæ ad divinum cultum & ad ſupernaturalem finem pro animarum ſalute ordinatæ. Jus Canonicum aliud eſt ſcriptum, quod continetur in corpore Juris canonici; & eſt illud, quod proprie ſolet appellari jus canonicum, & fertur ab Eccleſiaſtico legiſlatore, qui plerumque leges ſuas per ſcripturam promulgare ſolet. Aliud non ſcriptum, & hoc eſt conſuetudo quæ longo uſu firmata non ſecus ac lex, ſeu jus ſcriptum vim habet obligandi.

Canon ſcriptus generice acceptus dividitur in canonem ſpecifice ſumptum, ſeu in ſignificatione minus ampla, in decretum, in epiſtolam, in Decretalem, in dogma, in mandatum, in interdictum & ſanctionem. Hæc diviſio fertur a Gloſſa in Decreto Gratiani diſt. 3. v. *Omnes.* Nomine canonis ſpecifice ſumpti, ſeu in ſignificatione minus ampla intelligitur Conſtitutio, ſeu lex edita a Concilio Generali. Decretum etiam ſpecifice ſumptum eſt Conſtitutio edita a Summo Pontifice nulla præcedente alicujus conſultatione. Epiſtola Decretalis dicitur Conſtitutio facta a Summo Pontifice ad conſultationem alterius ſcripto tranſmiſſa & publicata. Dogma eſt Conſtitutio doctrinalis circa fidem; mandatum Conſtitutio circa mores; Interdictum Conſtitutio aliquid prohibens, nulla certa pœna pro tranſgreſſoribus impoſita. Sanctio tandem per quam aliquid prohibetur, ut ſimul adjiciatur aliqua pœna tranſgreſſori. Omnes hæ Conſtitutionum ſpecies aliquando veniunt & confunduntur ſub uno eodemque canonis nomine. Canon denique alius dicitur extravagans, alius incluſus in corpore juris: hic dicitur omnis Conſtitutio, quæ repoſita eſt in voluminibus componentibus corpus juris canonici. Canon extravagans vocatur ea Conſtitutio, quæ nondum poſita eſt in dictis voluminibus; ſed quaſi extravagatur, quales ſunt Conſtitutiones Summorum Pontificum editæ poſt compilationem totius juris Canonici; quod nomen adhuc retinent quædam Conſtitutiones, quæ componunt librum Extravagantium intra corpus juris; quia tale nomen habuerunt, antequam eidem corpori adnecterentur.

Corpus Juris Canonici eſt Collectio canonum illorum ſeu regularum quibus Chriſtiani diriguntur vel ad divinum cultum exercendum, vel ad eorum ſupernaturalem finem aſſequendum. Corpus Juris canonici aliud eſt antiquum, aliud novum, aliud noviſſimum; & illud dividitur in commune omnibus Chriſtianis, & in particulare alicui nationi ſeu Genti. Corpus juris canonici antiqui illud eſt, in quo per varios authores canones collecti ſunt, quibus Eccleſia prioribus ſæculis per octingentos annos uſa eſt; & hoc conſtat variis Canonibus Apoſtolorum, nempe Conciliorum & Pontificum. Canones Apoſtolorum ſunt nonnulla præcepta, quæ Apoſtoli Epiſcopis & Presbyteris ad animarum curam, Eccleſiarumque gubernationem generatim pertinentia tradidere, quæ longo tempore hominum memoria conſervata tandem ſcriptis conſignata ſunt, licet authore ac tempore incertis. Unde nati ſunt Canones Apoſtolici ſeu Conſtitutiones Apoſtolicæ, quæ S. Clementi Papæ attribuuntur, tametſi eorum Apoſtolicorum Canonum authoritas non ſit omni exceptione major; quandoquidem diverſa diverſis temporibus illis additamenta appoſita ſunt. Canones antiqui Conciliorum ii ſunt qui in pluribus Conciliis priorum temporum editi fuere. Prioribus enim ſæculis plurium Civitatum Epiſcopi nonnunquam ad decidendas cauſſas majoris momenti ſimul convenere, quorum Congregationes Concilia vocabantur. Hæc tamen tribus prioribus ſæculis ob æſtus perſecutionum rarius agebantur; nonnulla tamen etiam ex difficillimis illis temporibus ad noſtram notitiam pervenerunt, veluti Concilia ſub Victore Papa habita de Paſchæ controverſia; Carthaginenſe ſub Agrippina Epiſcopo, cujus meminit Cyprianus Epiſtola 71., & alia plura; dum toties tales Conventus haberentur, quoties commode fieri poterant. Verum ex quo ſub Magno Conſtantino pax Eccleſiæ reddita fuit, frequentius ac meliori ordine facti fuere Epiſcoporum Conventus: ſub ipſo Conſtantini imperio celebrata fuere Ancyranum in Galatia anno 314. Neocæſareenſe in Ponto, quæ ſunt eorum, quorum



UNIVERSIDAD AUTÓNOM
DIRECCIÓN GENERAL D

rum canones ſuperſunt, antiquiſſima Concilia. Ejuſdem Imperatoris auſpiciis coactum fuit anno 325. Nicææ in Bithynia Concilium Oecumenicum primum, ad quod omnes Epiſcopi Orbis convenere. Nicænum ſecuta ſunt tria particularia, ſcilicet Antiochenum anno 341. Laodicenſe in Phrygia anno 370. & anno 371. Gangrenſe in Paphlagonia, quorum canones maximi habebantur. Tandem anno 381. habitum fuit Conſtantinopoli Oecumenicum ſecundum.

Horum, ſeptem Conciliorum, nempe duorum Univerſalium & quinque particularium canones in unum corpus collecti ſunt, quod appellatum fuit *Codex* canonum Eccleſiæ Univerſalis, quo conſtat uſum fuiſſe Concilium Chalcedonenſe, cujus canon primus generatim comprobatur. Huic Codici acceſſere canones Concilii Epheſini Oecumenici tertii habiti anno 430. & Chalcedonenſis Oecumenici quarti celebrati anno 440. Item Canones 50. Apoſtolorum, & Canones Concilii Sardicenſis celebrati anno 347. a pluribus Eccleſiis pro continuatione Concilii Nicæni, adjecti fuere huic Codici.

Omnes iſti canones græca lingua concepti fuere. Verum in Eccleſia Occidentali retenta fuit antiqua verſio latina, cujus author incertus eſt. Hæc vetus compilatio adhibita fuit in Concilio Chalcedonenſi in Eccleſia Romana uſque ad ſubſequens ſæculum, nec per Galliam & Germaniam uſque ad ſæculum nonum aliam compilationem noverunt. Denique Dionyſius dictus Exiguus, qui anno 530. Romæ vixit, novam verſionem, eamque multo fideliorem adornavit, cui addidit omnia, quæ tunc temporis in Græco Codice continebantur, nempe 50. Canones Apoſtolorum, Canones Conciliorum Chalcedonenſis, Sardicenſis, Carthaginenſis & nonnullorum aliorum, quæ habita fuere in Africa. Item collegit idem Dionyſius Decretales Epiſtolas Pontificum, ideſt a Syricio, qui obiit anno 398. uſque ad Anaſtaſium II. qui deceſſit anno 498. Appellabantur enim *Decretales* Epiſtolæ, quibus Pontifices ab Epiſcopis conſulti decidebant momenta diſciplinæ, quæ Canonum loco habebantur, non ſecus ac Græci his æquiparabant Decretales Dionyſii Alexandrini, Gregorii Thaumaturgi, Baſilii Magni ad Amphilochium Epiſtolas.

Authoritas Compilationis Dionyſianæ tantæ fuit æſtimationis, ut Eccleſia Romana ea deinceps ſemper uteretur ſub appellatione *Corporis Canonum*; & hæc Compilatio uſque ad Caroli Magni tempora etiam in Gallia ſola agnita fuit. Extitit in Eccleſia Africana Codex Canonum collectus maxima ex parte ex Conciliis habitis tempore S. Auguſtini. Quod fecit Romæ Dionyſius Exiguus, hoc idem præſtitit in Hiſpania Martinus Bracarenſis Epiſcopus, qui floruit anno 570. cum hic Compilationem Canonum ediderit ſecundum Orientales, quibus nonnullos canones adjunxit Conciliorum, quæ habita fuere in Hiſpania. Hæc pauca præcepta quæ Jus antiquum appellantur, univerſæ Catholicæ Eccleſiæ per octo ſæcula ſatis fuere.

Jus Canonicum antiquum non aliter citari ſolet quam citantur Patres aut Concilia e quibus extractum eſt; puta ſi citandus ſit canon Concilii Neocæſarcenſis, vel Syricius Papa de Diaconis non ordinandis ante annum trigeſimum incœptum, ſic loca illa citantur *Concil. Neocæſar.* canon. 2. *Syric.* epiſtola 1. quæ duo reperiuntur in Dionyſii Exigui Collectione.

Corpus juris canonici novum illud eſt, quo hodie Scholæ & Forum utuntur; & collectio juris canonici novi habetur in volumine quod corpus canonicum nuncupatur. Hoc autem corpus canonicum conſtat Decreto Gratiani, quinque libris Decretalium, ſexto Decretalium, Clementinis, Extravagantibus Joannis XXII. & Extravagantibus communibus.

Decretum Gratiani dicitur volumen a Gratiano Monacho Ordinis S. Benedicti compilatum, cui Operi doctas Gloſſas nonnulli addidere. Continet hoc volumen præter Decreta Conciliorum & Summorum Pontificum, quæ vim canonis habent, plurima alia vel ex SS. Patribus vel ex aliis Interpretum fragmentis, vel etiam ex jure civili petita; unde orta eſt controverſia inter Doctores, num omnia tranſlata in hoc volumen canon cenſeri debeant.

Decretum hoc Gratiani dividitur in tres partes, quarum prima continet 101. diſtinctiones in plures canones ſeu capita excepta qu. 3. cauſ. 33. quæ continet tractatum de pœnitentia in 7. diſtinctiones per canones ſeu capita diviſum. Denique tertia pars Decreti continet quinque diſtinctiones diviſas in canones ſeu capita agentia de conſecratione.

Secunda pars corporis Juris Canonici eſt volumen Decretalium, quæ dicuntur Gregorii IX. quia illius juſſu collectæ ſunt ex variis Reſcriptis, Conſtitutionibus ſummorum Pontificum, Conciliorum Decretis per S. Raymundum de Pennafort Ordinis Prædicatorum Cappellanum, & Pœnitentiarium ejuſdem Pontificis, cujus voluminis Gloſſator eſt Bernardus Parmenſis. Dividitur autem in quinque libros continentes Titulos & capita, in quorum primo agitur de Miniſtris Eccleſiæ eorumque electione, ordinatione, officiis uſque ad Titulum 34. ac deinde ſub finem ejuſdem libri ſubnectuntur principia judiciorum. In ſecundo libro agitur de jure, quod præcipue eſt via judiciaria. In tertio libro de Clericis, necnon de quibuſdam, quæ ſunt Clericis laicisque communia. In quarto de Sponſalibus & Matrimonio. In quinto de criminibus & pœnis. Quæ omnia breviter indicantur veteri illo verſiculo quinque vocibus con-

ſtan-



ſtante, quæ totidem libris Decretalium correſpondent.

*Judex, Judicium, Clerus, Sponſalia, Crimen.*

Tertia pars corporis Juris Canonici eſt Sextus Decretalium juſſu Bonifacii VIII. compilatus opera & ſtudio Guillielmi Archiepiſcopi Ebredunenſis, Berengarii Epiſcopi Bicterenſis, & Richardi de Senis S. R. E. C. Vice Cancellarii, ex pluribus Pontificum Reſcriptis, Decretis Conciliorum, quæ emanarunt poſt editum volumen Decretalium antiquarum Gregorii IX. cujus Operis Gloſſator eſt Joannes Andreas Bononienſis. Appellatur Sextus, quia additus fuit quinque antiquioribus libris Decretalium Gregorii, licet ipſe quoque dividatur in quinque libros continentes ſimiliter titulos ex Decretalibus Gregorii deſumptos, & capita.

Quarta pars corporis juris canonici ſunt Clementinæ & volumen Extravagantium. Primæ ſunt Conſtitutiones Clementis V. editæ in Concilio Viennenſi, quibus Gloſſas appoſuit prædictus Joannes Andreas, ac ſimiliter partitæ ſunt in quinque libros continentes titulos ex Decretalibus Gregorii excerptos & capita.

Volumen Extravagantium ſubdividitur in duas partes, in quarum prima continentur Extravagantes Joannis XXII. quibus Gloſſas addidit Zenzelinus de Caſſanis. In altera autem ſunt Extravagantes diverſorum Pontificum poſt Sextum emanatæ; quibus Gloſſas adjunxere Joannes Monachus, Guillelmus de Monte Laudano, & Joannes Franciſcus de Pavinis.

Iſtæ ſunt partes ex Pontificia authoritate receptæ quæ componunt corpus juris. Conſtitutiones aliæ Conciliorum, & Summorum Pontificum emanatæ poſt illarum omnium compilationem, vim etiam Canonum habent, & dici poſſunt Extravagantes; quia quodammodo vagantur extra corpus juris canonici, nec adhuc niſi privata authoritate in unum compilatæ, & hujuſcemodi Extravagantes vocantur ab aliquibus Jus Canonicum noviſſimum, de quo infra.

Totum corpus hoc juris canonici componitur partim ex ſacrarum Literarum præceptis, partim ex Conciliorum & Summorum Pontificum Conſtitutionibus, partim ex SS. Patrum ſententiis, partim ex aliquibus ſtatutis juris civilis, cum hac tamen differentia, quod præcepta ſacrarum Literarum, Decreta Conciliorum quæ approbata ſint, Conſtitutiones ſummorum Pontificum, habeant per ſe vim legis Eccleſiaſticæ. Et talem vim acquirunt SS. Patrum ſententiæ, quæ tranſlatæ ſint in Decretalium volumina & a Summo Pontifice approbatæ; quod tamen illis non competit niſi quatenus mediante tranſlatione & approbatione Pontifex eas ſuas facit. Statuta vero legum civilium ſecundum ſe licet obligent, ac obſerventur etiam in foro Eccleſiaſtico ſuppoſito quod neque canonicis Decretis, neque bonis moribus adverſentur ex cap. 1. *de novi operis nuntiatione* juncto cap. 1. & 5. aliiſque diſtin. 10. tamen vim non habent ea nominis Eccleſiaſtici niſi prout in aliquam Conſtitutionem Eccleſiaſticam tranſlata ſunt & aſſumpta a Summo Pontifice tamquam ſua juxta illud Juſtiniani in *l.* 1. cap. *de veteri jure enucl.* cui conſonat cap. 22. *ſi Apoſtolicæ* 22. *de præbend. in* 6.

Circa vero Decreta Conciliorum diſtinguendum eſt inter Decreta Conciliorum Generalium quæ, ſi Concilium a Summo Pontifice approbatum ſit, habent per ſe vim canonis univerſalis, ſive incluſa ſint in corpore juris ſive non, & Decreta Conciliorum particularium, quæ cum ſecundum ſe ſint canones particulares, eam tantum obligant Diœceſim ſeu Provinciam pro qua particulare Concilium congregatum fuit, niſi tamen a Summo Pontifice aſſumpta ſint, & facta tanquam ſua, ut ſua illa fecit, quæ inſerta ſunt in libris Decretalium juxta illud effatum: *Omnia noſtra facimus quibus authoritatem noſtram impartimur.* Et ratio eſt; quia vis & extenſio legis dependet a vi & extenſione juriſdictionis, cum extra territorium juſdicenti impune non obediatur; idcirco vis canonis univerſalis procedere nequit, niſi ab eo qui juriſdictionem habet univerſalem per totam Eccleſiam, cujuſmodi ſunt Concilium Generale & ſummus Pontifex.

Jus novum ſua ſigna habet quibus citari ſolet. Hinc ad tales citationes dignoſcendas iſta advertenda ſunt, ideſt quoties in libro qui legitur, inveniuntur hæc ſigna *can.* vel *c. diſt.* tali puta 5. adeunda eſt pars 1. Gratiani quæ, ut vidimus, complectitur 101. diſtinctiones. Si reperiatur *can.* vel *cap.* 12. cauſ. 3. tunc adeunda eſt ſecunda pars ejuſdem Gratiani quæ cauſſas triginta ſex complectitur. Et ſi reperiatur *diſt. de pœnitentia* trigeſima cauſa adeunda, ubi habentur diſtinctiones 7. *de Pœnitentia.* Si inveneris *can.* vel *cap. diſt. de conſecrat.* conſulenda eſt pars tertia Gratiani, in qua ſunt quinque diſtinctiones *de conſecratione.*

Quando autem inveniuntur hæc ſigna *can.* vel *cap.* de tali materia v. g. *de feriis*, &c. tunc adeundæ ſunt Decretales quæ continent quinque libros, & liber quilibet certos titulos, & quilibet titulus certa capita.

Quoties vero inveniuntur hæc ſigna, nempe *can.* vel *cap.* ex gr. *de feriis*, & inſuper hæc nota in 6. aut in 7. recurrendum eſt ad Sextum Decretalium, qui Sextus vocatur, quia additus quinque libris Decretalium.

Si reperiantur hæc ſigna, vid. *cap.* vel *can.*



cum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cum addito *Clement.* tunc conſulendæ ſunt Clementinæ.

Si autem hæc ſigna occurrant v. gr. *can.* vel *cap.* de tali materia, puta *de Feriis*, cum addito Extravag. 22. tunc adeundæ Extravagantes Joannis XXII., ſi vero additum dicat *Extrav. commun.* tunc recurrendum ad Extravagantes comunes.

Et ut facilius inveniantur citationes librorum juris canonici, recurrendum eſt ad indicem qui poſitus eſt in fine cujuſque libri, ubi habentur primæ voces canonis, ideſt voces quibus canon incipit, cum additione diſtinctionis canonis, & capitis & numeri paginæ, in quo canon habetur v. g. cit. canon *Presbyter*, adi indicem libri canonici, & quære verbum Presbyter; & ſi citet cum alio addito, quæratur hoc vocabulum in indice, donec illud invenias cum tali addito v. gr. dicet ſcripto afferens canonem hoc habetur can. *Presbyter* 2. diſt. 91. & extra cap. *dolentes* 9. *de celebr. Miſſæ*; & ſi error cauſa Typographi eſſet in pagina, recurre ad 2. diſt. Gratiani, & can. 91. & ſic in aliis qui habent titulos, quæratur titulus de tali materia; & ſic in caſu erroris in citatione paginæ invenies quod quæris; & ut facilitas comparetur inveniendi in indice canones vel capita, opus eſt ſe exercere in tali indice in exquirendis canonibus, vel capitibus, quæ in indice citantur.

## §. II.

### *De Jure canonico noviſſimo & quomodo citetur.*

Præter jus novum habetur inſuper Jus canonicum noviſſimum, & eſt illud quod coaleſcit ex variis legibus Eccleſiaſticis quæ inſtitutæ ſunt a tempore Joannis XXII. a quo facta fuit collectio Extravagantium. Hujuſcemodi autem leges continentur vel in Conciliis, in quibus ſtatutæ fuere, nempe in Baſilienſe, Conſtantienſe, Florentino & Tridentino, vel in Bullario in quo exponuntur Conſtitutiones omnes ſummorum Pontificum. Jus vero noviſſimum non aliter citari ſolet quam citentur Concilia vel Bullæ Pontificum. Hinc quando citantur Concilia, hæc quærenda ſunt in Summa Conciliorum; & cum citatur aliqua Conſtitutio Summi Pontificis, illa Conſtitutio quærenda eſt in Bullario.

## §. III.

### *De Jure non ſcripto, ſeu de conſuetudinibus.*

Jus non ſcriptum, ſeu conſuetudo eſt jus quoddam moribus ſeu ex longo, & communi aut fere communi uſu inſtitutum, quod pro lege ſuſcipitur. Magna eſt vis conſuetudinis in Eccleſia, ſi laudabilis ſit, ideſt non opponatur juri naturali vel divino, & rationabili cauſa introducta, longo uſu, Paſtorum Eccleſiæ conſenſu, vel ſaltem his ſcientibus invaluit, ut ipſam a canonum obſervantia excuſet, cum ipſis deroget. Maxima vis conſuetudinis cernitur in ritibus, hoc eſt in ratione precum publicarum, in adminiſtratione Sacramentorum, obſervatione feriarum, jejuniorum, &c. Cum enim Chriſtiana Religio de interioribus actibus mentis humanæ ſolicita ſit, in exterioribus Chriſtianorum ſemper libertas fuit, tutiſſimum eſt, ut ſuum unaquæque Eccleſia morem ſequatur, niſi quid habeat quod univerſalis Eccleſiæ doctrinæ repugnet; & conſtans perſeverantia ac ſtudium Eccleſiæ Gallicanæ antiquas ſuas laudabiles conſuetudines ſervandi eſt illud, quod vocatur libertas Eccleſiæ Gallicanæ.

## §. IV.

### *De modo utendi jure canonico in reſolvendis caſibus conſcientiæ.*

Jus Canonicum cum coaleſcat ex variis Scripturæ textibus, ex variis Sanctorum Patrum ſententiis, & ex variis Conciliorum canonibus, ac ſummorum Pontificum decretis; hinc totum ſuum robur mutuatur ex locis, quibus conſtituitur. Quare qui uti velit jure canonico ad caſuum moralium deciſionem, attendat quid excipiat ex jure canonico, videlicet num textum Scripturæ aut Patrum authoritatem, aut canones Conciliorum, aut decreta ſummorum Pontificum. Si ſumat ex jure canonico Scripturas, eas ſervet regulas, quas initio ſtatuimus de locis moralibus agendo ſervandas eſſe circa Scripturas.] Si Canones extrahat, leges obſervet quas ibi pariter circa Concilia viſum eſt ſervandas præſcribere. Et ſic dicito circa authoritatem alicujus Patris vel Decretum Pontificis in quolibet ex his a jure canonico mutuando.

# De Jure civili.

## §. V.

### *Quid ſit Jus civile.*

JUS civile eſt collectio legum earum, quibus diriguntur homines in Reipublicæ bonum.

Et tot ſunt genera juris civilis quot ſunt Rerumpublicarum conditiones; ſed Jus Romanum longe cæteris præfertur; idcirco de hoc ſolo hic agitur. Jus civile ſeu Romanum duplex eſt, antiquum & novum. Jus civile Romanum antiquum eſt illud quod conſtat ex Codice Hermogeniano, Gregoriano & Theodoſiano. Jus civile novum illud eſt, quod conſtat



ex his libris qui in Scholis explicari ſolent, & integrum corpus Juris civilis conſtituunt.

Corpus autem Juris civilis ſic ordinatur. I. Occurrunt quatuor libri Inſtitutionum: quilibet horum ſuos habet titulos, & quilibet titulus ſuos paragraphos. II. Occurrunt Pandectæ ſeu libri quinquaginta Digeſtorum, in quibus collecta ſunt juſſu Imperatoris Juſtiniani 534. judicia ſeu deciſiones celebriorum veterum Juriſconſultorum ſuper totidem occurrentes quæſtiones in lege civili, quibus Imperator vim legis dedit. Vulgatum fuit hoc opus ſub nomine Digeſti, ideſt recto ordine diſpoſitum. Conſtituit primam partem legis Romanæ; & eſt primum volumen corporis juris civilis. Tranſlatum fuit in Græcum ſub eodem Imperatore, & Græco nomine vocatur Pandectæ. Citari ſolet duplici ff. ratione nominis græci Pandectæ quod tali figura abbreviabatur ππ quod Latini ex errore acceperunt pro duplici ff. III. Occurrunt duodecim libri Codicis, quilibet quorum habet ſuos titulos, & quilibet titulus ſuas leges. IV. Occurrunt Novellæ, ideſt novæ leges diverſorum. V. Feudorum Conſtitutiones. VI. Extravagantes.

## §. VI.

### *De modo, quo citari ſolet jus civile.*

Ut ſciatur quomodo citari ſoleat Jus civile, operæ pretium eſt notas librorum indicare, quæ ſunt hujuſmodi, ideſt ita libri Signantur.

I. Denotat Inſtitutiones ſeu librum Inſtitutionum.
C. Codicem.
N. Novellas.
E. Edicta Juſtiniani Imperatoris.
N. J. Novellas Juſtiniani.
C. T. Conſtitutiones Tiberii.
C. J. J. Conſtitutiones Juſtiniani Juſtiniani.
L. Leonis Novellas.
C. I. Conſtitutiones Imperiales.
F. Feudorum Conſuetudines.
Ex. Extravagantes.

Et ut in praxi res melius deprehendatur, hic exponuntur modi quibus varii libri Juris civilis citantur. Invenies v. g. Inſtit, libr. 3. t. 16. §. 2. *de verbor. oblig.* hic eſt ſenſus citationis: Inſtitutionum libro tertio titulo decimo ſexto paragrapho ſecundo de verborum obligationibus; & ſic aliæ citationes ſequentes intelligendæ ſunt, ſicuti hic infra explicantur, ut l. 42. ff. *de verbor. obl.* ideſt Lege quadrageſima ſecunda Digeſtorum ſeu Pandectarum tit. de verborum obligationibus; idcirco quærendum eſt in quo libro ſit hic titulus: lib. 4. *de obl. & act.* ideſt lege quarta c. ideſt Codicis de obligationibus & actionibus, & hic pariter quærendus eſt liber in quo ſit ille titulus. Nov. 7. c. 3. §. 2. ideſt Novella ſeptima capite tertio paragrapho ſecundo, §. fin. & in tit. in quib. mod. feud. amitt. ideſt paragrapho finali, & titulo in quibus modis feudum amittatur. Sed pro faciliori notitia ut hæc inveniantur, ſicuti diximus, in voluminibus juris canonici, in libris pariter juris civilis habetur index alphabeticus primæ vocis cujuſcunque legis, quæ vel in Digeſtis, vel in Codice, vel in aliis libris reperitur; & non ſecus ac in indice voluminum juris canonici, in codice quoque juris civilis deſignantur liber, titulus, pagina, in qua reperitur canon vel capitulum legis, cujus citatur initium. Idcirco volens ſibi comparare expeditam facilitatem inveniendi juris civilis citationes, legat indicem, & in quærendis illis legibus ſe exerceat.

DIS-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

*INNOVA DIES NOSTROS SICUT A PRINCIPIO.* Lam. Jer. V. 21.



# DISSERTATIO PROOEMIALIS DE HUMANIS ACTIONIBUS,

## AC DE PRÆCIPUIS ALIIS MORUM MATERIIS.

SCripturo mihi de Rebus Moralibus, quæ ſunt per ſeſe maximi momenti; ſimulque præſenti noſtra ætate plurimis diſceptationibus (neſcio quo fato) obnoxiæ ſatius videtur *aliena verecunde diſcere, quam mea impudenter ingerere*; quod olim D. Hieronymus Paulino reſcribens commendabat in Platone, qui cum *Athenis magiſter eſſet, Provincias laborioſiſſime peragravit, ut alienæ Sapientiæ Diſcipulus fieret*. Hanc ob cauſſam ex gravibus, probatiſque Auctoribus non niſi certa, aut vero proximiora conatus ſum decerpere, atque in unius quaſi corporis formam coaptare, quæ deinceps magis enarrando quam diſputando proferam, ſeu ipſorummet verbis, ſeu dictionibus conſimilibus, prout commodior erit occaſio. Perſpicuitatis gratia Diſſertationem iſtam partior in Articulos quinque. *Primus* conſtabit ex generalibus Prænotionibus, a quibus auſpicandum Moralium Rerum ſtudium. *Secundus* Actionum Humanarum naturam, diviſionem, ſeriem patefaciet. *Tertius* Voluntarium, ac Liberum explanabit. *Quartus* Involuntarium, ejuſque cauſſas ſingulas evolvet. *Quintus* actionum Moralitatem tum univerſim tum ſpeciatim ediſſeret. Huic autem labori ut Numen Divinum ex alto adſpiret propter Nominis ſui gloriam, quæ unice mihi cordi eſt, ſubmiſſe & devote precor.

### ARTICULUS PRIMUS.

*De Prænotionibus Generalibus.*

*1. Deus hominem initio creavit ob finem ſupernaturalis gloriæ.*

1. SUmme providens Deus, qui rebus omnibus abs ſe creatis peculiarem conſtituit finem illarum naturæ & facultati attemperatum, principio Hominem cum efformaret corpore organico, & animo intellectuali conſtantem, ſuaque inſignitum Imagine, eumdem elevavit ad finem omnium ſublimiſſimum ac perfectiſſimum, videlicet ad Beatitatem in Cœlis aſſequendam; quæ cum in ipſius ſummi Dei intuitiva viſione, & amore fruitivo conſiſtat, omnem prorſus rationalis hominis appetitionem cumulate explere, atque æternum ſatiare valet.

2. Honeſtæ *actiones hujus temporalis vitæ ſunt media neceſſaria obtinendæ felicitatis.*

2. Siquidem vero omnis ordinate volens, quotieſcumque finem aliquem aut ſibi aut alteri agenti ſibi ſubdito præfigit, media quoque ad finem conducentia diſponit, ac parat; idcirco Deus homini ſic condito, & elevato rectam in hoc ſæculo vivendi rationem præſcripſit ex ſupernæ Beatitatis ceu finis ultimi contemplatione dimetiendam moderandamque, ut ea accurate ſervata, in præſenti etiam vita initialem quamdam felicitatem prægustaret, ac deinceps ad aliam translatus vitam completa felicitate jugiter perfruiturus conquieſceret.



*3. Homo, a fine ſupernaturali peccando aberrans, ad eumdem erigitur beneficio Redemptionis Chriſti.*

3. Sapienter, benigne, ac ſplendide hæc omnia Deus Optimus Maximus. Aſt homo poſt brevem tam fauſtis auſpiciis inchoatæ lucis uſuram a præſtituta ſibi norma agendi turpiſſime defecit, arbitrio ſuo libero mandatum Divinum tranſgreſſus. Unde (quæ juſta fuit inobedientiæ multatio) confeſtim & nativarum virium debilitationem ſenſit, & gratuitorum donorum jacturam ſubiit, & cœleſtis gloriæ conceptam ſpem amiſit. Quis crederet? dejectum, denudatum infirmatumque *Miſericors* jam Deus relevavit, ſanavit, ornavit, æterna Unigeniti Filii ſui *Redemptione inventa*.

*4. Reparato homini rurſus præſcripta actionum honeſtas pro exequendo fine ultimo.*

4. Ita tamen idem, qui antea (Chriſto Jeſu humanam Progeniem collapſam reſtaurante, & inſtar Agni ab origine mundi occiſi per ſanguinem ſuum pacificante ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt) propoſitus homini beatiſſimus Finis, ut, priſtino decreto *invariato*, ſciret ſe conſtringi ad comparandam repromiſſam felicitatem continuata honeſtarum ſanctarumve actionum ſerie, quæ & rationali ejus naturæ forent conſentaneæ, & cæleſtium Legum præſcripto apprime conformes, ſicque acerrimæ luctæ deſtinari, jugiter in hoc ſæculo ſuſtinendæ adverſus inordinatos rebellis concupiſcentiæ motus.

*5. Ad honeſte vivendum adjuvatur homo* Morali Scientia, *præter reliqua ſubſidia divinitus præſtita.*

5. Clementiſſimi Numinis beneficio proviſum eſt, ut reſtauratus tam mirabiliter homo, præter alia plurima adminicula ad proficiendum in tanto negotio, peculiari informaretur Diſciplina, quæ moribus ejus ad veram, ſolidamque felicitatem componendis deputata cum ſit, tota quanta eſt, *Moralis* nuncupari conſuevit. *Moralis* voce hoc in loco intelligimus *actiones humanas*, quæ *conſulto, & deliberate* fiunt; non tantum animorum noſtrorum propenſiones, vel agendi conſuetudines, vel pacta, inſtituta, leges. Harum enim rerum omnium hic ei dumtaxat habetur ratio, quam exigit illarum influxus in humanas actiones.

*6. Indicantur* objectum finis & officium *moralis ſcientiæ.*

6. Ex prænotatis cuilibet pronum erit conjicere iſtiuſmodi Diſciplinæ objectum, finem, officium. *Objectum* eſt ratio ſummi Boni adipiſcendi; eaque cum ſita ſit in honeſtis actionibus ab homine producendis ad rectæ rationis normam, hinc conſequens eſt, ut Scholaſtico loquendi genere actiones vere humanæ dicantur *materiale* objectum, *formale* vero honeſtas in ipſas inducenda. *Finis* eſt comparare homini felicitatem numeris omnibus abſolutam, quæ ejuſdem ſummi Boni poſſeſſionem complectitur, ſicque ſtatum hominis efficit omnium bonorum aggregatione perfectum. *Officium* denique ſeu munus eſt certis quibuſdam præceptionibus humanas actiones regere, & ad virtutem accommodare, quo ſcilicet invenire poſſint legitimum medium aſſequendi Bonum ſummum.

*7. Notatur duplex finis,* proximus, & ultimus, *facultatis moralis.*

7. Duplicem itaque finem Morali Diſciplinæ propoſitum agnoſcimus: *proximum* unum, qui eſt morum ſeu actionum honeſtas; alterum *ultimum*, qui ſuprema felicitas eſt, ex quo ſimul intelligimus, tria hæc promiſcue uſurpari, *Beatitudinem, Finem ultimum, Summum Bonum*. Eximia ſane, ac peculiaris iſtius Diſciplinæ dos, quod intimo ſuo fine haud contenta ad externum quoque cumque ſummum excurrat. In reliquis quippe Artibus cum geminus pariter finis ſecerni queat, unus qui eſt ipſum opus conficiendum, alius qui eſt extra ipſas artes tamquam operis finis; compertum eſt, nulli artium curæ eſſe poſteriorem finem: ut jamdiu apud Sextum Empiricum (*Lib. cont. Eth.*) notavit Metrodorus iis verbis: *nulla rerum peritia ſuum finem conſiderat.*

*8. Summa præſtant ia Moralis diſciplinæ, cui ſerie operam dare noſtra plurimum intereſt.*

8. Exinde autem tria prono velut alveo fluunt. 1. Maximam eſſe Diſciplinæ Moralis dignitatem, utilitatem, neceſſitatem, quæ in id recta tendit, quod hominem perficere, ac beare valet. 2. Mirandum, omnes homines beatos eſſe cupere, & tamen eidem, uti par eſt, addiſcendæ excolendæque admodum paucos vacare ex eorum quoque cœtu, qui latina ſciunt, ſacris operantur, ac etiam exoticæ eruditionis olent unguenta. *Quæ dementia* (inquiebat Seneca ad Lucilium ſcribens) *ſupervacua ſectari in tanta temporis inopia!* 3. Cum velut antonomaſtice *Practica* vocetur ſcientia neminem ei rite incumbere, niſi qui ipſam, ut Tullii verbis utar (*Lib. 2. Tuſcul. Quæſt.*) *non oſtentationem ſcientiæ, ſed legem vitæ putat*, & illuc præterea ſpectat, ut ſolidam ac perennem ſibi paret felicitatem.

*9. In præſenti Opere deſignatur nomine* Diſciplinæ Moralis, *non Ethica pura, ſed Theologia* Moralis.

9. Porro *Diſciplinam Moralem* dum toties hic nomino & commendo, ne quis Philoſophiam Practicam ſive Ethicen præciſe intelligat, exerte admoneo, ſed potius ſibi perſuadeat, Theologiam Moralem Chriſtianam deſignatum iri: quæ quidem,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

dem; ubi pro dignitate ſua traditur, quidquid bonæ frugis in illa prius a'erat, proprio ſinu jam complectitur, ac multum itidem continet, quod illa ignorabat. Quamquam ambæ facultates in eadem *Moralis* nomenclatura conveniant, eo quod moribus humanis ad honeſtatem dirigendis præſideant, ſubindeque homini beando intendant; re tamen ipſa inter ſe valde diſcriminantur, ac poſterior priori tantum dignitate prævalet, quantum cæli terræ anteſtant. Quocirca eo, quo par eſt, moderamine admittenda quotquot, vel de Morali Philoſophia apud vetuſtos Scriptores Ethnicos, vel de Naturali Juriſprudentia apud noviſſimos Proteſtantes Auctores, leguntur prolixa & exaggerata nimis encomia.

*10. Diſcrimen triplex inter Philoſophiam, & Theologiam Moralem.*

10. Quod inter Ethicam, ſive Juriſprudentiam naturalem, atque Theologiam Moralem ſtatuimus diſcrimen, non unicum aut leve illud eſt, ſed multiplex, & notabile. Illa ſiquidem omnem *honeſti*, & *inhoneſti* ideam nonniſi ex naturalis rationis dictamine deducit. Hæc vero ex regulis ſuperioribus Doctrinæ divinitus, hoc eſt per Sacram Scripturam, ſeu per Traditionem Eccleſiaſticam, revelatæ potiſſime haurit. Illa pro fine felicitatem reſpicit naturalem, & concluſam præſentis vitæ ambitu; Hæc ad ſupernaturalem, atque æternam beatitatem collimat. Illa ſuis placitis *hominem* format; Hæc præceptionibus ſuis *Chriſtianum* inſtituit. Itaque quod ſpecie tenus illa mortalium generi promittit; hæc ſolum reapſe præſtat.

*11. Sola naturalis ratio impar eſt ſeu ultimi fini, ſeu mediis ad eum ducentibus, cognoſcendis.*

11. Sane qui poteſt unquam fieri, ut quæ ſolius naturalis rationis ductum ſequitur Diſciplina, valeat homini ſuppeditare perfectam normam veræ honeſtatis & juſtitiæ, cumque ad ſublimiſſimum Finem ultimum recta dirigere; quando conſtat, ipſum per ſe humanæ rationis ocellum, niſi uberiori ac puriori revelatæ Doctrinæ lumine fuerit perfuſus & confortatus, nedum in iſtius Finis cognitione, ac in mediorum eidem ſubordinatorum notitia plane cæcutire, ſed in multis etiam veritatibus definiendis, quæ cæteroquin vim naturalis rationis minime excedunt, paſſim hallucinari & deficere?

*12. Prædictum humanæ rationis defectum perſpicue produnt errata innumera, & mores corruptiſſimi Gentilium Philoſophorum.*

12. Evidens & ineluctabile ejus rei argumentum capere licet ab integro priſcorum Philoſophorum cœtu, in quibus & naturalis rationis lumen ſplendore ſatis vivaci ſcintillaſſe, & exactam Ethices cognitionem viguiſſe, novimus. Quamquam ii reputarent ſe eſſe ſapientes, & *ſuam ſapientiam*, (ut ait D. Aug. *Tract.* 45. *in Joann.*) *buccis crepantibus ventilantes etiam dicere auderent hominibus: Nos ſequimini, ſectam noſtram tenete, ſi vultis beate vivere*: nihilo tamen ſecius, teſte Apoſtolo (*ad Rom. c.* 1.) *ſtulti facti ſunt: obſcuratum eſt inſipiens cor eorum*, adeo ut & ſeipſos, & ſequaces ſui graviſſimis erroribus implicarint, & infandis flagitiis conſpurcarint. Quod utique palam facit, illos nihil minus, quam ſinceræ honeſtatis regulas, & veræ felicitatis metam, adſecutos.

*13. Indicantur aliqua ex iiſdem Gentilium erratis, ad morales doctrinas ſpectantia.*

13. Eorum lapſus diſtincte recenſere ut longi foret operis, ita ſupervacanei etiam videtur, cum ſint paſſim obvia in Hiſtoria Philoſophica. Ecquis enim eſt qui neſciat, ut de moralibus dumtaxat erratis aliqua promamus exempla, Platonicos uxorum communioni, ac mendaciis patrocinatos? Stoicos parilia judicaſſe omnia peccata, atque autochiriam ſive occiſionem ſui perquam dignam homine ſapiente? Solonis aliorumque Athenienſium Sophorum legibus promiſcuum maſculorum concubitum; & inceſtas nuptias commendatas? Carneadis Academicos, Jus naturale nullum eſſe, nullamque juſtitiam propugnaſſe, proinde ex ſola utilitate cuncta hominibus peragenda? Cyrenaicos, Epicureoſque ad temporariam proſperitatem, & cœnoſas ſenſuum voluptates univerſa retuliſſe? Sed quid plura? concludamus in unum quæcunque poſſent ſeorſim in re iſta notari, ratiocinium ducentes ex eo quod D. Aug. (*Lib.* 19. *de Civit. Dei c.* 1.) commemorat.

*14. Ratio generalis & decretoria ſubnectitur, cur tantopere Gentiles erravint.*

14. Si Philoſophi, *qui ſtudium ſapientiæ in hujus ſæculi vanitate profeſſi ſunt*, ut inquit S. Doctor, inſtar furioſorum invicem diſſentere in ſummo bono, & ultimo fine conſtituendo: adeo ut *facta tripartita velut generalium diſtributione Sectarum, quarum aliæ in animo, aliæ in corpore, aliæ in utroque fines bonorum ponerent, & malorum, M. Varro in libro de Philoſophia tam multam dogmatum varietatem diligenter, & ſubtiliter ſcrutatus adverterit, ut ad ducentas octoginta octo ſectas, non quæ jam eſſent, ſed quæ eſſe non poſſent, adhibens quaſdam differentias facillime perveniſſet*; quanta, quæſo, non oportet eos detentos fuiſſe caligine in pervidendis, quanta deordinatione abſtractos in explendis officiis ſingulis ſive erga Deum, ſive erga ſeipſos, ſive erga proximos, ita quidem ut univerſæ vitæ ipſorum *& tenebræ & lubricum* (*Pſ.* 34.) rectiſſime dicantur? Etenim a præconcepta ultimi finis idea totam præſentis vitæ rationem pendere, meridiano ſole clarius. Sicuti namque, juxta Metaphyſicos, omnes effectus in rerum natura exiſtentes ſunt neceſſario penduli ab influxu primæ Cauſæ Effectricis, ita moralium judicio omnis appetitio crea-



creatæ voluntatis ab ultimo Fine debet primario moveri. Infra (*a n.* 25. *uſque ad n.* 45.) de hoc argumento plura occurrent.

*15. Præcedentem animadverſionem noſtram firmari, & illuſtrari magis ſatebitur quiſquis notabit errores recentiorum Proteſtantium in Juriſprudentia naturali interpretanda.*

15. Haud abſimile argumentum, illudque huic noſtræ ætati forſan accommodatius, ad confirmandum quod (*n.* 10. *&* 11.) ſtatutum a nobis eſt, ſumere licet ex Acatholicis Scriptoribus plurimis, qui Diſciplinæ *Juris naturæ & Gentium* excolendæ, reſtaurandæ, atque (ut ipſi arrogantia & impudentia pari dicere amant) a Scholaſticorum Theologorum Romanenſium ineptiis & quiſquiliis penitus expurgandæ, æmulis ſtudiis laboribuſque improbis adlaborant. Et hi enimvero paſſim ac graviſſime ceſpitant, impingunt, labuntur in ſtabiliendis juſti, decori, honeſti regulis; in declarandis ſocietatis civilis, & moralis vitæ officiis, in formandis ad honeſtatem, ac felicitatem humanis actibus; adeo ut nihil minus quam prætenſam falſoque jactatam Naturalis Juris reformationem apud eos invenias, ſed magis deformationem peſſimam atque horribilem errorum colluviem, quibus, ipſorum opuſcula aut volumina grandiora frequenter avideque legendo, afflantur ſenſim bene multi ex noſtratibus incauti, & Sacrarum Diſciplinarum imperiti.

*16. Potiſſima cauſa talium errorum repetenda ex nimio uſu naturalis rationis.*

16. Sed quænam cauſa tot, tantarumque allucinationum in hominibus tam eruditis, qui ſingulari etiam beneficio (quod vetuſtæ Gentilitatis in Sophis minime obtigit) lucem beatiſſimam adſpicere jam potuerunt, quam in hac temporum plenitudine exortus ſol Juſtitiæ Chriſtus Orbi univerſo importavit? Ne diutius, & operoſius diſquiratur, quod mihi videtur eſſe in propatulo, ideo ab hujuſmodi Novatoribus profecta, & propagata tum in Chriſtianæ Religionis, tum in moralis civiliſque converſationis perniciem innumera dogmata; quia præterquamquod falſis propriarum ſectarum præjudiciis in tranſverſum aguntur, ſuperſtitioſa nimis religione litant humanæ rationi, quaſi ratum habentes, ex ingenitis naturæ luminibus omnem ferme morum honeſtatem in præſenti quoque corruptionis ſtatu poſſe a nobis intelligi, ac definiri: quo utique poſito neceſſum eſt & ipſos ſtulteſcere, quamvis putent dicantque ſe eſſe ſapientes.

*17. Ad amovendam omnem impactæ calumniæ ſuſpicionem, ob oculos ponuntur capita quædam errorum, quos Proteſtantes Scriptores diſſeminarunt: in primiſque Hugo Grotius.*

17. Ut ex mox dictis veritas manifeſto conſtet, & quævis ſeu amarulenti ſeu invidi animi ſuſpicio propulſetur, indicare præſtat errores aliquos palpabiles ex multis, quos in noviſſimis Proteſtantium commentationibus notarunt ac ſugillarunt nuperrime Orthodoxi duo Germaniæ Scriptores, quorum unus appoſitam ab aliis *Juri Naturali larvam detraxit*, alter vero eorumdem *principia ad criſim revocavit*. Incipiamus ab Hugone Grotio enucleante Naturalis Juris ſcita in celebri Opere *de Jure Belli, & Pacis*, quem tamquam coryphæum venerantur. 1. Monomachiam, ſeu Duellum omni jure prohibitum, gemino in caſu licere aſſeverat (*Lib.* 2. *c.* 15. §. 15.) 2. Conjugii notionem aſſignat in hoc ſitam, quod femina conſtituatur ſub cuſtodia maris, & fide data ſe obſtringat: quæ concubinatui poteſt aptari, cum mutuum conjugum nexum, fidemque reciprocam non exprimat (*Lib.* 2. *c.* 2. §. 8.) 3. Monogamiam, quamvis optimam & laudabilem, minime tamen a Deo præceptam in primæva Matrimonii inſtitutione arbitratur (*ibid.* §. 9.) 4. Obligationem vitandi mendacii derivat ex tacito hominum pacto, & illius malitiam ex repugnantia cum jure penes audientem reſidente (*Lib.* 3. *c.* 1. §. 11.) 5. Facta diſtinctione *Falſiloquii*, & *Mendacii mali*, quorum utrumque a Catholicis Theologis *formale mendacium*, ac *ſemper illicitum* reputatur, ſuſtinet locutionem contra mentem, etiam animo fallendi & ſimulandi, inculpatam eſſe, quotieſcunque proprium, vel alienum commodum, maxime publicum, eam exigat; tunc vero illicitum evadere mendacium, quando eſt cum alterius damno conjunctum: & hanc totam doctrinam monet Divinis Scripturis eſſe apprime conformem (*ibidem*). Quotuſquiſque porro eſt, qui non videat, ſic patefactam latiſſimam viam mendaciis, ſimulationibus, reſtrictionibus mentalibus, ac deſtructam communem apud Eccleſiaſticos Doctores diviſionem mendacii *pernicioſi*, *jocoſi*, *officioſi*? nam ſecundi, & tertii generis locutiones a cogitatis diverſæ reducuntur in tali ſyſtemate ad ſimulationes, & falſiloquia licita. Hic error (*n.* 314. *& ſeq.*) impugnabitur.

*18. Enumerantur errores Samuelis Puffendorfii.*

18. Samuelem Puffendorfium examinemus, cui honores ſecundos deferunt iidem Proteſtantes. 1. Docet Juris Naturalis, cujus principium unicum eſt lumen rationis, finem, & uſum intra terminos hujus vitæ coerceri, & tranquillitatem hujus vitæ pro fine ultimato habere (*in Præf. de Offic. Hom. & Civ. in Apolog. & alibi*) quo admiſſo ſequitur, naturali ratione non conſtare, Divinam Providentiam, quæ in præſenti vita non reddit malis omnibus condigna ſupplicia, nec præmia bonis, quid amplius utrique rependere in futura vita: quod nedum Chriſtianæ Fidei, ſed & ſanæ Philoſophiæ contrarium eſt. 2. Poſtquam (*in Præf. ad cit. Lib. de off.* §. 9.) obligationes naturalis juris circa officia hominis erga ſe, & relate ad interiorem ani-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

animi culturam, imperfecte admodum deſignavit, immo enormiter mutilavit (quod ſane adverſum ſcopum illius operis, inſtruentis & formantis hominem, cujus præcipua pars eſt animus rationalis) dicendo, jus naturæ ſollicitum non eſſe circa ea, quæ intra pectus latent, nec aliquem effectum foras producunt ſocietati humanæ contrarium: & hac mutila ineptaque declaratione illud etiam inſinuavit abſurdum exinde neceſſario conſequens, ſcilicet plures cogitationes & delectationes animi deliberatas; pertinentes ſcilicet ad triplicem concupiſcentiam a D. Joanne (*Epiſt. 1. c. 2.*) nominatam, non eſſe naturali jure illicitas, adeoque nec ullo Decalogi præcepto prohibitas; quippe haud paucæ illarum ſunt, quæ civili externæque hominum ſocietati nullatenus obſunt, ut delectatio de præterito aliquo ſomnio, aut aſpectu impudico, vel de nocturna pollutione: poſtquam, inquam, hæc omnia male perfecit, tum pejus ad alia digreditur (*Lib. cit. c. 5. §. 3.*) quæ licet ad ſcopum illius operis minime faciant, in quo naturalis Juris ſcientia traditur penitus ſequeſtrata a Theologia revelata, ſunt tamen valde conſentanea malignæ indoli, qua Romanam inſectatur Eccleſiam. Nam ubi officium præcipuum in animi cultura eſſe dixit, ut perniciosis opinionibus expurgetur, ſubinde in eo declarando verbis inſidioſis impetit catholicos Articulos de Sacramentali Confeſſione, & Abſolutione, de Indulgentiis, de Purgatorio, de Suffragiis pro animabus mortuorum, & ejus generis aliis.

19. Sequuntur errores alii ejuſdem Puffendorfii.

19. Idem Puffendorfius tradit 3. (*De Jure nat. & gent. lib. 2. c. 3. de Off. Hom. & Civ. c. 3.*) originem, fundamentum, principium Legis Naturalis eſſe *Socialitatem* toti humano generi a Deo inditam; vi cujus deſiderat quilibet homo ordinatam, & tranquillam ducere vitam cum aliis hominibus, quamque idcirco debet homo, quantum in ſe eſt, colere & ſervare; hinc vero definit, jure naturali eſſe *præcepta* omnia, quæ ad iſtam ſocialitatem faciunt; & eodem jure *vetita*, quæ eamdem turbant aut abrumpunt. Porro ejuſmodi principium ex ovis, quæ jam poſuerat Hugo Grotius, ab ipſo Puffendorfio eductum, atque a Proteſtantibus plurimis, præſertim Vitriario & Bohemero deinceps tantopere decantatum, approbari nequit ab ullo Orthodoxo ſerio prudenterque cogitante: quippe, ſi penitus introſpiciatur, immo ſecundum extimam etiam formam ſpectetur, plenus rimarum deprehenditur, unde in ipſo quoque Lutheri grege plures validoſque adverſarios offendit, ſcilicet Heineccium, Cocceium, Leibnitium, alioſque. Ut enim brevibus dicamus, primum *cognitionis* principium ex conſtanti, & unanimi Metaphyſicorum doctrina debet eſſe *verum univerſale adæquatum*. Principium autem ſocialitatis, præterquam quod duo ſupponat quæ ſunt (*ex n. 18.*) falſiſſima, nimirum Juris Naturalis finem eſſe ſolam temporariam felicitatem, atque ejuſdem Juris vim & uſum ad ſolos ferme exteriores actus humanos reduci: ipſo etiam Puffendorfio haud diſſimulante non inſervit ad detegenda, & ſtatuenda directe & immediate officia hominis ſive erga *Deum*, ſive erga *ſeipſum*; immo nec univerſa officia erga *proximum* patefecit, utpote ſupponens, juxta prædictam falſam hypotheſim, felicitatem externam, & temporalem tamquam finem ſocialitatis; ex quo patet, nec univerſale nec adæquatum eſſe. Quid quod ſolitariam vitam, cujus dignitatem & utilitatem tum Divinæ Litteræ, tum Sancti Patres commendant, & inſigniores quoque Gentilitatis ſapientes extulere, omnino eliminat ceu irrationalem, & inhumanam? 4. Contendit (*de Jur. Nat. & Gent. lib. 6. c. 1.*) violata per adulterium conjugali fide competere parti læſæ jus faciendi divortium tam quoad thorum, quam quoad vinculum, ita ut licite poſſit ad alias nuptias tranſire; additque, nugatorium eſſe, quidquid ea de re in contrarium a Jure Pontificio ſtatutum legitur.

20. Errores Chriſtiani Thomaſii recenſentur.

20. Ad Chriſtianum Thomaſium accedamus, qui permagnæ æſtimationis eſt apud catholicorum Eruditorum cœtum. Quamvis in ſecundis curis ſui Operis de *Juriſprudentia Divina* nonnulla antea perperam ſcripta vel omnino expunxerit vel aliquatenus emendarit, inducta diſtinctione regularum, quarum, alias *juſti*, alias *decori & honeſti* appellat; nihilominus multa poſteris reliquit, quæ reapſe merentur nigrum theta, etiamſi eorum aliqua poſt palinodiam retinuerit ſpectatis ſolis regulis *juſti*: exempli manifeſti loco ſint ſequentia in eodem opere contenta. Propugnat, naturali ratione nec ſatis cognoſci, nec ſolide demonſtrari. 1. Hominem debere Deo impendere cultum aliquem exteriorem laudis, invocationis, gratiarum actionis, ac ſimilium pertinentium ad moralem virtutem religionis (*lib. 2. c. 1. n. 20. & 27.*) quia nempe ex Hiſtoria Sacra, & Eccleſiaſtica patet, nunquam placuiſſe Deo cultum a ratione humana inventum; in qua tamen probatione temperandam eſſe univerſalitatem locutionis ſubinde monuit. 2. Divinas Leges non complecti deobligantem exceptionem neceſſitatis ſeu periculi extremi, cujuſmodi eſſet de-



decretum tyranni prohibentis ſub pœna mortis cultum Dei publicum, (*lib. 2. c. 2. n. 137.*) quia ſcilicet exempla Martyrum, quæ poſſunt in tali caſu opponi, ſunt heroica, & ſpecialem inſtinctum Divinum præſupponunt. 3. Illicitam eſſe certis in caſibus directam ſui occiſionem (*ib. n. 74.*) 4. Polyviriam ſeu polyandriam, quæ plures maritos uni eidem uxori copulatos ſupponit, adverſari naturæ ac fini matrimonii (*lib. 3. c. 2. n. 206.*) 5. Illicitum connubium in primo gradu conſanguinitatis lineæ rectæ inter parentes & liberos (*ib. n. 246.*) 6. Illicitum conſenſum in veneream delectationem momentaneam ex alterius congreſſu nefario (*lib. 2. c. 2. nu. 116.*) 7. Prohibitam omnem ſcortationem, etiam ad beſtialitatem quæ pertinet, aut concubinatum, aut lenocinium (*lib. 3. c. 2. n. 143.*) ubi ſcortationis nomine deſignat quamlibet luxuriæ ſpeciem excludentem prolis generationem, nomine vero concubinatus & lenocinii fornicationem, qua proles generari poteſt. Hæc, inquam, omnia inficiatur oſtendi poſſe ſola naturali ratione, adeoque vetita eſſe & mala ſpectatis regulis ſaltem *juſti*, quæ juxta ipſum continent jus *ſtricte* ſumptum.

21. Poſteriores alii Scriptores Proteſtantes repetunt errores Priorum non ſine auctario.

21. Poſſet ſimiliter produci accurata ſeries errorum circa res morales, quos in ſuis commentariis diſſeminarunt reliqui Proteſtantes recentiores nominis fama ſatis clari. Verum, ne longius digrediamur ab inſtituto noſtro, eos vel me tacente poterit quiſque conjectando intelligere; ſi nimirum advertat, poſteriores hoſce Scriptores ſecutos eſſe preſſo pede Anteſignanos illos, quorum maleſanam doctrinam primis lineis jam deſignavimus; quippe, ut veteri tritoque fertur adagio, *non procul a proprio ſtipite poma cadunt*. Immo, quod magis mirandum! Diſcipuli iſti haud raro magiſtrorum ſyſtemata ac theoremata ſic intellexerunt, expoſuerunt, propagarunt, ut vel recta ſcribentibus omnino errores affinxerint, vel perperam ſcribentibus novos addiderint errores; quod brevitatis cauſa duplici dumtaxat exemplo declarabimus, petito ab uno Kemmerichio Puffendorfii interprete ſeu paraphraſte. Hic enim (*in Elem. Juris Nat. & Gent. c. 6. §. 10.*) diſſerens de reparatione alieni damni, ex illo deducit, quod qui malum conſilium alteri dat, unde proximis damnum emergit, peccet quidem, ſed tamen ad compenſationem damni minime teneatur, quia, ut damnum neceſſario fieret, non effecit: quod Puffendorfio prorſus affricatur, cum ipſe alibi oppoſitum palam docuerit. Item, ſtatuente Puffendorfio, adulterium, & malitioſam deſertionem ſufficere ad divortium & diſſolutionem matrimonialis vinculi, idem Kemmerichius (*ib. c. 2. §. 6.*) hæc alia ſuperaddit impedimenta, videlicet conjugum inimicitias capitales, ſterilitatem, mores alterius intolerabiles. Lepidum vero eſt, aut ſi mavis inſanum, quod in hujuſmodi materia ex ſecundis Thomaſii curis adnotavit Fleiſcherus (*in Inſt. Jur. Nat. & Gent.*) quia alia præterea comminiſcitur impedimenta, nempe Chriſtum Dominum, dum apud Matthæum (*c. 5. & 19.*) adulterium dumtaxat memoravit tamquam cauſſam dimittendi uxorem, quam dimiſſionem ipſe non pro ſolo divortio quoad thorum accipit, ſed pro ſolutione matrimonialis nexus, contra conſtantem Catholicæ Eccleſiæ doctrinam in Trident. Conc. (*ſeſſ. 24. de Matr. can. VII.*) expreſſam; Chriſtum, inquam *non fuiſſe Legislatorem, ſed merum Doctorem*.

22. Compendioſe indicantur tria generalia motiva, oſtendentia ſcribium valde cavendam, quæ Proteſtantium operibus ineſt.

22. Quicunque univerſa hæc, quæ circa Proteſtantium commentationes de Naturali Juriſprudentia obſervavimus oculo purgato voluerit perpendere, procul dubio agnoſcet, eaſdem generatim & indefinite acceptas & valde mendoſas eſſe, & plenas periculi; quamvis periculum fortaſſe non omnes, uti par eſt, animadvertant, qui eas verſant diurna nocturnaque manu; atque, ut anacephalæoſi quadam cuncta breviter perſtringamus, hoc multiplici nomine tales judicandas exiſtimo. 1. Quia ex calamo prodierunt Acatholicorum Auctorum, qui continere ſe nequeunt, quin (ut in Puffendorfio palam deteximus *num.* 18.) ſuarum ſectarum virus diffundant ſubnata occaſione, & oppoſitam Catholicæ Eccleſiæ doctrinam aut clanculum vellicent, aut manifeſto coarguant. 2. Quia ad unum concordes videntur (ut in poſteriore parte Articuli III. oſtendemus) in ea tuenda hæreſi, quæ ſupponit liberum hominis arbitrium contagione Adamitici peccati exſpiraſſe quoad illas ſaltem actiones, quæ ad genus moris, & ad ordinem ſupernaturalem pertinent: unde principium extat omnis morum corruptelæ, adeoque & ipſius moralis Diſciplinæ pernicies. 3. Quia plerique Tractationes ſuas ad ſolius humanæ rationis ſæpe caligantis trutinam exigentes, non niſi temporariam præſentis vitæ felicitatem, & externa hominum officia ſpectant; qui ſcopus, ac methodus, præterquamquod hominem naturalia jura ſciſſe cupientem quoad medietatem ſolum informant, poſſunt item cauſſam præbere multis variiſque deceptionibus circa reliqua officia, quæ ſolius revelatæ doctrinæ adminiculo vel abſolute, vel perfecte percipiuntur.

*23. Aliud motivum ferme generale adjungitur ad eundem finem.*

23. Demum 4. Quia inter plurimos errores, quos in particularibus Juris Morumque materiis ſovent Proteſtantes conſenſu ferme unanimi, duo præſertim numerantur, qui ſunt magnæ amplitudinis, & innumeras humanæ vitæ actiones, ſi in praxi habeantur pro norma, inficere poſſunt. Unus Simulationes, Falſiloquia, Æquivocationes reſpicit, a quibus abeſſe putant (*n.* 17.) formalem malitiam mendacii, quotieſcumque noſtræ aut alienæ utilitati promovendæ inſerviunt. Quod quam late pateat in tanta mentiendi proclivitate, & occaſionibus fere continuis, nemo non videt. Alter ad Uſuras refertur, quas pariter adeo pervagatas eſſe liquet, ut iis ſolum concludantur limitibus, quibus humanum ac civile finitur commercium. Nimirum ex mutuo licite honeſteque percipi poſſe a mutuantibus lucrum aliquod moderatum, quoties Chriſtianæ Caritatis regula non obſtat, nec ſtatuta municipalia Regionum vetant, Calvini præſertim gregales, ac plures etiam ſeu Lutheranæ, ſeu aliarum Sectarum novarum Scriptores paſſim ſuſtinent; cujuſmodi ſunt potiſſime Molinæus, Salmaſius, Broederſenius, (*a*) Gronovius, Noodt, Heinigius, Barbeyrac, quæ opinio & Juri qua naturali quave Divino, & communi perpetuæque doctrinæ Eccleſiæ e diametro repugnat; hinc enim edocemur *uſuram eſſe, quodcumque ſorti accedit, ſive pecunia, ſive eſca, ſive veſtis ſit* (ut inquit S. Ambroſius *lib. de Tob. c.* 14.) ſive quid aliud pretio æſtimabile, deſcendendo uſque *ad aquæ guttam*, ſicut in Sabaudiæ Senatu Vir Sapiens edixit, referente Cl. Honorato Leotardo in Opere de Uſuris. Quare merito Benedictus XIV. Pontifex Summus, omniumque ſæculorum memoria digniſſimus, ubi advertit quorumdam etiam Orthodoxorum patrocinium acceſſiſſe tam deſperatæ cauſæ, illam penitus dejecit (*in lib.* 10. *de Syn. Diœc. c.* 4. *atque in Litter. Encycl. ad Epiſc. Ital.* 1. *Nov. an.* 1745.) declarans, ac definiens, omne auctarium, quod ultra ſortem recipitur *præcise* vi mutui, ac ſecluſo legitimo titulo *ejus quod intereſt*, fœneratitia labe fœdari.

*24. Commendatur provida ſolertia Benedicti XIV. in præſecandis extirpandiſque erroribus Catholicæ Doctrinæ contrariis.*

24. Haud minori vigilantia ac zelo tuendi avitam Eccleſiæ Doctrinam idem Pontifex Maximus (*in Conſtit.* Deteſtabilem 10. *Nov. an.* 1752.) ſollemniter proſcripſit Propoſitiones varias, exitioſæ & toties ab Apoſtolica Sede anathematizatæ Duellorum licentiæ faventes, quas nonnulli Theologi Catholici diſſeminabant honori magis fucato, quam ſolidæ veritati velificantes. Harum itidem diagramma aliquod jam expreſſerant Proteſtantes in ſuis de Naturali Jure ſcriptionibus, ut patet conferenti ambas poſtremas cum iſto theoremate, quod inter alios Weberus, & Kemmerichius poſuere Puffendorfium enucleantes (*Lib. de Off. Hom. & Civ. c.* 5.) *Duella in ſtatu naturali non ſunt injuſta, ſi ad reparationem damni tendant.* Exinde magis clareſcit, ad quos tandem ſcopulos allidant evanidæ illæ ſanctiones juſti honeſtive naturalis ab iis prodeuntes, qui ſive ad vitandam Juriſprudentiæ Naturalis cum reliquis facultatibus confuſionem, ſive alias ob cauſſas, fidunt humanæ rationi, ſepoſita auctoritate vere Theologica, cujus eſt imbecillitatem ipſius rationis ſuſtentare, ac defectus ſupplere. Deprehenditur etiam ex dictis ſplendidum diſcrimen Eccleſiæ Romanæ a prophanis Hæreticorum Synagogis. Nam apud iſtas error ſemel exortus ſerpit ut cancer, illæſus adoleſcit, magiſque roboratur. Illa vero, erroris incunabula perſcrutando, eumdem ne increſcat & prævaleat, tam in hoſtibus execratur, quam in filiis corrigit; quia reipſa mater, non noverca.

*25. Sic reprehendendi Hæreticos & Gentiles Auctores, ubi in culpa ſunt, ut non ſint defraudandi ſuis laudibus ab aliis titulos.*

25. Porro dum calamum hucuſque acuimus adverſus Proteſtantes Scriptores, non illuc collimavit aut animus, aut ſermo noſter, ut eoſdem vel univerſim traduceremus, quaſi nil bonæ frugis protulerint in ſuis commentationibus, vel ea laude ſpoliaremus, quam apud eruditos nacti ſunt ob curas, & labores excolendæ naturali Juriſprudentiæ impenſos, vel malo conſilio videantur nobis conſtituiſſe peculiarem Diſciplinam ad Jus naturæ, & Gentium explanandum. Sunt hæc omnia ab animo noſtro prorſus aliena, cum unicuique quod ſuum eſt, libentiſſime tribuamus. Hanc ipſam ob cauſſam, etſi Philoſophos Ethnicos gravium errorum, & criminum inſimulaverimus (*num.* 12. & 13.) haud inficiamur tamen multa ab iiſdem valde congrua

(a) *Recens Scriptor aliquibus fortaſſe incognitus, qui, etſi in fronte ſui voluminis* De uſuris licitis & illicitis, *an.* 1743. *excuſi Batavis formis ſine deſignatione loci,* Paſtorem *ſe dicat* Romano Catholicum, *re ipſa tamen tuetur eorumdem Hæreticorum doctrinam, juxta declarationes iteratas Pontif. Sum.* Bened. XIV. *omnino pravam, & commentitiam. Ad perſonam, ſiquidem ejus quod attinet, characterem nullum deſigno, ſed utramque Eccleſiæ, ac Dei judicio relinquo. Cæterum inſcriptionem illam aperti mendacii redarguit eruditus Veronenſis Petrus Ballarinus in vindiciis præclari ſui operis:* De jure naturali & Divino circa uſuras (c. 1. n. 4.) *aſſeverans Paſtorem fuiſſe Ultrajectina Eccleſiæ, quæ vere Schiſmatica eſt, fautrixque Janſenianæ hæreſeos.*



grua ac præclara morum præcepta tradita fuiſſe. Unde D. Auguſtinus (*De Civ. Dei l.* 8. *c.* 8. & 11.) Platonicos prolixe commendavit præſertim, quia *intelligentiam habuerunt, quæ Chriſtianæ Scientiæ propinquavit*: eamque laudem Stoicis pariter dedere S. Gregorius Nazianzenus ad Eudoxium ſcribens, & illius diſcipulus S. Hieronymus, teſtantes *ipſos cum noſtro dogmate in pleriſque concordaſſe*.

*26. Illud in Proteſtantibus minime tolerandum, quod a religionis revelata doctrina penitus abſtrahant Naturalem Juriſprudentiam.*

26. Quæ nos unice ſentimus, contendimus, mentibuſque ſtudioſæ Pubis altiſſime impreſſa percupimus (ne forte immodico novæ ac tantopere decantatæ Facultatis amore illecta in perniciosorum errorum ambages incaute prolabatur, ac moribus ſubinde depravetur) ſunt potius ſequentia hæc. Nimirum etſi commendanda, & imitanda non videatur illorum Magiſtrorum methodus, qui in Philoſophicis tradendis Theologicas doctrinas paſſim infarciunt, propterea quia ſingularum ſcientiarum oportet ſervare divortia, nec unam alteri temere permiſcere; nihilominus non ita a revelata Theologia ſequeſtranda morum, juriſve naturalis Diſciplina, ut piaculum credatur in ſtatuendis iſtius placitis illam conſulere, atque ex illa etiam, enata opportunitate aut neceſſitate, quidpiam aſſumere, quo illius vel obſcuritates eliquentur, vel difficultates tollantur, vel emendentur nævi, vel ſuppleantur defectus. Quantumcumque enim Philoſophos & Juriſconſultos agere velimus, Chriſtiani tamen eſſe nunquam ceſſamus; proinde æquum eſt, ut ſapientiæ ac juſtitiæ præcepta non ad ſolam naturalis rationis libellam, ſed potiſſimum ad Religionis normam exigamus, ne otioſa aut ludicra in nobis ſit tanti nominis profeſſio.

*27. Reſpiciendam, & conſulendam identidem revelata Theologiæ doctrinam a Chriſtianis Tractatoribus ſeu Ethices, ſeu Juriſprudentiæ, fatetur ex Proteſtantibus Boeclerus, Lutheranus.*

27. Quali quantoque jure nos talia exigamus, ipſimet inimici ſint judices, quorum teſtimonia juvat hic ſubnectere. Ad Boeclerum, & Fortſchium Lutheranæ profeſſionis homines appellamus, quorum ambo prudenti conſilio novas adornarunt editiones aureorum Librorum D. Ambroſii *de Officiis*. Boeclerus (*in Præf. edit. Argentin.*) ſic loquitur. *Certe ad conſummandam officiorum diſciplinam, non ſufficit a gentilibus dumtaxat tradita condiſcere, ſed omnino altius aſcendendum eſt, quia nobis, qui de Chriſto nomen gerimus, non licet aliter bonos viros eſſe, quam ut ſimul boni Chriſtiani ſimus (neque enim actionum ac vitæ finis extra ejus voluntatem ac leges, cui vivimus, & in quo vivimus, conſtitui poteſt). Itaque ex puriſſimis Theologiæ fontibus interpretatio officii; in quo ratio ſibi relicta ſubinde deficit, aut hebetſcit, ſuppleri debet. Quam in rem egregius eſt Ambroſii noſtri labor, ſæpeque eo nomine a me commendatus.*

*28. Id ipſum calculo ſuo confirmat Fortſchius, pariter Lutheranus.*

28. Fortſchius vero (*Diſſert.* 1. *in Offic. Ambr.* §. 11.) hæc habet: *Fontes, unde rationes probandi & demonſtrandi petit Auctor, ſunt partim lumen Naturæ, partim Scripturæ. Quamquam enim rectæ rationis decreta certitudine ſua nitantur, ut pote principiis primis practicis, & nobiſcum natis innixa; in illorum tamen adplicatione facilis eſt aberratio, & quam infida ſit ratio poſt lapſum, quamque lubrica etiam circa ipſa principia practica, vel ex eo judicari poteſt, quod integræ Gentes illorum vim praxi legumque conſtitutione contraria deſtruxere: nec moratiores, quas vocant, gentes in incorruptum Legis Naturæ, quæ principia illa practica complectitur, trahi poſſunt teſtimonium. Exempla collecta videas apud Georgium Calixtum de Theol. Moral. c. de Legibus. Veriſſimum quoque eſt Seldeni judicium: Gentes Populoſque ſimiles interdum invicem mores non paucos, interdum vero plane contrarios amplexos eſſe etiam in rebus, circa quas Jus Naturæ ſeu hominum commune verſari ſolet (velut in conſanguineorum coitu, liberis exponendis, cæde humana, conjugiis aliis) eoſque parili ratione mutaſſe, revocaſſe, ac pro libitu atque cæca & temeraria cupiditate novaſſe.*

*29. Continuatur ſermo ejuſdem Fortſchii, contextus ex graviſſimis Catholicorum Doctorum teſtimoniis.*

29. Pergit eodem loco. *Divinum Numen ſumme providum humano generi de certiore agendi regula proſpexit, quam hactenus recta ratio mortalium ſe præſtiterat, ac propterea Naturæ Leges peculiari revelatione repetit, ſanxitque... Fide igitur ac peculiari Dei diſciplina, ideſt, Revelatione opus erat, quæ fluctuanti rationi ſuccurreret, eidem clariorem lucem adderet, & refractarios motus Divini Spiritus efficacia compeſceret ſuo modo; adeoque animus in doctrina de Officio certus redderetur, & immotus. Recte proinde Tertullianus lib. de Anima c. 1. ait: cui veritas comperta ſine Deo, cui Deus cognitus ſine Chriſto, cui Chriſtus exploratus ſine Spiritu Sancto, cui Spiritus ſanctus accommodatus ſine fidei Sacramento? & Auguſtinus, lib. 3. contr. Academ. c. 6. cum Alipio colloquens inquit: Quis verum poſſit oſtendere, abs te Alipi dictum eſt, a quo ne diſſentiam magnopere mihi laborandum eſt. Etenim Numen aliquod aiſti ſolum poſſe oſtendere homini, quid ſit verum, cum breviter tum etiam pie: & (§. 15.) Itaque valde nobis placet illud Ludovici Vives judicium: tutius hauriri Officia de Chriſtiano pectore manantia quam de Gentilitio: lib.* 1. *de Tradend. Diſcipl. Non quod exiſtimem*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*mem Ariſtotelem vel Ciceronem ſcholis eliminandum eſſe ; ſed quod conſultum , immo neceſſarium ducam , ut illorum præceptis & decretis addatur Chriſtiana regula ad gravitatem , ſupplementum veritatis , morumque ſanctitatem fundandam . Conjunctionem ſcholis ſuadeo , non confuſionem , ne totum mutiletur in diſcentis damnum , cum pars auferitur , Philoſophiæ & Ordinis cauſſa , ut ajunt .*

*30. Præclara ipſius Foſchii teſtificatio de Morali Doctrina, & methodo veterum SS. Patrum, præſertim Ambroſii.*

30. Totam vero iſtam rem ad Sanctorum Patrum exempla referens ita ſcribit (§.7.) *Pauciſſimi ſunt , qui de veterum Eccleſiæ Doctorum ſcientia morali , & pia praxi cogitant : qui tamen eclectico quodam conſilio , quicquid pretioſi fuit apud Gentiles , collegerunt , gravi judicio & eſitriſi limarunt , ad normam veritatis examinarunt , & ad Chriſtianam diſciplinam ita tranſtulerunt , ut ex hac illud perficerent atque corrigerent , hanc vero viciſſim ex illo illuſtrarent ſuo modo* . (Ac de D. Ambroſio nominatim § 21. & 14.) ſubdit : *Ambroſius admirabilis eſt artifex , qui paſſim in hoc opere miro quodam temperie Luminis Naturalis & Scripturæ Sacræ radios miſcet , nunc hanc ex illa illuſtrat , nunc illam ex hac confirmat . . . Utroque & Ariſtotele , & Cicerone ſublimior , qui inſtar Commentatoris Chriſtiani eſt . Conſtituerant illi prudentiæ rationes partim ad Philoſophiæ ſubtilitatem , partim ad ſocietatis regulam , & privatum uſum . Noſter vero altius progreſſus Philoſophiam plane divinam ac cæleſtem tradit .*

*31. Detellitur querela multorum Novatorum, qua in quoſdam degerrat calumniam , ſi ad Catholicos Theologos abſolute, & univerſim referatur.*

31. Quod ſi hæc omnia , quæ veriſſima , plane ſunt ab ipſis Lutheranis acri judicio detecta , & laudabili confeſſione prædicata ; ecquis jam non videt , valde importunas , & iniquas eſſe plurimorum aliorum Proteſtantium querimonias adverſus Doctores Eccleſiaſticos , & Scholarum præſertim noſtrarum Theologos ; quod ſcilicet in Moralibus pertractandis , ubi maxime Peripatetica Philoſophia fuit cum Theologia Sacra conjuncta & ferruminata , temere permiſcuerint Naturalem Juriſprudentiam , Ethicenque cum revelatis Diſciplinis , & confuſionem induxerint officiorum , quæ Hominis ſunt , & Chriſtiani . Mirandum , quod auctorum partes ſibi arrogent , qui rei vel maxime exiſtunt methodi vitioſiſſimæ hactenus a nobis deſcriptæ & ſugillatæ ! Obmurmurent iſti , quantum volunt ; teneant intrepide Orthodoxi Tractatores omnes ſeu Practicæ Philoſophiæ , ſeu Moralis Theologiæ , præmonſtratam ab Tertulliano , Ambroſio , Auguſtino , aliiſque Eccleſiæ Luminaribus tum docendi , tum ſcribendi rationem , quæ vere decet Chriſtianos ſapientes , atque agendæ bonæ vitæ , beatæque adipiſcendæ tuto inſervit .

*32. Tum in Dogmaticis , tum in Moralibus Diſciplinis ſervanda Fidei, & Rationis concordia eo , quo par eſt modo.*

32. Itaque a Catholicis noſtris Scholis procul faceſſant , ſive dum Fidei dogmata declaranda , ſive cum morum regulæ conſtituendæ ſunt , adverſæ , turbulentæ , inſanæ illæ *Rationalium & non rationalium* factiones , nuper in Hollandia apud Acatholicos exortæ . Omnino perſuaſione noſtra certiſſima unus idemque Deus & Pater luminum eſt , qui nobis & rationem indidit , & religionem manifeſtavit . Ex quo conſequitur ut neutra alteram penitus excludere aut elidere , ſed utraque potius ſuo modo mutuam ſibi operam præſtare debeat , in Diſciplinis qua naturalibus quave Sacris . Id autem ut contingat citra præjudicium germanæ methodi in tradendis ſcientiis tenendæ , curabunt Magiſtri vere docti , prudentes , exercitati .

*33. Superius a nobis dicta poſſunt inſervire ad tuendam Doctrinam divinitus Revelatam , ſubindeque ad firmandam Sacrarum Scripturarum auctoritatem.*

33. Quæ (*a n. 10. huc uſque*) diſſeruimus , ut multiplex Philoſophiæ , ac Theologiæ moralis diſcrimen aperiremus , ſimulque modum & convenientem & proficuum interpretandi Naturalem Juriſprudentiam vindicaremus adverſus Heterodoxos Scriptores in Septentrione famigeratos , eadem in unum recollecta argumentum perquam accommoda evadunt ad *utilitatem* , ac *neceſſitatem* demonſtrandam alicujus doctrinæ *Supernaturalis* , ſeu *Divinitus Revelatæ* , quam nunc plures *Naturaliſtæ* , Angli præſertim & Batavi , præcedentium Incredulorum veſtigia prementes mordicus recuſant admittere ; quamque Metaphyſici noſtri politiores & oculatiores ſcite defendunt in Diſquiſitione *de Dei Dominio* , ut ſcilicet viam ſternant Dogmaticis Theologis ſeſe comparantibus ad perſuadendam Antiſcripturariis extantiam , & auctoritatem Divinorum Librorum . Is enim labor in irritum cederet Theologis , niſi prius Metaphyſici evincerent , hominis religionem veram perfectamque , unde plurimum elucet ſupremi Numinis in rationales creaturas dominium , innixam eſſe fundamento ſupremæ cujuſpiam Revelationis .

*34. Antiqui Doctores Scholaſtici probarunt neceſſitatem Divinæ revelationis argumento petito ab infirmitate Naturalis rationis, & ab erroribus Philoſophorum Gentilium.*

34. At re quidem vera (ut jam incipiam auctoritate uti Summorum illorum virorum , quorum ducatum conſtanter ſequi deliberavi ) Bonaventura , Thomas , Scotus , Richardus de Mediavilla , ac reliqui veteris Scholæ Anteſignani , tum in enarratione prologi Magiſtri Sententiarum , tum aliis in locis ſuorum Operum , concorditer provocarunt ad limitationem & imbecillitatem humanæ rationis in pervadendis veritatibus ſcitu neceſſariis , ſimulque ad plurimos ingentes errores , in quos conſtat prolapſos Gentilitatis Sapientes , ex ſolo rationis naturalis lumine de Deo , mundo , anima , beatitudine , virtutibus , affectibus , vitiis philoſophantes ; ut



ut ſic argumento palmari adſtruerent adverſus incredulos omnes abſolutam neceſſitatem revelatæ Doctrinæ , ac Theologiæ Supernaturalis : atque hinc deducerent , immenſo Dei beneficio & maximo noſtro emolumento univerſa , & quæ pervia & quæ impervia naturali rationi ſunt , ſubjecta fuiſſe Fidei Supernaturali , ac Theologiæ revelatæ , *quæ eſt una ſcientia de omnibus rebus , & ſignis , in quantum ordinantur ad unum , quod eſt alpha , & omega* , ut ſcribit Doctor Seraphicus (*in Prolog. art. 1. q. 1.*)

*35. A ſubtili Doctore accurate & perſpicue proponitur ſtatus hujus controverſiæ.*

35. In primis Scotus propoſitæ quæſtionis momentoſæ ſtatum , quaſi cum noſtri temporis Naturaliſtis cominus congrederetur , ſic ad vivum expreſſit , ac poſtea nervoſe illam diſſolvit ( Qu. 1. Prol. ) *Utrum ſit neceſſarium ſpecialem quamdam doctrinam ſupernaturalem homini viatori revelari , quam naturali intellectus lumine aſſequi nequeat ? Varia profecto hac in re eſt Theologorum & Philoſophorum ( Ariſtotelis potiſſimum , & ſequacium ) opinio . Hi enim naturæ perfectionem plus quam oporteat , extollentes , ſupernaturalem negant perfectionem . Aſſerunt itaque nullam ſupernaturalem cognitionem homini pro hoc ſtatu eſſe neceſſariam ; ſed quod per cauſſas naturales , quæ ſunt intellectus , & objectum , omnem ſibi neceſſariam cognitionem conquirere poſſit . Quibus refragantur Theologi auctoritatibus , primum Sacræ Scripturæ , & Sanctorum Patrum , deinde rationibus .*

*36. Idem Doctor triplicis generis momenta producit ad ſtabiliendam neceſſitatem Doctrinæ revelatæ.*

36. Inter varia argumenta receptæ apud Theologos Sententiæ hæc profert . 1. Ex Scriptura : Baruch. c. 3. *Non eſt qui poſſit ſcire vias ejus ( naturaliter videlicet ) , ſed qui ſcit univerſa , novit eam . Unde conſequens eſt , ut nullus ſapientiam hanc habere poſſit , niſi a ſciente univerſa , Deo videlicet . Proinde adnectit Propheta : Tradidit eam Jacob puero ſuo & Iſrael dilecto ſuo* . 2. Ex ratione : *Omni agenti per cognitionem neceſſaria eſt diſtincta cognitio ſui finis : atqui homo ex naturalibus nequit diſtincte ſuum cognoſcere finem : neceſſarium proinde eſt , ut ſupernaturaliter illi reveletur* . 3. Ex S. Auguſtino , qui ( *lib. 18. de Civit. Dei cap. 41.* ) inquit : *Quid agit , aut quo , vel qua , ut ad beatitudinem perveniatur , humana ſe porrigit infelicitas , ſi divina non ducit auctoritas ?* alludens ſcilicet *ad innumerabiles controverſias Philoſophorum diſſidentium , non de agris , & domibus , vel de quacunque pecuniaria ratione , ſed de his rebus , quibus aut miſere vivitur , aut beate :* in quibus *quidquid Philoſophi quidem inter falſa , quæ opinati ſunt , verum videre potuerunt neſcientes fuere , ad quem finem , & quonam modo eſſent iſta omnia referenda .*

*37. Doctor Seraphicus clare in lumine collocat eamdem ſententiam , deſignando præcipuos Gentilium errores.*

37. D. Bonaventura idem argumentum proſequitur , & illuſtrat ſequenti verborum ſerie , quæ brevitatis cauſſa ſic connexa damus , cum ſparſim , & aliis conjuncta occurrant ( in ejus *Serm. 6. & 7. in Hexam.* ) ubi verba Geneſ. *Vidit Deus lucem , quod eſſet bona , & diviſit lucem a tenebris* , interpretatur in hoc myſtico ſenſu . *Philoſophi antiqui in tenebris fuerunt . Ad hoc venerunt nobiles eorum , quod eſſet principium , & finis , & ratio exemplaris : ſed aliqui negarunt in ipſa prima cauſſa exemplaria rerum . Ex quo triplex intelligentia veritatis occultatur , ſcilicet veritas artis æternæ , divinæ providentiæ , & ruinæ Angelicæ . Ex quo ſequitur triplex cæcitas , ſcilicet de æternitate Mundi , de unitate intellectus , de pœna & gloria . Hi ergo ceciderunt in errores , nec fuerunt diviſi a tenebris , licet enim magna lux videretur in eis præcedentibus ſcientiis , tamen omnino extinguitur per errores prædictos .*

*38. Ex grandibus Philoſophorum Paganorum erroribus deducit idem Doctor præſtantiam , & utilitatem Chriſtianæ Fidei.*

38. Pergit Seraphicus . *Alii Philoſophi , qui fuerunt cultores unius* Dei , *qui omnia bona poſuerunt in optimo Deo , qui poſuerunt virtutes exemplares , a quibus fiunt virtutes Cardinales , videbantur illuminati ; ſed adhuc iſti in tenebris fuerunt , quia non habuerunt lucem Fidei . Unde primo poſuerunt falſam beatitudinis circulationem , ſecundo falſam præſentium meritorum ſufficientiam , tertio internarum virium falſam incolumitatem . In has tres tenebras inciderunt , quia ſine mediatore , ideſt , ſine homine Chriſto philoſophati ſunt , quem nec venturum Prophetis , nec veniſſe Apoſtolis crediderunt ; morbum neſcierunt , cauſſam ignoraverunt , Medicum , & Medicinam non agnoverunt . E contra Fides purgat tenebras , docet morbum , ſanat animam ponendo meritorum radices in Deo , cui placeat , & ſic proficit per fidem in ſpem certam per meritum Chriſti , non præſumptuoſe . Has radices ignoraverunt Philoſophi . Fides ergo ſola diviſit lucem a tenebris . Nos autem habemus lucem Fidei ; unde Apoſtolus : eratis aliquando tenebræ , nunc autem lux in Domino .*

*39. Qui humanæ ſaluti , ac felicitati conſulatur, Angelicus Doctor probat , a Di-*

39. Ne amicum ab amico ſeparemus , quos peculiaris amor in uno crucifixo Domino arctiſſime conglutinavit , atque ex eadem ſubinde Magiſtrali Cathedra præcones reddidit eximiæ doctrinæ , qua univerſa eruditur Eccleſia , S. Bonav. confeſtim excipiat Thomas Sanctus . Hic quæſtionem eamdem pluribus in locis pertractans ea protulit momenta pro communi Theologica Sententia , quæ cordatum quem-

*vina Revelatione maxime potendam cognitionem veritatum, ſeu Supernaturalis, ſeu naturalis ordinis.*

quemlibet movent, & adigunt, ut Revelationis ſupernæ neceſſitatem, utilitatemque non utcumque admittat, ſed omnino extendat ad omne genus rerum, quas oportet homini præcognitas eſſe, ut recte operando poſſit tuto adipiſci ultimum ſuum finem. Eum ad ſcopum in primis (*lib. 1. contra Gen. cap. 3.*) diſtinguit veritates duplicis ordinis. *Quædam namque vera ſunt de Deo, quæ omnem facultatem humanæ rationis excedunt, ut Deum eſſe trinum, & unum: quædam vera ſunt, ad quæ etiam ratio naturalis pertingere poteſt, ſicut eſt Deum eſſe, Deum eſſe unum, & alia hujuſmodi; quæ etiam Philoſophi demonſtrative de Deo probaverunt, ducti naturalis lumine rationis.*

*40. Plurima circa Deum, reſque Divinas ſunt Fide indubie a nobis tenenda, etſi naturalem mentis noſtræ vim exſuperent.*

40. Quoniam de iis veritatibus, quas naturalis ratio aſſequitur, nullum exiſtit dubium, ad aliarum dumtaxat rationis captum tranſcendentium extantiam comprobandam adverſus incredulos naturaliſtas varia ſubnectit argumenta, quorum poſtremum illud eſt. *Quod autem ſint alia intelligibilia Divinorum, quæ humanæ rationis penitus excedant ingenium, manifeſte apparet ex defectu, quem in rebus cognoſcendis quotidie experimur. Rerum enim ſenſibilium plurimas proprietates ignoramus, earum proprietatum, quas ſenſu apprehendimus, rationem perfecte in pluribus invenire non poſſumus. Multo igitur amplius illius excellentiſſimæ Subſtantiæ tranſcendentis omnia intelligibilia humana ratio inveſtigare non ſufficit. Huic etiam conſonat dictum Philoſophi in l. 2. Metaphyſ. aſſerentis, quod intellectus noſter ſic ſe habet ad prima entium, quæ ſunt manifeſtiſſima in natura, ſicut oculus veſpertilionis ad Solem. Huic etiam veritati Sacra Scriptura teſtimonium perhibet. Dicit enim* Job. c. 36. *Ecce Deus magnus vincens ſcientiam noſtram. Non igitur omne, quod de Deo dicitur, quamvis ratione inveſtigari non poſſit, ſtatim quaſi falſum eſt abjiciendum, ut Manichæi, & plures infidelium putaverunt.* Quod quidem noſtro tempore *Sociniani* præſertim contendunt, ſtatuentes pro Fidei regula humanam rationem; ſcilicet ut nihil reapſe credant, & veterum Hæreſiarcharum errores poſſint pro arbitrio ſuo aſſumere, & ſimplicioribus glaucoma offundere ſua vana Chriſtianæ Religionis profeſſione.

*41. Multiplex afferatur ratio evincens, utilem & neceſſariam fuiſſe Divinam Revelationem, etiam quoad veritates, quæ poſſunt naturali lumine cognoſci.*

41. His præſtructis, ad utrumque genus veritatum neceſſarium fuiſſe Divinæ Revelationis lumen oſtendit (ſequentibus duobus *cap. 4 & 5.*) *Duplici igitur veritate Divinorum intelligibilium exiſtente, una ad quam rationis inquiſitio pertingere poteſt, altera, quæ omne ingenium humanæ rationis excedit, utraque convenienter divinitus homini credenda proponitur: hoc autem de illa primo oſtendendum eſt, quæ inquiſitioni rationis pervia eſſe poteſt; ne forte videatur, ex quo ratione haberi poteſt, fruſtra id ſupernaturali inſpiratione credendum traditum eſſe. Sequerentur tamen tria inconvenientia, ſi hujus veritas ſolummodo rationi inquirenda relinqueretur. Unum eſt quod paucis hominibus cognitio Dei ineſſet. A fructu enim ſtudioſæ inquiſitionis, quæ eſt veritatis inventio, plurimi impediuntur tribus de cauſis; quidam ſiquidem propter complexionis indiſpoſitionem, quidam neceſſitate rei familiaris, quidam pigritia. Secundum inconveniens, quod illi qui ad prædictæ veritatis cognitionem pervenirent, vix poſt longum tempus pertingerent, tum propter hujuſmodi veritatis profunditatem, tum propter multa, quæ præexiguntur. Tertium inconveniens, quod inveſtigationi rationis humanæ plerumque falſitas admiſcetur propter debilitatem intellectus noſtri in judicando, & phantaſmatum permixtionem. Salubriter ergo Divina providit Clementia, ut ea etiam, quæ ratio inveſtigare poteſt, fide tenenda præciperet; ut ſic omnes de facili poſſent divinæ cognitionis participes eſſe, & abſque dubitatione, & errore.*

*42. Altera apponitur valida ratio, quæ id ipſum multo magis perſuadet de reliquis veritatibus prætergredientibus ſphæram intellectus humani.*

42. Proſequitur (*cap. 5.*) loquens de veritatibus alterius ſuperioris ordinis. *Videtur autem quibuſdam fortaſſe non debere homini ad credendum proponi illa, quæ ratione inveſtigare non ſufficit: cum Divina Sapientia unicuique ſecundum modum ſuæ naturæ provideat. Et ideo demonſtrandum; quod neceſſarium ſit homini divinitus credenda proponi etiam illa, quæ rationem excedunt. Nullus enim deſiderio & ſtudio in aliquid tendit, niſi ſit ei præcognitum. Quia ergo ad altius bonum, quam experiri in præſenti vita poſſit humana fragilitas, homines per Divinam Providentiam ordinantur, ut in ſequentibus inveſtigabitur, oportet mentem evocari in aliquid altius, quam ratio noſtra in præſenti poſſit pertingere: ut ſic diſceret aliquid deſiderare, & ſtudio tendere in aliquid, quod totum ſtatum præſentis vitæ excedit: & hoc præcipue Chriſtianæ Religioni competit, quæ ſingulariter bona ſpiritualia & æterna promittit; unde & in ea plurima, humanum ſenſum excedentia, proponuntur.* Similia leguntur repetita etiam in Summa (*tum part. 1. q. 1. art. 1. tum 2. 2. q. 2. art. 4.*)

*43. Angelici ſemitis inhærens Richardus oſtendit hominem viatorem indigere revelata Doctrina, ut rite imbuatur veritatibus naturalis, & ſupernaturalis ordinis.*

43. Demum Richardus de Mediavilla, qui ita fuit Subtilis Magiſtri diſcipulus, ut ſimul



ſimul etiam eſſet cultor Angelici, cujus propterea & ſententias ſæpe adoptavit, & mirabilem docendi perſpicuitatem feliciter eſt æmulatus (*lib. 1. q. 1. Prologi ſent.*) hæc ipſa, quæ ex D. Th. nunc audivimus, decernit, ac brevibus probat, videlicet *Doctrinam Theologicam eſſe nobis neceſſariam principaliter propter illa, quæ de Deo non poſſunt a nobis cognoſci niſi per revelationem: & ex conſequenti etiam propter cognitionem aliorum, quæ de Deo poſſumus cognoſcere per humanam inveſtigationem, & propter excitationem noſtri affectus ad efficaciorem Dei dilectionem, quæ etiam juvat intellectum ad cognitionem.* Cum autem Scoto monente (*n. 35.*) Gentiles *Philoſophi naturæ perfectionem plus quam oportet extollerent, ut ſupernaturalem perfectionem*, ac ſcientiam eliminarent; idcirco Richardus oſtendit deinceps, quidnam præſtare valeat Philoſophia tantopere decantata.

*44. Aperitur, quale adjumentum ex Naturalibus Scientiis proveniat homini ordinato ad finem ſupernaturalem.*

44. *Cum dicis, quod Philoſophicæ Scientiæ ſufficienter ordinant animam, quia Philoſophia, ſicut dicit Algazael, non eſt niſi ordo animæ, dico quod non eſt verum per comparationem ad felicitatem veram, & ideo ſuper Philoſophicas fuit iſta doctrina Theologiæ neceſſaria ad ordinandum animum per comparationem ad felicitatem æternam, quæ eſt felicitas ſine miſeria: & etiam multum juvat, ut anima ordinetur per comparationem ad felicitatem politicam, & pluſquam Philoſophicæ ſcientiæ: Non nego tamen, quin Philoſophicæ doctrinæ juvent illis bene utentem ad ſe diſponendum ad futuram felicitatem. Unde ex Avicenna omnes Scientiæ conveniunt in una utilitate, quæ eſt acquiſitio perfectionis humanæ animæ in effectu præparantis eam ad felicitatem futuram.*

*45. Sanus ſenſus proponitur, in quo admitti poſſunt elogia Philoſophiæ apud Tullium conſignata.*

45. Tum examinans elogium Tullii ajentis in Tuſculanis, *Philoſophiam mederi animis, inanes ſollicitudines detrahere, cupiditatibus liberare, pellere livores*, adeoque exterminare præcipuas duas peccatorum radices, quas D. Auguſt. ſuper Pſalm. reducit *ad amorem male inflammantem, & timorem male humiliantem*, hæc ſubdit: *Quod tu arguis per auctoritatem Tullii, Philoſophia liberat cupiditatibus, pellit timores, ſecundum quod habent impedire politicam felicitatem, de qua loquitur* Phil. lib. 1. Ethic. *& felicitatem contemplativam, quæ poteſt acquiri ex naturalibus, de qua loquitur* Phil. lib. 10. Ethic. *Quæ felicitates non ſunt felicitates niſi ſecundum quid; multis enim miſeriis ſunt permixtæ. Sed Sacra Scriptura*, adeoque etiam Theologia, quæ *Scientia eſt Sacræ Scripturæ ſubalternata* ex D. Bonav. (q. 2. Prolog.) *docet fugere cupiditates male inflammantes, & timores male humiliantes, ſecundum quod ſunt impedimenta deveniendi ad felicitatem veram, quæ conſiſtit eſſentialiter in clara Dei viſione, & perfecta ejus fruitione, & ſecuritatis perfectione, quæ felicitas ex puris naturalibus acquiri non poteſt. Et propterea magis juvatur homo per Theologiam, quam per Philoſophiam tantum.*

*46. Extant peculiares notæ Doctrinæ divinitus revelatæ. Harum ope conſtat, illam contineri in Codice Bibliis, adeoque a ſola Eccleſia Chriſtiana, & Catholica proponi.*

46. Jam vero ſatis non eſt perneceſſarias credere homini ad beatitudinem ſupernaturalem ordinato ſupernas Dei revelationes tum circa finem ultimum, tum circa media eidem aſſequendo neceſſaria, niſi quæ quales illæ ſint, & ubinam repeꝛiantur expreſſæ, præterea ſciatur. Plures namque prophanæ Nationes, & Sectæ nefariæ poſſunt numerari, quæ illas jactitant, cum tamen reapſe non niſi aut dæmonum figmentis, aut hominum deliriis adhæreant. Ad evitandam in re iſta deceptionem omnem certa quædam ſigna attendi debent, quæ veram Divinamque revelationem tuto demonſtrant, atque a falſa quacunque ſecernunt. Solent ea a noſtratibus Theologis appellari *motiva credibilitatis*, ſeu rationes ad Fidem inducentes ſanæ mentis hominem; cumque (ut iidem opportuno loco accurate demonſtrant) ſolis illis Canonicis Scripturis aptari queant, quas ſervat Chriſtiana & Catholica Eccleſia: exinde diſcimus Doctrinæ divinitus revelatæ ſeriem in hujuſmodi Scripturis comprehenſam eſſe; adeoque ſupernaturalem Dei Religionem penes eum dumtaxat hominum cœtum extare, qui Eccleſiæ ipſius magiſterio edocti talibus credunt Scripturis, uti ſunt omnes illi, quibus, ut ait *S. Pacianus* (*epiſt. 1. ad Symphorianum*) *Chriſtiani nomen eſt, Catholici vero cognomen*, videlicet Romanæ Communionis Fideles.

*47. Recenſentur ex Scoto octo præclara indicia Divinæ Revelationis in Sacris Scripturis expreſſa.*

47. Prædicta Divinæ revelationis ſigna ſoli Sacræ Scripturæ aptiſſime convenientia Scotus præ cæteris ingenioſe collegit, atque ad numerum octonarium revocavit (*Quæſt. 2. Prolog.*) monens, eadem inſervire poſſe *refellendis in communi innumeris hæreſibus, Sacram Scripturam, vel ejus partem reprobantibus*. Sunt autem 1. *Prænunciatio Prophetica*. 2. *Scripturarum concordia*. 3. *Auctoritas ſcribentium*. 4. *Diligentia recipientium*. 5. *Rationabilitas contentorum*. 6. *Irrationabilitas ſingulorum errorum*, qui ſcilicet in Sectis Hæreticorum, aut Infidelium extra Eccleſiam Catholicam defenduntur. 7. *Stabilitas Eccleſiæ*. 8. *Miraculorum auctoritas*. Quiſquis ſingulorum explicationem deſiderat, integram illam Quæſtionem percurrat, itemque Se-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

Seraphicum Doctorem adeat, qui de pleriſque diſſerit ( *Serm. 9. in Hexamer.* ) Inter poſteriores Scriptores, qui hanc ſpartam ornarunt, digni ſunt ut legantur Eminentiſs. Cardin. Gotti in Opere *De Veritate Chriſtianæ Religionis*, atque egregius ſimul Orator & Theologus P. Segnerius in Opere lingua noſtra vernacula conſcripto ſub hoc titulo: *L'Incredulo ſenza ſcuſa*.

*48. Quamvis Fides, Scriptura, & Theologia referantur ad eamdem Doctrinam Revelatam, nihilominus differunt inter ſe.*

48. Quandoquidem Fides Chriſtiana, Sacra Scriptura, Theologia ſupernaturalis circa unam eamdemque Doctrinam nobis divinitus revelatam verſantur, dubium ſuboriri poteſt, quomodo hæc tria inter ſe diſcernantur. D. Bonaventura (*Qu. 1. Prolog.*) ubi Libris Sententiarum, ſeu Theologicæ Scientiæ *Credibile* ſubſternit ceu *univerſale ſubjectum*, ſequentibus verbis illud diluit. *Credibile, ſecundum quod habet in ſe rationem primæ veritatis, cui fides aſſentit propter ſe. & ſuper omnia pertinet ad habitum fidei. Secundum vero quod ſuper rationem veritatis addit rationem auctoritatis, pertinet ad doctrinam Sacræ Scripturæ, de qua dicit Auguſtinus ſuper Geneſ. ad lit. Quod major eſt ejus auctoritas, quam humani ingenii perſpicuitas. Sed ſecundum quod ſupra rationem veritatis, & auctoritatis addit rationem probabilitatis, pertinet ad conſiderationem præſentis Libri, in quo ponuntur rationes probantes fidem noſtram. Unde Magiſter dicit in Prologo, quod propoſitum ſuum eſt fidem noſtram clypeis Davidicæ turris munire, hoc eſt, ad probandam fidem rationes adducere: non, inquam, fidem ſecundum habitum, ſed ſecundum creditum. Et ſic patet, quomodo differenter eſt fides de credibili, & libri de Canone Sacræ Scripturæ, & præſens Scriptura.* Atque hæc de Revelata Doctrina ſatis ac ſuper quantum ad ſcopum noſtrum.

*49. Traditur adæquata deſcriptio Theologiæ Moralis, & indicatur methodus, qua tractari debet.*

49. Jam minime operoſum erit genuinam ideam efformare Theologiæ moralis Chriſtianæ, ſimulque legitimam methodum apprehendere illam pertractandi. Ea facultas eſt nobiliſſima atque utiliſſima, quæ tum rectæ Rationis dictamina, tum revelatæ præſertim Religionis decreta, ad omnem morum informationem, atque ad ultimi beatiſſimi Finis aſſecutionem pertinentia, ſinu ſuo complectitur, & artificioſa methodo jamdiu in Scholas laudabiliter inducta proponit ac declarat, cunctas ſuas poſitiones, quoad fieri poteſt, firmando aut effatis Sacræ Scripturæ, aut Eccleſiaſticæ Traditionis & Confeſſionis monumentis; aut Conciliorum & Pontificum Summorum Canonibus, aut veterum Patrum & ſubſequentium Doctorum teſtimoniis, aut demum rationibus exinde deductis plauſibili argumentatione: verbo, recurrendo ad *Locos Theologicos*, hoc eſt ad communes illos fontes, unde quotquot ſunt veri nominis Theologi ſolent, ac debent probationes ſuorum dogmatum elicere, ut *potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere*, quemadmodum Apoſtolus loquitur ( *in Epiſt. ad Titum cap. 1.* )

*50. Quinam intelliguntur nomine Doctorum Scholaſticorum qui in locum veterum Patrum continuata ſerie ſuccedentes, auctoritati ſuæ præſidium præſtant Theologicis placitis.*

50. Nomine autem *Doctorum* Sanctis Patribus poſteriorum, non qualeſcumque promiſcue Scriptores, ſed eos utique intelligere oportet, quos pro ſua facultate ac modo conſtat benemeritos de Sacra Theologia, de Scholis Catholicis, de Eccleſia; utpote *enutritos verbis fidei, & bonæ doctrinæ* (1. ad Timoth. cap. 4.) & *Magiſtros non prurientes auribus* (2. ad Timoth. cap. 4.) ſed potius *amplectentes eum, qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem* (ad Titum cap. 1.) proindeque palam ſeu voce, ſeu ſcriptis *loquentes, quæ decent ſanam doctrinam* (cap. 2.). Hujuſce namque ingenii, ac temperaturæ Theologi ſunt, quorum auctoritas, ubi in aliquo morali dogmate adſerendo ſimul conſpirant aut univerſi, aut plerique inſigniores, valde gravis ac ferme decretoria exiſtit; quia tunc plusquam probabile exhibent judicium, ſic ferre Eccleſiaſticam traditionem, juxta regulam Tertulliani (*lib. de præſcr.*) *quod apud omnes unum eſt, non eſt erratum, ſed traditum*.

*51. Probabilitas extrinſeca Moralium Doctrinarum non tam a numero, quam a qualitate Auctorum pendet.*

51. Hinc oppido falluntur, ſecumque alios præcipites trahunt, qui volentes doctrinis ſuis Moralibus probabilitatem *extrinſecam* quam poſſunt majorem conciliare, atque a ſuis ſyſtematibus longius avertere labem ſingularitatis ſive novitatis, quam conſtat eamdem prorſus eſſe ac falſitatem juxta Vincentii Lirinenſis monitum ( *in Commonit. ad Hæreſ.* ) *non dicas nova, ſed nove*, magna cura Theologos ſcribunt ſeu ex propria, ſeu ex aliena Schola, & undequaque poſſunt, Fautores colligunt, non tam qualitatem quam copiam commilitonum attendendo, quaſi non meritis penſandi forent Eccleſiaſtici Theologi, ſed ſolum digitis numerandi. Ex quo fit, ut numeroſum manipulum jam nacti, paſſim poſtea in fingendis ſuis theſibus nominent opinionem aut *communem*, aut *fere communem*, aut *communiorem*, cum tamen, ſi aucupatorum ſuffragiorum numerus exigatur ad theologicam computandi rationem, opiniones illæ habendæ ſint longe minus communes, adeoque a quovis cordato Theologo deſerendæ juxta D. Bonaventuræ præceptionem, qui (*Serm. 19. in Hexamer.*) modum legitimum ſtudendi aſſignans, & de Commentariis Theologorum Scholaſticorum loquens ita ſcribit: *in Summis Magiſtrorum homo debet cavere, ut ſemper adhæreat viæ magis communi.*

52. Eam



*52. Id ipſum confirmatur atteſtatione illuſtrium Virorum, & praxi Romanæ Curiæ.*

52. Eam ad rem Cl. Proſper Fagnanus ( *in 1. lib. Decret. de Conſtit. C. Ne innitaris n. 347. 348. 476. & ſeq.* ) plures recenſet graviſſimos Juriſperitos, ac Theologos, qui prædictum errorem reprehendunt. Inter alia, quæ ibidem profert teſtimonia, ſunt hæc notatu digna. Joannes Major (*in 4. Sent. Qu. 2. Prol. 3.*) *Non ſemper habendus eſt oculus ad multitudinem dicentium, ſed ſapientiam cum numero ponderabis, quia ſicut duos vel tres debiliores valet unus fortis; ſic unus oculatus materiam diligenter inquirens, tres alios inferiores valet.* Martinus Navarrus (*in Man. Confeſſ. cap. 27. n. 289.*) *Communiorem exiſtimarem illam opinionem, quam ſex vel ſeptem Auctores claſſici rem ex profeſſo tractantes aſſererent, quam probatam a quinquaginta ſola fere auctoritate priorum ductis; ut dicit Alexander relatus a Gomez qu. 2. Proœm. Reg. Cancellariæ.* Hinc laudatus Fagnanus, qui Summis ſex Pontificibus ſtrenuam navavit operam in hac Romana Curia, poſtquam *de jure veriſſimam* oſtendit theſim, in qua ſtatuit ex variantibus opinionibus *eligendam eſſe veriorem, & melioribus rationibus fulcitam*, relicta contraria tametſi *communi* in ſenſu indicato; hoc eſt a Scriptoribus aſſerta ſola auctoritate aliorum ductis, confirmat eamdem theſim praxi ipſius Romanæ Curiæ, dicens ( *n. 347.* ) *Servatur tam in Rota, quæ communem opinionem non ſequitur, quando apparet contrariam eſſe veriorem, & validioribus ſubnixam rationibus, quam in Sac. Congregatione Concilii, quæ propterea in caſibus contingentibus ſæpe mandavit, ut videretur de veritate communis opinionis.*

*53. Plures recentioris ætatis Scriptores Catholici aliena prorſus, & illegitima methodo Theologiam Moralem tradiderunt.*

53. Porro autem, cum evidentia & inconcuſſa prorſus ſint apud Catholicos & Sapientes omnes, quæcumque fuerunt ſuperius tradita, partim de Revelatæ Doctrinæ præſtantia, neceſſitate, utilitate ( *num. 24. & ſeq.* ) partim de Theologiæ Moralis indole, ejuſque propria docendi methodo ( *num. 9. 10. 49. & ſeq.* ) mirari valde ſubit, qui fieri potuerit, ut poſtremis hiſce temporibus, in quibus pleræque Artes ac Scientiæ, diutino ſquallore confectæ, feliciter reſtauratæ, & decori nativo reſtitutæ, complures Chriſtiani nominis Theologi ac publici morum Magiſtri in pertractanda & edocenda hac Sacra Facultate Practica tam ſtudioſe humanis rationibus velificari, tantum coæqualium, & coævorum ſibi Scriptorum opinamentis famæque deferre voluerint, ut *Theologicos* communes Fontes ſeu Locos videantur ferme neglexiſſe: ac propterea non tam Scientiam, quæ vere Theologia Moralis ſit, ſuis auctoribus aut ſectatoribus tradidiſſe, quam Scientiæ iſtius larvam deformem, inconditam, infrugiferam; ut pote magna ex parte expertem *Salutaris illius morum Diſciplinæ*, quæ teſtimonio Tridentinorum Patrum ( *ſeſſ. 4.* ) *continetur in Libris ſcriptis, & ſine ſcripto Traditionibus, quæ ab ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ, aut ab ipſis Apoſtolis Spiritu Sancto dictante, quaſi per manus traditæ ad nos uſque pervenerunt*: quibus quidem præſidiis ipſamet Œcumenica Synodus conſtanter uſa eſt *in confirmandis Dogmatibus, & inſtaurandis in Eccleſia moribus*.

*54. Methodus illa plane vitioſa, ac nova, juſtas ob cauſſas reprehenditur, ſalvo, qui cuſtodiri debetur honore juxta Leges Chriſtianas.*

54. Dum talia *univerſim* dico ( nulli nominatim ſive Auctori, ſive Scholæ, ſive Cœtui detrahere, aut invidiam creare intendens, ſed ſolo amore veritatis ſalutaris tuendæ, ac ſtudioſæ Juventutis præmuniendæ deſiderio ) nihil utique ex meo cerebro fingo, nihil exaggero. Innoteſcunt ea cuncta per ſeſe unicuique vel Litterariam Hiſtoriam legenti, quæ eſt de varia Theologiæ Moralis fortuna, vel ipſamet Auctorum hujuſmodi volumina percurrenti, vel graves attendenti Romanorum Antiſtitum ( *Alexandri VII. in Decret. 7. Sept. 1665. & Benedicti XIV. in Epiſt. Encycl. 26. Jun. 1749.* ) querimonias *de luxuriantium ingeniorum licentia*, ac de *modo opinandi in rebus ad conſcientiam pertinentibus, alieno omnino ab Evangelica ſimplicitate, Sanctorum Patrum Doctrina*; vel tandem ſeriem recognoſcenti plurimarum propoſitionum, quas ab iiſdem Auctoribus *noviter invectas*, primum florentiſſimæ Academiæ Lovanienſis, ac Pariſienſis, dein Apoſtolica Romana Sedes confixere, ceu *Chriſtianæ Diſciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes*, (*Alexander VII. in Decret. citat.* ) tamquam *laxas, & periculi plenas, falſas, ſcandaloſas, pernicioſas*, ( *Benedictus XIV. in Conſtit.* Deteſtabilem *19. Nov. 1752.* ) *ut falſas, temerarias, piarum aurium offenſivas, & hæreſi proximas*. ( *Clemens XIII. in Decreto Cong. General. Sanctæ Romanæ Inquiſitionis, 26. Feb. 1761.* )

*55. Theologiæ Moralis deformatio, Apoſtolicæ Sedis monumentis manifeſte demonſtrata, Eccleſiæ noſtræ* [illegible]

55. Sunt igitur, quæ obiter ac per tranſennam præmonuimus, & notiſſima & veriſſima, unde pluribus eadem comprobare haud neceſſarium, præſertim cum Viri in republica litteraria ſatis famigerati hanc operam jam occupaverint, & eorum cenſoria ſcripta ſint longe lateque pervagata. Dolendum nobis magis eſt, quod ob hujuſcemodi doctrinarum moralium flagitia ( uti ego reor, non ex perverſo ſcribentium animo, ſed ex illegitima ſtudendi methodo profecta ) vehementius increverit

H 2

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

*dedecus & damnum attulit, ultra quam credi poſſit.*

verit Eccleſiæ gemitus, cujus jam in pace amaritudo amariſſima. Ipſa namque hinc vidit illatam Theologiæ Sacræ cladem, Chriſtianæ Diſciplinæ corruptelam, regenitis animabus perniciem; illinc audiit nedum plurium Filiorum graves queſtus, ſed & procacia ſibila inimicorum, qui (ut Eruditis probe compertum) ad ipſius contumeliam irriſionemque linguas & calamos in dies acuunt, hoc præſertim nomine, quod gremio ſuo ſuſtineat tam ineptos Theologiæ commentatores, ac tantarum novitatum, errorum, ſubtilitatum architectos, qui ne in Porticu quidem Stoica plauſum poſſent invenire. Itaque non abſque cauſſa de Republica Chriſtiana ſolliciti optimeque meriti Viri nihil aut frequentius aut ardentius deſiderant, quam ut exactior & tum ad ſolidam Moralem ſcientiam, tum ad pietatem ſinceram accommodatior methodus opinandi, docendi, ſcribendi teneatur ab univerſis Romanæ Communionis Theologis.

*56. In Theologis Moralibus & Confeſſariis reprehenditur neglectus Scripturarum, & Canonum.*

56. Profecto, quam abſonum ſimulque periculoſum ſit res Theologicas pertractare, conſcientiæ controverſias examinare, forum Poli gubernare, utendo potius ratione vel auctoritate humana, quam Sacra Divinarum Litterarum, & Eccleſiaſticorum Patrum oracula conſulendo, quilibet intelligit qui vel ſolam callet *Theologiæ Revelatæ* definitionem. Audiatur, quæſo, D. Bonav. (*Præfat. in Confeſſion.*) *Cum, ſecundum B. Gregorium de Cura Paſtorali, ſit ars artium regimen animarum, & occultiora ſint vulnera cogitationum, quam viſcerum, horrendum projecto eſt videre quoſdam Sacerdotes noſtri temporis, qui Sacram Scripturam, in qua præfati regiminis ars ſufficientiſſime traditur, & Jura Canonica, & ſcripta Doctorum, in quibus pleniſſime declaratur, vel per torporem legere negligunt, vel per ignorantiam neſciunt; & tamen cordis medicos in audiendis confeſſionibus ſe profiteri impudenter non metuunt: quando qui pigmentorum vim neſciunt, videri carnis medici erubeſcunt.* Ad quæ verba hanc apponit gloſſam perdoctus P. Chriſtophorus a S. Joſeph Collegii Salmanticen. Rector *in tract.* De Reg. Morum (*par. 2. qu. 2. art. 2.*) *Hæc S. Bonav. qui ut Eccleſiæ lumen nobis ab ipſa Eccleſia proponitur: Si de ſolo Sacerdote particulari ſic loquitur; quid diceret de Scriptore ſeu Doctore, qui pro animarum directione univerſaliter ſcribit & docet ſine aliquo recurſu ad Doctrinam Sacram, ut in pleriſque Auctoribus patet?*

*57. Teſtimonio Sanctorum Chryſoſtomi, & Auguſtini inſtruimur, ex theſauro Divinarum Scripturarum tuto ac plene hauriri Theologicas Doctrinas, ſeu practicas ſeu theoreticas.*

57. Sed multo antea S. Joannes Chryſoſtomus (*hom. 13. in 2. ad Cor.*) quaſi tale malum jam proſpiceret, hæc protulit, quæ ad præſentem ſcopum faciunt perbelle. *Non igitur multorum opiniones habeamus, ſed res ipſas, id eſt rei veritatem, inquiramus. Quomodo autem non abſurdum propter pecunias aliis non credere, ſed ipſas numerare, & ſupputare: pro rebus vero amplioribus ſententiam ſequi ſimpliciter, præſertim cum habeamus exactiſſimam trutinam, & gnomonem, & regulam, Divinarum, inquam, Legum aſſertionem? Et ideo obſecro, & oro omnes vos, ut relinquatis quidnam huic vel illi videatur, de quo his a Scripturis hæc omnia inquirite.* Ac merito quidem; *tanta eſt enim Chriſtianorum profunditas Litterarum*, inquiebat S. Aug. (*Ep. 2. ad Voluſianum*) *ut in eis quotidie proficerem, ſi eas ſolas ab ineunte pueritia uſque ad decrepitam ſenectutem maximo otio, ſummo ſtudio, meliore ingenio conarer addiſcere.* Hinc cum variis ipſe difficultatum fluctibus pulſaretur circa ſubſtantiam Dei incorpoream, & immenſam, quam olim ex Platonicis Libris didicerat, ſola Scripturarum lectione fatetur ſe ex iiſdem feliciter emerſiſſe (*Lib. 7. Confeſ. c. 20. & 21.*) *Avidiſſime arripui venerabilem ſtylum ſpiritus tui, & præ cæteris Apoſtolum Paulum, & perierunt illæ quæſtiones. In illos libros me propterea, priuſquam Scripturas tuas conſiderarem, credo voluiſti incurrere, ut cum poſtea in Libris tuis manſuefactus eſſem, diſcernerem atque diſtinguerem, quid intereſſet inter præſumptionem, & confeſſionem, inter videntes quo eundum ſit, nec videntes qua, & viam ducentem ad beatificam patriam, non tantum cernendam, ſed & inhabitandam.*

*58. Scripturarum, & Patrum Abuſo quibuſdam olim Theologis Moralibus familiaris extitit.*

58. Minoris tamen mali loco habendum foret; ſi inſalutatis ferme Scripturis Patribuſque, quaſi exoticis aut ſupervacaneis, morum doctrina expoſita fuiſſet (quod a non paucis poſterioris ævi Auctoribus factitatum fuiſſe negari certe non poteſt, quicunque demum ii ſint; quod perſcrutari minime ad me attinet). Pernicies longe major, ac plane intoleranda in eo verſatur, quod tum Scripturarum tum Patrum teſtimonia fuerint quidem agnita, & producta ſæpiſſime a Moralibus Tractatoribus; ſed ſubinde ad eos ſenſus contorta, qui vel ipſis magis arridebant, vel probati erant Amicis, quibus non affectu aut obſequio ſolum, ſed doctrina quoque gratificari, & indulgere cura erat præcipua. Quonam præciſe tempore prodierint tam male feriati Theologi, haud cogas me divinare; Davus ſum enim, non Œdipus. Satis tibi ſcire, eos revera extitiſſe; non ætate quidem Sophorum Gentilium, apud quos alte invaluerant præclara Platonis, & Euripidis monita a Stobæo conſignata (*in Epitom.*



*in Epitom. Locor. Com.*) *Non quis dixerit, ſed quam recte dicatur, in quærenda veritate perpendendum. Qui ut complaceant, & delectent te, verba faciunt, eos tamquam malos præ foribus excludito*: ſed multo poſt inchoatam Æram Chriſtianam. Quod ſi hoc minime tibi perſuadere potes, adi P. Albertum de Albertis pietatis doctrinæque laude conſpicuum Scriptorem, qui ſcenam totius rei tibi aperiet, ita ut nequeas amplius ambigere.

*59. Pravitas Theologorum morem deprehendimus caſtigatum gravi ſermone Patris Alberti de Albertis.*

59. Hæc profert laudatus Scriptor (*Præl. ad tr. de Ornatu Mulier. n. 1.*) non utique aerem verberans, ſed homines alloquens & reprehendens. *Non pauci qui Moralium quæſtionum arbitros ſeſe conſtituunt, atque inter Theologos irrepere, & cenſeri cupiunt ſæpenumero, quamvis Divinarum Litterarum, priſcorumque Patrum ſententia perſpicua in controverſia aliqua ex adverſo obluctetur; nihilominus ut neſcio quibus ſuis placitis, nullo fundamento etiam innixis, ſerviliter ancillentur, ſuaque dogmata, quæ ſemel imbiberunt, præfracte tueantur, non plane apertam tam Sacris Codicibus, quam Patrum monumentis inferre, utroſque torquere, eludere, inflectere, laxare, ac traducere minime dubitant. Siquam enim mundi corruptelam valde uſitatam Scriptura Sacroſancta, & Patres improbant damnantque: ii omnem operam ſtatuendumque, quo hominum gratiam aucupentur, ejuſdem corruptelæ patrocinio ſuſcipiendo impendunt; atque ut impendant, eamdem Scripturam, & Patres ludibrio, quam religioni, habere malunt, ne dicam prodere. Hæc vero carnis prudentia ipſiſſima illa eſt* (concludit n. 6.) *quæ in animarum judicio ferendo perſonas hominum tuetur, quæ pro panis bucella veritatem deſerit.... at enim hæc & inimica Deo, & mors eſt ex Apoſtolo.* Putaſne Chriſtum Dominum fuiſſe crucis ſupplicio damnandum, ſi prædicatione ſua (quod erat ceteroquin a Deo alienum) adblandiri voluiſſet Primoribus illis, qui ſuper cathedram Moyſi tunc ſedebant?

*60. A Summo Pontifice Clemen. XIII. proponitur Eccleſiaſticis viris legitima Sacrorum Judiciorum forma, qua ſervata declinatur a vitiis hactenus enarratis.*

60. Verum non videtur conſultum diutius immorari in referendis damnis probroſiſque Sacræ Theologiæ Morali illatis ſuperiore memoria. E re magis erit curatius pervidere, quanam via nobis omnibus ſit deinceps incedendum, ne ab officii noſtri religione declinemus. Notus enim apologus a D. Auguſt. (*Epiſt. 29. ad Hier.*) expreſſus, *cum quidam ruiſſet in puteum, ubi aqua tanta erat, ut eum magis exciperet ne moreretur, quam ſuffocaret ne loqueretur, acceſſit alius, & eo viſo admirans ait: quomodo huc cecidiſti? At ille, obſecro, inquit, cogita quomodo hinc me liberes, non quomodo huc ceciderim quæras.* Porro ad votum nos rectiſſime inſtruet Summus Pontifex, & Univerſalis Eccleſiæ Magiſter, CLEMENS XIII. Sanctæ memoriæ, qui (*in Epiſt. Encycl. ad Univ. Epiſcop. 14. Septemb. an. 1758.*) hanc ſludendi formam Eccleſiaſticis Paſtoribus, quo morum ſanctimonia ſimul & doctrinæ luce reſplendeant, præſcribit inviolate ſervandam. *Ad puros ſanctoſque mores accedat oportet digna Eccleſiaſtico homine ab iis percepta doctrina. Scripturas cognitas habeant, omnis enim* (2. ad Tim. 3.) *Scriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia, ut perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus. Sacrum igitur utriuſque Fœderis Codicem, Eccleſiæ traditiones, Sanctorumque Patrum ſcripta, velut fontes, adeant; unde pura, & incorrupta Fidei, morumque doctrina profunditur.*

*61. Eamdem Studiorum Sacrorum formam conſtat ab Antiſtite ſummo fuiſſe Clero Eccleſiæ Patavinæ præſcriptam. Unde ſibi ſtent, ipſius conſtanter præſcriptam ſeminis Doctrina Theologica.*

61. Eadem ipſa pridem inculcaverat Spectatiſſimo Clero Patavino (*in Epiſt. Paſtor. hinc ſcripta an. 1743.*) ad illius Eccleſiæ regimen incredibili omnium bonorum gaudio aſſumptus: *Divinas Paginas, Sacroſancti Concilii Tridentini, Prædeceſſorum noſtrorum Decreta, familiares Sanctorum Patrum & præſertim Chryſoſtomi conciones, Acta Mediolanenſis Eccleſiæ Rectoribus animarum maxime utilia, & Sancti Caroli Borromæi ſpiritu plena, ſaniores morum Regulas ex limpidiſſimis fontibus hauſtas, Romanum Catechiſmum, & Rituale Parochorum, diurna nocturnaque manu verſare vobis ſummopere commendamus, ut decet diſpenſatores myſteriorum Dei.* Hæc ſunt ſapientiſſima præſcripta Antiſtitis Supremi, quibus ſi parebunt Eccleſiaſtici Viri, Sacrarumque Diſciplinarum ſtudioſi (parere autem omnino debent omnes) nullum dubium, quin brevi intervallo præclaram illius ſanæ Doctrinæ ſupellectilem ſint habituri, quam calamo Apoſtoli Timotheum ac Titum inſtruentis (*n. 50.*) delineavimus; ſicque futurum ſit optime conſultum & Moralis Theologiæ dignitati, & Eccleſiæ decori, & Fidelium utilitati.

*62. Ut generales ſtudendi regulæ a Summis Pontificibus præſcriptæ uſui demandentur, ex Sc-*

62. Ut autem Moralis quiſque Theologus haurire feliciter poſſit ex indicatis *limpidiſſimis fontibus ſaniores morum Regulas*, quas Bened. XIV. ejus Prædeceſſor *ſententias vocaverat, quibus magis ſuffragatur ratio, & auctoritas favet* (*in Epiſt. Encycl. ſuper præpar. ad Jubil. 26. Jun. 1749.*) omnino certa quadam methodo opus eſt, qua cogitationes, ratiocinationes, exercitationes noſtræ invicem rite diſponantur, ad hujuſmodi finem aſſequendum. At undenam licebit repetere ſcientificam

*electa Doctoribus, præſertim ex D. Bonav. addiſcenda methodus directiva ſtudiorum noſtrorum.*

cam iſtam methodum? in ea ſtatuenda determinandaque *non ſimus prudentes apud noſmetipſos* (ad Rom. c. 12.) *ſed os prudentis quæramus in Eccleſia, & verba illius cogitemus in cordibus noſtris* (Eccleſ. c. 21.) Chriſtus quippe Eccleſiæ dedit *Paſtores & Doctores, ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento Doctrinæ* (ad Epheſ. c. 4.) Quod ad me attinet, ex Prudentibus iſtis unum hic ſeligo, & propono *honorabilem cultu, & conſiliarium & ſapientem de architectis, & prudentem eloquii myſtici* (Iſa. c. 3.) Bonaventuram ſcilicet, qui (*Serm. 19. in Hexam.*) modum ſtudendi accurate demonſtrat cupientibus (*Eccleſ. c. 1.*) *ſcire prudentiam, atque doctrinam.*

*63. Modus ſtudendi Sacræ Scripturæ quatuor complectitur conditiones, quarum prima eſt ordo.*

63. Admonet ibidem Seraphicus Doctor *oportere nos operari in Sacra Scriptura, & exercitare intellectum*, ſecus ac multi faciunt, *exercitantes corpus, non ingenium*. Mox indicat, *modum ſtudendi debere habere quatuor conditiones; ſcilicet ordinem, aſſiduitatem, complacentiam, commenſurationem.* Ac de prima eaque præcipua conditione hæc docet. *Ordo diverſimode traditur a diverſis, ſed oportet ordinate procedere, ne de primo faciant poſterius vel e converſo. Sunt ergo quatuor genera Scripturarum, circa quæ oportet ordinate procedere, & exerceri. Primi libri ſunt Sacræ Scripturæ, ſecundi libri ſunt Originalia Sanctorum, tertii Sententiæ Magiſtrorum, quarti Doctrinarum Mundalium, ſive Philoſophorum. Qui ergo vult diſcere, quærat ſcientiam in fonte; quia apud Philoſophos non eſt ſcientia ad dandam remiſſionem peccatorum; nec apud Summos Magiſtrorum, quia illi ab originalibus extraxerunt; originalia autem a Sacra Scriptura: unde dicit Auguſtinus, quod ipſe decipi poteſt, & alii; ſed ibi eſt fides tanta, quod ibi non poteſt eſſe deceptio.*

*64. Ordo ſtudendi peculiarem ſupponit delectum, & cautelam in legendis Divinis Litteris, Sanctis Patribus, Theologis Scholaſticis, ac Philoſophis.*

64. Tum de ſingulis quatuor Scripturarum ſpeciebus diſſerens ita progreditur. *Primum igitur eſt, quod homo habeat Scripturam non ſicut Judæus, qui ſolum vult corticem: ad hanc etiam intelligentiam non poteſt homo pervenire per ſe, ſed per alios, quibus Deus revelavit: ſcilicet per originalia Sanctorum, & Auguſtini, Hieronymi, & aliorum: oportet ergo currere ad originalia Sanctorum. Sed quia iſta ſunt difficillima, ideo neceſſe ſunt Summæ Magiſtrorum, in quibus elucidantur difficultates: ſed cavendum eſt de multitudine ſcriptorum. Et quia iſta ſcripta adducunt Philoſophorum verba, neceſſe eſt quod homo ſciat, vel ſupponat iſta. Eſt periculum deſcendere ad originalia, quia pulcher ſermo eſt originalium; ſermo autem Scripturæ non ponit ſermonem ita pulchrum, unde ſi dimittis ſcripturam in libris Auguſtini ſtudens, ipſe non habet pro bono, ſicut nec Paulus nomen illorum, qui nomine Pauli baptizabantur. Sacra Scriptura in magna cautela legenda eſt. Majus autem periculum deſcendere ad ſummas Magiſtrorum, quia aliquando magnus eſt in eis error, & credunt ſe habere & intelligere originalia, & non intelligunt, immo eis contradicunt. Unde ſicut fatuus eſſet, qui vellet ſemper immorari circa tractatus, & nunquam accedere ad textum, ſic eſt de ſummis Magiſtrorum: in his autem homo debet cavere, ut ſemper adhæreat viæ magis communi. Deſcendere autem ad Philoſophiam eſt maximum periculum, non amplius revertendum eſt in Ægyptum. Magiſtri cavere debent, ne nimis commendent, & appretientur dicta Philoſophorum; ne hac ratione populus revertatur in Ægyptum, & exemplo eorum dimittant aquas Siloe, in quibus eſt ſumma perfectio, & vadant ad aquas Philoſophorum, in quibus eſt periculoſa deceptio. Eſt ergo ordo, ut prius ſtudeat homo in Scriptura Sacra, quantum ad litteralem ſenſum; poſt in originalibus, & iſta ſubjiciat Sacræ Scripturæ; ſimiliter in ſcriptis Magiſtrorum, & in Scripturis Philoſophorum, ſed tranſeundo & furando, quaſi ibi non permanendo.*

*65. Secundum rectiſſimas haſce D. Bonav. regulas de modo, & ordine ſtudendi, Morales Auctores ſunt ſpectandi, ut conſtet, quinam bona frugi doctrinam contineant necne.*

65. Perpendatur nunc, ſi placet, num ordinem modumque iſtum ſtudendi a Seraphico Doctore tam ſcite præoſtenſum, ac reliquorum veterum Sapientum calculo uſque firmatum, religioſe cuſtodierint Morales Tractatores & conſcientiarum Moderatores, ſeu a Romanis Pontificibus deſignati (n. 54.) ſeu alii, qui deinceps ipſorum veſtigia impleverunt, videlicet, an ad comparandam *dignam Eccleſiaſtico homine doctrinam, & ſaniores morum regulas*, uti prælaudatus (*n.* 60.) Pontifex Max. loquitur, aliis etiam ſuadendas, *quæſierint ſcientiam in fonte Scripturarum, ubi non eſt deceptio*: An *concurrerint ad originalia Sanctorum Patrum, quibus Deus revelavit* ſenſum Scripturarum: An adierint etiam *Summas Magiſtrorum, in quibus elucidantur difficultates*, quæ ſæpe occurrunt in *difficillimis originalibus Sanctorum*: An in iiſdem *Magiſtris* ſequendis *adhæſerint ſemper viæ magis communi*, ubi ipſos variantes & diſcordantes invicem deprehendebant: Demum an *ad Philoſophiam*, ac rationem naturalem caute *deſcenderint*, ſcilicet *tranſeundo, & furando, non ibi permanendo*. Quilibet propriis oculis, modo non cæcutiat, poterit hæc ſingula diſpicere.

*66. In addiſcenda Theolo-*

66. Ex hactenus dictis (*n.* 53. *& ſeq.*) illud legitima ratiocinationis lege deducitur,

tur,



*gia Morali habendus delectus prudens Librorum præſertim a Clericis.*

tur, eos præclarum *Theologi* nomen jure ſibi vindicare minime poſſe, qui in adſtruendis explicandiſque morum regulis ad Revelatam Theologiam pertinentibus vix ſolent ad eas ſedes confugere, unde Theologia ſeu Dogmatica ſeu Moralis haurit argumenta ſibi propria; ſed plerumque res ſuas conficere amant vel naturalibus rationibus, vel auctoritate pure humana. Quare quiſquis in *ſortem Domini* vocatus morales notitias proprio ſtatui, aut officio convenientes nanciſci peroptat, voti compos haud fiet unquam; ſi illorum commentariis ita ſe mancipet, ut valedicat aliis veræ litteraturæ Eccleſiaſticæ monumentis; quia diſcipulum ſe facit Librorum, in quibus *eſt periculoſa deceptio*, quamvis Auctores religione, pietate, eruditione, aliiſve nominibus poſſint eſſe conſpicui. Non hæc eſt Clericorum propria lectio, non iſtud ſtudium, ut ex recitatis jam teſtimoniis Patrum, & Pontificum liquet: quibus hoc alterum addatur Julii I. (in Epiſt. ad Clerum Orientalem) *Nolite errare, Fratres mei Dilectiſſimi. Doctrinis variis, & peregrinis nolite abduci. En inſtituta Apoſtolorum, & Apoſtolicorum Virorum, Canoneſque habetis; his fruimini, ut his freti & armati contra cuncta inimicorum jacula perſiſtere valeatis.*

*67. Recentiores Theologi, qui ad ſuperiorum diſcrimen methodo vere theologica de Moralibus ſcripſerunt multam merentur laudem: Sed non ideo in omnibus materiis ſectandi clauſis oculis, utpote quandoque deficientes in veritatis perſcrutatione.*

67. Nec ſane deſunt inter recentioris etiam ætatis ſcriptores, qui permagno Reipublicæ Litterariæ ac ipſius Eccleſiæ bono, ſalutarem morum doctrinam pro dignitate ediſſerere, atque ad normam Divinarum Litterarum, Sanctorum Patrum, Canonum Eccleſiaſticorum conſtanter exigere ſolent: ut propterea familiaris eorum lectio videatur cunctis commendanda, qui avent vere ſapere, & aliunde tanti non ſunt, ut poſſint proprio marte morales regulas immediate deducere ex illis primariis Theologiæ fontibus. Aſt neque pro ejuſmodi florulentis Theologis cuipiam ita me vadem conſtituo, ut ſentiam ipſorum libros poſſe inoffenſo pede decurri, aut quaſlibet opiniones tuto prudenterque approbari; multiplici namque experimento conſtat, & ipſos perſæpe veritatem acu minime attigiſſe. Hoc dum obſervo & obſervari volo, nec ipſi, nec eorum fautores idcirco habebunt, unde jure mihi ſuccenſeant. *Neque enim*, monet, & confortat me Auguſtinus omnibus anteponendus, (Ep. 111. ad Fortunatianum) *quorumlibet diſputationes, quamvis catholicorum & laudatorum hominum, velut Scripturas Canonicas habere debemus, ut nobis non liceat ſalva honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum ſcriptis improbare atque reſpuere; ſi forte invenerimus quod aliter ſenſerint, quam veritas habet, Divino adjutorio vel ab aliis intellecta, vel a nobis. Talis ego ſum in ſcriptis aliorum, tales volo eſſe intellectores meorum.*

*68. Indagantur cauſſæ, ob quas contingit aliquando in errores incidere Auctores etiam graves probatoſque: & prima repetitur a communibus humanæ naturæ vitiis.*

68. Itaque, ut idem ait Auguſtinus, *depoſita diſſenſionis amaritudine, & fraternæ caritatis ſuavitate ſervata, diligenti, & tranquilla conſideratione quæramus*, quænam cauſſæ ſubeſſe poſſint, cur & qui Divina paſſim eructant Eloquia, ac plurima Sanctorum teſtimonia velut munitiſſimam caſtrorum aciem oſtentant, nihilominus haud infrequentia patiantur deliquia. Eæ multæ, ac variæ ſunt, non equidem meo judicio puro putoque, quod certe nullius ponderis eſt; ſed ſubtili & accurata animadverſione Virorum aliorum, quorum auctoritas permagna, ſingularis probitas, ſolida ſcientia. *Prima* cauſſa, eaque valde generalis: quia commemorati Theologi & ipſi *homines* ſunt ex Adamo prognati, adeoque cum infirmitatis communis participes, tum obnoxii præjudiciis propriæ Nationis, Sectæ, Scholæ, Inſtituti: ob quæ facillimus eſt lapſus in errores, *perit enim omne judicium, cum res tranſit in affectum*, ex Seneca apud Seraphicum (*Comp. Theolog. Verit. lib.* 2. *c.* 52.) Extant hanc ad rem in Eccleſiaſtica Hiſtoria ferme innumera exempla.

*69. Secunda cauſſa refunditur in zelum immoderatum, & ſejunctum a neceſſaria ſcientia ſeu theoretica ſeu experimentali.*

69. *Secunda* cauſſa, etiam late patet; quia fieri poteſt, ut ad ſcribendum animum adpellant nonnulli, zelo magis perciti quam exacta ſcientia inſtructi, ſicque progrediantur ad præſcribenda, quæ non ſunt reapſe intra neceſſitatem legis concluſa, vel ad vetanda, quæ per ſeſe labe carent. Quam quidem ad rem D. Ambroſius (*ſer.* 2. *in Pſ.* 118.) ita ſcripſit: *ſunt in nobis, qui habent timorem Dei, ſed non ſecundum ſcientiam, ſtatuentes duriora præcepta, quæ non poteſt humana conditio ſuſtinere: timor in eo eſt, quia videntur ſibi conſulere diſciplinæ, opus virtutis exigere; ſed inſcitia in eo eſt, quia non compatiuntur naturæ, non æſtimant poſſibilitatem.* Pariter Seraphicus (*Expoſ. in cap.* 2. *Joann.*) inquit: *Secundum Gregorium nullum Omnipotenti Deo ſacrificium tale eſt, quale zelus animarum; debet tamen zelus eſſe regulatus recta ſcientia, ne contingat illud: æmulationem Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam. Unde Bernardus: quo fervidior eſt zelus, eo magis ſcientia eſt neceſſaria: dilectio, & cognitio ſunt neceſſariæ cum zelo, illa ne inflet, iſta ne erret.* Inde eſt, quod Benedictus XIV. (in Opere *de Syn. Diœc.*) nihil frequentius reprehendat, quam leges, ſtatuta, præcepta inferiorum Paſtorum, zelum magis quam rectam ſcientiam, providamque diſcretionem ſpirantia.

70. Ter-

*70. Tertia aſſertur cauſſa, quæ eſt ſiniſtra intelligentia & expoſitio Eccleſiaſticarum Regularum.*

70. *Tertia* cauſſa ſic pateſcit. Cum Divinas Litteras, animævorum Patrum Commentaria, Eccleſiaſticas Sanctiones, præſertim antiquiores, rite nunc aſſequi & interpretari difficile admodum ſit; eo quod res tanta neceſſario poſtulet acre ingenium, omnigenam exquiſitamque eruditionem, ſtrenuum laborem, diuturnam exercitationem, & plura alia adminicula non omnibus paſſim communia; inde fit, ut aliqui Theologiæ tractatores non eo, quo proprie valent ſenſu accipiant, & uſurpent Teſtimonia Sacra ſerie longa producta; ſicque dum ad præconceptas ſuas opiniones eadem inflectunt, videntur cum ſibi tum aliis minus oculatis, revelatam Dei & Eccleſiæ doctrinam proponere, reapſe tamen, quod mere humanum eſt verbum, venditant. Quadrant ad hoc verba ſuperiora (*num.* 64.) Seraphici Doctoris, qui poſtquam Summis Scholaſticorum Magiſtrorum *elucidari* dixit *difficultates* occurrentes in operibus veterum Patrum Scripturas Sacras explicantium, mox advertit ejuſmodi Summas *non vacare periculo; quia aliquando magnus eſt in eis error, & credunt magiſtri ſe habere, & intelligere originalia, & non intelligunt, immo eis contradicunt.*

*71. In Scripturis, Patribus & Canonibus Eccleſiaſticis interpretandis præcipuis habenda legis ima regula.*

71. Divinorum Codicum, & Eccleſiaſticorum monumentorum genuina & accurata intelligentia, non ex nudo verborum cortice neque ex uno alterove textu præciſe ſumenda; ſed potiſſimum ex ſcopo ſcribentium, ex circumſtantiis ſcribendi, ex integra ſermonum ſerie, & operum œconomia. Hæc & ſimilia caute animadvertenda admonet jus ipſum Canonicum, (*part.* 2. *Decr. diſt.* 29.) ubi ſequentes traduntur regulæ. 1. Ex S. Hieronymo; *Sacræ Scripturæ juxta diverſitates locorum, & temporum, & hominum, quibus ſcriptæ ſunt, diverſas & cauſſas, & argumenta, & origines habent.* 2. Ex S. Gregorio M. *Regulæ Sanctorum Patrum pro tempore, loco, perſona, & negotio inſtante neceſſitate traditæ ſunt.* 3. Ex S. Iſidoro: *pleraque capitula*, ſcilicet Juris Canonici, *ex cauſſa, ex perſona, ex loco, ex tempore conſideranda ſunt, quorum modi quia medullitus non indagantur, in erroris labyrinthum nonnulli intricando impingunt; cum ante judicant quam intelligant, ante inculpant quam iterando lecta perquirant.* 4. Addatur hæc alia ex Seraphico de Scriptura ſic loquente (*Serm.* 19. *in Hexam.*) *Tota Scriptura eſt quaſi una cythara, & ſicut chorda per ſe non facit harmoniam, ſed cum aliis; ſimiliter unus locus Scripturæ dependet ab alio, immo unum locum reſpiciunt mille loca.*

*72. Benedict. XIV. plures graviſſimas regulas proponit ſervandas partim in lectione SS. Patrum, partim in examine quorumvis Scriptorum Catholicorum.*

72. Quoad veteres Eccleſiæ Patres ſpeciatim, Regulas octo aſſignat Bened. XIV. (*in Opere de Beatif. tom.* 2. *lib.* 2. *c.* 18. *n.* 8.) quas præſtabit habere perſpectas. Quod vero generatim omnes ſpectat Auctores, has docet adhibendas cautelas, quas (*nu.* 9.) iis præſertim proponit, quibus a Superioribus onus imponitur examinandi opera ab aliquo Scriptore Catholico compoſita. *Scriptoris mentem non ex aliqua particula, ſed ex tota Scripturæ textura reviſores pronuntiabunt. Photio ſiquidem auctore S. Eulogius Alexandrinus legem conſtituit: ſcripta dijudicare non oportere ex parte, neque fragmenta quædam ſumendo ex his detorta de Scriptoris mente judicium ferendum. Item benignitatem debent, quantum fieri poteſt, ſeveritati adjungere, & meminiſſe celeberrimi dicti Petri Abaelardi, qui in Apologetico ait: notum proverbium eſt, nil tam bene dictum, quod non poſſit depravari: Et profecto ſicuti prudentis eſt, inquit Lamindus Pritanius* (de Ingen. moder. lib. 2.) *caute omnia perpendere, & quantum poteſt errorem aut errorum atque vitiorum cauſſam in libris damnare: ſic a prudentia diſcedit, qui tam caute agere vult, ut in ſcrupulos poſtea & cavillationes, & aſperitatem nimiam ſe proripi non animadvertat.*

*73. Continuatio Pontificiæ doctrinæ de venenis præſertim præjudicatis opinionum præſumptarum.*

73. Pergit ſapientiſſimus Pontifex. *Debent quoque de alienis ſententiis judicium non ex ſua, vel ſuorum opinione ferre; ſed agnoſcere libenter probabilitatem doctrinæ, a qua alioquin abhorrent: Quocirca Alphonſus de Caſtro* (lib. 1. contr. Hær. c. 7.) *ait: Sunt plerique, qui ſic afficiuntur aliquorum hominum ſcriptis, ut ſi forte quempiam viderint, qui vel digito tranſverſo ab eorum ſententia diſcedat, hæreſim inclament. Quare fateor, me non poſſe cohibere iracundiam, quoties video aliquos ita addictos hominum aliquorum ſcriptis, ut impium autument, ſi vel in modica re quis ab eorum ſententia diſcedat. Volunt enim hominum ſcripta, velut Divorum oracula, recipi, illumque honorem eis exhiberi, qui ſolis Sacris Litteris debetur. Non enim juravimus in verba hominum, ſed in verba Dei: Ideo ad rem noſtram quadrant aſſerta Joan. Franciſci de Pavinis in relatione cauſſæ S. Bonaventuræ* (par. 2. a. 2.) *ubi poſtquam laudibus extulit Sancti doctrinam, concludit non eſſe curandum, ſi aliqui Theologi illi adverſentur; cum judicium ferendum ſit, non juxta eorum placitum, ſed juxta regulas Eccleſiæ.*

*74. Immoderata ſeveritas explicandi in rebus moralibus videtur provenire in quibuſdam Auctoribus ex zelo qui ſecundum ſcientiam non eſt, ſeu ex minus recta intelligentia Scripturarum, & Patrum; in aliis vero ex ſuperbia, & hypocriſi hæretica.*

74. Jam vero ex duabus potiſſimum cauſſis (*num.* 69. & 70.) memoratis, ni ego fallor, turpiſſime, repetenda videtur ſcaturigo nimii cujuſpiam rigoris in præſi-gendis



gendis morum ac Diſciplinæ Chriſtianæ regulis, ad quem ſenſim declinarunt haud pauci recentes Scriptores, qui Theologiam egregia cæteroquin methodo tradidere, & plurima optimæ frugis ex Sacræ Antiquitatis promptuariis in lucem edidere. Inde eſt, ut ipſorum quoque libros non ſine delectu ſententiarum legendos probandoſque (*n.* 67.) præmonuerim; quod utique, pro ſolo veritatis amore a me prolatum, haud ferent gravate quicumque eos in deliciis habent. Quod ſi præterea extant Scriptores alii, qui conſulto ſeveritatem doctrinarum moralium affectant ex tumore, aut etiam, cum *orthodoxia* a nobis diſcrepent, ut videantur quod non ſunt; tunc iſtos, utpote *habentes in ſe vitia clauſa ſimulatione exterioris virtutis palliata*, ſicuti loquitur Seraphicus (*in Gentil. part.* 1. *ſect.* 30.) ecquis non videt maxime cavendos? eis ſiquidem quadrabit quod D. Iſidorus ſcripſit de ſuperbis Doctoribus (*lib.* 3. *De Sum. Bon. c.* 41.) *Æſtimatio prava arrogantium Sacerdotum, per quam imitantur Sanctos rigore diſciplinæ, & ſequi negligunt caritatis affectione, videri volunt rigida ſeveritate, ſed formam humilitatis præſtare nequeunt, ut magis terribiles quam mites aſpiciantur. Superbi doctores vulnerare potius quam emendare noverunt, Salomone teſtante, qui ait: in ore ſtulti virga ſuperbiæ, quia increpando rigide faciunt, & compati humiliter neſciunt.*

*75. Judicis, & exemplo Bened. XIV. oſtenditur, relinquendas eſſe a cordatis Theologis ſeveriores ſententias.*

75. Ut ab omni ſeu temeritatis nota, ſeu calumniæ labe liberetur ſuperior noſtra animadverſio, qua contendimus reſpuendas morales doctrinas nimium rigorem præſeferentes, cujuſcumque demum ſint auctoris, & quocumque ex fine productæ, juvat ad Benedictum XIV. confugere, cujus judiciis ſanctionibuſque nemo prudens refragabitur. Exploratum eſt, quanta dixerit, egerit, decreverit (*Inſt. Eccleſ.* 32. 102. 103.) ad promovendas in Sæculari Clero congregationes ſeu collationes illas, in quibus Theologiæ Moralis quæſtiones diſcuti ſolent, & conſcientiæ caſus enodari præſide ipſo Epiſcopo, vel Pœnitentiario, vel Archipresbytero, vel quovis alio idoneo Doctore. Quaſnam autem opiniones in hujuſmodi Eccleſiaſticis Conventibus maxime prævalere voluerit, hiſce verbis declarat (*De Syn. Diœc. lib.* 12. *c.* 7. *n.* 12.) *Epiſcopus hoc ſtudioſe curabit, ut in prædictis collationibus Moralibus eorum Theologorum ſententia vincat, qui media via inter rigorem, & laxitatem incedere norunt.* Igitur Paſtores, Confeſſarios, Clericoſque univerſæ qua late patet Eccleſiæ, alienos optavit a rigidioribus doctrinis Auctorum, qui aut neſciunt, aut nolunt modum tenere, & via media, quæ tutiſſima, incedere. Quam ſerio autem ac ſollicite id ſuaſerit Epiſcopis, proprio deinceps manifeſtavit exemplo, factus forma Gregis ex animo; nam quotquot legendo, ac ſcribendo offendit ejuſmodi farinæ doctrinas, omnes maſcule impetiit, ſuiſque nominibus notavit.

*76. Aliqua proferuntur exempla hujuſmodi ſententiarum ſeveriorum, quas in nonnullis Scriptoribus recentioribus legere eſt.*

76. Ad exempla deſcendamus, quæ vitiligationibus viam præcludunt. Nemo neſcit quanto conatu, quantave teſtimoniorum ex Eccleſiaſticis monumentis collectorum copia quidam recentiores Theologiæ ac Juris Canonici Scriptores pertentarint orbi perſuadere ſequentia iſta. Nimirum 1. Clericos Sæculares bonis patrimonialibus abundantes non poſſe victum & ſuſtentationem capere ex Eccleſiaſticis beneficiis. 2. A D. Th. Aquinate in Summa ſaltem Theologica propugnatum, & a S. Carolo Borromæo in Concilio Mediolanenſi definitum, Beneficiarios non eſſe dominos Eccleſiaſticorum redituum, qui ſuæ honeſtæ ſuſtentationi ſuperſunt, eoſque in profanos uſus impendentes, ad reſtitutionem ab eoſdem adactos ex lege *juſtitiæ*. 3. Sacerdotes, qui nec curam animarum habent, nec alium titulum celebrandi Miſſam, obligari Concilii Tridentini decreto ſub gravi culpa ad celebrandum in præcipuis anni Feſtis. 4. Lethalis culpæ reos evadere Sacerdotes, quoties deficiente legitima cauſſa non præmittunt Miſſæ privatæ recitationem Matutini cum Laudibus. 5. Regularium Cœtus, quibus ſuppetunt reditus ſufficientes ad certum Religioſorum numerum ſuſtentandum, ideoque actuali egeſtate haud premuntur, eo ipſo quod nullum gratis ad Monaſterium admittunt, peccatum graviſſimum contrahere ſimoniæ Naturali ac Divino Jure, nedum Eccleſiaſtico, prohibitæ: eademque turpi labe fœdari Sanctimoniales, quæ generatim quibuslibet puellis Religioni nomen dantibus Dotale Subſidium exigunt ac recipiunt. 6. Antiqui Juris Eccleſiaſtici communis præſcripto graviter adhuc conſtringi Fideles omnes ad audiendam diebus Feſtis Miſſam Parochialem. 7. Matres a mortali peccato minime excuſari, quæ abſque cauſſa legitima ſe ſubtrahunt a naturali onere lactandi propriam prolem.

*77. Prædictæ ſententiæ variis nominibus repudiatæ fuerunt a Bened. XIV. in duplici Opere*

77. Quid ad hæc ſingula Pontifex ac Magiſter ſummus Benedictus? Partim in opere *de Syn. Diœc.* partim in opere alio *de Sacrificio Miſſæ* (quemadmodum ſuis locis referemus in notis ad præſentem Theologiam) plane univerſa deſeruit, improbavitque vel ut nimis ſevera, ob immutatam rerum, ac temporum conditionem; vel ut minus congrua veritati aut æquitatis rationi; vel ut minus recte ex Theologi-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

*de Synodo Diœceſ. ac de Sacrificio Miſſæ.*

cis fontibus, & Eccleſiæ monumentis deducta; vel ut diſcordantia a poſterioribus Summorum Pontificum Conſtitutionibus, ac declarationibus Sacrarum Congregationum Urbis Romanæ; vel tandem ut oppoſita uſui nunc recepto, & ex rationabili cauſſa inductæ jam in toto Orbe conſuetudini, proindeque inducenti naturam novi Juris communis. Unde iteratis & conſiliis & admonitionibus inculcavit Epiſcopis, ut omnino abſtineant a ferendis hiſce de rebus generalibus præceptis, ac legibus Synodalibus; neve adeo facile auſcultent homines talia ipſis ad aurem inſuſurrantes zelo forſan optimo, ſed conſilio minus prudenti ac provido, atque ad excitandas ſeu in Clero, ſeu in Populo Fidei diſſenſiones, tumultus, murmurationes aptiſſimo.

*78. Exhibentur quædam generales regulæ Morales ſimul & Canonicæ, quas idem Pontifex Summus præ oculis habuit in reſciendis opinionibus illis.*

78. Quod ſi petas, quibus principiis innixus laudatus Pontifex valere juſſerit ſingulares illas ſententias, operoſum non erit notiſſima indicare. Primum (*lib. de Sacrif. Miſſæ c. 13. num. ult.*) *Sanctionibus Conciliorum Provincialium nonniſi ii tenentur, qui Synodis illis ſunt ſubjecti*. Secundum (*lib. de Syn. Diœc. c. 11. n. 3.*) *Non omnes Synodales Conſtitutiones omni loco, & tempori conveniunt*. Tertium (*ib. lib. 11. c. 1. n. 2.*) *Haud inficiandum, potuiſſe antiquas leges contraria conſuetudine abrogari; nec quandoque renovari poſſe abſque Populi offenſione, quam omni ſtudio præcavendam prudentia dictat. Hæc locum ſibi vindicant, cum conſuetudo eſt rationabilis, & legitime præſcripta*. Quartum (*c. 4. n. 1.*) *Imprudenter agit Epiſcopus, qui mores in ſuam Diœceſim inducere tentat ex rationabili cauſſa poſtea obſoletos; præcipue ſi res hujuſmodi reſpiciant, in quibus mutatio fieri potuit ſine ullo Eccleſiæ diſpendio, & puris- ris Ethices jactura*. Quintum (*n. 4.*) *Poſterioribus legibus antiquæ Diſciplinæ rigor nonnullis in rebus expreſſe mitigatus dignoſcitur. Hinc cavendum Epiſcopis, ne obtentu renovandi priſtinos Eccleſiæ canones quidquam in Synodis ſtatuatur, quod contrarium ſit poſterioribus iſtis legibus*.

*79. Ponentur nonnullæ diverſi generis regulæ ejuſdem Pontificis, quæ una cum prioribus illis attendi debent ad præcavendam quamlibet diſtortam illationem.*

79. Nequis tamen (quod hic admonere neceſſarium exiſtimo) fortaſſe abutatur principiis hujuſmodi, quæ ita præciſe ac ſolitarie inſpecta videntur poſſe aliquo modo aſſumi ad inducendam prætextu *conſuetudinis* tum relaxationem avitæ Diſciplinæ Eccleſiaſticæ, tum laxitatem moralium opinionum; idcirco oportet ex adverſo perpendere & alias communes regulas de hoc ipſo argumento a Benedicto XIV. prolatas iiſdem in locis, ac prætera obſervare, ſententias numero longe plures in mollioribus Auctoribus ab eodem Pontifice fuiſſe profligatas. Hæ regulæ ſic leguntur expreſſæ *in lib. 11. de Syn. Diœceſ.* Prima (*c. 3. n. 7.*) *Non poteſt vetuſtatis argumento abuſus ſuſtineri, qui recta rationi, decentiæ, atque honeſtati adverſatur*. Secunda (*c. 1. n. 2.*) *Nunquam rationabiles eſſe poſſunt conſuetudines, quæ præcipuas labefactant Leges, quibus Eccleſiaſticæ Diſciplinæ nervus continetur*. Tertia (*c. 5. n. 12.*) *Conſuetudinis vim non negamus; ſed hoc merito admonendum cenſemus, ut videatur, an hæc vel illa conſuetudo, vera & legitima dici debeat, & an apud pios proboſque viros recepta ſit; ne forte abuſus & corruptelæ pro judicandi, & agendi norma accipiantur*. Quarta (*c. 8. n. 2.*) *Plures Synodales Conſtitutiones ſunt in invidiam adductæ falſa criminatione nimiæ ſeveritatis; quæ tamen expenſæ ad Sacrorum Canonum normam deprehenſæ ſunt eorumdem rigorem potius temperaſſe*. Quinta (*c. 3. n. 9.*) *Epiſcopo non eſt metuendum a novatoris calumnia, cum Conſtitutiones edit, quas neceſſarias agnoſcit ad depravatos populi, Clerique mores reformandos, & ſanctiſſimos Eccleſiæ Canones reparandos, temporum injuria, hominumque malitia labefactatos: facile quippe ab improborum dicteriis ſe tuebitur decr. Conc. Trid. ſeſſ. 22. de Ref. c. 1.*

*80. Laxioribus pariter doctrinis ab Eccleſia exterminandis vigili cura incubuit Bened. XIV. ut varia probant exempla.*

80. Sententias autem ſive Theſes plurium Scriptorum Moralium, quas vel ut nimis *laxas*, vel ut *ſolidis fundamentis deſtitutas*, vel ut *aperte erroneas, & ſcandaloſas, plerumque aurium offenſivas*, vel ſub quavis alia cenſura perſtrinxit, & condemnavit, unuſquiſque facili negotio pervidere poterit, legendo Apoſtolicas ejus Conſtitutiones, Decreta, Epiſtolas, quibus jamdiu increſcentem in rebus moralibus opinandi licentiam opportune compeſcuit. Ceterum neque in Operibus reliquis intermiſit oblata occaſione ſugillare quotquot detexit in Auctoribus placita ad *molliorem Ethicen*, ut ipſi dicere moris erat, pertinentia. Tales ſunt (*ex opere de Sacrif. Miſſæ l. 3. c. 1. 13. 19.*) quatuor iſtæ ſuſtinentes 1. Sacerdotem, in ſtatu peccati lethalis adminiſtrantem Euchariſtiæ Sacramentum, non eſſe arguendum gravis culpæ. 2. Venialiter ſolum delinquere Sacerdotem, qui nullo ſpeciali titulo ad celebrandum adſtrictus integro anni ſpatio ſacrificium Deo offerre intermittit. 3. A mortali noxa immunem eſſe Sacerdotem, qui ex conſuetudine, & habituali quaſi propoſito Miſſam ſemper celebrat non recitato Matutino.

*81. Indicatur poſtremum*

81. Demum 4. cum nuperrimo Scriptori, a quo plurima ceteroquin optimæ frugis collecta & in apricum prolata ad commodum extemporalium Moraliſtarum &





Canoniſtarum, excidiſſet a calamo hæc aſſertio, quæ jam antea non ſine advocatis vagabatur: *Si a Clericis comœdiæ audiantur ob ſolam vanam curioſitatem abſque periculo probabili lapſus, etiamſi res turpes repræſententur, & modus repræſentandi ſit turpis, probabilius eſt non eſſe peccatum mortale, ceſſante ſcandalo, quod modo videtur ceſſare, & non eſſe, quia frequentiſſimum eſt Clericis comœdiis intereſſe*: non ſe continuit idem Pontifex ab ea multis nominibus refutanda. Unde (*lib. 11. de Syn. Diœc. c. 10. n. 12.*) inquit: *Qui eſt, qui non intelligat, rerum obſcœnarum vel ſolam narrationem pravos animi motus in audientibus excitare, eoſque ſenſim ad interitum diſponere, juxta illud Apoſtoli effatum: corrumpunt bonos mores colloquia prava? qua igitur ratione evenire poterit, ut ſuæ ſpiritalis ruinæ periculum declinet, qui earumdem turpium rerum theatrali intereſt repræſentationi, quæ plus certe efficacitatis habent ad ſpectatorum mentes conturbandas, animos commovendos, & tandem ad peccatum inducendos?*

*exemplum mollioris doctrinæ ab eodem Pontifice ſugillatæ.*

*82. Commendatur Bened. XIV. ob inſignem ſapientiam, & moderatæ doctrinæ rationem.*

82. Hæc cum ſint, perperam omnino facerent ſive mollis ſive rigidæ fibræ Theologi, ſi Benedictum XIV. ad proprias partes trahere pertentarent. Nam quantum ab utroque extremo opinandi docendive modo conſtanter declinarit, tum ex hactenus dictis, tum ex aliis quæ poſſent ulterius obſervari, ſi neceſſitas poſtularet, ſatis dignoſcitur. Omnibus ſapientiæ numeris cumulatiſſimus Pontifex neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram deflexit; ſed ductore cæleſti Spiritu viam ſemper tenuit mediam, quæ & rectiſſima & tutiſſima eſt. Quare feliciſſime perfecit, quod olim Pariſienſis Cancellarius Joannes Gerſonius inculcabat cunctis Moralis Diſciplinæ ſtudioſis (*in Tract. Regul. Moral. c. 1.*) *Ambulandum eſt in virtutum doctrina via regia; ut nec ſtrictius ſiat Dei mandatum, nec latius, quam ipſe mandavit: quamvis inde ſumere poſſint aliqui aut malitiæ velamen libertate, aut e contra in deſperationem corruere.*

*83. Rectiſſima communis regula, quæ in Moralibus tradendis jubet nos media via incedere, illuſtratur animadverſionibus Seraphici Magiſtri expendentis prædicationem Joannis.*

83. D. Bonaventura (*Comment. in c. 3. Luc.*) admiratur ſimul cum Auctore Gloſſæ *magnam virtutem* Baptiſtæ Joannis, quod ſermone ac prædicatione ſua ad *conſilium ſalutis congerit & Turbas, quæ gerunt perſonam Subditorum; & Publicanos, qui gerunt perſonam Miniſtrorum; & Milites, qui gerunt perſonam Rectorum ſive Præpoſitorum*: tam *fructuoſam* vero horum omnium *eruditionem* gemina ex cauſſa repetit. Prima, quia *iſti diligenter & diſcrete quæſierunt: Magiſter, quid faciemus? ſecundum illud* (Jer. c. 6.) *State ſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis: quæ ſit via bona, & ambulate in ea*. Secunda, quia *ille dixit ad eos: nihil amplius quam quod conſtitutum eſt vobis faciatis. Conſtitutum, inquam, ſecundum legem Divinam*, (Deut. c. 6.) *non addatis ad verbum, quod vobis loquor, neque auferetis ex eo: cuſtodite mandata Domini Dei veſtri. Et nota prudentiam ipſius, qua unicuique præcipit ſecundum poſſe ſuum. Videns enim illos infirmos, non opponit gravia, ſed quantum poteſt, mitigat ſarcinam, ſecundum illud* (Rom. c. 14.) *Infirmum in fide aſſumite. Unde Joannes, qui ſibi erat rigidiſſimus, Publicanis infirmis factus eſt benignus*; hæc Seraphicus Doctor.

*84. Faxit Deus, ut in amicam concordiam coeuntes univerſi Theologi Morales ſapienter ſimul, & moderate ſentiant juxta normam a Seraphico indicatam.*

84. Utinam Magiſtri Scriptoreſve Catholici plane omnes, magnam Præcurſoris Dominici virtutem & prudentiam æmulantes, regulas humanorum actuum, qui poſſunt eſſe ſalvationis & perditionis ſempiternæ media, unanimes in uno ſenſu ediſſerant, atque Chriſti fidelibus enuntient; nec ulla foveant amplius Doctrinarum divortia, quibus hactenus univerſam ferme Theologiæ moralis compagem pulcherrimam ceu a Baccantibus conquaſſatam diſcerptamque perſpeximus. Teſte enim D. Hieron. (*ep. 30. ad Aug.*) *æmuli & maxime hæretici, ſi diverſas inter nos ſententias viderint, de animi calumniabuntur rancore deſcendere*. Itaque juxta Seraphicum *nihil quam quod conſtitutum eſt ſecundum divinam legem edoceant, nec addendo nec auferendo, unicuique præcipiant ſecundum poſſe ſuum: non apponant gravia infirmis; ſed infirmis benigni mitigent ſarcinam*, equidem non quantum volunt vel pro privato ſuo genio, vel pro communi Nationis aut Scholæ propriæ præjudicio; ſed *quantum poſſunt*, rationabiliter nempe ac prudenter: quippe ex Cæleſtino I. Sum. Pontif. (*in Ep. ad Epiſc. Illyr.*) *dominari nobis debent regulæ, non nos regulis dominari*. Ad hæc vero præſtanda, quæ longe facilius optari quam impleri poſſunt, cunctis viriliter conantibus adſit *Pater miſericordiarum, Deus pacis, Dominus ſcientiarum*.

*85. Pſycologiæ ſtudium pro cognitione exacta eorum, quæ ad animum noſtrum pertinent, neceſſaria eſt ad*

85. Hic jam finem imponimus Generalibus Prænotionibus, atque ad Humanas Actiones quaqua verſus contemplandas gradum facimus. Unicum eſt illudque obſervatione dignum, quod adhuc inſinuandum arbitramur, videlicet perquam neceſſarium eſſe ſtudium Pſycologicum ſeu ad Theoriam, ſeu ad Praxim Moralem, ſicuti Anatomicum ad Medicinam. Ut enim appoſite notavit VVolphius (*in Phil. Pract. univ. p. 1. c. 1.*) *In Moralibus magnum momentum in eo ſitum eſt, ut accurate a ſe invicem diſtinguantur, quæ a voluntate noſtra libera dependent, ab iis quæ eidem ſubjecta non*

*Theoriam, & praxim Moralem.*

*ſunt; & ubi ab illa pendent, probe perpendatur, quantum ab eadem pendeant: quod ſæpiſſime difficile eſt, niſi in Pſycologia multum fueris verſatus, & ſingulare quoddam acumen tibi comparaveris.* Ab illa igitur Metaphyſica Tractatione, præclare jam a politioribus hujus ævi Philoſophis exculta, petantur quæ hic forent alioquin præmonenda circa Rationalis Animi intellectiones, voluntates, inclinationes, affectus, habitus, & reliqua hujuſmodi.

## ARTICULUS SECUNDUS.

### *De Actionum Humanarum Natura, ac Diviſione.*

*86. Præmittuntur nominales definitiones Actionis & Paſſionis.*

86. CONſtituto ultimo fine hominis, ac ſtabilita neceſſitate mediorum ad illum conducentium, patefacta jam eſt univerſæ vitæ noſtræ ratio. Siquidem vero ejuſmodi media ex dictis alia non ſunt, quam humanæ actiones bonæ; eas nunc expendamus, ſumpto exordio ab ipſo *Actionis* nomine, ut ſciamus ſtatim quid ſit id, de quo inſtitutio ſuſcipitur. *Actio ſecundum primam nominis impoſitionem importat originem motus*, ex Angelico Doctore (*par. 1. ſum. qu. 41. ar. 1.*) *Sicut enim motus, prout eſt in mobili ab aliquo, dicitur paſſio; ita origo ipſius motus ſecundum quod incipit ab alio, & terminatur in id quod movetur, dicitur actio.* Eſt igitur actio omnis motus aliquis, ſed non viceverſa omnis motus actio eſt, quippe multiplex exiſtit motus, qui vocatur mere *paſſio*. Quoties motus aliquis producitur activitate cujuſpiam cauſſæ, idem motus dicitur *actio*, ſi referatur ad cauſſam moventem; *paſſio* vero, ſi ſpectetur in eo, quod a tali cauſſa movetur, ſic ex. g. unus idemque *illuminationis* motus, quatenus a ſole egreditur, actio eſt; quatenus in aere recipitur, paſſio.

*87. Vox motus, apud profanos, & catholicos pariter Scriptores jam diu uſitata, non debet in præſenti morali tractatione omitti, eo quod illa abutantur Materialiſtæ in philoſophicis.*

87. Sed hic, dum in deſcribenda actione & paſſione audis me vocabulum *motus* aſſumere, noli præpropere ſuſpicari, me de caſtris venire noviſſimorum Materialiſtarum, a quibus tantum diſto animi ſentibus, quantum diſtant ipſi a veritate. Cum prælaudato D. Thoma omnis Peripateticorum natio vocabulum illud ſervat in Theologicis etiam explicandis: nec infrequens fuit apud aliarum ſectarum Philoſophos, & Chriſtianos Platoni præſertim addictos, inter quos S. Aug. (*de Doct. Chriſt. lib. 3. c. 10.*) ſcripſit: *caritatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipſum, & ſe atque proximo propter Deum: cupiditatem autem motum animi ad fruendum ſe & proximo, & quolibet corpore, non propter Deum.* Quare non eſt, cur ego relinquere debeam vocem tam longo, & univerſali uſu firmatam; maxime cum doctrinis veterum Theologorum Scholaſticorum præſentem Diſſertationem ferme totam compingere propoſuerim, tum quia *de verbis, quæ foliis comparantur* ex Seraphico (*in 2. ſent. diſt. 44. q. ult.*) arbitror non adeo anxium eſſe debere Moralem Tractatorem, qui fruges ſectatur *practicæ virtutis, quæ ſuos cultores beatos efficit*, ut notat S. Iſidorus Peluſ. (*ep. 202. ad Olympiad.*) Nec me terret, quod peraccommoda ſit vox diſſeminando Materialiſtarum errori; quoniam ex D. Auguſt. (*lib. 2. de Serm. Dom. in monte c. 12.*) *oves non debent pelles ſuas deponere, ſi aliquando eis lupi ſe contegant.*

*88. In homine dantur Actiones, & Paſſiones: & actiones aliæ ſunt interiores, aliæ exteriores.*

88. Cum in creatis aliis ſubſtantiis, tum in homine potiſſimum exiſtunt motus duplicis notionis, & appellationis mox deſignatæ, homo namque aliquos motus vi motrice ſibi propria efficit, & *actiones* dicuntur; alios in ſe ipſo excitatos ſentit ab extraneis cauſſis activis, & *paſſiones* nominantur. Priorum motuum, id eſt actionum, principium Anima eſt, quæ variis inſtructa viribus illos producit bifariam; nempe vel quatenus ipſam movet, vel quatenus motum edit in corpore ſibi inſerto: motus, quos in ſeipſa producit, dicuntur actiones hominis *interiores*: quos vero in corpore ciet, *exteriores* appellantur. Ita, dum voluntate ſola Deum diligis, *intrinſecus* tantum agere diceris; aſt dum hymnis & canticis ore prolatis ipſum collaudas, etiam *extrinſecus* operari cenſeris.

*89. Extant in homine Actiones Spirituales, & Materiales, eæque partim animæ parent, partim minime parent.*

89. Juxta geminas, quæ ſimul in homine cohærent, activas ſubſtantias, *Spiritalem* ſcilicet ac *Materialem*, ſunt quoque ejuſdem hominis actiones partim *Spiritales*, ut intellectio, volitio, reminiſcentia; partim *Materiales*, ut nutritio, reſpiratio, fluidorum circulatio. Quamvis autem eæ omnes ſint revera motus, qui efficienter ab ipſo homine procedunt; experimento tamen ſat explorato conſtat, non eodem modo ſingulas illarum, ſive prioris ſive poſterioris ſint generis, profluere ab homine, & participare moralitatem, quæ impræſentiarum conſideranda venit. Etenim aliæ actiones tum Spirituales tum Materiales ſubſunt imperio animæ, & poſſunt deliberate ac libere fieri, ut contemplatio veritatis, deſiderium virtutis, comeſtio, motus lo-





calis totius corporis vel quarumdam ejus partium, dum mechanica corporis conſtructio nullo vitio laborat; aliæ contra non ſubjacent animæ dominio, & abſque libertatis uſu eveniunt, ut ſequentibus exemplis patefiet.

*90. Exempla ponuntur actionum tum materialium tum ſpiritualium, quæ ob duas diverſas cauſſas profluunt ab homine citra imperium animæ.*

90. Univerſim loquendo duplex cauſſa eſt, cur ab animæ imperio ſubtrahantur nonnullæ actiones, ſive Spiritales ſive Materiales, quæ in homine contingunt. Prima, quia ſpectata intima naturæ humanæ conſtitutione nullo pacto animæ ſubeſſe intelliguntur. Secunda, quia tametſi abſolute regi poſſint animæ conſilio, & arbitrio, attamen producuntur interdum ſine deliberatione, & libertate, vel ob ſuperinductum aliquod naturæ impedimentum, vel vitio ſolius hominis agentis. Ejuſmodi ſunt, ex *Materialibus* actionibus ob *primam* cauſſam, concoctio ciborum in ſtomacho, elaboratio chili & ſanguinis, pulſus cordis; ob *ſecundam* viſio, locutio, geſticulatio manus. Ex *Spiritualibus* vero ſunt; ratione *prioris* cauſſæ, ſenſatio caloris, ſoni, odoris, & exinde promanans ſenſus voluptatis aut triſtitiæ, nec non ſubſequens inclinatio ad proſequenda vel averſanda objecta exteriora, quæ organa corporis percellendo præbuere originem hiſce animæ ſenſationibus: ratione cauſſæ *poſterioris* cenſetur aſſenſus ille, qui prædictis inclinationibus præſtatur, quando prævius idem ſenſus fuit ita vehemens, ut nullum reliquerit conſultationi locum; ſive, ut ſcholæ utamur vocibus, ſunt varii illi motus concupiſcentiæ, qui dicuntur *primoprimi*, hoc eſt prorſus indeliberati.

*91. Quænam actiones proprie dicendæ ſint morales, & humanæ.*

91. Cum ſolæ actiones hominis, deliberate ac libere productæ, capaces ſint bonitatis, & malitiæ moralis, ac dignæ præmio & ſupplicio; idcirco eæ ſolæ vocantur *Morales*: reliquæ omnes ex deliberata ac libera voluntate minime prodeuntes quacunque ex cauſſa, *Naturalium* nomine deſignari ſolent. Rurſus quia operari ex conſilio, & arbitrio eſt maxime proprium hominis rationalis, prout a brutis animantibus ſecernitur: inde fit, ut priores illæ morales actiones dicantur non tantum *hominis*, ſed etiam *humanæ*, id eſt, non ſolum ab homine prodeuntes, ſed præterea hominis propriæ; poſteriores e contrario, quæ naturales ſeu neceſſariæ ſunt, appellentur quidem actiones *hominis*, ſed tamen *non humanæ* cenſeantur. Ita Theologi Scholarum omnes cum D. Thoma, qui (*1. 2. q. 1. ar. 1.*) ſcribit: *Illæ actiones proprie humanæ dicuntur, quæ ex voluntate deliberata procedunt; ſi quæ autem aliæ actiones homini conveniunt, poſſunt dici quidem hominis actiones, ſed non proprie humanæ, cum non ſint hominis, in quantum eſt homo.*

*92. Ut actio, quæcumque illa ſit, humana vel non humana dici poſſit, examinandum, num prodierit nec ne a voluntate deliberata.*

92. Quocirca ad dignoſcendum, num actio aliqua ſit reputanda *humana* necne, non ſufficit rimari principia, a quibus proxime in homine efficitur, utrum ſcilicet prodierit a principiis, quæ ſunt homini communia cum beſtiis, aut ab aliis, quæ ſunt homini dumtaxat convenientia; nam ſicuti quandoque contingit, ut materiales actiones edendi, bibendi, circumeundi, quorum principia proxima ſunt nobis cum brutis communia, denominationem acquirant actuum moralium & humanorum, quia ſponte ac libere in nobis extiterunt; ita viceverſa fit, ut intra ſphæram naturalium actionum conſiſtant plures ſpirituales operationes intelligendi & volendi, quantumvis immediate emanent a principiis homini maxime propriis, quoniam citra libertatis uſum emerſerunt. Illud ergo in hoc negotio potiſſime intuendum, an actiones procedant vel non procedant *ex voluntate deliberata*, tamquam a principio aut eliciente, aut ſaltem imperante.

*93. Juxta diverſam diſpoſitionem actualem agentis hominis poteſt ejus actio ſimul dici humana, & non humana, reſpectu diverſo.*

93. Ob id etiam ſequitur, actum aliquem ab homine productum, ſub una ratione eſſe poſſe *humanum*, & *non humanum* ſub altera, loquendo in genere moris. Sic dum quis bona fide, atque ex ignorantia prorſus invincibili, rem alienam detinet, mulierem cognoſcit non ſuam, amicum loco feræ interimit; cum abſolute hæc omnia efficiat voluntate deliberata, actus edere dicitur humanos, in quantum *ſimpliciter* ſunt actus detinendi rem, cognoſcendi mulierem, interimendi aliquod animal: aſt iidem actus reputantur non humani ſub ratione *furti*, *adulterii*, *homicidii*, quam illis inceſſe prorſus inculpate ignorat, & hoc alterum verum eſt, etiamſi animo foret ita diſpoſitus, ut eadem plane ageret ſecluſa quoque ignorantia; quippe, ut actio judicetur humana vel non humana, non ab habituali, ſed ab actuali diſpoſitione agentis pendet.

*94. Ex ſuperiore obſervatione intelligitur, cur aliquatenus culpabilia cenſeri poſſint*

94. Juxta hanc obſervat optime Angelicus, & Seraphicus tractantes de ignorantia docent, non ſtatim cenſendum prorſus involuntarium & inculpabile aliquod peccatum, eo quod ex ignorantia commiſſum perhibeatur; qua ſcilicet agens potuit ignorare ſolum unam alteramve actionis peccaminoſæ circumſtantiam, & ſcire abſolute actionem eſſe peccaminoſam. *Poteſt contingere*, ait Angelicus (*1. 2. qu. 76. art. 3.*) *quod aliquis ignoret quidem aliquam circumſtantiam peccati, quam ſi ſciret retraheretur a peccando, & tamen adhuc remanet in ejus ſcientia aliquid, per quod cognoſcit illud*

*Theoriam, & praxim Moralem.*

*ſunt; & ubi ab illa pendent, probe perpendatur, quantum ab eadem pendeant: quod ſæpiſſime difficile eſt, niſi in Pſycologia multum fueris verſatus, & ſingulare quoddam acumen tibi comparaveris.* Ab illa igitur Metaphyſica Tractatione, præclare jam a politioribus hujus ævi Philoſophis exculta, petantur quæ hic forent alioquin præmonenda circa Rationalis Animi intellectiones, voluntates, inclinationes, affectus, habitus, & reliqua hujuſmodi.

## ARTICULUS SECUNDUS.

### *De Actionum Humanarum Natura, ac Diviſione.*

*86. Præmittuntur nominales definitiones Actionis & Paſſionis.*

86. CONſtituto ultimo fine hominis, ac ſtabilita neceſſitate mediorum ad illum conducentium, patefacta jam eſt univerſæ vitæ noſtræ ratio. Siquidem vero ejuſmodi media ex dictis alia non ſunt, quam humanæ actiones bonæ; eas nunc expendamus, ſumpto exordio ab ipſo *Actionis* nomine, ut ſciamus ſtatim quid ſit id, de quo inſtitutio ſuſcipitur. *Actio ſecundum primam nominis impoſitionem importat originem motus*, ex Angelico Doctore (*par. 1. ſum. qu. 41. ar. 1.*) *Sicut enim motus, prout eſt in mobili ab aliquo, dicitur paſſio; ita origo ipſius motus ſecundum quod incipit ab alio, & terminatur in id quod movetur, dicitur actio.* Eſt igitur actio omnis motus aliquis, ſed non viceverſa omnis motus actio eſt, quippe multiplex exiſtit motus, qui vocatur mere *paſſio*. Quoties motus aliquis producitur activitate cujuſpiam cauſſæ, idem motus dicitur *actio*, ſi referatur ad cauſſam moventem; *paſſio* vero, ſi ſpectetur in eo, quod a tali cauſſa movetur, ſic ex. gr. unus idemque *illuminationis* motus, quatenus a ſole egreditur, actio eſt; quatenus in aere recipitur, paſſio.

*87. Vox motus, apud profanos, & catholicos pariter Scriptores jam diu uſitata, non debet in præſenti morali tractatione omitti, eo quod illa abutantur Materialiſtæ in philoſophicis.*

87. Sed hic, dum in deſcribenda actione & paſſione audis me vocabulum *motus* aſſumere, noli præpropere ſuſpicari, me de caſtris venire noviſſimorum Materialiſtarum, a quibus tantum diſto animi ſenſibus, quantum diſtant ipſi a veritate. Cum prælaudato D. Thoma omnis Peripateticorum natio vocabulum illud ſervat in Theologicis etiam explicandis: nec infrequens fuit apud aliarum ſectarum Philoſophos, & Chriſtianos Platoni præſertim addictos, inter quos S. Aug. (*de Doct. Chriſt. lib. 3. c. 10.*) ſcripſit: *caritatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipſum, & ſe atque proximo propter Deum: cupiditatem autem motum animi ad fruendum ſe & proximo, & quolibet corpore, non propter Deum.* Quare non eſt, cur ego relinquere debeam vocem tam longo, & univerſali uſu firmatam; maxime cum doctrinis veterum Theologorum Scholaſticorum præſentem Diſſertationem fere totam compingere propoſuerim, tum quia *de verbis, quæ ſoliis comparantur* ex Seraphico (*in 2. ſent. diſt. 44. q. ult.*) arbitror non adeo anxium eſſe debere Moralem Tractatorem, qui fruges ſectatur *practicæ virtutis, quæ ſuos cultores beatos efficit*, ut notat S. Iſidorus Peluſ. (*ep. 202. ad Olympiad.*) Nec me terret, quod peraccommoda ſit vox diſſeminando Materialiſtarum errori; quoniam ex D. Auguſt. (*lib. 2. de Serm. Dom. in monte c. 12.*) *oves non debent pelles ſuas deponere, ſi aliquando eis lupi ſe contegant.*

*88. In homine dantur Actiones, & Paſſiones: & actiones aliæ ſunt interiores, aliæ exteriores.*

88. Cum in creatis aliis ſubſtantiis, tum in homine potiſſimum exiſtunt motus duplicis notionis, & appellationis mox deſignatæ, homo namque aliquos motus vi motrice ſibi propria efficit, & *actiones* dicuntur; alios in ſe ipſo excitatos ſentit ab extraneis cauſſis activis, & *paſſiones* nominantur. Priorum motuum, id eſt actionum, principium Anima eſt, quæ variis inſtructa viribus illos producit biſariam; nempe vel quatenus ipſam movet, vel quatenus motum edit in corpore ſibi inſerto: motus, quos in ſeipſa producit, dicuntur actiones hominis *interiores*: quos vero in corpore ciet, *exteriores* appellantur. Ita, dum voluntate ſola Deum diligis, *intrinſecus* tantum agere diceris; aſt dum hymnis & canticis ore prolatis ipſum collaudas, etiam *extrinſecus* operari cenſeris.

*89. Extant in homine Actiones Spirituales, & Materiales, eæque partim animæ parent, partim minime parent.*

89. Juxta geminas, quæ ſimul in homine cohærent, activas ſubſtantias, *Spiritalem* ſcilicet ac *Materialem*, ſunt quoque ejuſdem hominis actiones partim *Spiritales*, ut intellectio, volitio, reminiſcentia; partim *Materiales*, ut nutritio, reſpiratio, fluidorum circulatio. Quamvis autem eæ omnes ſint revera motus, qui efficienter ab ipſo homine procedunt; experimento tamen ſat explorato conſtat, non eodem modo ſingulas illarum, ſive prioris ſive poſterioris ſint generis, profluere ab homine, & participare moralitatem, quæ impræſentiarum conſideranda venit. Etenim aliæ actiones tum Spirituales tum Materiales ſubſunt imperio animæ, & poſſunt deliberate ac libere fieri, ut contemplatio veritatis, deſiderium virtutis, comeſtio, motus lo-





calis totius corporis vel quarumdam ejus partium, dum mechanica corporis conſtructio nullo vitio laborat; aliæ contra non ſubjacent animæ dominio, & abſque libertatis uſu eveniunt, ut ſequentibus exemplis pateſiet.

*90. Exempla ponuntur actionum tum materialium tum ſpiritualium, quæ ob duas diverſas cauſas proſluunt ab homine citra imperium animæ.*

90. Univerſim loquendo duplex cauſſa eſt, cur ab animæ imperio ſubtrahantur nonnullæ actiones, ſive Spiritales ſive Materiales, quæ in homine contingunt. Prima, quia ſpectata intima naturæ humanæ conſtitutione nullo pacto animæ ſubeſſe intelliguntur. Secunda, quia tametſi abſolute regi poſſint animæ conſilio, & arbitrio, attamen producuntur interdum ſine deliberatione, & libertate, vel ob ſuperinductum aliquod naturæ impedimentum, vel vitio ſolius hominis agentis. Ejuſmodi ſunt, ex *Materialibus* actionibus ob *primam* cauſſam, concoctio ciborum in ſtomacho, elaboratio chili & ſanguinis, pulſus cordis; ob *ſecundam* viſio, locutio, geſticulatio manus. Ex *Spiritualibus* vero ſunt; ratione *prioris* cauſſæ, ſenſatio caloris, ſoni, odoris, & exinde promanans ſenſus voluptatis aut triſtitiæ, nec non ſubſequens inclinatio ad proſequenda vel averſanda objecta exteriora, quæ organa corporis percellendo præbuere originem hiſce animæ ſenſationibus: ratione cauſſæ *poſterioris* cenſetur aſſenſus ille, qui prædictis inclinationibus præſtatur, quando prævius idem ſenſus fuit ita vehemens, ut nullum reliquerit conſultationi locum; ſive, ut ſcholæ utamur vocibus, ſunt varii illi motus concupiſcentiæ, qui dicuntur *primoprimi*, hoc eſt prorſus indeliberati.

*91. Quænam actiones proprie dicendæ ſint morales, & humanæ.*

91. Cum ſolæ actiones hominis, deliberate ac libere productæ, capaces ſint bonitatis, & malitiæ moralis, ac dignæ præmio & ſupplicio; idcirco eæ ſolæ vocantur *Morales*: reliquæ omnes ex deliberata ac libera voluntate minime prodeuntes quacunque ex cauſſa, *Naturalium* nomine deſignari ſolent. Rurſus quia operari ex conſilio, & arbitrio eſt maxime proprium hominis rationalis, prout a brutis animantibus ſecernitur: inde fit, ut priores illæ morales actiones dicantur non tantum *hominis*, ſed etiam *humanæ*, ideſt, non ſolum ab homine prodeuntes, ſed præterea hominis propriæ; poſteriores e contrario, quæ naturales ſeu neceſſariæ ſunt, appellentur quidem actiones *hominis*, ſed tamen *non humanæ* cenſeantur. Ita Theologi Scholarum omnes cum D. Thoma, qui (*1. 2. q. 1. ar. 1.*) ſcribit: *Illæ actiones proprie humanæ dicuntur, quæ ex voluntate deliberata procedunt; ſi quæ autem aliæ actiones homini conveniunt, poſſunt dici quidem hominis actiones, ſed non proprie humanæ, cum non ſint hominis, in quantum eſt homo.*

*92. Ut actio, quatenusque illa ſit, humana vel non humana dici poſſit, examinandum, num prodierit nec ne a voluntate deliberata.*

92. Quocirca ad dignoſcendum, num actio aliqua ſit reputanda *humana* necne, non ſufficit rimari principia, a quibus proxime in homine efficitur, utrum ſcilicet prodierit a principiis, quæ ſunt homini communia cum beſtiis, aut ab aliis, quæ ſunt homini dumtaxat convenientia; nam ſicuti quandoque contingit, ut materiales actiones edendi, bibendi, circumeundi, quorum principia proxima ſunt nobis cum brutis communia, denominationem acquirant actuum moralium & humanorum, quia ſponte ac libere in nobis extiterunt; ita viceverſa fit, ut intra ſphæram naturalium actionum conſiſtant plures ſpirituales operationes intelligendi & volendi, quantumvis immediate emanent a principiis homini maxime propriis, quoniam citra libertatis uſum emerſerunt. Illud ergo in hoc negotio potiſſime intuendum, an actiones procedant vel non procedant *ex voluntate deliberata*, tamquam a principio aut eliciente, aut ſaltem imperante.

*93. Juxta diverſam diſpoſitionem actualem agentis hominis poteſt ejus actio ſimul dici humana, & non humana, reſpectu diverſo.*

93. Ob id etiam ſequitur, actum aliquem ab homine productum, ſub una ratione eſſe poſſe *humanum*, & *non humanum* ſub altera, loquendo in genere moris. Sic dum quis bona fide, atque ex ignorantia prorſus invincibili, rem alienam detinet, mulierem cognoſcit non ſuam, amicum loco feræ interimit; cum abſolute hæc omnia efficiat voluntate deliberata, actus edere dicitur humanos, in quantum *ſimpliciter* ſunt actus detinendi rem, cognoſcendi mulierem, interimendi aliquod animal: aſt iidem actus reputantur non humani ſub ratione *furti*, *adulterii*, *homicidii*, quam illis ineſſe prorſus inculpate ignorat, & hoc alterum verum eſt, etiamſi animo foret ita diſpoſitus, ut eadem plane ageret ſecluſa quoque ignorantia; quippe, ut actio judicetur humana vel non humana, non ab habituali, ſed ab actuali diſpoſitione agentis pendet.

*94. Ex ſuperiore obſervatione intelligitur, cur aliquatenus culpabilia cenſeri poſſint*

94. Juxta hanc obſervat omnium Angelicus, & Seraphicus tractantes de ignorantia docent, non ſtatim cenſendum prorſus involuntarium & inculpabile aliquod peccatum, eo quod ex ignorantia commiſſum perhibeatur; qua ſcilicet agens potuit ignorare ſolum unam alteramve actionis peccaminoſæ circumſtantiam, & ſcire abſolute actionem eſſe peccaminoſam. *Poteſt contingere*, ait Angelicus (*1. 2. qu. 76. art. 3.*) *quod aliquis ignoret quidem aliquam circumſtantiam peccati, quam ſi ſciret retraheretur a peccando, & tamen adhuc remanet in ejus ſcientia aliquid, per quod cognoſcit illud*

*eſſe actum peccati: puta, ſi aliquis percutiens aliquem ſciat quidem ipſum eſſe hominem, quod ſufficit ad rationem peccati; non tamen ſciat, cum eſſe patrem. Unde licet talis propter ignorantiam peccet, non tamen totaliter excuſatur a peccato.* Seraphicus item (*in 2. ſent. diſt. 41. dub. 3.*) *ignorantia aliquando eſt per omnimodam privationem diſcretionis: & tunc tollit ſimpliciter rationem voluntarii; aliquando vero dicit privationem diſcretionis alicujus circumſtantiæ, remanente nihilominus cognitione actus, & aliarum circumſtantiarum: ſicut eſt de illo, qui fornicatur neſciens fornicationem eſſe peccatum mortale, ſciens tamen ſe cognoſcere non ſuam; & tunc minuit, non tamen tollit voluntarium.*

*95. In dijudicanda moralitate actionum ſingularium oportet ſimul conſiderare &* genus *actiorum, & intimam agentis* diſpoſitionem.

95. Non debet e memoria noſtra excidere ſuperior animadverſio (*n. 92.*) præſertim ubi in praxi morali verſamur. Etenim haud paucos reperire eſt, qui etſi theoretice talia minime ignorent; attamen quandoque, ubi ſe comparant ad ferendum judicium de ſingulari quapiam actione, mentis ſuæ aciem magis figunt in perpendenda morali natura ipſius actionis, quam in exploranda actuali diſpoſitione agentis: qua in re poſſunt graviter alucinari. Siquidem evenit ſæpiſſime, ut propter diſpoſitionem, quæ vel intellectum vel voluntatem agentis reſpicit, coram Deo aut levis aut etiam nulla ſit noxa, quod alioquin ex ſuo genere lethale facinus foret. Huc ſpectat illa Gerſonii regula, qui (*in tract. de Pollutione notab. 3.*) inquit: *in theologico vel morali negotio dum inquiſitio ſit de aliquibus effectis vel operibus, an ſint, vel qualia ſint peccata, facienda eſt reſolutio principalis, & finalis ad libertatem conſenſus vel diſſenſus in talibus, & inde ad peccatum, dicente Auguſtino: adeo eſt voluntarium, quod ſi non eſſet voluntarium, non eſſet peccatum.*

*96. Exacta definitio actus humani traditur, & explicatur.*

96. Satis evolutam arbitror naturam actus humani ſeu moralis. Quod ſi brevibus expreſſam quis cupit, meo judicio poterit ita deſcribi, *Eſt motus procedens a libero hominis arbitrio, ſpectata regula morum, in ordine ad finem ultimum.* Dum in prima parte definitionis nomino liberum arbitrium, non ſolius voluntatis influxum indigito, ſed intellectus quoque operationem ſimul complector: nam ex Doct. Angelico (*1. 2. ar. 1.*) *liberum arbitrium eſt facultas voluntatis, & rationis: quod optime notatur per hoc*, proſequitur Seraphicus (*in 2. diſt. 25. ar. 1. q. 3.*) *quod dicitur liberum arbitrium, non uno nomine, ſed compoſito: ut unum nomen reſpondeat rationi, & alterum voluntati.* Secunda pars clareſcet ex iis, quæ dicemus in V. Articulo; ubi ſtatuetur, moralitatem bonam, & malam actionum ſitam eſſe in conformitate & diſſonantia earum cum norma agendi. In tertia parte indicatur coordinatio cujuſvis actionis humanæ ad finem ultimum ſupremæ Beatitudinis; ſemel ac enim ejuſdem aſſecutio Divino decreto (*n. 2. & 4.*) alligata eſt ſolis honeſtis piiſque operibus tamquam mediis, conſequens ſit, ut ad talem finem bene agendo accedamus, indeque recedamus male agendo, quamquam de illo minime cogitemus agentes.

*97. Moralis facultas proprie ac per ſe ſolas actiones* humanas & liberas *ad honeſtatem informat, & dirigit.*

97. Ex integra dictorum ſerie evidens manet, Moralis Diſciplinæ directioni eas ſolas actiones per ſe ſubjicere quas (*nu. 91.*) *humanas* proprie vocandas monſtravimus, cum non aliæ ſint directionis capaces, quam quæ in poteſtate libera hominis ſunt. Poteſt utique homo etiam *naturales* actiones arbitrio ſuo ſubdere, quatenus ad libitum ipſas vel adjuvat, vel retardat, vel ſiſtit; ut videre eſt in motibus iræ, gulæ, concupiſcentiæ, quibus, etſi naturaliter inſurgentibus, viam præcludere aut aperire licet variis modis. Nihilominus, cum homo nequeat eaſdem cohibere vel adjuvare, niſi conſulto ac libere certas alias actiones eliciat vel prætermittat, ex. gr. abſtineat a bibendo, edendo, dormiendo, & ſeſe dedat orationi, lectioni, labori; exinde conficitur, ſolas actiones humanas & liberas per ſe ſubeſſe morali directioni; quia harum dumtaxat ope reliquas actiones, quæ naturales & neceſſariæ ſunt, homo utcunque ſubdit proprio arbitrio.

*98. Agitur de* Diviſione *actuum humanorum, & ſtatim declaratur primaria diviſio, quæ complectitur actus* mere elicitos, mere imperatos elicitos ſimul & imperatos.

98. Satis de Natura actuum humanorum: nunc *Diviſionem* ac ſeriem eorum perluſtremus. Confeſtim ſeſe offert ea pervagata diviſio trimembris, qua dicuntur 1. *Mere eliciti*, quos nempe voluntas immediate per ſe producit, tum citra adminiculum cujuſvis alterius Potentiæ, tum abſque ullo prævio imperio proprio; uti ſunt primæ deliberatæ volitiones, aut nolitiones objectarum quorumlibet. 2. *Mere imperati*, qui videlicet ex juſſu voluntatis ab aliis Potentiis proxime efficiuntur; ex. gr. contemplatio objecti ab intellectu, progreſſio localis a vi motrice. 3. *Eliciti ſimul, & imperati*, qui nimirum a ſola voluntate profluunt, ex prævio tamen ipſius imperio, ut perfecta inimicorum dilectio, condonatio injuriarum, averſatio noxiarum cupiditatum, in quos actus voluntas plerumque non erumpit, niſi poſtquam ſerio conſulteque propoſuit eoſdem elicere, & continuare.

99. Actus a voluntate quomodocumque *Elicitos* bifariam partiri Scholaſticis moris eſt, quibus prævit S. Thomas (*1. 2. q. 8. & ſeq.*) Priore partitione alii referuntur ad *Proſecutionem boni*, ut amor, deſiderium, gaudium; alii ad *Fugam mali*, ut odium, timor, triſtitia. *Deſiderium* verſatur circa bonum abſens, *Gaudium* circa præſens, *Amor* ab utroque abſtrahit; nam bonum amamus, ſive præſens ſive abſens illud ſit; at non deſideramus, niſi abſens; neque gaudemus, niſi de præſenti. Pari modo *Timor* verſatur circa malum abſens, *Triſtitia* circa præſens, *Odium* circa utrumque. Juxta partitionem poſteriorem alii verſantur circa *Finem*, ut volitio, intentio, fruitio (ſuntque iidem ipſi, qui conſiſtunt in proſecutione boni, cum reapſe volitio, intentio, fruitio non aliud eſſe videantur, quam amor, deſiderium, gaudium) alii autem circa *media*, ut electio, conſenſus, uſus. Inter hos omnes actus præcellentes ſunt *Intentio* finis, & *Electio* mediorum.





*99. Prima ſubdiviſio actuum* Elicitorum *continet eos, qui conſiſtunt in* proſecutione boni, & in fuga mali. *Secunda vero eos habet, qui ſunt circa* Finem, *& circa Media.*

*100 Deſcribuntur ſingulæ ſex ſpecies actuum* Elicitorum *ſecunda partitionis.*

100. Singulorum actuum deſcriptio ſic breviter fieri poteſt. 1. *Volitionis* nomine deſignatur amor ſimplex voluntatis reſpicientis finem ut in ſe amabilem, præſcindendo ab ejus poſſibilitate, vel impoſſibilitate, præſentia vel abſentia. 2. *Intentio* importat motum voluntatis in finem abſentem, & conſequendum per opportuna media; quam ob cauſſam ſemper efficax eſſe præſumitur ad diſcrimen volitionis prædictæ, quæ abſolute & ex ſeſe inefficax eſt, atque ad impoſſibilia etiam ferri poteſt. 3. *Fruitio* indicat quamdam voluntatis complacentiam, in fine jam obtento quieſcentis. 4. *Electio* eſt actus, quo voluntas amplectitur unum medium præ aliis ad obtinendum finem ſibi propoſitum. 5. *Conſenſus* eſt actus, quo voluntas approbat media ab intellectu propoſita cauſſa finis conſequendi. 6. *Uſus* eſt actus, quo voluntas applicat alias potentias ſibi ſubditas ad executionem mediorum jam electorum.

*101. Ad pleniorem notitiam actuum, qui dicuntur* imperati, *expedit nunc percurrere quæcunque a Doctoribus tradi ſolent circa voluntatis* imperium.

101. Actus a voluntate *Imperati* nullam peculiarem diviſionem apud Auctores ſortiuntur; ſed univerſim tali nomine comprehenduntur omnes actus, quos voluntas vel aliis Potentiis inferioribus imperat, vel etiam ſibimetipſi (*n. 98.*). Plura potius obſervare ſolent circa voluntatis *imperium*: unde iidem actus denominantur, quæ quidem hoc loco ſummatim & ordinate ſimul proponere conſultum arbitramur. In primis imperium iſtud eſt volitio, qua voluntas vel vult ipſa per ſe operari deinceps, vel vult, ut aliæ potentiæ operentur; ac merito quidem voluntati attribuitur; quia uti ex D. Anſelmo ait Scotus (*in 2. ſent. diſt. 42. q. 4.*) *Voluntas eſt motor in toto regno animæ, & omnia obediunt ſibi.* Diſpeſcitur hujuſmodi imperium in *Immediatum*, quo voluntas imperat ſibi; & in *Mediatum*, quo voluntas reliquis facultatibus imperat. Rurſus cum ex Ariſtotile (*lib. 1. Polit. c. 3.*) quodvis imperium ſit vel *Politicum*, vel *Diſpoticum*, hæc etiam diviſio applicanda imperio voluntatis.

*102. Manifeſtatur quid ſit* Politicum, *&* Diſpoticum *imperium.*

102. Imperium, quod dicitur *Politicum*, non ita conſtringit inferiorem, quin poſſit reſiſtere, adeoque in ejuſdem exercitio opus eſt induſtria; tale eſt imperium Principis in cives, qui ſunt ſui juris. Quod autem appellatur *Diſpoticum* ſive *Herile*, inferiorem ſic ligat, ut nequeat reluctari: hujuſmodi eſt imperium domini in ſervos proprie dictos, qui juris ſui non ſunt. Cum in homine, utpote plurimis viribus activis divinitus inſtructo maxima occurrat actionum varietas, definiri nequit, quænam illarum computandæ ſint in numero Moralium, quænam Naturalibus accenſendæ, niſi prius fuerit exploratum, quibuſnam præciſe Potentiis poſſit voluntas imperare, & quale imperium in eas exercere; nam in confeſſo eſt apud omnes, a voluntate potiſſimum pendere, ut actio dici poſſit moralis ſive humana. Iſtud ergo nunc diſpiciamus.

*103. Exponitur quomodo ſibimet imperet voluntas, & quænam actus.*

103. *Primo*, quandoquidem nobis conſcii ſumus, voluntatem noſtram aliquas ſibi præſcribere actiones, quæ *elicitæ* ſimul & *imperatæ* dicuntur (*n. 98.*) eodem pariter intimo ſenſu conſtat, voluntatem *diſpotico* prorſus imperio imperare quaſcunque ſibi imperat actiones. Hæ vero ſunt omnes illæ, circa quas libertatem *indifferentiæ* habet, Art. III. explicandam, adeoque quæ circa bona & mala *minora* ac *particularia* verſantur. Nam quod ſpectat ad amorem boni in genere, vel ſummi boni, ad odium mali in genere, vel ſummi mali, ad amorem ſui ipſius, ac propriæ felicitatis, nequit voluntas pro libitu præſcribere ſibi iſtiuſmodi actus, cum ſint ipſi omnino neceſſarii: *Rationalis voluntas*, ait Seraph. Doct. (*in 2. ſent. diſt. 24. p. 1. ar. 2. q. 3.*) *ita ordinatur ad aliquid, quod nullo modo appetit ſuum oppoſitum, ut patet in ordine voluntatis noſtræ ad beatitudinem & felicitatem, licet autem determinate inclinetur ad beatitudinem, ad multa tamen genera appetibilium illa & eadem voluntatis potentia eſt indeterminata, ita quod nata eſt moveri in oppoſita, & propterea ſic eſt naturalis, ut tamen non deſinat eſſe rationalis, & de-*

*liberativa*. Angelicus (1. *p. q.* 19. *ar.* 10.) *liberum arbitrium habemus reſpectu eorum, quæ non neceſſario volumus, vel naturali inſtinctu. Non enim ad liberum arbitrium pertinet, quod volumus eſſe felices, ſed ad naturalem inſtinctum*. Porro hoc ſenſu intelligenda illa Ethicorum effata: *Omnes beatos eſſe velle natura compellit: nemo miſer, etiamſi velit, eſſe poteſt; omnes, quod bonum eſt, appetunt*: & ſimilia.

*104. An voluntas imperet Intellectui, & cujus generis actus.*

104. *Secundo*, ſi voluntatem imperantem referamus ad *Intellectum*, non minus diſtinctione opus eſt. A voluntatis imperio eximuntur omnes primæ objectorum apprehenſiones, quæ ſuapte natura antecedere debent quemlibet voluntatis actum circa talia objecta, cum voluntas non poſſit ferri in incognitum, itidem excipere oportet omnia judicia ſive vera ſive falſa evidenter; illis namque intellectum diſſentire, iſtis conſentire, eſt prorſus impoſſibile. Relate vero ad alia objecta, quæ licet ſint apprehenſa, non ita tamen intellectum convincunt, quin poſſit illis præbere aſſenſum aut diſſenſum, vel ſaltem utrumque ſuſpendere propter aliquam cauſſm, utique poteſt voluntas imperare intellectuales actus; ſic imperatus aſſenſus opinionibus Philoſophicis, & Theologicis, immo & ipſis Religionis myſteriis utpote obſcuris.

*105. Quale ſit imperium voluntatis in actus intellectuales?*

105. Reſpectu poſteriorum iſtorum actuum imperium voluntatis communiter dicitur eſſe deſpoticum; nihilominus quandoque non nihil politicum eſſe videtur. Etenim quemadmodum propria experientia novimus, voluntatem noſtram poſſe pro ſuo beneplacito applicare intellectum certis ſpeculationibus, vel ab iiſdem revocare, vel inducere ut ad res olim cognitas reflectat; ita etiam experientia demonſtrat, intellectum voluntati præcipienti interdum reluctari, ac magna induſtria & contentione opus eſſe, ut intellectus ad alias cognitiones flectatur, & ab aliis removeatur, quibuſcumque demum ex cauſſis id eveniat. Hinc porro conſequitur, in hiſce caſibus politicum dumtaxat eſſe voluntatis imperium, ſaltem quoad *exercitium* actuum, ut loquuntur Scholaſtici, ſin minus quoad *ſpecificationem*.

*106. An, & quomodo imperet voluntas* Phantaſiæ, Appetitui ſenſitivo, Memoriæ?

106. *Tertio*, ſimili forma philoſophandum de *Phantaſia*, & *Appetitu Senſitivo*. Nimirum primæ perceptiones Phantaſticæ objectorum ſenſibilium, primique motus ſenſitivi nullatenus ſubjicere queunt imperio voluntatis, cum omnem illius actum antevertant. Sed actus alios voluntatem præſcribere poſſe utrique Facultati vel ex eo maxime colligitur, quod nos omnes tum naturali tum Divina Lege conſtringimur, & imaginationem ab obſcœnis cogitationibus avertere & motus ſenſitivi appetitus cohibere ac moderari: ad impoſſibile autem nemo tenetur. Scimus tamen ejuſmodi imperium eſſe tantummodo politicum, cum ambæ Facultates ſæpius invita etiam voluntate verſentur circa objecta plura ſenſibilia, a quibus abſtinere conſultum foret. *Quarto*, idem prorſus judicium fiat de *Memoria*, cuius ope non ſemper recordari, aut oblivisci poſſumus earum rerum, quas cuperemus menti noſtræ eſſe præſentes, aut abſentes.

*107. Voluntas nequit directe ad arbitrium ſuum imperare operationes ſenſuum externorum.*

107. *Quinto*, de *Senſibus Externis* ſequentia hæc ſunt probe ſecernenda ac tenenda. In operationes externorum quinque ſenſuum, *in ſe* præciſe ſpectatas, voluntas *directe* nullum habet dominatum. Nam quotieſcunque objectum ſenſibile præſens adeſt, quantum ſat eſt, illudque percellit ſenſoria organa corporea rite conſtructa, & integra; tunc neceſſario habetur ſenſatio ejuſdem objecti, utpote quæ per naturam corporis, & animæ juxta leges a Divino Opifice ſancitas ita determinata eſt, ut eam impedire, aut nullatenus immutare nequeat voluntas. Quocirca fruſtra voluntas præciperet ex. ca. ſanis auribus, & naribus ne illæ tumultuoſum ſonitum, iſtæ fœtidum odorem perciperent, quandocumque forinſecus adſunt corpora producentia ſenſationem ſoni, & odoris.

*108. Neque ſenſuales voluptates ac triſtitiæ poſſunt a voluntate directe imperari, quatenus ex ſenſationibus oriuntur, & non ex alia cauſſa ſenſationibus extranea.*

108. Ea ipſa ratio a voluntatis imperio ſubtrahit etiam *voluptates*, ac *triſtitias* ſenſuum (*n.*90.) unde proprio experimento quiſque novit, ſe non poſſe impedire, ne ex ſapido cibo voluptatem percipiat, ac triſtitiam ex inſuavi; hujuſmodi enim voluptates, ac triſtitiæ immediate proficiſcuntur ex ſenſationibus præſentibus, quas per voluntatem immutari non poſſe prædiximus. Quod ſi id quod eſt nobis voluptati aut tædio, quatenus actu percipitur exteriori ſenſu, ſit viceverſa tædio aut voluptati ob aliam cauſſam longe diverſam; tunc poſterioris generis tædium ac voluptas, cum ex ſenſatione percepta minime oriantur, poterunt dependere a libera noſtra voluntate, ſi hæc quidpiam poſſit in illam cauſſam: hujus rei exemplum petatur a conjugato, qui cum tædium concipiat cognoſcendo ſuam uxorem deformem, voluptatem in ſe excitat per deſiderium alienæ mulieris formoſæ; & ob hanc cauſſam lubenter continuat, vel iterat eum actum.

*109. Indirecte voluntas poteſt imperare ſenſibus exterioribus ſubinde que habere in ſuo arbitrio, ſenſationes, & ſenſuales voluptates ac triſtitias.*

109. Licet autem ſenſationes, & inde conſequentes ſenſus voluptatis, ac triſti-



tiæ a voluntate non pendeant in circumſtantiis mox enarratis; retinet tamen voluntas facultatem liberam ſaltem *indirecte* imperandi ſenſibus exterioribus, ſicque etiam ipſas ſenſationes, & ſenſuales illas perceptiones pro ſuo arbitrio impediendi, quoties prævisioni & conſultationi locus adeſt. Voluntas namque continere poteſt organa ſenſuum, vel ſitum corporis mutare ſenſationum prævisarum cauſſa, vel alio quovis modo impedire, ne ſenſibile aliquod in organum ſenſorium agat; ita poteſt ex. ca. imperare manibus, ut oculos claudant, aures obturent, & pedibus ut alio rſum corpus deferant. Quare, ubi voluntas talia ſponte ac deliberate negligit præſtare, cum revera poſſet, ac deberet, merito ei imputantur ſenſationes, ac perceptiones ſenſuales (*n.* 97.) quamvis iſtæ ſint in ſe operationes omnino naturales ac neceſſariæ.

*110. Quo ſenſu accipienda Scriptura & Patrum præcepta de cuſtodia externorum ſenſuum, & quandonam in iſtis peccare, vel non peccare contingat.*

110. Huc ſane collimant univerſa illa Divinarum Scripturarum, & patrum Sanctorum teſtimonia, quibus jubemur perquam caute cuſtodire, refrænare, vincere exteriores ſenſus (aliquo ſcilicet ex prædictis modis) ne forte animas noſtras deprædent, atque in pravis concupiſcentiis rerum, quibus delectari aut frui minime licet, exardeſcere faciant, ſicque in malorum pœnarumve illadem nos inducant. Horum omnium una eſt ratio; quia videlicet in moralibus etiam ſolæ omiſſiones actuum, ubi opportunæ circumſtantiæ ad quidpiam agendum nos perurgent, reputantur pro opere vitioſo ac pœna digno: unde Doctores ſolent omiſſionibus perinde, ac ipſis actionibus applicare definitionem peccati a D. Aug. traditam (*lib.* 2. *contra Fauſt. c.* 27.) *eſt factum, dictum, vel concupitum contra legem Dei æternam*. Ex ſerie igitur integra ſuperioris doctrinæ poterit unuſquiſque generales regulas elicere, ad ferendum judicium de peccatis exteriorum ſenſuum: qua in re meticuloſi quidam ſæpenumero fruſtra animo anguntur, præfidentes vero miſere, & turpiter hallucinantur.

*111. Motivæ Potentiæ imperat voluntas imperio deſpotico.*

111. *Sexto*: Potentiæ *Motrici* externorum corporis membrorum voluntatem imperare deſpotico & herili prorſus imperio (*ex n.* 109.) colligere licet. Et certe ab Auctore Naturæ fruſtra datus eſſet nobis ſenſus, qui dicitur *externus*, niſi vim motricem conjunctam haberet, ut per illam poſſet anima exterioribus membris uti ad adipiſcenda, quæ ſibi videntur congrua, & ad noxia repellenda. Iſtud imperium ſupponens Scotus tali ratiocinio demonſtrat, peccatum dari poſſe in oris ſermone (*in* 2. *diſt.* 42. *q.* 4.) *Potentia motiva in homine eſt in obedientia ſervili reſpectu voluntatis, quæ lib.* 1. *Polit. vocatur deſpotica: unde in tantum ſibi obedit, quod nullum membrum habile ad motum, niſi ſit aridum, reſiſtit imperio voluntatis: ſed formare voces articulatas eſt actus potentiæ motivæ, licet non poſſit elici, niſi præcedente actu imaginationis, vel intellectus; ergo ſermo eſt in poteſtate voluntatis, ſi lingua non ſit impedita, ſed diſpoſita ad motum*.

*112. Voluntas nequit exercere deſpoticum illud imperium erga Potentiam Motricem, niſi ſuppoſitis quibuſdam conditionibus.*

112. Subtilis Magiſtri verba hoc aliud præterea nobis indigitant: ſcilicet herile iſtud voluntatis imperium erga potentiam motivam, non abſolute & pro quavis hypotheſi admittendum eſſe, ſed ſub certis dumtaxat conditionibus. Itaque præcedens aſſertio 1. Supponit membra corporis eſſe ad agendum bene diſpoſita, nullove vitio impedita: hinc nil mirum, quod paralyſi vel apoplexia laborantes, nequeant pro libitu membra ſua regere, aut movere. 2. Reſpicit actiones, quæ ſunt ſingulis membris propriæ; neque enim auribus ex. ca. poteſt imperari viſio. 3. Accipienda magis de actionum exercitio, quam intermiſſione; quippe ubi præſto ſunt omnia requiſita, non poſſunt membra bene diſpoſita, quoties libuerit, actionem ſuſpendere: hinc ſi ſonus conſtanter aures feriat, conſtans ſit auditio neceſſe eſt. 4. Non comprehendit eas motiones, quæ fiunt in corpore, aut intrinſecus ob ſolam partium texturam, ut eſt motus periſtalticus inteſtinorum; aut extrinſecus, dum membra moventur quaſi ſua ſponte citra ullam mentis deliberationem, ut eſt elevatio brachii in ſomnis.

*113. Examinandum remanet, quidnam præſtet Intellectus reſpectu voluntatis vel per ſe ipſam agentis, vel alias facultates ad agendum moventis.*

113. Hactenus voluntatem ſpectavimus activitate ſua vel ſeipſam, vel alias potentias applicantem ad agendum. Nunc breviter explicandum, an & quomodo ad ipſius voluntatis actiones concurrat intellectus; de reliquarum enim potentiarum influxu ſpeciatim diſſerere præſenti loco videtur minus neceſſarium. *Duo* præcipue indagari poſſunt. Unum, an præter imperium voluntatis requiratur etiam imperium intellectus, ut ipſa voluntas vel agat per ſeſe, vel inferiores potentias ad agendum inducat; & in quo præciſe conſiſtat imperium intellectus? Alterum, an voluntas in agendo ſemper neceſſario ultimum intellectus judicium, quod *practice practicum* appellari conſuevit, ſequatur?

*114. Oſtenditur, in quo*

114. Ut primum dubium ſtatim quoad *poſteriorem* partem ſolvamus, ſupponendum aliter intellectum, aliter voluntatem imperare. Voluntas imperat propria



auctο-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*conſiſtat imperium intellectus, & declaratur non eſſe illud abſolute neceſſarium ad voluntatis actiones ſeu elicitas, ſeu imperatas.*

auctoritate non ſolum inferioribus potentiis, ſed etiam intellectui, ac ſibimet ipſi; intellectus vero nec propria auctoritate imperat, nec omnibus imperat; ſed ſoli jubet voluntati, ut urgeat executionem ejus, quod ipſa jam decrevit faciendum. Rurſus voluntatis imperium conſiſtit in efficaci volitione; imperium intellectus ſitum eſt in quadam ſuaſione & hortatu. Quantum ad *priorem* partem, intellectus imperium neutro ex capite neceſſarium videtur. Sicut enim voluntas poteſt ad ſibi imperandum applicare intellectum ſine ullo imperio intellectus; ita citra prævium ejuſdem intellectus imperium poterit vel ſeipſam inducere ad agendum, vel alias potentias applicare ad exequenda propria decreta. Eſt tamen valde utile quando voluntas torpida, ac remiſſa eſt.

115. *Quid proprie ſit judicium illud, quod dicitur practicum particulare, ſeu practice practicum.*

115. Secundo etiam dubio ſatisfaciamus. Judicium, uti vocant, practicum particulare eſt illud, quo intellectus proponit & dictat voluntati faciendam, aut omittendam eſſe rem aliquam omnibus ſuis individualibus circumſtantiis veſtitam. Tale judicium per nos non eſt ipſa determinatio voluntatis unum ex duobus illis propoſitis amplectentis; quemadmodum ſentire coguntur, quicumque inficiantur cum Carteſianis intellectum eſſe activam facultatem (ecquis enim ambigat, voluntatem ſequi propriam determinationem?) ſed eſt potius diſtincta operatio intellectus, quæ voluntatis determinationi prææternitur. His præmiſſis ſic ſtatuo; voluntatem ab intellectus judicio practico particulari non trahi neceſſario ad agendum; debere tamen ejuſdem normam ſequi quotieſcumque vult conſulto operari.

116. *Voluntas non trahitur invicte ad operandum illo practico judicio intellectuali, ipſum tamen debet ſequi, ſi vult operari prudenter.*

116. Idcirco primum, quia ſecus voluntati ſua non conſtaret libertas indifferentiæ; hujus enim notio fert, ut voluntas poſſit peræque agere vel non agere, poſitis omnibus requiſitis ad agendum conditionibus, inter quas numeratur etiam illud intellectuale judicium. Ideo vero ſecundum, quoniam voluntas, ubi quidquid eligit, vel ducitur certa ratione, vel non? Si hoc, jam temere & inconſulto operatur, neque ab appetitu brutorum ſecernitur: ſi illud, ergo fatendum voluntatem ſemper eſſe ſequacem practici judicii intellectualis, quotieſcumque ſeipſam prudenter determinat ad operandum: inde eſt, ut ejuſmodi judicium ſoleat vocari *ultimum*, eo quod nullo alio conſequenti judicio dirigatur ac moveatur voluntas ad agendum.

117. *Enumerantur ſinguli actus intellectus, ac voluntatis, qui in ordine Intentionis, miro nexu concurrunt ad actionem moralem complendam.*

117. Ad complementum hujus Articuli placet oſtendere ſeriem, & coordinationem admirabilem ſingulorum actuum tum intellectus, tum voluntatis (*n.* 99.) quæ deprehenditur in quavis operatione vere morali, ſpectato utroque ordine ſeu *Intentionis*, ſeu *Executionis*. Cum voluntas finem aliquem ſibi præfigit aſſequendum, primus actus ab intellectu elicitur, eſtque *cognitio* finis, ſive objecti in ſe ipſo. Poſtea ſequitur voluntatis actus, qui ſimplex & inefficax eſt *volitio* finis. Succedit actus alter intellectualis, qui eſt *judicium practicum*, oſtendens finem illum poſſe reipſa obtineri. Prodit dein novus actus voluntatis, qui eſt efficax *intentio* finis. Hunc excipit alter actus intellectus, qui vocatur *conſilium*, complectens & inquiſitionem mediorum ad finem obtinendum, & conſultationem de valore mediorum utilium, & comparationem utiliorum cum minus utilibus. Poſtremus eſt voluntatis actus, qui dicitur *electio* mediorum, ſeu medii efficacioris ab intellectu antea propoſiti; ſicque ordo *intentionis* completur.

118. *Recenſentur reliqui actus utriuſque potentiæ, qui in ordine Executionis conſtituunt ad eamdem moralem actionem.*

118. Quotieſcumque voluntas, poſt præſtitutum ſibi finem, ac media legitima jam determinata præſcripſit intellectui, ut ſtimulos ſibi addat ad urgendam executionem; tunc primus actus eſt *imperium* intellectus hortantis & excitantis voluntatem, ut agat vel applicet facultates activas inferiores ad opus perficiendum. Hujuſmodi imperio, pro cujus neceſſitate multi decertant, haud video voluntatem egere, quoties ipſa, ſemel ac efficaciter elegit media, quæ arrident, difficultateſque adjunctas non habent, executionem urget. Secundus actus, qui eſt a voluntate, dicitur *uſus activus*, quo voluntas applicat ſubditas ſibi potentias ad executionem mediorum. Hunc conſequitur *uſus paſſivus* earumdem potentiarum, efficientium quidquid neceſſarium eſt ad aſſequendum finem. Ubi res feliciter ſucceſſit, enaſcitur in intellectu *cognitio* perfecta, & practica finis obtenti; ſubindeque in voluntate *fruitio*, ſeu quies in fine jam adepto; atque ita ordo quoque *executionis* abſolvitur.





# ARTICULUS TERTIUS.

*De Voluntario ac Libero.*

## SECTIO I.

*De Voluntario.*

*119. Indicatur materia huic articulo ſubjecta quæ eſt de Voluntario, ac libero, ſeorſim conſiderandis.*

119. QUoniam actus noſtri proprie vocari non poſſunt *humani* ſeu *morales*, niſi voluntarii ac liberi ſint (*n.* 91. & 96.) quo eorum natura penitus pateat, *voluntarii*, ac *liberi* notiones nunc *ſeorſim* expendendæ: hinc quiſque intelligit, Moralis ſimul & Dogmatici Theologi partes me utcumque expleturum. Plerique namque Scriptores Morales in hoc primo Tractatu toti ſolent eſſe in declarando *voluntario* & *involuntario*, ſepoſita ac Dogmaticis relicta accurata diſcuſſione *liberi* preſſe ſumpti pro eo, quod ex propria electione agentis procedit, & contingenter fit. Dum porro audis, me *ſeorſim* locuturum de voluntario, ac libero (quia ſcilicet unum ſine altero, cum notionibus inter ſe differant, rite concipi poteſt) non utique poſtulabis, modo æquum & benevolum velis te oſtendere, ut dum primo voluntarium præciſe expendo, eas conſtanter uſurpem dictiones, quæ voluntarium ſimul & liberum exprimunt, minimeque hæream in ſola *voluntarietatis* ſeu *ſpontaneitatis* voce, quæ decurtatam a Novatoribus libertatem ſignat.

*120. Dum Moralium more voluntarium expenditur, neque neceſſarium, neque expediens eſt interſerere notionem liberi, a notione voluntarii valde diverſam.*

120. Non, inquam, id a me poſtulabis; nam cui bono poſtulari queat, mente nullatenus aſſequor. Id enim non requirit 1. neceſſitas vindicandi Catholicum Dogma de libertate; quia in illius favorem tot ac tanta occurrunt deinceps conſignata in ſecunda Sect. hujus III. ac etiam in ſeptima V. Articuli, ut hinc fidem meam facile detegere poſſit quilibet Lector, qui ex Benedicto XIV. (*n.* 72.) & Criticis omnibus dicit, *Scriptoris mentem non ex aliqua particula, ſed ex tota Scripturæ textura* eruendam. 2. Non mos reliquorum Moralium Auctorum, cui potius præſens iſta methodus apprime conſonat; ut paullo ante notavimus, & plurima monſtrabunt teſtimonia, tum in hoc, tum in ſequenti Articulo IV. producenda præſertim ex Angelico, & Seraphico, qui diverſis in locis egerunt *de libero arbitrio*, & *de voluntario*, ac *involuntario*, atque in voluntario explicando eas adhibuerunt loquendi formulas, quæ ſolius lubentiæ ſeu ſpontaneitatis ideam ingerunt: non quia putarint poſſe humanos actus laudem, aut culpam habere, ſi voluntarii ſeu ſpontanei tantum ſint, & non etiam liberi in ſenſu catholico: ſed quia ignorantia & reliqua impedimenta voluntarii, quæ in hoc primo tractatu Theologiæ Moralis ſolent expendi, proxime impetant ipſum voluntarium ſeu ſpontaneum, quod liberi fundamentum & baſis eſt. 3. Denique non utilitas legentium; quippe non poteſt ipſis melius conſuli, quam ſi juxta uſitatum Moralium Scriptorum morem ſuis locis diſtincte ponantur ſingula, quæ notionibus diſcrepant, adeoque diverſas exigunt interpretationes. His in anteceſſum notatis, haud mora voluntarium deſcribamus.

*121. Aſſeritur, & dilucidatur definitio voluntarii a Sapientibus communiter tradita.*

121. *Voluntarium* definitur ab Ariſtotele (*lib.* 3. *Ethic. c.* 1.) *Quod eſt a principio intrinſeco, cognoſcente ſingula, in quibus eſt actio*. Nomine *principii* indicatur voluntas; quæ quidem agenti dianoetico non poteſt non eſſe intima, cum ſit vis activa animæ rationalis, quatenus cognitum bonum proſequitur, & malum adverſatur; unde merito dicitur *principium intrinſecum*. Cum autem præcedere debeat cognitio eorum, quæ a voluntate ſunt amplectenda, aut reſpuenda, & hanc cognitionem voluntati ſuppeditet intellectus, qui altera eſt animæ vis activa quatenus ſibi repræſentat objecta; idcirco ipſa voluntas, prout voluntarii principium eſt, *cognoſcens* nominatur. Quæ porro voluntati, ut humano modo operetur, debent innoteſcere prælucente intellectu, tria ſunt; objectum, circa quod actio verſatur; finis, propter quem actio fit; & circumſtantiæ, quæ actionem comitantur: hinc voluntas, ubi hæc comperta habet, dicitur *cognoſcere ſingula, in quibus eſt actio*. Eadem occurrit voluntarii deſcriptio apud Seraphicum (*in* 2. *diſt.* 22. *q. ult.*) *Duo ſunt de ratione voluntarii; videlicet cognitio ſingularium ſive circumſtantiarum, & quod operationis principium ſit intrinſecum*: & apud Angelicum (1. 2. *q.* 6. *art.* 1.) *Voluntarium dicitur eſſe, ſecundum definitionem Ariſtotelis, Gregorii Nyſſeni, & Damaſceni, non ſolum cujus principium eſt intra, ſed cum additione ſcientiæ*.

*122. Duplex eſt principium efficiens actio-*

122. Porro ſi juxta definitionem voluntarii omnium Doctorum calculo probatam, ... voluntarie agitur, prodire debet ex intima propenſione voluntatis, ſuppo-

*conſiſtat imperium intellectus, & declaratur non eſſe illud abſolute neceſſarium ad voluntatis actiones ſeu elicitas, ſeu imperatas.*

auctoritate non ſolum inferioribus potentiis, ſed etiam intellectui, ac ſibimet ipſi; intellectus vero nec propria auctoritate imperat, nec omnibus imperat; ſed ſoli jubet voluntati, ut urgeat executionem ejus, quod ipſa jam decrevit faciendum. Rurſus voluntatis imperium conſiſtit in efficaci volitione; imperium intellectus ſitum eſt in quadam ſuaſione & hortatu. Quantum ad *priorem* partem, intellectus imperium neutro ex capite neceſſarium videtur. Sicut enim voluntas poteſt ad ſibi imperandum applicare intellectum ſine ullo imperio intellectus; ita citra prævium ejuſdem intellectus imperium poterit vel ſeipſam inducere ad agendum, vel alias potentias applicare ad exequenda propria decreta. Eſt tamen valde utile quando voluntas torpida, ac remiſſa eſt.

*115. Quid proprie ſit judicium illud, quod dicitur practicum particulare, ſeu practice practicum.*

115. Secundo etiam dubio ſatisfaciamus. Judicium, uti vocant, practicum particulare eſt illud, quo intellectus proponit & dictat voluntati faciendam, aut omittendam eſſe rem aliquam omnibus ſuis individualibus circumſtantiis veſtitam. Tale judicium per nos non eſt ipſa determinatio voluntatis unum ex duobus illis propoſitis amplectentis; quemadmodum ſentire coguntur, quicumque inficiantur cum Carteſianis intellectum eſſe activam facultatem (ecquis enim ambigat, voluntatem ſequi propriam determinationem?) ſed eſt potius diſtincta operatio intellectus, quæ voluntatis determinationi prætermitur. His præmiſſis ſic ſtatuo; voluntatem ab intellectus judicio practico particulari non trahi neceſſario ad agendum; debere tamen ejuſdem normam ſequi quotieſcumque vult conſulto operari.

*116. Voluntas non trahitur invicte ad operandum illo practico judicio intellectuali, ipſum tamen debet ſequi, ſi vult operari prudenter.*

116. Idcirco primum, quia ſecus voluntati ſua non conſtaret libertas indifferentiæ; hujus enim notio fert, ut voluntas poſſit peræque agere vel non agere, poſitis omnibus requiſitis ad agendum conditionibus, inter quas numeratur etiam illud intellectuale judicium. Ideo vero ſecundum, quoniam voluntas, ubi quidquid eligit, vel ducitur certa ratione, vel non? Si hoc, jam temere & inconſulto operatur, neque ab appetitu brutorum ſecernitur: ſi illud, ergo fatendum voluntatem ſemper eſſe ſequacem practici judicii intellectualis, quotieſcumque ſeipſam prudenter determinat ad operandum: inde eſt, ut ejuſmodi judicium ſoleat vocari *ultimum*, eo quod nullo alio conſequenti judicio dirigatur ac moveatur voluntas ad agendum.

*117. Enumerantur ſinguli actus intellectus, ac voluntatis, qui in ordine Intentionis, miro nexu concurrunt ad actionem moralem complendam.*

117. Ad complementum hujus Articuli placet oſtendere ſeriem, & coordinationem admirabilem ſingulorum actuum tum intellectus, tum voluntatis (*n.* 99.) quæ deprehenditur in quavis operatione vere morali, ſpectato utroque ordine ſeu *Intentionis*, ſeu *Executionis*. Cum voluntas finem aliquem ſibi præfigit aſſequendum, primus actus ab intellectu elicitur, eſtque *cognitio* finis, ſive objecti in ſe ipſo. Poſtea ſequitur voluntatis actus, qui ſimplex & inefficax eſt *volitio* finis. Succedit actus alter intellectualis, qui eſt *judicium practicum*, oſtendens finem illum poſſe reipſa obtineri. Prodit dein novus actus voluntatis, qui eſt efficax *intentio* finis. Hunc excipit alter actus intellectus, qui vocatur *conſilium*, complectens & inquiſitionem mediorum ad finem obtinendum, & conſultationem de valore mediorum utilium, & comparationem utiliorum cum minus utilibus. Poſtremus eſt voluntatis actus, qui dicitur *electio* mediorum, ſeu medii efficacioris ab intellectu antea propoſiti; ſicque ordo *intentionis* completur.

*118. Recenſentur reliqui actus utriuſque potentiæ, qui in ordine* Executionis *conſuunt ad eamdem moralem actionem.*

118. Quotieſcumque voluntas, poſt præſtitutum ſibi finem, ac media legitima jam determinata præſcripſit intellectui, ut ſtimulos ſibi addat ad urgendam executionem; tunc primus actus eſt *imperium* intellectus hortantis & excitantis voluntatem, ut agat vel applicet facultates activas inferiores ad opus perficiendum. Hujuſmodi imperio, pro cujus neceſſitate multi decertant, haud video voluntatem egere, quoties ipſa, ſemel ac efficaciter elegit media, quæ arrident, difficultateſque adjunctas non habent, executionem urget. Secundus actus, qui eſt a voluntate, dicitur *uſus activus*, quo voluntas applicat ſubditas ſibi potentias ad executionem mediorum. Hunc conſequitur *uſus paſſivus* earumdem potentiarum, efficientium quidquid neceſſarium eſt ad aſſequendum finem. Ubi res feliciter ſucceſſit, enaſcitur in intellectu *cognitio* perfecta, & practica finis obtenti; ſubindeque in voluntate *fruitio*, ſeu quies in fine jam adepto; atque ita ordo quoque *executionis* abſolvitur.

A R-



## ARTICULUS TERTIUS.

*De Voluntario ac Libero.*

### SECTIO I.

*De Voluntario.*

*119. Indicatur materia huic articulo ſubjecta quæ eſt de Voluntario, ac libero, ſeorſim conſiderandis.*

119. QUoniam actus noſtri proprie vocari non poſſunt *humani* ſeu *morales*, niſi voluntarii ac liberi ſint (*n.* 91. *&* 96.) quo eorum natura penitus pateat, *voluntarii*, ac *liberi* notiones nunc *ſeorſim* expendendæ: hinc quiſque intelligit, Moralis ſimul & Dogmatici Theologi partes me utcumque expleturum. Plerique namque Scriptores Morales in hoc primo Tractatu toti ſolent eſſe in declarando *voluntario* & *involuntario*, ſepoſita ac Dogmaticis relicta accurata diſcuſſione *liberi* preſſe ſumpti pro eo, quod ex propria electione agentis procedit, & contingenter fit. Dum porro audis, me *ſeorſim* locuturum de voluntario, ac libero (quia ſcilicet unum ſine altero, cum notionibus inter ſe differant, rite concipi poteſt) non utique poſtulabis, modo æquum & benevolum velis te oſtendere, ut dum primo voluntarium præciſe expendo, eas conſtanter uſurpem dictiones, quæ voluntarium ſimul & liberum exprimunt, minimeque hæream in ſola *voluntarietatis* ſeu *ſpontaneitatis* voce, quæ decurtatam a Novatoribus libertatem ſignat.

*120. Dum Moralium more voluntarium expenditur, neque neceſſarium, neque expediens eſt interſerere notionem liberi, a notione voluntarii valde diverſam.*

120. Non, inquam, id a me poſtulabis; nam cui bono poſtulari queat, mente nullatenus aſſequor. Id enim non requirit 1. neceſſitas vindicandi Catholicum Dogma de libertate; quia in illius favorem tot ac tanta occurrunt deinceps conſignata in ſecunda Sect. hujus III. ac etiam in ſeptima v. Articuli, ut hinc fidem meam facile detegere poſſit quilibet Lector, qui ex Benedicto XIV. (*n.* 72.) & Criticis omnibus dicit, *Scriptoris mentem non ex aliqua particula, ſed ex tota Scripturæ textura* eruendam. 2. Non mos reliquorum Moralium Auctorum, cui potius præſens iſta methodus apprime conſonat; ut paullo ante notavimus, & plurima monſtrabunt teſtimonia, tum in hoc, tum in ſequenti Articulo IV. producenda præſertim ex Angelico, & Seraphico, qui diverſis in locis egerunt *de libero arbitrio*, & *de voluntario*, ac *involuntario*, atque in voluntario explicando eas adhibuerunt loquendi formulas, quæ ſolius lubentiæ ſeu ſpontaneitatis ideam ingerunt: non quia putarint poſſe humanos actus laudem, aut culpam habere, ſi voluntarii ſeu ſpontanei tantum ſint, & non etiam liberi in ſenſu catholico: ſed quia ignorantia & reliqua impedimenta voluntarii, quæ in hoc primo tractatu Theologiæ Moralis ſolent expendi, proxime impetant ipſum voluntarium ſeu ſpontaneum, quod liberi fundamentum & baſis eſt. 3. Denique non utilitas legentium; quippe non poteſt ipſis melius conſuli, quam ſi juxta uſitatum Moralium Scriptorum morem ſuis locis diſtincte ponantur ſingula, quæ notionibus diſcrepant, adeoque diverſas exigunt interpretationes. His in anteceſſum notatis, haud mora voluntarium deſcribamus.

*121. Aſſeritur, & dilucidatur definitio voluntarii a Sapientibus communiter tradita.*

121. *Voluntarium* definitur ab Ariſtotele (*lib.* 3. *Ethic. c.* 1.) *Quod eſt a principio intrinſeco, cognoſcente ſingula, in quibus eſt actio.* Nomine *principii* indicatur voluntas; quæ quidem agenti dianoetico non poteſt non eſſe intima, cum ſit vis activa animæ rationalis, quatenus cognitum bonum proſequitur, & malum adverſatur; unde merito dicitur *principium intrinſecum*. Cum autem præcedere debeat cognitio eorum, quæ a voluntate ſunt amplectenda, aut reſpuenda, & hanc cognitionem voluntati ſuppeditet intellectus, qui altera eſt animæ vis activa quatenus ſibi repræſentat objecta; idcirco ipſa voluntas, prout voluntarii principium eſt, *cognoſcens* nominatur. Quæ porro voluntati, ut humano modo operetur, debent innoteſcere prælucente intellectu, tria ſunt; objectum, circa quod actio verſatur; finis, propter quem actio fit; & circumſtantiæ, quæ actionem comitantur: hinc voluntas, ubi hæc comperta habet, dicitur *cognoſcere ſingula, in quibus eſt actio*. Eadem occurrit voluntarii deſcriptio apud Seraphicum (*in* 2. *diſt.* 22. *q. ult.*) *Duo ſunt de ratione voluntarii; videlicet cognitio ſingularium ſive circumſtantiarum, & quod operationis principium ſit intrinſecum:* & apud Angelicum (1. 2. *q.* 6. *art.* 1.) *Voluntarium dicitur eſſe, ſecundum definitionem Ariſtotelis, Gregorii Nyſſeni, & Damaſceni, non ſolum cujus principium eſt intra, ſed cum additione ſcientiæ.*

*122. Duplex eſt principium efficiens acti-*

122. Porro ſi juxta definitionem voluntarii omnium Doctorum calculo probatam, [illegible] voluntarie agitur, prodire debet ex intima propenſione voluntatis, ſuppo-

 ſita

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*...lis humanæ, intellectus & voluntas: etſi jure majori ſoleat voluntati adſcribi.* ſitu intellectuali cognitione eorum, quæ ad actionem concurrunt: ecquis non videt, utramque rationalis animi facultatem dicendam eſſe *principium efficiens* cujuslibet actionis humanæ? Negari tamen minime poteſt, quin actio humana jure potiori ſit attribuenda *voluntati*, quia nimirum intellectus quaſi facem tantummodo præfert actioni producendæ, voluntas vero actionem decernit, ac molitur ſive per ſe, ſive miniſterio inferiorum potentiarum: hinc uſus invaluit, ut actio appelletur ſimpliciter *voluntaria*, quamvis prævium intellectus cognitionem involvat. Deficiente igitur alterutrius facultatis influxu mox explicato, actiones deſinunt eſſe voluntariæ, adeoque humanæ ſeu morales: & ob hunc ſolum voluntarii defectum, ſecluſa etiam conſideratione liberi proprie ſumpti, nequeunt actiones imputari ad culpam vel laudem, ad pœnam vel præmium: nam etſi, ut imputentur ad eorum aliquid, præter voluntarium requiratur etiam liberum, quod eſt quid amplius quam ſimplex voluntarium; attamen, ut non imputentur, ſufficit ſolus defectus voluntarii; hoc enim abſente, præterquamquod actio non cenſetur *propria hominis, in quantum homo eſt, & ab aliis irrationabilibus creaturis differt*, ut ait Angelicus (1. 2. q. 1. a. 1.) intelligitur abeſſe etiam liberum, quod in voluntario fundatur. Quare, ut ad obſervationem redeamus ſuperiorem (n. 119. & 120.) clarius exinde patet, cur plerique Morales Theologi mentionem liberi ſeponant in prima diſputatione de voluntario, & involuntario.

*123. Quale ſit proprie diſcrimen inter coactum, naturale, ſpontaneum, voluntarium, liberum.* 123. Ex illa complexione ambarum animi facultatum, intellectus ſcilicet & voluntatis, neceſſario concurrentium ad quemlibet actum vere humanum, facillimum erit colligere diſcrimen *Voluntarii* a Coacto, Naturali, Spontaneo, Libero. Nam *Coactum* originem trahit a principio, quod eſt agenti extraneum, ut motus unius corporis violentia aliena attracti. *Naturale* poteſt eſſe a principio intrinſeco quidem, ſed agente juxta tendentiam ſuam ſine cognitione, ut igni eſt naturale ſurſum ferri. *Spontaneum* oritur a principio intrinſeco cum aliqua cognitione ſolum materiali, & imperfecta, ut feles ſponte amat caleum. *Liberum* vero non modo fit ab agente intellectuali cum propenſione voluntatis, ſed etiam ex indifferentia, & electione procedit. Conſuetudo tamen loquendi, quæ vocum exactum rigorem non ſemper ſervat, in præſenti materia ſpontaneum cum voluntario confundit, uti quandoque & voluntarium cum libero.

*124. Quomodo differant voluntarium, & volitum.* 124. Itidem *Voluntarium* debet ſecerni a *Volito*. Etenim, ut aliquid voluntarium ſit, debet ex dictis procedere a voluntate tamquam effectus; ut autem ſit volitum, ſatis eſt quod poſſit eſſe objectum voluntatis, atque in eo voluntas ſibi complaceat (n. 100.) Sic ex. gr. quod Deus portet omnia verbo virtutis ſuæ, glorificetur in concilio Sanctorum, quod poſt longa nubila Phœbus reſplendeat, ſunt hæc omnia mihi volita, ſed voluntaria non ſunt. Sicuti vero dari poteſt volitum, quod non eſt ſimul voluntarium; ita ex oppoſito poteſt voluntarium eſſe, quod non eſt volitum, immo expreſſe nolitum, ſi tamen hoc ſumatur de *inefficaci* volitione, ac nolitione: id patet de quavis actione, quam fieri a nobis ſolet cum quadam diſplicentia, ſive voluntate ſolum inducta, ad vitam ſervandam, vel ad reparandam ſanitatem.

*125. Diſtinctio volitionis efficacis, & inefficacis illuſtratur doctrina, & exemplis Magiſtri ſubtilis.* 125. Quoad volitionis *efficacis*, & *inefficacis* diſtinctionem, quæ ad plura inſervit in Theologicis Diſciplinis, præſtat obiter audire Scotum, qui explicans, quomodo malus Angelus potuerit appetere æqualitatem Dei, illam exemplis ſic declarat (*in 2. diſt. 6. q. 1.*) *Actus volendi duplex eſt, ſimplex, & ſub conditione; vel ſub aliis verbis, eſt volitio efficax, & volitio complacentiæ. Exemplum, alio modo infirmus ſperans ſanitatem vult ſanitatem, & alio modo infirmus deſperans de ſanitate: vult enim ſanitatem primus, quia ſperat ſanitatem ſibi poſſibilem, & habet reſpectu ejus volitionem efficacem, & imperat eam mediis inducentibus ſanitatem. Sed deſperans vult volitione complacentiæ, ſed non volitione efficaci, quia non quærit media inducentia ſanitatem, pro eo quod non exiſtimat illam poſſe ſibi acquiri. Et iſta volitio ſecunda poteſt eſſe alicujus impoſſibilis, & hoc ſufficit ad meritum, vel demeritum; quia etſi ſit impoſſibile, tamen poteſt quis conſentire illi pleno conſenſu, & iſta volitione potuit Angelus appetere æqualitatem Divinam.* Hujuſmodi porro doctrina monſtrat Doctor, verum eſſe utrumque illud dictum Philoſophi in Ethicis: *voluntas poteſt eſſe impoſſibilium: electio non eſt impoſſibilium.*

*126. Sex diviſiones voluntarii ſunt cognoſcendæ.* 126. Efformata jam accurata Voluntarii idea, progrediamur ad ejus Diviſionem, quæ multiplex eſt, ut paſſim apud Auctores legitur; etſi non omnes conſpirent in denominandis ſingulis diviſionum membris, maxime ubi de Voluntario *in cauſa*, *indirecto*, *virtuali*, *interpretativo* agitur; ex quo periculum ſuboritur confundendi diviſionem unam cum altera. Sextuplex notari debet diviſio voluntarii. *Prima* dicitur



*Sic explicatur prima, quæ dicitur vel propria, vel aliena voluntate voluntarium ubi breviter de peccato Originali.* citur voluntarium vel *propria*, vel *aliena* voluntate: illud vere a noſtra procedit voluntate; uti ſunt quotidiana ea delicta, in quibus teſte Scriptura Sacra *offendimus omnes*: illud primario eſt quidem ab alterius voluntate, ſed tamen moraliter imputatur etiam noſtræ, uti originale peccatum Adami, in quo juxta Apoſtolum *omnes peccaverunt*: quia ſcilicet *omnes fuerunt in ipſo, dum peccavit, & quia omnes in ipſo voluerunt* [illegible], ut explicat S. Bonav. (*in 2. d. 33. ar. 1. q. 2.*) Sic autem nobis imputatur a Deo, quatenus a Protoparente illud peccatum, quod fuit in ipſo actuale, vi generationis carnalis in omnes poſteros transfunditur, adeoque inſtar maculæ habitualis contrahitur: unde apud eumdem Seraphicum D. Anſelmus inquit: *Parvuli non damnantur pro culpa Adæ tantum, ſed pro culpa propria, quam habent; licet non habeant eam agendo, ſed contrahendo.*

*127. Dempto unico adamitico peccato, nullum aliud poteſt nobis imputari, niſi ſit aliquo modo voluntarium voluntate noſtra propria: hinc ad hujuſmodi voluntarium referendæ alia ſubſequentes diviſiones.* 127. Reliquæ quinque Diviſiones ſpectant ſolum voluntarium, quod diximus *voluntatis propriæ*: nam ubi de peccatis modo agitur, ea nequeunt nobis imputari, niſi a voluntate noſtra aliqua ratione pendeant, & profluant; ex eodem enim Seraph. Doctore, præter Adamum, qui *ſolus habuit poteſtatem viſtandi totam maſſam generis humani*, *nullus Parens proximus poteſt in prolem ſuam culpam actualem transfundere*. Unde cum (*Exod. c. 20.*) dicitur: *Deus zelotes vindicans peccata patrum in filios uſque in tertiam, & quartam generationem*, monet intelligendum eſſe alterutro modo in ſenſu; nempe quod *peccatum parentum tranſeat ad prolem* vel *imitatione*, *quomodo peccata proximorum parentum in filios frequenter perſeverant*; vel *punitione*, *eaque tantum temporali*, *non æterna*. Siquidem (ut ipſe argumentatur ex aliis Scripturis *Ezechiel c. 44.*) *dicitur filius non portabit iniquitatem patris. Ergo ſi hoc non eſt verum de parente remoto Adam ſaltem veritatem habet circa propinquos*, (& ad Galat. c. 6.) *Unuſquiſque onus ſuum portabit; ſed ſi peccata parentum redundarent in prolem, non portaret unuſquiſque onus ſuum, immo etiam alterius.*

*128. Fides ac ſenſus Catholicæ Eccleſiæ contra Novatores eſt, nullum peccatum concupiſcentiæ nobis imputari, niſi ſit aliquo modo nobis voluntarium.* 128. Ad omnia prorſus veri nominis peccata, quæ ſunt alia ab originali noxa, neceſſario requiri ſpeciem aliquam voluntarii *proprii*, non privata noſtra doctrina eſt, ſed veriſſima fides Catholicæ Eccleſiæ, quæ Lutherum, Bajum, ceteroſque Novatores proſcripſit etiam hoc nomine, quod docuerint motus inordinatos concupiſcentiæ, rationem quoque ac voluntatem noſtram prævenientes, eſſe formalia peccata, interdicta naturali divinaque lege. Hujus erroris fundamentum eſt, quia iiſdem Novatoribus perſuaſum, ad rationem peccati in nobis non requiri voluntarium voluntate propria, ſed ſufficere voluntarium voluntate aliena Adami, qui non ſolum originaria labe nos fœdavit, ſed etiam ingeneravit nobis pravam illam concupiſcentiam. Satis hoc totum manifeſtavit Bajus in triplici præſertim damnata Propoſitione: nempe in 46. *Ad rationem, & definitionem peccati non pertinet voluntarium: nec definitionis quæſtio eſt, ſed cauſæ originis, utrum omne peccatum debeat eſſe voluntarium?* 50. *Prava deſideria, quibus ratio non conſentit, & quæ homo invitus patitur, ſunt prohibita præcepto: non concupiſces.* 51. *Concupiſcentia ſive lex membrorum, & prava ejus deſideria, quæ inviti ſentiunt homines, ſunt vera legis inobedientia.*

*129. Proferuntur varii textus SS. Aug. Thomæ, Bonaventuræ, qui peccatum ſaltem veniale videntur admittere in motibus concupiſcentiæ etiam indeliberatis.* 129. In favorem tam abſurdi erroris plura obtendi poſſent teſtimonia Eccleſiaſticorum Doctorum, quæ ſpecie tenus haud modicam difficultatem ingerunt. Nos, ne ab inſtituto noſtro nimium recedamus, perpauca producemus ex Auguſtino, Angelico, Seraphico, aliquantulum duriuſcula, moxque ſano in ſenſu interpretabimur; ut inde pateat modus rite exponendi quæcumque alia poſſunt occurrere ſeu in ipſorum, ſeu in aliorum Libris. Auguſtinus (*lib. 4. contr. Jul. c. 2.*) ait: *Concupiſcentia, in quantum ineſt, nocet, etiamſi ei non conſentiatur.* Et (*lib. 1. de Nupt. & Conc. c. 23.*) docet, eos qui non conſentiunt concupiſcentiæ allicienti ad illicita, ſervare quidem mandatum (*Eccl. c. 18.*) *Filii, poſt concupiſcentias tuas non eas*; ſed non illud Decalogi, *non concupiſces*. Angelicus (*quodl. 4. ar. 21.*) *Motus appetitus ſenſitivi, ſi ſequatur judicium rationis poterit eſſe etiam peccatum mortale: ſi autem præveniat judicium rationis, eſt quidem peccatum, ſi tendat in aliquod illicitum: eſt tamen peccatum veniale & leviſſimum; & hic dicitur primus motus peccati.* Seraphicus (*in 2. diſt. 24. p. 1. ar. 2. q. 2.*) *Contingit delectari ad apprehenſionem delectabilis ante advertentiam delectationis: & hoc eſt ſenſualitatis, & abſque dubio peccatum veniale. Contingit delectari poſt apprehenſionem delectabilis; & perceptionem delectationis, ante plenum conſenſum deliberationis; & hoc eſt inferioris portionis, & aliquando mortale, aliquando veniale.* Et (*diſt. 21. dub. 4.*) ait cum Magiſtro, quod in nobis *tentatio hoſtis poteſt eſſe ſine peccato, tentatio carnis minime.*

*130. Declaratur quanam...* 130. Supervacaneum plane eſt contraria congerere teſtimonia, in quibus prælau-
dati

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*fuerit ea in re genuina ſententia illorum Doctorum, & ſimul exponitur primum D. Auguſtini teſtimonium ſupra oppoſitum.*

dati Doctores, non ſemel, ſed centies etiam citatis ipſis in libris aſſerere, nullum in nobis motum, nullum actum poſſe in genere moris peccatum eſſe niſi aliquo pacto ſit voluntarius ei, a quo prodit. *Uſque adeo peccatum voluntarium eſt malum*, ait S. Aug. (*lib. de verit. relig. c. 14.*) *ut nullo modo ſit peccatum, niſi ſit voluntarium: & hoc quidem manifeſtum eſt, ut nulla hic doctorum paucitas, nulla indoctorum turba diſſentiat*. In textu igitur priori, nocumentum quod nobis adfert concupiſcentia, non vult Auguſtinus ſitum eſſe in hoc, quod coram Deo nos vere culpabiles reddat citra ullum etiam aſſenſum noſtræ voluntatis; alias non diceret (*In lib. 1. de peccat. merit. c. 4.*) *In grandibus baptizatis ad agonem manet concupiſcentia, non ſibi ad illicita conſentientibus nihil omnino noctura*: ſed potius in eo reponit, quod dum ſumus intenti reprimendæ concupiſcentiæ, non tantam percipere poſſimus delectationem ſpiritualem, quanta frueremur, ſi intus in nobis omnia forent pacata, ut liquet ex progreſſu ſermonis ejus.

*131. Secundus etiam Auguſtini textus paullo ante objectus facile liberatur a ſiniſtra interpretatione.*

131. In poſteriori vero textu ſentit Auguſtinus motus concupiſcentiæ prohiberi mandato Decalogi: *non concupiſces*, non tamquam peccata, ſeu tranſgreſſiones legis, quæ a juſto judice poſſint ad pœnam imputari, ſed tamquam ea, quæ repugnant perfectioni finali, ad quam lex illa tendit, & ad quam in hac vita aſpirandum eſt, licet non poſſit comparari niſi in alia beata. Sicuti enim ex Bonav. (*in diſt. 27. q. ult.*) *In præcepto diligendi Deum ex toto corde duplex totalitas cordis indicatur: una, quæ excludit omnes affectus contrarios amori Dei, ita ut nihil diligatur ſupra Deum, vel æqualiter Deo; & ad hunc modum diligendi Deum tenemur in via vi iſtius præcepti: altera, quæ excludit omnes affectus extraneos, ita ut omnes motus cordis per affectum referantur in Deum, & hic modus, cum in gloria ſolum poſſit haberi, non obligat ad ſui impletionem, ſed tamen exprimitur in præcepto: ut ſciamus quo per amorem debeamus tendere*. Non abſimili ratione etſi præceptum non concupiſcendi indicet tum finem, qui non eſt ſentire motus concupiſcentiæ, tum media, quæ ſunt non conſentire iis motibus; attamen ſtricta obligatio in præſenti ſæculo eſt ſolum reſpectu mediorum. Hinc idem Seraphicus (*n. 2. ſent. diſt. 42 art. 2. q. 1.*) *Cum Deus prohibet concupiſcentiam dicens: non concupiſces, non prohibet primum motum concupiſcentiæ; ſed concupiſcentiæ progreſſum, ſecundum illud: filii, poſt concupiſcentias tuas non eas*.

*132. Ut textus D. Thomæ, & D. Bonaventuræ poſſint ſane in ſenſu accipi, hic præmittuntur aliquæ Doctrinæ S. Antonini admodum opportunæ.*

132. Ad textus autem Angelici, & Seraphici, eadem opponi poteſt reſponſio, quoniam eodem ferme modo loquuntur, eumdemque ſcopum ambo ſpectant: reſponſio prono veluti alveo fluet, ſi diverſa hæc tria doctrinarum capita perpendantur, quæ S. Antonin. (*part. 1. Summæ tit. 4. c. 16. de Senſualitate*) proteſtatur ſe hauſiſſe ex variis Angelici Doctoris libris. 1. Eſt illud: *Motus ſenſualitatis eſt duplex: unus eſt, qui dicitur primoprimus, ſcilicet motus ſenſualitatis naturalis, quia imaginationem non ſequitur, ſed ſolum actionem naturalium qualitatum, procedens in corporali diſpoſitione, vel complexione, & nullus talis motus ſic proveniens eſt peccatum: ratio hujus eſt, quia non ſubjacet imperio rationis, vel voluntatis. Alius motus ſenſualitatis eſt, qui dicitur ſecundoprimus, ſcilicet qui imaginationem, vel deliberationem ſequitur, & hic eſt peccatum: ratio hujus eſt, quia talis apprehenſio, vel imaginatio ſubjacet imperio rationis, vel voluntatis*.

*133. Continuatio doctrinarum S. Antonini ad eumdem prædictum finem.*

133. Sequitur e veſtigio 2. *Motus ſenſualitatis illiciti poſſunt conſiderari dupliciter: uno modo ſigillatim, & per ſe, & ſic ſunt in poteſtate noſtra, & vitare poſſumus; quia quemlibet eorum præveniendo impedire poſſumus: alio modo poſſunt conſiderari in generali ſimul omnes, & ſic non ſunt in poteſtate noſtra; quia dum uni obviare nitimur, ex alia parte motus illicitus ſurripere poteſt: cujus ratio eſt, quia non poteſt ſimul intentio voluntatis renitentis contra diverſa in actu*: quod quidem a Seraphico (*in 2. diſt. 41. art. 3. q. 1.*) illuſtratur *exemplo Nautæ, qui poteſt præcavere, & cuſtodire, ne aqua per aliquod foramen determinatum ingrediatur in navim, non tamen poteſt facere, quod nullum habeat ingreſſum*. 3. Denique. *Ratio poteſt ſe habere ad motus illicitos tripliciter; ſcilicet ut reſiſtens, ut recipiens, ut non impediens. Primo ratio ſe habet ut reſiſtens, quando ipſa ratio, & voluntas motibus illicitis ſenſualitatis reſiſtunt, habendo diſplicentiam de tali motu, & conatum ad repellendum: tunc nullum eſt peccatum, ſed meritum coronæ. Secundo ſe habet ratio vel voluntas ut præcipiens motus illicitos ſenſualitatis, cum aliquis ex propoſito motum concupiſcentiæ excitat: & imperat: tunc, ſi ſit illicitum in genere peccati mortalis, erit mortale. Tertio ratio vel voluntas ſe habet ut non prohibens motus illicitos ſenſualitatis; tunc talis non prohibens, cum prohibere poſſit, peccat venialiter: dicitur autem aliquis facere illud, quod non impedit, cum impedire poſſit*. Hactenus S. Anton.

*133. Ob oculos ponitur id omne, quod S. Th. & S. Bonav. voluerunt inſinuare in textibus objectis: quodque eſt prorſus diverſum a doctrina Novatorum de concupiſcentia.*

134. His obſervatis ajo, Angelicum & Seraphicum in textibus (*n. 129.*) hæc docuiſſe.



1. Peccata *venialia* eſſe tentationes carnis, & inordinatos motus concupiſcentiæ, non quidem omnes univerſim, quos experimur degentes in hoc mortali corpore, ſed illos dumtaxat, qui ſunt in poteſtate rationis, ac voluntatis, & poſſunt vigilante ratione vel præveniri & impediri ne oriantur, vel jam exorti cohiberi & domari, ad diſcrimen reliquorum undequaque naturalium, ſcilicet ex naturali temperie corporis, & qualitate organorum inſurgentium etiam ſine ulla prævia imaginatione ſeu apprehenſione, adeoque nullatenus voluntatis imperio ſubjectorum. 2. Prioris generis motus eſſe peccata, non præciſe quia inordinati ſunt rectæque rationi adverſi; ſed quia, cum inordinati ſint, ſimulque conſtituti in poteſtate voluntatis, in nobis exiſtunt non ſine aliquo ipſius voluntatis aſſenſu ſaltem interpretativo & indirecto: quatenus juxta Seraphicum (*in 2. ſent. diſt. 41. a. 1. q. 1.*) *Oriuntur a voluntate* ſin minus *præambula & movente*, certe tamen *concomitante, & non prohibente vel præcavente, dum poteſt prohibere vel præcavere*. 3. Eos motus indefinite pro peccatis venialibus habendos, licet ſecundum totam ſuam collectionem nequeant caveri in præſenti ſtatu naturæ infirmatæ; quia juxta Angelicum (*in eod. art. 21. quodl. 4.*) *Poſſunt vitari ſinguli, & ex hoc quilibet habet aliquid de ratione peccati, licet non habeat rationem perfecti peccati, quod eſt peccatum mortale*. 4. Hujus generis motum dici *primum motum peccati*, quia eſt primum illud, quod tamquam culpabile imputatur voluntati, facta analyſi peccati conſummati ſeu mortalis, ad quod pleno conſenſu tantum pertrahitur voluntas illecta a concupiſcentia: non quia ſit motus vere *primoprimus* (ut in ſcholis dicitur) & nihilominus peccaminoſus; quippe ex dictis liquet, eſſe *primoſecundum* ob aliquatem conſenſum voluntatis *comitantis, & non præcaventis*. Porro hæc omnia cauſſam Baii nullatenus juvant, immo plane evertunt; quia juxta Doctores laudatos motus ſenſualitatis non eſſent peccata, niſi orirentur *voluntate non præcavente, dum poteſt præcavere*.

*135. Ad finiendam litem affertur textus decretorius S. Bonaventuræ.*

135. Verum, ſi quod adhuc ſupereſſet dubium circa interpretationes Textuum hactenus a nobis vindicatorum, illud penitus diſſipabunt vel ſola hæc Seraphici Doctoris verba, quibus clariora nemo poteſt deſiderare. Sic ait (*Comp. Theolog. Verit. lib. 3. c. 10.*) *Cum loquimur de primis motibus, qui ſunt peccata, intelligendum eſt de ſecundoprimis, qui ſunt ſenſualitatis; quia primoprimi non ſunt peccata cum ſint naturales, & extra genus moris: quod patet per hoc, quod tales non ſequuntur imaginationem, ſed ſolummodo naturalium qualitatum actionem. Motus autem ſecundoprimi ſunt peccata, quia ſunt actus inordinati in genere moris. Quod patet per hoc, quod tales motus ſunt ſenſualitatis, quæ ſubjacet in talibus dominio voluntatis: voluntas autem eſt principium moralium, ſicuti habetur 7. Ethic. Hinc eſt, quod ibi genus moris primo incipit, ubi dominium voluntatis invenitur: hoc autem eſt in ſenſualitate*. Hæc Seraphicus, cui Angelicum quoque non poſſum non credere aſſentientem.

*136. Proponitur ſecunda diviſio voluntarii neceſſarii, & contingentis.*

136. Nunc in viam noſtram redeuntes, unde non abs re digreſſi paullisper ſumus cauſſa refutandorum Novatorum, perſequamur reliquas (*n. 126. & 127.*) voluntarii diviſiones. *Secundo* diſpeſcitur in *neceſſarium*, & *contingens*; & utriuſque iſtius voluntarii intelligentia pendet ab iis, quæ de *libero* dicemus in ſect. 2. hujus Articuli. Utcumque tamen innoteſcet, ſi advertas contingens eſſe illud, quod prodit a voluntate operante cum indifferentia ad duo contradictionis extrema: atque ad diverſas etiam unius extremi ſpecies; hoc eſt ad volendum, & non volendum, & ad volendum hoc vel illud; neceſſarium vero, quod procedit ex inclinatione & lubentia quidem voluntatis, at determinatæ ineluctabiliter ad unum dumtaxat agendum. Sit loco exempli duplicis una fervens caritas B. Patris Franciſci a D. Bonaventura deſcripta (*c. 9. Legendæ*): Dum hic *Sponſi amicus*, in terreno incolatu adhuc poſitus, *ſubito ad auditum amoris Domini excitabatur, afficiebatur, inflammabatur, quaſi plectro vocis extrinſeca chorda chordis interior tangeretur*; ejus amor in Deum erat voluntarius *contingenter*: aſt, dum modo Paradiſi gaudiis jam inſertus, *quaſi carbo ignitus Divini amoris flamma abſorptus* pergit amore, idem amor eſt ſolum voluntarius *neceſſario*.

*137. Succedit diviſio tertia voluntarii Mediati, atque Immediati.*

137. *Tertio*, voluntarium dicitur aut *Mediatum*, aut *Immediatum*. Ad utrumque percipiendum ſufficit notare quæ ſcribit Angelicus (*1. 2. q. 6. ar. 4.*) *Duplex eſt actus voluntatis; unus qui eſt ejus immediate velut ab ipſa elicitus, ſcilicet velle; alius, qui eſt actus a voluntate imperatus, & mediante alia potentia exercitus, ut ambulare, & loqui, qui a voluntate imperatur mediante potentia motiva*. Quilibet ergo actus, quem diximus (*n. 98.*) *mere elicitum*, & *elicitum ſimul & imperatum*, cenſetur voluntarius *immediate*; & alius quicumque, quem *mere imperatum* vocavimus,

erit

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

erit *mediate* voluntarius. Hinc idem Angelicus ( *q. 74. ar. 3.* ) docet in ſenſualitate poſſe dari peccatum, eo quod *actus ſenſualitatis poteſt eſſe voluntarius, in quantum ſenſualitas nata eſt a voluntate moveri*; & hoc ipſum extendit ( *ar. 2.* ) ad omnes alias potentias, *quæ poſſunt moveri ad actus ſuos, vel ab eis reprimi per voluntatem*: quod ſimiliter a Seraphico ( *in 2. diſt. 41. ar. 2. q. 2.* ) docetur. Ejuſmodi autem doctrina magis confirmat præcedens ratiocinium noſtrum ( *n. 134.* ) ubi neceſſitatem voluntarii ad peccaminoſos ſenſualitatis motus deduximus ex ipſis textibus utriuſque Doctoris, qui videbantur contrarium inſinuare. Nam ſi eatenus ſenſualitas, & alia quævis potentia, nata a voluntate moveri, poteſt eſſe ſubjectum peccati, quatenus actus talis potentiæ poteſt eſſe voluntarius *mediate*; plane ſequitur, nullum adeſſe peccatum, quoties contigit eumdem actum nullo modo voluntarium eſſe.

138. *Traditur diviſio quarta voluntarii, Perfecti, & imperfecti: quæ probare ſinenda ubi agitur de ferendo judicio circa peccatum mortale.*

138. *Quarta* diviſio eſt voluntarii *Perfecti, & imperfecti*, quæ eruitur ex definitione voluntarii ( *n. 121. & 122.* ) commonſtrante duplex effectivum principium voluntarii, ſcilicet *cognitionem* intellectus, & *propenſionem* voluntatis: ubi enim hæ ambæ plene & integre concurrunt ad aliquem actum, dicitur is voluntarius *perfecte*; uti fuit ex. ca. adulterium Davidis; ubi vero aut utraque, aut alterutra diminuta eſt, actus dicitur voluntarius *imperfecte*, cujuſmodi fuit concubitus Loth cum filiabus, qui ex Seraphico ( *in 2. ſent. diſt. 22. in fine* ) *non omnino excuſatur a culpa inceſtus, cum cognovit filias ſuas, quia non fuit in eo plena ignorantia*. Diviſio hæc præ oculis habenda, quoties definiendum eſt de lethali malitia cujuſpiam actionis; quippe peccato mortali locum non eſſe, niſi iſta *tria* conſpirent & uniantur ſimul, materia gravis ex ſe, vel ex fine Legislatoris, perfecta cognitio, & plenus conſenſus, Auctores omnes tradunt. Huc etiam ſpectat communis illa doctrina de peccatis venialibus *ob imperfectionem actus* in rebus, quæ ſecundum genus ſuum ſpectatæ non admittunt veniale *ob parvitatem materiæ*, uti ſunt venereæ: talem enim imperfectionem actus deſignat, quod hic dicitur *imperfectum* voluntarium.

139. *Aſſignatur quinta diviſio voluntarii ( uti vocat S. Th. ) ſecundum ſe, & ſecundum cauſam, ſive Formalis, & Virtualis.*

139. Duæ aliæ, quæ adhuc reſtant, diviſiones voluntarii valde momentoſæ pariter ſunt, & in Teologia Morali paſſim ab Auctoribus uſurpatæ. Sed mirum eſt, quanta vocum varietate, & confuſione a permultis efferantur, uti ( *n. 126.* ) jam adnotavimus. Nos ad evitandam omnem æquivocationem, quæ plerumque errorum parens eſt, arbitramur aptiſſime illas proponi ſub iis formulis, quas adhibuit Angelicus Doctor ( *1. 2. q. 77. a. 7.* ) Itaque *quinto* voluntarium aliud eſt *ſecundum ſe*, *ſive* formale, *quando voluntas directe in ipſum fertur*: aliud *ſecundum ſuam cauſam*, ſeu virtuale, *quando voluntas fertur in cauſam, & non in effectum*. Sic exempli loco, ſed reapſe cuipiam, mulier, quæ non *intentione provocandi alios ad concupiſcentiam*, ut loquitur idem Angelicus ( *2. 2. q. 67. art. 2.* ) ſed *ex quadam levitate, vel vanitate propter jactantiam quamdam*, utatur paſſim *ornatu inverecundo & impudico*, ita ut ei poſſit merito applicari illud Oſeæ ( *c. 2.* ) *auferat fornicationes a facie ſua; & adulteria ſua de medio uberum ſuorum*: qualem propterea ornatum recenti memoria Summi duo Pontifices, Ven. Innoc. XI. & Clem. XI. prohibuerunt ſeveriſſimis edictis pro hac Urbe, teſte Lambertino ( *lib. 11. de Syn. Diœc. c. 12. n. 6.* ) tunc peccatum *levitatis*, vel *vanitatis*, quod ex ſuo genere ac præciſe acceptum eſt dumtaxat *veniale*, cenſetur mulieri voluntarium *ſecundum ſe*; peccatum vero *mortale ſcandali* illorum omnium, quibus *concupiſcentibus ipſa gladius factus eſt*, ut loquitur Tertullian. ( *lib. de Cultu Femin.* ) reputatur eidem voluntarium *ſecundum cauſam*.

140. *Occaſione ſuperioris exempli deſumpti ex muliebri veſtium ornatu valde impudico, obiter indicantur rationes, quæ cum maxime dedecere oſtendunt; & convelluntur contraria motiva excuſantium excuſationes in peccatis.*

140. Quoniam malum hoc tam grave & exitiale eſt, o inconſulta mulier, quæſo, pergit Tertull. ( *lib. de veland. virg. c. 16.* ) *vela caput*, & quidquid pudet abſolute tegi poſtulat. *Si mater es propter filios; ſi ſoror, propter fratres; ſi filia, propter patres: omnes in te ætates periclitantur: indue armaturam pudoris*. Cum eximio Dei beneficio, qui te prius deformem Salutaribus Undis mundavit, deputata jam ſis Supernæ Civitati ambulantium cum Agno in albis; cave, ne te ſeducat ſeu recenter, ſeu antiquitus inducta conſuetudo terrenæ Urbis, *in qua teſte Div. Hier.* ( *epiſt. ad Marcellam* ) *humilem eſſe miſeria eſt*. Nam, ut obſervat Greg. IX. Summus Pontifex relatus ſimili in cauſa ab eodem Lambertino ( *c. tam. 2.* ) *Conſuetudo nec juri poſitivo præjudicium generat, niſi ſit rationalis, & legitime præſcripta*; multo magis cauſa erit, quæ naturales divinaſque leges ſervandæ modeſtiæ exterioris poſtumdat. *Nemo enim ſanæ mentis intelligit, naturali juri, cujus tranſgreſſio periculum ſalutis inducit, quacumque conſuetudine, quæ dicenda eſt verius in hac parte corruptela, poſſe aliquatenus derogari*, inquit laudatus Gregorius. Neque

ut



ut teipſam, aut alios decipias, quaſi ſic orneris, ut moroſo placeas marito. Primo enim, quid ſi *a viro prohibita nihilominus te immoderate ornares?* plane *inexcuſabilis eſſes*: juxta Ulricum, & Joann. de Friburgo ( *in Sum. Confeſſ. lib. 3. tit. 34.* ) *Quippe tunc hoc faceres ex ſuperbia, vel ex libidine*. Dein, ſi ita eſt, ſubdit S. Joann. Chryſoſt. ( *hom. 10. in epiſt. ad Coloſſ.* ) *Igitur domi hoc facias: hic vero contrarium fit: domi rudior, foris comptiſſima procedis*. Tandem, eſto præcipiat revera maritus immodeſtam veſtium pompam, ad eamque fovendam diurni nocturnique ſui laboris mercedes inſumat; præterquamquod is non advertit, quod Seraphicus ( *in Spec. Anim. cap. 3.* ) vult attendendum, *aliud decere divitem, aliud pauperem, aliud viduam, aliud conjugatam; neque tot paria veſtium convenire burgenſi alicui feminæ*, quot reginæ; numquid imperio ſuo honeſtabit *corruptelam naturali juri* repugnantem? Utique ex Angelico citato ( *art. 2.* ) *mulieres licite ſe poſſunt ornare, vel ut conſervent decentiam ſui ſtatus, vel etiam aliquid ſuperaddere, ut placeant viris ſuis*; at ornatus ſemper intelligitur, qualem ipſe ex Apoſtolo deſcribit, *cum verecundia, & ſobrietate, ut decet mulieres, quæ pietatem profitentur*. Nunc, dimiſſo ſequiore ſexu, rem noſtram denuo agamus.

141. *Affertur ex Angelico Doctore poſtrema diviſio voluntarii Directi, & Indirecti.*

141. *Sexto* tandem, voluntarium explicatum ab Angelico ( *1. 2. q. 6. art. 3. & quæſt. 77. art. 7.* ) per actionem, & omiſſionem actionis, dividitur communiſſime in *Directum*, & *Indirectum*; prout nempe *ab aliquo dicitur eſſe aliquid dupliciter: uno modo directe, quod procedit ab aliquo in quantum eſt agens, ſicut calefactio a calore; alio modo indirecte, ex hoc ipſo quod non agit; ſicut ſubmerſio navis dicitur eſſe a gubernatore, in quantum deſiſtit a gubernando*. Voluntarium igitur directum eſt omne illud, quod voluntas poſitivo influxu operatur ſive per ſe, ſive per ſubjectas ſibi potentias: quomodo Filiis Heli Sacerdotis voluntarium erat *peccatum grande nimis, quo retrahebant homines a ſacrificio Domini* ( *1. Regum cap. 2.* ) Indirectum autem eſt, quod provenit a voluntate non operante, cum poſſit, & interdum etiam debeat; ſicuti erat ipſi patri Heli idem peccatum puerorum, qui cum pro ſuo munere teneretur, maxime poſt auditum univerſi Populi rumorem & ſcandalum, acriter illos increpare & punire; id tamen facere prætermiſit, ea enim tarda, & blanda allocutio: *Quare facitis res hujuſcemodi, quas ego audio; res peſſimas, ab omni populo? nolite, filii mei, non enim eſt bona fama, quam ego audio, ut tranſgredi faciatis Populum Domini*: non fuit ſufficiens correptio, immo mala ex D. Bonav. qui ( *in Bibl. Patr. c. 55.* ) ait: *Heli Sacerdos male correxit filios ſuos, & ideo tam ipſe quam illi a Domino ſunt puniti*. Eodem modo & reliquis Parentibus imputantur peccata præſertim notoria filiorum, ſi hos lente remiſſeque corripiant: *Audio de vobis res peſſimas, non eſt bona fama, nolite filii mei*: vel ſi etiam ex præpoſtero nimium amore nullatenus increpent eo prætextu, quod teneræ ac ferventi ætati ſit indulgendum: ac potius excipiant durius amicos aut propinquos, qui bono fine ipſis inſinuant delicta Puerorum, ut convenienti caſtigatione contineantur in officio. Væ tali indulgentiæ animabus pernicioſæ ultra quam æſtimari poſſit, immo & Reipublicæ univerſæ, quæ incolumis & tranquilla diu perſtare nequit, ubi juvenes complectitur male inſtitutos.

142. *Directi, & Indirecti, voluntarii exempla ſuppeditant peccata (omiſſionis).*

142. Poſtrema hæc voluntarii diviſio locum habet ſæpenumero in peccatis; quæ dicuntur *omiſſionis*, hoc eſt, *deſertionis actus debiti faciendi in tempore determinato* uti Seraphicus ( *Centil. part. 1. ſect. 8.* ) illam definit. Ubi ob omiſſionem aliquam contra præceptum affirmativum, obligans ad agendum pro loco & tempore, contingunt ſubinde alia diverſa peccata, vel in ipſis hominibus, qui agere prætermiſere, vel in aliis quibuſcumque: tunc ea omiſſio in ſe præciſe ſpectata dicitur voluntaria *directe*, quippe omiſſiones culpabiles ſunt aliquo modo volitæ efficaci voluntatis actu; at peccata eamdem omiſſionem conſequentia cenſentur *indirecte* voluntaria. Ita ex. ca. ſi Confeſſarius negligat parare ſibi eam rerum moralium peritiam, quam habere poſſet, ac debet pro officii ſui ratione, ideoque Pœnitentes, ubi opus eſt, minime inſtruat, & dirigat in via ſalutis, atque iſti ob hujuſmodi remiſſionem pergant frequentare periculoſas occaſiones, uſurarios inire contractus, & illicita alia perpetrare; tunc omiſſio ſtudii, & inſtructionis erit Confeſſario voluntaria directe; delicta vero Pœnitentium indirecte; quia ſcilicet non agendo eorum malitiam participat, juxta illud D. Iſidori ( *lib. 3. de ſum. Bon. c. 44.* *Qui docendi accepit officium, ſi facta proximi corrigere poteſt, & diſſimulat, verum eſt quod conſenſum alieni erroris habeat*. Ita pariter de divi-

ce, qui pompis ac gulæ deditus cum ab eleemoſynis, & mercedum ſolutione abſtineat, in cauſſa eſt, cur pauperes & operarii excandeſcant, blaſphement, furentur.

143. *Indicantur conditiones requiſitæ ad inducendum voluntarium tam Indirectum, quam Virtuale.*

143. Exempla utriuſque num. ſuperioris facile quemque deducent ad intelligentiam trium illarum conditionum, quæ requiruntur, ut cuipiam negligenti agere imputentur tamquam voluntaria *indirecte* alia peccata conſectaria, quæque pariter concurrere debent ad illud voluntarium, quod (*num.* 139.) vocavimus *virtuale* ſive *ſecundum ſuam cauſſam*. 1. Eſt, ut agens, vel omittens agere, communi ſaltem confuſaque cognitione prævideri, vel prævidere poterit ac debuerit, conſecuturum effectum malum; hæc enim palam eruitur ex voluntarii definitione (*num.* 121. & 122.) quæ neceſſariam oſtendit prælucentem aliquam cognitionem. 2. Ut cauſſam ejuſdem effectus potuerit vitare, ſive agendo, ſive omittendo; quia ad impoſſibile neminem teneri prorſus indubitatum. 3. Ut illam quoque debuerit evitare, quippe ubi nulla legis obligatio cogit quidpiam agere vel omittere, ibi nullum peccandi periculum, ſi ſecus fiat. Cautos nos in iſta animadverſione voluit Angelicus, qui (1. 2. *quæſt.* 6. *art.* 3.) poſtquam docuit voluntarium eſſe poſſe, aut directum, aut indirectum, mox ſubdit: *Sed ſciendum, quod non ſemper id quod ſequitur ad defectum actionis, reducitur ſicut in cauſſam in agens, ex eo quod non agit; ſed ſolum tunc, cum poteſt, & debet agere. Si enim gubernator non poſſet navem dirigere, vel non eſſet ei commiſſa gubernatio navis, non imputaretur ei navis ſubmerſio, quæ per abſentiam gubernatoris contingeret. Quia igitur voluntas volendo, & agendo poteſt impedire hoc, quod eſt non velle, & non agere, & aliquando debet hoc, quod eſt non velle, non agere imputatur ei, quaſi ab ipſa exiſtens.*

144. *Obiter declaratur, quonam tempore quis contrahat peccatum, quod cenſetur voluntarium indirecte vel virtualiter.*

144. Sed hic non otioſe, nec inepte quis ſciſcitabitur, quandonam malus effectus ſubinde conſequens agenti, vel omittenti agere, imputetur tamquam voluntarius *virtualiter*, vel *indirecte*? num ſcilicet poſtea, quando effectus reipſa prodit; aut potius antea, quando cauſſa illius apponitur agendo, vel non agendo? Utrumque in Scholis jam a diuturno tempore propugnatum iri conſtat, nec hodie ſpes affulget fore, ut unanimi Doctorum ſuffragio tandem definiatur; quiſque igitur in ſuo ſenſu abundet. D. Bonav. (*in* 2. *Sent. diſt.* 22. *in fine*) declarans quænam ignorantia homines excuſet, iſtam quæſtionem ſic paucis expedit. *Si ignorantia eſt introducta per culpam propriam, ſicut eſt in ebrio, & furioſo, quorum uterque ſe præcipitavit in hoc per culpam ſuam; ſic non excuſat a toto, ſed a tanto: quia ſicut dicit Philoſophus* (l. 3. Ethic. c. 7.) *ebrius habet duplices maledictiones; maledictionem ſcilicet pro culpa præcedenti, & maledictionem pro culpa ſubſequenti. Quantum autem & qualiter excuſet ſubſequentem culpam, diverſimode quidam determinant. Quidam enim dicunt, quod nec ebrius, nec furioſus, qui uſu rationis caret, committere poteſt novam culpam, ſed ex inordinatione ſequenti aggravatur culpa prima; poteſt enim culpa aggravari ex effectu ſequenti. Aliis autem videtur, quod nec ſic excuſet, quin novam culpam committat; non tamen eſt adeo gravis, ſicut ſi illam faceret ex certa ſcientia: primus tamen modus dicendi probabilior eſſe videtur.* Iiſdem verbis repetit hoc ipſum (*in Gentil. p.* 1. *ſect.* 25.) ubi ſcribit, ita *videri magis peritis*; inter quos, nullum mihi dubium, quin potiſſime intellexerit Præceptorem ſuum Alexand. Alenſem, qui (*par.* 1. *Sum. quæſt.* 114. *memb.* 7.) hæc docuit: *Tunc dicitur omiſſio perpetrari, quando aliquis applicat ſe ad actum illicitum incompoſſibilem cum illo actu, ad quem tenetur, ut ſi iſte tenetur ire ad matutinas, & inebriat ſe, vel ſit in colloquio infructuoſo, propter quod non ſurgens ad matutinas, tunc omittit.*

145. *Communior ea ſententia circa peccatum indirecte, & in cauſſa voluntarium, cum quadam diſtinctione accipienda.*

145. Bene tamen advertit P. Anacletus in Morali Theologia (*tract.* 1. *diſp.* 1. *qu.* 3.) quod *licet peccatum commiſſionis, aut etiam omiſſionis, indirecte vel in cauſa tantum voluntarium, contrahatur mox in ipſa appoſitione cauſſæ ſeu impedimenti quæ fuit in libera hominis poteſtate; non autem tempore ſubſequenti, quo ſequitur v. g. mors alterius veneno cauſſata, aut omiſſio Sacri, vel recitationis Breviarii, ſi tunc revera adfuit impotentia impediendi mortem alterius, vel Sacrum audiendi, nihilominus ad incurrendas pœnas, vel inhabilitates* (ſicuti ſunt Cenſuræ, & Irregularitates ex delicto), *quæ Jure Eccleſiaſtico in perpetrantes certa crimina ſunt ſtatutæ, regulariter loquendo, non ſufficit ſola appoſitio cauſſæ talium criminum; ſed requiritur ut tale crimen opere externo conſummetur; ut Doctores communiter tradunt.* Rationem hujus poſterioris adſerti hanc aſſignant. *Quia leges pœnales ſunt ſtricte interpretandæ; ſimulque earum verba debent intelligi cum effectu, ex cap. hæc autem verba*, de Pœnitent. diſt. 1. & Gloſſa ibidem. *Nam ſola voluntas & co-*
*na-*



*natus non ſolet per leges humanas puniri ſine effectu, niſi ſecus in ipſamet Lege exprimatur, prout in Legibus Civilibus exprimitur, loquendo de crimine leſæ Majeſtatis.*

146. *Sex voluntarii diviſiones, hactenus enarratæ, paucis perſtringuntur a D. Bonav.*

146. Seraphicus Doctor etſi ſingulas *voluntarii* diviſiones, quas (*a num.* 126. *huc uſque*) declaravimus, nullibi ita diſtincte proponat, illas tamen brevibus complectitur (*in* 2. *Sent. diſt.* 41. *dub.* 3.) ubi enumerat *novem gradus voluntarii, ſecundum quos peccata voluntaria dicuntur ſecundum plus, & minus.* Quiſquis igitur unico obtutu univerſas perſpicere cupit, ſequentia ejuſdem verba perlegat. *Primo & principaliter dicitur voluntarium, quod eſt a voluntate nullo inclinante, nec interius nec exterius; ſic fuit peccatum Luciferi voluntarium. 2. Voluntarium dicitur, quod eſt a voluntate, aliquo ſuggerente exterius, ſed nullo inclinante interius; & ſic fuit peccatum primi hominis voluntarium. 3. Dicitur voluntarium, quod eſt a voluntate, aliquo inclinante tam exterius, quam interius; & ſic eſt peccatum mortale, quod aliquis perpetrat ex deliberatione, & intentione poſt lapſum naturæ. 4. Eſt voluntarium, quod eſt a voluntate, non movente ad illud directe, movente tamen ad illud ex conſequenti; ſicut eſt peccatum omiſſionis, quo quis omittit ad Matutinum ſurgere, quia voluntarie ſe inebriavit. 5. Eſt voluntarium, quod eſt a voluntate non movente ad illud directe, nec appetente, ſed aliud refugiente; ſic eſt peccatum, quod homo fecit mortis timore. 6. Eſt voluntarium quod eſt a voluntate, non plane id quod agit cognoſcente: ſic peccatum ex ignorantia dicitur voluntarium. 7. Dicitur voluntarium, quia conſequitur ad aliquid, quod voluntarie factum eſt ab illo eodem, a quo illud fit; ſic peccata quæ conſequuntur ebrietatem, in quam homo ſe ſcienter induxit, dicuntur aliquo modo voluntaria. 8. Dicitur voluntarium, quia eſt ab aliquo potente prohibere, non tamen prohibente; ſic peccatum veniale, quod eſt primus motus, dicitur eſſe voluntarium. 9. Dicitur voluntarium, quod introductum eſt a voluntate aliena, ſicut a cauſſa prima: & ſic peccatum originale dicitur voluntarium. In omnibus iſtis modis prædictis ſalvatur aliquo modo ratio voluntarii; proprie tamen, & principaliter in duobus modis primis.*

## SECTIO II.

### *De Libero.*

147. *Incipit diſputatio de Libero, & ſtatim declaratur, quo ſenſu Libertas dicatur neceſſaria ad actum humanum.*

147. NUnc a Voluntario ad *Liberum* progrediamur. Ut pateat penitus, quonam in ſenſu ſoleat, communiter dici (*num.* 97.) *liberum* eſſe debere actum *humanum*, hæc ſtatim animadvertere oportet. Duplex ſecernitur *eſſentia* actus humani; una *Phyſica*, quæ eſt ipſa actionis entitas naturalis, altera *Moralis*, quæ habitudinem actionis ad normam agendi præſefert. Inter prædicata eſſentialia actus humani *phyſice* conſiderati ſunt hæc duo, quantum ad rem præſentem attinet, nempe quod ſit motus ab intrinſeca voluntatis inclinatione emanans, quodque ex prælucente cognitione intellectus producatur: quæ ſunt ea ipſa, unde idea *voluntarii* (*num.* 121.) conſurgit. Quod autem ſit præterea motus, *libere* & non *neceſſario* productus a voluntate, mere *accidentalis* perfectio actus *phyſice* conſiderati eſt. Dum *accidentalem* nomino mutuata voce ab aliis Auctoribus, qui de hoc argumento ſcripſere, *ſeparabilem* intelligo, quia nimirum, immutata entitate *phyſica* actus, ratio *liberi* poteſt peræque adeſſe, vel abeſſe; ut patet de univerſis motibus, qui cum ante omnem advertentiam rationis cenſeantur actus hominis naturales, poſtmodum accedente deliberatione & conſenſu dicuntur actus humani liberi. Libertas igitur ad humanum actum requiritur, prout *moraliter* conſideratur, ſub quo reſpectu ſunt quaſi ſynonimæ voces *humani*, *moralis*, *liberi*.

148. *Oſtenditur, moralitatem actionum non poſſe conſiſtere ſine libertate, ſicque libertati ipſa adſtruitur.*

148. Eadem autem libertas exigitur ad moralem actum, non quod proprie ut forma conſtitutiva moralitatis (qua de re initio Articuli 5. diſſeremus). ſed quia radix baſiſque eſt omnis moralitatis. Eſt id impræſentiarum accurate demonſtrandum, non quaſi obſcurum aut incertum putemus, verum ob hanc præcipuam cauſſam, quoniam eo confecto ipſa quoque exſtantia humanæ libertatis manet præſtabilita. Moralitas actionum neceſſario ſecum fert imputabilitatem earum ad laudem, vel vituperium, ad præmium vel pœnam; atqui imputabilitas hujuſmodi nullum poteſt habere locum, ſemel ac voluntas fingitur deſtituta libertate agendi, ſeu facultate ſeipſam determinandi ad agendum; ſublata igitur libertate neceſſe eſt ipſam quoque moralitatem deſtrui. Aſſumptio manifeſta ex Patribus. Clemens Alexand. (*l.* 1. *Strom.*) ſic ait: *Nec laudes, nec vituperationes, nec honores, nec ſupplicia juſta ſunt, ſi anima non habet liberam poteſtatem & appetendi,*

 *& a-*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*& averſandi*. D. Auguſt. (*l. 5. de Civ. Dei c. 9.*) *Si concedimus nullum eſſe arbitrium voluntatis, omnis humana vita ſubvertitur: fruſtra leges dantur; fruſtra objurgationes, laudes, vituperationes, exhortationes adhibentur; neque ulla juſta bonis præmia, & malis ſupplicia conſtituta ſunt*. Et has quidem illationes rite deduci, naturali quoque lumine conſtat: talia namque Auguſtinus protulit ex mente Ciceronis ita ratiocinantis in hypotheſi, quod *fato fiant omnia, quæ fiunt*; cui hac in re ipſa nullatenus contradixit.

*149. Id ipſum confirmatur alia ratione perſpicua.*

149. Præterea, quomodo moralitas actionum tota non ſubruetur, ſi horum aliquid admittatur; videlicet hominem, etiam dum perperam agit, & contraria legibus molitur, minime peccare; aut ſi vere peccat, univerſa ejus peccata in Deum fore refundenda? Atqui, dempta homini libertate, alterutrum omnino fatendum eſt. Primum ſic declarat D. Bonav. (*in 2. Sent. diſt. 41. ar. 2. q. 2.*) *Quoniam libero arbitrio commiſſum eſt regimen totius hominis, ſi aliqua deordinatio fiat in regno totius animæ, ipſi libero arbitrio imputatur: unde ſi omnia membra, per quæ conſummata eſt, & omnes potentiæ, in quibus aliqua deordinatio facta eſt, traherentur in cauſam, omnia conquererentur de libero arbitrio, cui ſubjecta ſunt, & ei Dominus totum imputaret, quidquid in eis malum geſtum fuit: Unde ſi tollatur liberum arbitrium, jam nullo modo erit peccatum*. Et S. Juſtinus Martyr (*in Apolog. 2.*) *Niſi homines poſſent ſuo arbitratu turpia fugere, & honeſta ſectari, extra culpam foret quidquid agerent*. Secundum pariter evidens eſt: hinc ex naturalis juris Tractatoribus Hugo Grotius (*Opuſc. de Dogmatis Reipublicæ perniciofis*) ſcribit: *Liberum arbitrium ſi qui plane tollunt, evadere vix poſſunt, quin Deum omnium ſcelerum cauſſam faciant; id quod in Republica minime tolerandum eſſe, Plato dixit*.

*150. Occurritur ineptæ exceptioni adverſus primum argumentum excogitatæ ab humanæ libertatis oſoribus.*

150. Atque hæc quidem ratio poſterior ſic ad propoſitum ſcopum noſtrum valet, ut ſimul elidat futilem illam exceptionem, qua priorem aliam enervare conantur nonnulli ex adverſo pugnantes; dicendo nimirum; haud fruſtra leges ferri, nec immerito præmia & ſupplicia decerni in humana ſocietate, ſemel ac dimittatur *ſola* libertas *civilium* ſeu *externarum* actionum. Profecto ultra leges, quæ politiam externam reſpiciunt, extant plures aliæ Divinæ & Humanæ, quibus exacta morum honeſtas, & animi interior juſtitia præcipitur, in iiſque pariter præmia, ac ſupplicia proponuntur. Etenim ex D. Thoma (*1. 2. q. 90. ar. 2.*) quamvis, quæ hominibus præſcribitur, *lex omnis ad bonum commune ordinetur, & reſpiciat ordinem ad felicitatem communem*, quam participant homines ſinguli, qui ſunt *veluti partes communitatis perfectæ*: & ideo Philoſophus 5. Eth. *legalia juſta* dicat *factiva & conſervativa felicitatis, & particularum ipſius politica communicatione*: attamen *oportet, quod principaliter & maxime lex reſpiciat ordinem, qui eſt in beatitudine, quæ eſt finis ultimus humanæ vitæ*. Ex quo fit, diverſi generis leges extare debere; alias nempe, *quæ pertineant ad ordinationem hominum ad invicem, & ad temporalem tranquillitatem Civitatis ſeu felicitatem politicam*; & alias, *quæ ordinent hominem maxime ad Deum, & ad beatitudinem æternam*: uti paſſim docet idem Angelicus in univerſa tractatione de Legibus, (ſed præcipue *q. 91. 99. & 103.*) Quemadmodum ergo fatente Melanctone (*in Ethica* contracta *§. de Libertate*) *Libertatem in externis actionibus tollere nihil aliud eſt, quam in univerſum delere omnes leges in civitatibus, & concedere infinitam licentiam omnium ſcelerum, & totam ſocietatem generis humani diſſipare*: ita prorſus, noſtro judicio eoque veriſſimo, ſublata libertate reliquarum actionum cum moralium tum ſupernaturalium, elevantur omnes aliæ leges a politicis diverſæ, quavis germanæ, Religio deſtruitur, ac Deus ipſe inſimulatur injuſtitiæ, eo quod vetet ac vindicet, quæ reſpuere non eſt in libera hominum poteſtate.

*151. Janſeniſtæ convincuntur integram morum ſcientiam ſubvertere, eo ipſo quod homini lapſo adimunt libertatem agendi, & non agendi.*

151. Jure propterea maximo P. Antoine (*in Th. Sch. tr. de Gr. ar. 6.*) perſtringens Janſenii aſſeclas, ſeu lupos perſonatos, qui cum ex una parte ſimul cum Luthero, & Calvino exiſtiment tantam humano generi illatam cladem originariæ noxæ alluvione, ut libertas etiam voluntatis interierit, indeque complectantur juxta tertiam magiſtri ſui propoſitionem, Apoſtolico judicio jam proſcriptam, *ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiri in homine libertatem a neceſſitate, ſed ſufficere libertatem a coactione*; ex alia vero parte ſimulent in ſuis ſcriptionibus Aſceticis ac Moralibus puriſſimam Evangelii doctrinam: jure, inquam, maximo admonet, eos vel unico iſto falſiſſimo dogmate univerſam morum doctrinam ſuſdeque vertere. *Janſeniſtæ ſeveriorem doctrinam moralem in omnibus ſequi ſe jactitant, ſed falſo: hæreſis namque Janſeniana continet principium omnis morum corruptelæ.*

docens,



*docent, hominem quoties peccat, neceſſitari inſuperabiliter per concupiſcentiam ad peccandum: nam hoc ipſo juſtam & legitimam excuſationem omnibus peccatis, ac criminibus præbent: quænam enim major & juſtior criminum excuſatio poteſt eſſe, quam inſuperabilis neceſſitas peccandi?*

*152. Stabilita humanæ libertatis exiſtentia, aperienda ejuſdem eſſentia, ad vitandas præſertim Hæreticorum fraudes, qui libertatis voce abutuntur.*

152. Quoniam libertas hominis conſiderati etiam ſecundum præſentem naturæ ſtatum iis jam eſt vindicata rationibus, quæ contra omnes promiſcue Adverſarios poſſunt urgeri, quibuſcunque ex cauſſis promoveantur ad eam inficiandam; ac præterea explicatum, quomodo libertas ad moralitatem actionum exigatur, reſtat nunc, ut claram diſtinctamque concipiamus ideam hujuſce libertatis, de cujus extantia ſumus perſuaſi. Solent Novatores, ut virus ſuum tegere & incautis illudere poſſint impune, nomen *libertatis* uſurpare pro ſpontaneo voluntatis appetitu, ſive inclinatione intima, adeoque *liberum* cum *voluntario* confundere; ea ferme aſtutia, qua olim Pelagius ad fallendos ſimplices *Gratiæ* vocabulum admittebat, non aliud intelligens quam naturalia dona in creatione hominibus a Deo collata, ſicque evacuans ſupernaturalem Chriſti gratiam qua ſalvatur jam natura condita, ut notavit D. Auguſtinus (*ep. ad Syxt. & ſer. 11. de verb. Ap.*) At vero Catholici omnes *libertatem* proprie ſumptam ajunt eſſe expeditam potentiam agendi vel non agendi, poſitis etiam omnibus ad agendum requiſitis: proinde quod eſt vere *liberum*, quidpiam notione ſua præ ſe ferre, quod diſcretum diverſumque eſt a *voluntario* hactenus a nobis præciſe deſcripto juxta Scriptores Morales. Ad præcavendas igitur fraudes & æquivocationes omnes, minutatim examinemus quæcumque conducunt ad rectam libertatis intelligentiam.

*153. Diſtinguenda triplex Libertas, ſcilicet naturæ, gratiæ, & gloriæ: quarum prima, quæ ſolet deſignari nomine liberi arbitrii, minime ablata per peccatum.*

153. Solent Theologi cum D. Bernardo, ac Sententiarum Magiſtro diſtinguere triplicem libertatem. Prima eſt *Naturæ*, qua quis liber eſt a coactione, & neceſſitate: de qua intelligitur dictum Apoſtoli (*1. ad Cor. c. 7.*) *qui ſtatuit in corde ſuo firmus, non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis*. Altera *Gratiæ*, qua quis a peccato liber eſt, juxta illud Apoſtoli (*ad Rom. c. 6.*) *liberati a peccato, ſervi facti eſtis juſtitiæ*, & Joannis (*c. 8.*) *ſi vos Filius liberavit, vere liberi eritis*. Poſtrema *Gloriæ*, qua quis immunis eſt ab hujus temporalis vitæ miſeriis; de qua idem Paulus (*ad Rom. c. 8.*) *tunc & ipſa creatura liberabitur a ſervitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei*. Itaque, ut Seraphicus ſubdit (*Comp. Th. Ver. l. 2. c. 56.*) *prima libertas eſt bonorum, & malorum; ſecunda eſt tantummodo bonorum, tertia eſt in cælo regnantium*: ex quo infert, quod *liberum arbitrium liberius eſt in bonis, quam in malis; quia in bonis eſt tantummodo ſervitus miſeriæ, in malis autem eſt ſervitus miſeriæ, & peccati*. Quoties nunc in ſcholis *liberum arbitrium* nominatur, non gratiæ aut gloriæ, ſed *naturæ* libertas intelligitur, nam ſola hæc libertas eſt a *natura* indita homini, adeoque communis bonis, & malis. Hominem in ſtatu innocentiæ habuiſſe voluntatem liberam a coactione, & neceſſitate, admittunt cum Catholicis Lutherus, Calvinus, & reliqui Novatores; ſed viciata per peccatum natura amiſſam putant eam libertatem, ſaltem prout importat immunitatem a neceſſitate. Horum peſſima deceptio in eo verſatur, quod Scripturæ, & Patrum teſtimonia, quæ de libertate duntaxat gratiæ aut gloriæ ſunt accipienda; ad libertatem naturalem transferant: homo enim peccando liberum arbitrium dicitur perdidiſſe, non quantum ad libertatem naturalem, ſed quantum ad libertatem, quæ eſt a culpa, & a miſeria. Unde S. Auguſt. (*l. 1. cont. duas ep. Pel. c. 2.*) ait: *liberum arbitrium uſque adeo in peccatore non periit, ut per illud peccent, maxime omnes qui cum delectatione peccant*.

*154. Quid ſit coactio, & an poſſit eam ſubire voluntas humana?*

154. Quandoquidem libertas *naturæ*, in quovis homine etiam lapſo adhuc ſuperſtes, ex dictis immunitatem tum a *coactione* tum a *neceſſitate* complectitur, præſtat explanare, quidnam coactionis ac neceſſitatis nomine veniat: *Coactio* eſt vis, qua ſubſtantia cogitur quidpiam agere tantummodo ob vim ab extrinſeco aliquo principio ei illatam, quominus ſubſtantia ipſa influat in talem actionem. Voluntas noſtra, cum agat ſemper vi ſua, & contra inclinationem ſuam nunquam agat, coactionem proprie loquendo pati nequit; ſecus enim *tunc nolens vellet, vel volens nollet*; ut notat Scotus (*in 4. Sent. diſt. 29. q. 1.*) quod manifeſtam præ ſe fert contradictionem. Quare nullus actus ex iis, qui a voluntate dicuntur *eliciti* (*num 97.*) poteſt eſſe coactus; adeoque, impoſſibile eſt unum aliquem proferre in exemplum coactionis, ut monet Wolphius (*in Pſycol. num. 924.*) Quidquid ergo voluntarium, ſeu a voluntate profectum eſt, neceſſario debet eſſe ſpontaneum, & coactionis expers; ita quidem ut ſi immunitatem a coactione demas voluntati, ipſam

que-

quoque voluntatem de medio tollas, quemadmodum palam convincitur eam perimere impudentiſſimus Bœlius, qui innumeris erroribus, queis Litterarum Orbem inficere conatus eſt, & hunc immanem adjunxit, ut ſcriberet externam coactionem in animam cadere poſſe: *Sicuti dicitur aliquid naturale, quia eſt ſecundum inclinationem naturæ*, ait Angelicus (*1. part. qu. 82. art. 1.*) *ita dicitur aliquid voluntarium, quia eſt ſecundum inclinationem voluntatis. Sicut ergo impoſſibile eſt, quod aliquid ſimul ſit violentum & naturale; ita impoſſibile eſt, quod aliquid ſimpliciter ſit coactum & voluntarium.*

155. *Nulla argumenta, aut exempla evinci poteſt, proprie dictam coactionem cadere poſſe in voluntatem ejuſque interiores actus.*

155. Quæcunque vero ad tam deſperatæ cauſſæ patrocinium opponi poſſunt exempla hominum variorum, qui aliena violentia ſæpius coacti fuerunt efficere aut admittere, quæ ipſi maxime reſpuebant; ea, ſi rite expendantur, alterutrum dumtaxat ex his duobus evincunt: videlicet vel ſolas corporeas actiones, quæ dicuntur *imperari* a voluntate inferioribus Potentiis, poſſe coactionem ſubire, reluctante interim, dum efficiuntur extrinſecus, intima voluntate, quam extranei principii vis nequit pervadere; ut contingit in virgine aliqua, quæ cogitur pati in ſuo corpore ſtuprum, quod animo ſuo conſtanter averſatur: vel (ſi actionibus externis aliqua coactione extortis interior voluntatis inclinatio accedit, ut evenit in viatore pecuniam latroni tradente cauſſa vitandi præſentiſſimum necis periculum) eaſdem actiones coactas tranſire ſubinde in voluntarias. Utrumque porro concedimus; ſed nihil inde infertur contra ſuperiorem doctrinam. Nam in priore caſu vis exterior non impellit voluntatem agere & producere actum immanentem contra propriam inclinationem; in poſteriore autem, voluntas inducitur eadem vi ſolum ad volendum & lubenter agendum, cum poſſet non velle, ſi ita placeret. Totum hoc confirmat Seraphicus (*Com. Theol. verit. lib. 2. cap. 56.*) dicens: *Nota quod libertas liberi arbitrii eſt libera a coactione ſufficienti, ſed non libera a coactione efficienti: nulla enim coactio exterior eſt cauſſa ſufficiens, ut aliquid fiat, licet quandoque ſit efficiens; ut patet in multis, qui coacti ſunt negare Chriſtum per tormenta, quoniam in hujuſmodi coacta voluntas, voluntas eſt, ut ait Auguſtinus.*

156. *Quid & quotuplex ſit neceſſitas agendi?*

156. *Neceſſitas* hic ſignificat ineluctabilem, & invincibilem determinationem ad aliquid agendum, propter quam actus ita exiſtit, ut non poſſit non exiſtere abſolute & omnino, non ex ſola ſuppoſitione quod cauſſa activa velit agere; ſive oriatur ejuſmodi determinatio ab intima cauſſæ agentis natura, ſive proveniat ab energia exterioris alicujus principii ipſam cauſſam promoventis. Talis neceſſitas vocatur *abſoluta*, & *antecedens*, quandoquidem antevertit omnem prorſus voluntatis determinationem, & in quavis hypotheſi actum ab ea extorquet, ſicque opponitur alteri illi neceſſitati, quæ dicitur *conditionata*, & *conſequens*, quoniam a prævia voluntatis determinatione promanat, & ſolam ſpectat hypotheſim actionis producendæ. Prioris dumtaxat generis neceſſitas eliminat libertatem proprie dictam: quæ enim eſt generis alterius, afficit etiam actum libere productum, juxta Metaphyſicorum axioma: *omne, quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt eſſe*. Sunt hæc probe notanda ad præcavendas Novatorum technas, qui cum reapſe ſentiant ſive vitioſam cupiditatem, ſive laudabilem caritatem imponere hominibus abſolutam agendi neceſſitatem, ſolent nihilominus hanc repræſentare, quaſi hypothetica tantum foret neceſſitas; unde voluntatem liberam eſſe dictitant, etiam dum agit neceſſario.

157. *Quid proprie importet voluntatis humanæ Libertas complete accepta, ac ſenſu catholico explicata.*

157. Coactione ac neceſſitate in anteceſſum ſic declaratis, jam intelligimus libertatem *adæquate* ſumptam, quæ utramque debet excludere, duplici quaſi gradu conſtare; quem attendentes Catholici Doctores ſolent duplicem quoque libertatem humanæ voluntatis diſtinguere: una, eaque prorſus eſſentialis, dicitur libertas a *coactione* per quam voluntas ſponte ac lubenter agit, quidquid agit: altera, & hæc accidentalis, dicitur libertas a *neceſſitate*, per quam voluntas non modo ſponte agit, verum etiam cum tali ſuorum actuum dominio, ut, ſi vellet, poſſet peræque non agere. Poteſtas vero iſta agendi, vel non agendi, vel *contradictionis* ſive *exercitii* vocatur, ſi referatur ad unum, aut plura objecta, circa quæ voluntas poteſt elicere actum vel non elicere, hoc eſt, velle & non velle: vel *contrarietatis* ſive *ſpecificationis*, ſi unicum aut plura objecta reſpiciat, circa quæ elicere poteſt diverſos & oppoſitos actus: ita priori reſpectu poteſt ex. ca. *amare*, vel *non amare*; poſteriori *amare*, vel *odiſſe*. *Accidentalem* dixi libertatem *a neceſſitate*, ſpectando phyſicam voluntatis humanæ eſſentiam: tum quia non in omni naturæ ſtatu voluntas illam conſtanter retinet circa eadem objecta; Deum enim, quem nos hic libere diligimus vel non diligimus, Beati in cælis amant neceſſario etſi

lu-



lubentiſſime, tum quia neque in ſtatu præſenti poteſt ea libertas verſari circa quodcunque bonorum aut malorum genus (*num. 103.*) ſicut Metaphyſici jure proprio demonſtrant.

158. *Expenduntur diverſa nomina, quæ diverſas ob cauſſas Libertati adæquate ſumptæ attribuuntur.*

158. Non erit inutile perpendere varietatem nominum, quæ ab Auctoribus noſtratibus attribui conſueverunt eidem libertati ſub diverſis rationibus conſideratæ. 1. Vocatur libertas *Indifferentiæ*, ſi ſpectetur in mera potentia; quatenus nempe facultas eſt agendi, vel non agendi, aliter atque aliter agendi, concurrentibus etiam omnibus conditionibus ad agendum requiſitis; ex quo quiſque facile dignoſcet, indifferentiam hujuſmodi, etſi ſecundum materialem vocem ſignet puram determinationis negationem, reapſe poſitivum aliquid denotare, nimirum vim ſeſe determinandi ad agendum; proindeque indifferentiam *activam* eſſe, non *paſſivam*, qualis in bilance deprehenditur. 2. Ubi in actu conſideratur, libertas *contingentiæ* dicitur, quia actus hoc modo liber ita exiſtit, ut potuerit etiam non eſſe, ſi nempe voluntas ſtatuiſſet minime agere. 3. Appellatur libertas *electionis*, quoniam uſus libertatis hujuſce maxime ſe prodit, dum ex multis, quæ offeruntur, unum præ alio ſeligitur: *ex hoc liberi eſſe dicimur*, inquit Angelicus (1. *q. 83. ar. 3.*) *quod poſſumus unum recipere alio recuſato, quod eſt eligere.*

159. *Profertur unicum Argumentum ex Auctoritate Divina ad demonſtrandam libertatem hominis, quam ſemper aſſeruit Catholica Eccleſia.*

159. Hæc porro libertas, quoad nomina omnia & rem ipſam hactenus explicata, illa eſt, quam Catholica Eccleſia revelato Dei verbo edocta perpetuo agnovit, quamque adverſus Novatores hæreticos ſtrenue tuentur Dogmatici ac Polemici noſtri Theologi. Ad hos unumquemque remitto, cui volupe ſit ſeriem omnem recognoſcere argumentorum faventium catholicæ cauſſæ: pro inſtituto enim noſtro ſat eſt aliqua delibaſſe (*n. 148. & ſeq.*) quæ cum non ſint Theologis indigna, poſſunt etiam ab Ethnicis uſurpari. Nihilominus, quia ex S. Aug. (*de Quant. animæ c. 7.*) *auctoritati credere magnum compendium eſt, & nullus labor*, unicum ſaltem adducamus Divinarum Litterarum irrefragabile teſtimonium, quod legitur in Eccleſiaſt. (*cap. 15.*) *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui*. Hoc expendens triplici in loco Angelicus ita ratiocinatur. 1. *Deus reliquit hominem in manu conſilii ſui: hoc autem non eſſet, niſi haberet liberam electionem; quæ eſt appetitus præconſiliati, ut dicitur in 3. Ethic. ergo homo habet liberam electionem ſuorum actuum* (in QQ. Diſp. q. 6. de Elect. Hum. ar. 1.) *Deus reliquit hominem in manu conſilii ſui, non quia licet ei facere omne quod velit, ſed quia id quod faciendum eſt, non cogimur neceſſitate naturæ, ſicut creaturæ irrationales, ſed libera electione ex proprio conſilio procedente* (*2. 2. q. 104. ar. 1.*) 3. *In hoc, quod dicitur, Deum hominem ſibi reliquiſſe, non excluditur homo a divina providentia; ſed oſtenditur, quod non præfigitur ei virtus operativa determinata ad unum ſicut rebus naturalibus, quæ aguntur tantum quaſi ab altero directæ in finem, non autem ſeipſa agunt quaſi ſe dirigentia in finem, ut creaturæ rationales per liberum arbitrium, quo conſiliantur, & eligunt; unde ſignanter dicit: in manu conſilii ſui* (*1. par. q. 2. ar. 2.*)

160. *Refertur, & refutatur vana novatorum exceptio ad ſuperius argumentum.*

160. Neque allatum argumentum poterunt enervare Sectarii, ſi dictent divina illa Sirachidis verba referenda ad hominem naturæ inſtitutæ & integræ, minime applicanda collapſo. Nam effugium iſtud præcludit integra ſermonis ſeries in eodem Capite, ut cuique legenti patebit. Accedit contextus alterius Capitis (ſcilicet 31.) ubi vir perfectus laudatur, eo quod in præſenti naturæ ſtatu *potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, facere mala, & non fecit*; nullus enim laudi, merito, præmiove locus, niſi ſupponatur arbitrii libertas ad faciendum, vel non faciendum malum (*n. 148.*) Hinc Angelicus: *Quia creatura rationalis habet per liberum arbitrium dominium ſui actus, ſpeciali quodam modo ſubditur divinæ providentiæ; ut ſcilicet ei imputetur aliquid ad culpam vel ad meritum, & reddatur ei aliquid ut pœna, vel præmium* (*1. par. q. 22. ar. 2.*) Quod in præſenti negotio admitti poteſt diſcrimen inter utrumque naturæ ſtatum, illud reperitur ex *diverſitate* gratiæ divinæ, quam ad abſtinendum a malo, & ad perdurandum in bono, olim habuit innocens homo, & nunc recipit homo infirmatus, qua de re idem Angelicus (*1. 2. q. 109. ar. 3. & 8. ac lib. 3. contra Gent. c. 155.*) fuſe vero D. Aug. (*in l. de Correpț. & Gr.*) & poſteriores Scholaſtici Theologi.

161. *Ad complementum diſputationis de Libertate, quinque animadverſione digna ſubjiciuntur. Prima obſervatio*

161. Jam adverſus Hæreticorum machinamenta tueamur ſarta tecta, quæ hactenus de libertate diſputantes adſtruximus, ſimulque præoccupemus dubia aliquot, quæ poſſunt enaſci legentibus etiam Catholicos Auctores, qui de hoc argumento ſcripſere, *quinque* remanent probe animadvertenda, quæ, utut diverſa inter ſe ac diſparata, ad utrumque indicatum finem valde conducunt. *Primo*, dicet quis, ſi in præſenti potiſſimum naturæ lapſæ ſtatu nequit homo ſolis viribus legem ſer-

vare

*declarat, quomodo neceſſitas divinæ gratiæ ad bonum agendum non perimat liberum arbitrium, nec paret excuſationem peccatis.*

vare & bonum facere, ſicuti poteſt per ſeipſum legem tranſgredi, & malum facere; nonne alterutrum ex his duobus conſequitur, ſcilicet hominem vel non peccare omittendo bonum, quod non poteſt facere, vel carere naturali facultate libere agendi, ac ſeſe determinandi ad quodcumque voluerit? Dubium hoc evaneſcit, ſi attendas quæ S. Bonav. (*in 2. Sent. diſt. 28. dub. 3.*) appoſite ſcribit. *Poſſe quid facere vel vitare, dupliciter aliquis poteſt: primo modo quia per ſeipſum ſine aliquo alieno ſuffragio poteſt illud; ſicut aliquis poteſt comedere, quando eſt ſanus, & habet cibum; alio modo dicitur aliquis aliquid poſſe, non ſolum quia poteſt illud per ſe, & in ſe, ſed quia poteſt cum alio, quod ſibi præſto eſt; & hoc modo accipiendo, poſſe omne quod Deus præcipit in noſtra poteſtate eſt; quia ipſe, qui præcipit, præſto eſt præbere gratiam adjuvantem, per quam poſſumus proficere: alio modo accipiendo, poſſe, non omne, quod præcipit, eſt in noſtra poteſtate. Non tamen ex hoc excuſatur aliquis; ſicut ſi præciperet dominus ſervo, quod daret ſibi libendum, & ipſe non haberet aquam, ſi poſſet eam acquirere, non excuſaretur.* Alia itidem addit S. Doctor (*dub. 4.*) quæ ad eamdem rem faciunt.

*162. Secunda obſervatio complectitur quatuor diſcrimina voluntarii, & liberi: quibus innititur diviſio Voluntarii in neceſſarium & contingens.*

162. *Secundo*, libertatis dogma, Chriſtiana Fide ab omnibus tenendum, minime conſiſtit, niſi *voluntarii*, ac *liberi* notiones prorſus diverſæ habeantur, prout integra materia bipartita hujus Artic. III. ſatis commonſtrat. Quadruplex autem notari poteſt diſcrimen voluntarii ac liberi. 1. Voluntarium ex ſe admittit neceſſitatem, etiam antecedentem abſolutamque; liberum illam eliminat: ſic ex. ca. *homo naturaliter & de neceſſitate vult beatitudinem, & miſeriam velle non poteſt* (ut ait, Angelicus *q. 1. de Potentia Dei art. 5.*) & tamen voluntarie lubenterque illam appetit, iſtam averſatur. 2. Quod ex priore manat, voluntarium latius patet, quam liberum; cum omne liberum ſit etiam voluntarium, non e converſo. 3. Ratio voluntarii eſt perfectio intrinſeca & eſſentialis actionibus humanis, ratio vero liberi accidentaria & contingens dumtaxat eſt (*n. 147.*) 4. Fieri poteſt, ut in uno eodemque actu, qui ſimul liber ac voluntarius eſt, augeatur voluntarium, & minuatur liberum: quemadmodum demonſtrabimus in Articulo IV. ſect. 2. §. 4. ubi de ultimo voluntarii impedimento fiet ſermo, videlicet de Concupiſcentia. Ex his lumen accedit ac robur diviſioni illi apud Catholicos familiari, qua voluntarium diſtribuitur (*n. 136*) in *neceſſarium*, & *contingens*.

*163. Veteres Magiſtri juxta varietatem objectorum voluntatis, ipſam voluntatem bifariam ſpectarunt, quatenus potentia naturalis, & deliberans eſt, atque ſub his diverſis reſpectu attribuerunt voluntati actus partim neceſſarios, partim contingentes.*

163. Hæc ipſa præterea nos manu ducunt ad percipiendam celebrem apud antiquos Scholaſticos voluntatis diſtinctionem, qua ignorata plura eorumdem teſtimonia ad præſens argumentum ſpectantia vix poſſunt rite intelligi, facillime vero pertrahi ad abſonos ſenſus. Docuerunt illi voluntatem humanam dupliciter conſiderandam, ſcilicet prout *Natura & Ratio* eſt, ſeu prout *Naturalis & Deliberativa*. Priori modo ad unum objectum, & unum actum neceſſario determinata eſt; poſteriori modo ſe habet indifferenter ad plura objecta, vel ad plures rationes formales unius objecti, circa quas varios actus edere poteſt: ſub priori adſpectu eſt principium ſimplicis volitionis; ſub poſteriori principium eſt electionis. Audiatur Seraphicus (*in 2. diſt. 24. par. 1. ar. 2. q. 3.*) *Concedendum, quod naturalis voluntas, & deliberativa poteſt eſſe eadem potentia, quæ quidem ſecundum alium & alium modum movendi ſic & ſic appellatur. Eadem enim eſt potentia, qua appeto beatitudinem, & qua appeto virtutem, ſive facere hoc bonum, vel illud ad beatitudinem ordinatum: quæ, ut appetit beatitudinem, dicitur naturalis, quia immutabiliter appetitus ejus ad beatitudinem inclinatur: ut vero appetit hoc vel illud bonum facere, deliberativa dicitur, & ſecundum judicium rationis poteſt ad contrarium inclinari.* Angelicus (*3. par. q. 18. ar. 1.*) *Ipſa potentia voluntatis eſt naturalis, & conſequitur naturam ex neceſſitate: ſed motus vel actus hujus potentiæ (qui etiam voluntas dicitur) quandoque eſt naturalis & neceſſarius, puta reſpectu felicitatis; quandoque ex libero arbitrio rationis proveniens, & non neceſſarius neque naturalis.* Similia exprimit variis in locis (*1. par. q. 41. ar. 1. & q. 82. ar. 1.* & *2. ac 1. 2. q. 10. ar. 1. & 2.*) quæ digna ſunt ut legantur.

*164. Tertia obſervatio admonet, voces voluntarii, & liberi, quamvis duo reapſe diverſa denotent, interdum promiſcue ſumi apud catholicos Scriptores.*

164. *Tertio*, ex mox dictis nemo eſt qui non intelligat, *voluntarium*, & *liberum* inter ſe differre, ſicut excedens & exceſſum. Inde eſt, ut Catholici ſentiant naturalem hominis libertatem, adæquate ſeu complete acceptam, duplici quaſi gradu conſtare; & idcirco immunitatem præſeferre tum a *coactione*, quæ opponitur *voluntario*, tum a *neceſſitate* quæ adverſatur *libero* (*n. 157.*) Nihilominus apud eoſdem Catholicos ſæpe ſermone familiari, qui preſſam loquendi rationem non ſemper ſequitur, voluntarium & liberum vicaria viciſſitudine accipi conſueverunt pro ſe invicem: ita ut quod eſt dumtaxat voluntarium, dicatur liberum; quodque liberum etiam eſt, appelletur dumtaxat voluntarium. Exempla occurrunt in Doctore Angelico, ut alios reti-



reticeamus. Ipſe namque (*in 2. Sent. diſt. 25. qu. un. art. 4.*) ait, *liberum arbitrium dicitur ex eo, quod cogi non poteſt*, hoc eſt, voluntarium coactione caret ſtricte ſumpta. Viceverſa (*1. 2. q. 6. ar. 2.*) ſcribit, *perfectam cognitionem finis ſequitur voluntarium ſecundum rationem perfectam, prout ſcilicet apprehenſo fine aliquis poteſt deliberare de fine, de his quæ ſunt ad finem, moveri in finem, vel non moveri*. Porro quod fit ex prævia deliberatione, & cum indifferentia ad agendum vel non agendum, eſt vere liberum, & non tantummodo voluntarium. Unde Seraphicus (*in 2. Sent. diſt. 15. par. 2. ar. 1. q. 2. in fine*) *ſi voluntarium dicatur a voluntate deliberante, & conſiliante, bene concedo quod voluntarium eſt contingens, hoc eſt ſtricte liberum.*

*165. Quarta obſervatio oſtendit, naturalem libertatem ab iiſdem Doctoribus Catholicis nunc a neceſſitate, nunc a coactione tantum dici tametſi utramque excludat.*

165. *Quarto*, pariter infrequens non eſt apud eoſdem Catholicos Scriptores, ut liberum arbitrium ſeu libertas *naturæ* nunc dicatur libertas a *neceſſitate*, nunc ſimpliciter vocetur libertas a *coactione*. Ita Seraphicus (*in 2. Sent. diſt. 44. ar. 3. q. 1.*) *triplex dicitur eſſe libertas, ſcilicet a coactione, a culpa, & a miſeria.* Alibi vero (*Comp. Th. Ver. l. 2. cap. 56.*) *libertas arbitrii triplex eſt, ſcilicet a neceſſitate, a peccato, a miſeria.* Angelicus quoque (*1. par. q. 83. ar. 2. in fine*) *homo peccando liberum arbitrium dicitur perdidiſſe, non quantum ad libertatem naturalem, quæ eſt a coactione, ſed quantum ad libertatem, quæ eſt a culpa, & a miſeria*. Libertatem autem naturalem, ſuperſtitem in homine lapſo, dicendam eſſe etiam a *neceſſitate*, & non a ſola coactione, paullo ante (*q. 82. ar. 2.*) ſatis expreſſit. Ibi enim hanc theſim ponit: *voluntas non ex neceſſitate vult, quæcumque vult*; & tali argumento confirmat. *Auguſtinus dicit, voluntas eſt, qua peccatur, & recte vivitur; & ſic ſe habet ad oppoſita: non ergo ex neceſſitate vult, quæcumque vult*. Eamdem libertatem a *neceſſitate* palam aſſerit in alio textu, quem mox (*n. 170.*) referemus.

*166. Superior obſervatio tertia, & quarta inſervit nunc ad detegendas fraudes Hæreticorum, ex antiquis Scholaſticis propriæ cauſſæ præſidium quærentium.*

166. Gemina præcedens obſervatio erit peraccommoda ad diſſolvendas cunctas illas captioſas argumentationes Novatorum, qui ad veteres ſcholæ Magiſtros provocantes, allegare ſolent illas dumtaxat locutiones, ſive ſententias, quæ a reliquis abſtractæ, & extima ſpecie conſideratæ videntur idem prorſus ſtatuere, quod ipſimet comminiſcuntur: ſcilicet libertatem hominis totam in eo eſſe, quod ſit a coactione immunis, quod voluntarie & ex propria inclinatione agat; quamquam aliunde ſit ineluctabiliter determinatus ad agendum, & reipſa agat neceſſario. Profecto, dum ita ſe ſe gerunt, communes tum Dialecticæ, tum Criticæ Artis regulas oſtendunt ſe vel penitus ignorare, vel temere deſpicere. Nam Dialectici de Vocum interpretatione agentes monent, eas interpretandas ex relatione ad tempora, quia nimirum ſequentes ætates vocibus priorum ſæpe diverſas alligarunt notiones: Critici vero advertunt, Scriptorum mentem ex integra ſermonum ſerie dignoſcendam eſſe; quoniam non omni loco omnia enuntiari poſſunt; ut patet ex ipſa Sacra Scriptura, quæ ſalutem æternam attribuit nunc fidei, nunc ſpei, nunc invocationi divini nominis, nunc Sacramentis. Ut inſtructas haſce a Novatoribus inſidias evitarem, conſultum ego putavi *voluntarii*, ac *liberi* nomina proprio ſemper in ſenſu uſurpare, & utramque ſeorſim diſcutere: ideo autem veteres Doctores noſtri ſecus interdum locuti, quia (ut Auguſtinus dicebat Chryſoſtomum Pelagianis eripiens) *diſputantes in Eccleſia Catholica non ſe aliter intelligi arbitrabantur*, unde Novatoribus *nondum litigantibus ſecurius loquebantur*.

*167. Quinta obſervatio indicat, fidendum non eſſe teſtimoniis Proteſtantium, quantumvis ſpecie tenus præclare loquentium de libertate.*

167. *Quinto*, haud pauci ex recentibus Proteſtantibus, qui vel Inſtitutiones Ethicas, vel Elementa Juris Naturalis, vel alterius thematis opera evulgarunt, adeo præclare de humana libertate videntur ſcripſiſſe, ut qui homines de facie non noſcit, facile ſibi perſuadeat, eos nobiſcum ſentire. Exempli loco aliqua ipſorum proferamus teſtimonia. Joan. Conradus Dorrius (*Eth. Inſt. par. 2. c. 4.*) inquit: *Eſt libertas facultas animæ rationalis, qua homo poſitis omnibus ad agendum requiſitis, indifferenter per ſemetipſum poteſt agere, & non agere; agere hoc, & agere illud.* Tum eam hoc modo adſtruit. *Talem libertatem revera in homine dari, probatione prolixa non indiget. Satis enim eam evincunt & conſenſus hominum doctorum pariter indoctorumque, & optima talium arbitra experientia, dum ipſimet ratiocinamur, & deliberamus atque expendimus, quid rebus bonitatis aut damni inſit, quid accipiendum, quid reſpuendum: quæ omnia ſupponunt liberam in deliberantibus electionem, quin & laus & vituperium, præmia & pœnæ, atque ipſa etiam legum ferendarum ratio in libertate agendi fundatur 3. Eth. c. 1.* Petrus de Crouſa (*par. 1. Logicæ ſect. 1 c. 13.*) *qua evidentia ſentio, & ſentire & fateri cogor, me cogitare, eadem evidentia, modo attendam, ſentio me velle, & eum eſſe, qui me ad volendum pro lubitu*

*tu ſecto; ſumque actuum illorum, qui nomine tò velle veniunt, dominus, cauſſa, arbiter*. Puffendorfius (*l. de hom. c. 11.*) *intrinſeca voluntatis indifferentia per extraneum aliquod medium penitus extirpari nequit; ideoque eo firmiter tenendum eſt, quod, iſta ſublata indifferentia, actionum moralium humanitas funditus ſimul tolleretur*.

*167. Senſus aperitur, quem habere poſſunt illa teſtimonia, quatenus ab hæreticis hominibus prodierunt.*

168. Et tamen, quis crederet? nihil minus, quam iſtorum ſuffragium, catholicam cauſſam juvat: cur? quia re penitus inſpecta deprehenduntur talia proloqui de humanis actionibus, aut *externis* tantum & *civilibus*, aut mere *naturalibus*. Ubi enim de vera morum honeſtate, ac de ſupernaturali operum juſtitia diſquiſitio inſtituitur, longe alio utuntur idiomate, quia videlicet deſerere nolunt ſuorum Prodromorum, ac propriarum Sectarum pſeudotheologica ſyntagmata de humano arbitrio, de peccato originali, de carnali concupiſcentia, de merito, deque aliis controverſis Articulis. Hinc Cl. P. Ignatius Schvvarzius (*tom. 1. Inſt. Jur. Publ. par. 1. tit. 1. inſtr. 1.*) poſtquam relatum Puffendorfii textum lampyridum luce fulgentem expendit, hæc ſubdit: *Etſi admittat libertatem indifferentiæ in ordine ad imputabilitatem actionum in foro externo, ſpectato ſaltem merito naturali; negabit tamen ſpectato merito ſupernaturali, ſola fide in Chriſtum cum Luthero ſus contentus*.

*169. Exenormibus erroribus circa liberum arbitrium potiſſime, quos damnavit Concilium Tridentinum in Lutheranis, & Calvinianis, conjicitur horum ſequaces non admittere libertatem in ſenſu plene catholico.*

169. Quænam autem paradoxa ſeu portenta errorum in prædictis Articulis præſertim de libero arbitrio tueantur Lutheri, & Calvini Sectatores, ex ſequentibus Tridentinæ Synodi Canonibus (*ſeſſ. 7. de Juſtif.*) colligere pronum erit. *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium, a Deo motum & excitatum, nihil cooperari, aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quoad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat, ac præparet: neque poſſe diſſentire, ſi velit, ſed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque paſſive ſe habere, anathema ſit* (can. 4.) *Si quis liberum hominis arbitrium poſt Adæ peccatum amiſſum, & extinctum eſſe dixerit, aut rem eſſe de ſolo titulo, immo titulum ſine re, figmentum denique a Sathana invectum in Eccleſiam, anathema ſit* (can. 5.) *Si quis dixerit, non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, ſed mala opera, ita ut bona Deum operari, non permiſſive ſolum, ſed etiam proprie & per ſe, adeo ut ſit proprium ejus opus, non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli, anathema ſit* (can. 6.) Hæc omnia nonniſi contra eoſdem Novatores ſtatuta fuiſſe, nemo ignorat; igitur juxta ipſos conſequens eſt, voluntatem humanam eadem prorſus libertate, quæ *naturæ* dicitur, nunc veſtitam, nunc exſpoliatam eſſe pro varia actionum civilium vel moralium, naturalium vel ſupernaturalium indole: quod eſt omnino monſtri genus.

*170. Refertur cenſura, qua Angelicus Doctor perſtrinxit opinionem negantium libertatem indifferentiæ.*

170. Sermonem de Libertate abſolvamus proferendo graviſſimum ſimulque veriſſimum judicium, quod de priſcis ejuſdem oloribus & impugnatoribus efformavit D. Thomas (*QQ. Diſp. q. 6. de Elect. Hum. ar. 1.*) ut hinc etiam clareſcat, haud injuria factam Janſeniſtis a C. P. Antoine exprobationem illam, quam (*n. 151.*) jam retulimus. *Quidam poſuerunt, quod voluntas hominis ex neceſſitate movetur ad aliquid eligendum, nec tamen ponebant, quod voluntas cogeretur, quia non omne neceſſarium eſt violentum, ſed ſolum id cujus principium eſt extra. Hæc autem opinio eſt hæretica, quia tollit rationem meriti, & demeriti in humanis actibus; non enim videtur eſſe meritorium vel demeritorium, quod aliquis ſic ex neceſſitate agit, quod vitare non poſſit. Eſt etiam annumeranda inter extraneas Philoſophiæ opiniones, quia non ſolum contrariatur Fidei, ſed ſubvertit quoque omnia principia Philoſophiæ Moralis: ſi enim non ſit liberum aliquid in nobis, ſed ex neceſſitate movemur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum, & punitio, & laus, & vituperium, circa quæ Moralis Philoſophia conſiſtit. Ad hujuſmodi autem poſitiones ponendas inducti ſunt aliqui homines, partim quidem propter protervìam, partim propter aliquas rationes ſophiſticas; quas ſolvere non potuerunt.*





## ARTICULUS QUARTUS.

### *De Involuntario ejuſque Cauſſis.*

## SECTIO I.

### *De Involuntario.*

*171. Proponitur Involuntarii definitio ex Ariſtotele.*

171. QUamvis *Voluntario* accurate jam perſpecto, facillimum ſit efformare notionem *Involuntarii*, quippe ex veteri proloquio *oppoſitorum oppoſitæ ſunt rationes*; attamen conſultum arbitror ſpecialem de iſto inſtituere diſquiſitionem, ut plana nobis aperiatur via explorandi cauſſas ſingulas, quæ involuntarium ipſum progignere valent in humanis actionibus. A nonnullis dicitur eſſe *omne id cui deeſt aliquid ex requiſitis ad voluntarium*, veriſſime; at quiſquis ſolam tenet *involuntarii* vocem, totum id jam comprehendit. Magis nos erudiet tradita ab Ariſtotele definitio, qui (*l. 3. Eth. c. 1.*) involuntarium ait eſſe, *quod fit vel vi, vel ignorantia*. Cum enim voluntarium ex eodem Philoſopho duo neceſſario complectatur (*n. 121.*) intellectus cognitionem, & voluntatis inclinationem; hinc conficitur involuntarium illud eſſe, quod evenit vel citra cognitionem, vel contra inclinationem, adeoque vim, & ignorantiam inducere involuntarium; cognitioni namque adverſatur ignorantia, & vis inclinationi.

*172. Prima diviſio Involuntarii, quod vel per violentiam, vel per ignorantiam evenit.*

172. Exinde nobis duo ſimul innoteſcunt, nempe & primaria diviſio, & duplex cauſſa involuntarii. Itaque involuntarium aliud eſt per *violentiam*, aliud per *ignorantiam*. Per violentiam illud agitur, ex eodem Ariſtotele, *cujus principium extra eſt, atque id ejuſmodi eſt, ut nihil adjumenti adferat is, qui agit, aut patitur*: ut dum quis multo me robuſtior, apprehenſa manu mea, cogit me primo amicum cædere, dein ferulam ſuſtinere: quorum illud ago, iſtud patior contra voluntatis meæ propenſionem. Per ignorantiam vero id agitur, pergit laudatus Philoſophus, *quod ita ex ignorantia committitur, ut ſubſequatur dolor, & eum qui egit, pœniteat*: ut dum parens aliquis intempeſta nocte a ſommo excitatus, ob inſolitum ſtrepitum in domus conclavio editum, ignea baliſta filium tunc a theatro revertentem enecat, exiſtimans eſſe nocturnum furem; unde detecto poſtmodum errore plurimum angitur.

*173. Altera diviſio Involuntarii ſimplicis, & ſecundum quid.*

173. Secundo diſpeſcitur Involuntarium in *ſimplex*, & *ſecundum quid* ſive *diminutum*. *Simplex* tunc eſt, quando quis externa vi compulſus aliquid agit, voluntate ſua in actionem nullatenus influente: ita ut in ea actione ſeſe habeat inſtar inanimis inſtrumenti; ut dum Sancti Martyres cogebantur tyrannorum, & carnificum violentia coram idolis genua flectere, & propriis manibus thura adolere. *Secundum quid* eſſe cenſetur, ubi aliquis inducitur quidpiam facere, quod non facere mallet, aut omittere, quod mallet facere; adeo ut mutata ob ſupervenientem gravem cauſſam priſtina inclinatione, jam influat voluntas in actionem, aut omiſſionem; ut dum pſeudomartyres vel tormentis perterriti, vel blanditiis illecti Chriſtianam Fidem abjurabant, in illa conſtanter permanſuri, niſi perſecutionis turbo ipſos dejeciſſet. Actiones hujuſmodi dicuntur involuntariæ *ſecundum quid*, ſive juxta Ariſtotelem (*l. 3. Eth. c. 1.*) *mixtæ*, quoniam ex voluntario ſimul, & involuntario coaleſcere videntur; ex *involuntario* quidem, quia malum imminens, aut bonum ſperatum, quibus voluntas tandem flectitur ad annuendum, quaſi cogentis vim habent: ex *voluntario* pariter, quia abſolute ſunt voluntaria quæ ſic fiunt; eo enim tempore, quo geruntur, *ſponte* ſuſcipiuntur, & contrariis rebus anteponuntur; unde vel laudem, vel reprehenſionem conſequentem habent ſapientum judicio; quæ ſunt utique clara indicia ſponte factorum.

*174. Qui in Eccleſiaſtica Hiſtoria leguntur ſuſcepiſſe reluctantes & nolentes Sacramenta Ordinis, & Baptiſmi, præſumuntur habuiſſe ſolum involuntarium ſecundum quid, quod abſolute reputatur voluntarium.*

174. Hoc alterum involuntarii genus, & non primum illud oportet credamus extitiſſe in Viris illis Sanctiſſimis, quos ab Eccleſiæ Præpoſitis, *invitos*, *repugnantes*, *nolenteſque* Sacris Ordinibus initiatos fuiſſe priſca Hiſtoria perſæpe commemorat; itidem in Hebræis, & Saxonibus infidelibus, quorum illi tempore Siſebuti Regis Hiſpaniæ, iſti ætate Caroli V. Imperatoris leguntur attracti *minis*, *terroribus*, *ſupplicìis* ad ſuſcipiendum Chriſtianum Baptiſma. Neque enim ii omnes animo penitus, & conſtanter contradicentes Sacra reapſe ſuſceperunt; ſed talia dumtaxat paſſi ſunt antecedenter, ut ex nolentibus fierent volentes, & Eccleſiaſticorum Paſtorum judicio tandem ſeſe ſubmitterent. Hujus rei fidem facit D. Auguſtinus præ reliquis Auctoribus, qui verba faciens de prædictis Ordinationibus (*Epiſt. 137. ad*

*tu ſectio; ſumque actuum illorum, qui nomine tò velle veniunt, dominus, cauſſa, arbiter*. Puffendorfius (*l. de hom. c. 11.*) *intrinſeca voluntatis indifferentia per extraneum aliquod medium penitus extirpari nequit; ideoque eo firmiter tenendum eſt, quod, iſta ſublata indifferentia, actionum moralium humanitas funditus ſimul tolleretur*.

*61. Senſus aperitur, quem habere poſſunt illa teſtimonia, quatenus ab hæreticis hominibus prodierunt.*

168. Et tamen, quis crederet? nihil minus, quam iſtorum ſuffragium, catholicam cauſſam juvat: cur? quia re penitus inſpecta deprehenduntur talia proloqui de humanis actionibus, aut *externis* tantum & *civilibus*, aut mere *naturalibus*. Ubi enim de vera morum honeſtate, ac de ſupernaturali operum juſtitia diſquiſitio inſtituitur, longe alio utuntur idiomate, quia videlicet deſerere nolunt ſuorum Prodromorum, ac propriarum Sectarum pſeudotheologica ſyntagmata de humano arbitrio, de peccato originali, de carnali concupiſcentia, de merito, deque aliis controverſis Articulis. Hinc Cl. P. Ignatius Schvvarzius (*tom. 1. Inſt. Jur. Publ. par. 1. tit. 1. inſtr. 1.*) poſtquam relatum Puffendorfii textum lampyridum luce fulgentem expendit, hæc ſubdit: *Etſi admittat libertatem indifferentiæ in ordine ad imputabilitatem actionum in foro externo, ſpectato ſaltem merito naturali; negabit tamen ſpectato merito ſupernaturali, ſola fide in Chriſtum cum Luthero ſui contentus*.

*169 Exenormibus erroribus circa liberum arbitrium potiſſime, quos damnavit Concilium Tridentinum in Lutheranis, & Calvinianis, conjicitur horum ſequaces non admittere libertatem in ſenſu plene catholico.*

169. Quænam autem paradoxa ſeu portenta errorum in prædictis Articulis præſertim de libero arbitrio tueantur Lutheri, & Calvini Sectatores, ex ſequentibus Tridentinæ Synodi Canonibus (*ſeſſ. 7. de Juſtif.*) colligere pronum erit. *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium, a Deo motum & excitatum, nihil cooperari, aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quoad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat, ac præparet: neque poſſe diſſentire, ſi velit; ſed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque paſſive ſe habere, anathema ſit* (can. 4.) *Si quis liberum hominis arbitrium poſt Adæ peccatum amiſſum, & extinctum eſſe dixerit, aut rem eſſe de ſolo titulo, immo titulum ſine re, figmentum denique a Sathana invectum in Eccleſiam, anathema ſit* (can. 5.) *Si quis dixerit, non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, ſed mala opera, ita ut bona Deum operari, non permiſſive ſolum, ſed etiam proprie & per ſe, adeo ut ſit proprium ejus opus, non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli, anathema ſit* (can. 6.) Hæc omnia nonniſi contra eoſdem Novatores ſtatuta fuiſſe, nemo ignorat; igitur juxta ipſos conſequens eſt, voluntatem humanam eadem prorſus libertate, quæ *naturæ* dicitur, nunc veſtitam, nunc exſpoliatam eſſe pro varia actionum civilium vel moralium, naturalium vel ſupernaturalium indole: quod eſt omnino monſtri genus.

*170. Refertur cenſura, qua Angelicus Doctor perſtrinxit opinionem negantium libertatem indifferentiæ.*

170. Sermonem de Libertate abſolvamus proferendo graviſſimum ſimulque veriſſimum judicium, quod de priſcis ejuſdem oſoribus & impugnatoribus efformavit D. Thomas (*QQ. Diſp. q. 6. de Elect. Hum. ar. 1.*) ut hinc etiam clareſcat, haud injuria factam Janſeniſtis a C. P. Antoine exprobationem illam, quam (*n. 151.*) jam retulimus. *Quidam poſuerunt, quod voluntas hominis ex neceſſitate movetur ad aliquid eligendum, nec tamen ponebant, quod voluntas cogeretur, quia non omne neceſſarium eſt violentum, ſed ſolum id cujus principium eſt extra. Hæc autem opinio eſt hæretica, quia tollit rationem meriti, & demeriti in humanis actibus; non enim videtur eſſe meritorium vel demeritorium, quod aliquis ſic ex neceſſitate agit, quod vitare non poſſit. Eſt etiam annumeranda inter extraneas Philoſophiæ opiniones, quia non ſolum contrariatur Fidei, ſed ſubvertit quoque omnia principia Philoſophiæ Moralis: ſi enim non ſit liberum aliquid in nobis, ſed ex neceſſitate movemur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum, & punitio, & laus, & vituperium, circa quæ Moralis Philoſophia conſiſtit. Ad hujuſmodi autem poſitiones ponendas inducti ſunt aliqui homines, partim quidem propter protervIam, partim propter aliquas rationes ſophiſticas; quas ſolvere non potuerunt*.





## ARTICULUS QUARTUS.

### *De Involuntario ejuſque Cauſſis.*

## SECTIO I.

### *De Involuntario.*

*171. Proponitur Involuntarii definitio ex Ariſtotele.*

171. QUamvis *Voluntario* accurate jam perſpecto, facillimum ſit efformare notionem *Involuntarii*, quippe ex veteri proloquio *oppoſitorum oppoſitæ ſunt rationes*; attamen conſultum arbitror ſpecialem de iſto inſtituere diſquiſitionem, ut plana nobis aperiatur via explorandi cauſſas ſingulas, quæ involuntarium ipſum progignere valent in humanis actionibus. A nonnullis dicitur eſſe *omne id cui deeſt aliquid ex requiſitis ad voluntarium*, veriſſime; at quiſquis ſolam tenet *involuntarii* vocem, totum id jam comprehendit. Magis nos erudiet tradita ab Ariſtotele definitio, qui (*l. 3. Eth. c. 1.*) involuntarium ait eſſe, *quod fit vel vi, vel ignorantia*. Cum enim voluntarium ex eodem Philoſopho duo neceſſario complectatur (*n. 121.*) intellectus cognitionem, & voluntatis inclinationem; hinc conficitur involuntarium illud eſſe, quod evenit vel citra cognitionem, vel contra inclinationem, adeoque vim, & ignorantiam inducere involuntarium; cognitioni namque adverſatur ignorantia, & vis inclinationi.

*172. Prima diviſio Involuntarii, quod vel per violentiam, vel per ignorantiam evenit.*

172. Exinde nobis duo ſimul innoteſcunt, nempe & primaria diviſio, & duplex cauſſa involuntarii. Itaque involuntarium aliud eſt per *violentiam*, aliud per *ignorantiam*. Per violentiam illud agitur, ex eodem Ariſtotele, *cujus principium extra eſt, atque id ejuſmodi eſt, ut nihil adjumenti adferat is, qui agit, aut patitur*: ut dum quis multo me robuſtior, apprehenſa manu mea, cogit me primo amicum cædere, dein ferulam ſuſtinere: quorum illud ago, iſtud patior contra voluntatis meæ propenſionem. Per ignorantiam vero id agitur, pergit laudatus Philoſophus, *quod ita ex ignorantia committitur, ut ſubſequatur dolor, & eum qui egit, pœniteat*: ut dum parens aliquis intempeſta nocte a ſomno excitatus, ob inſolitum ſtrepitum in domus conclavio editum, ignea baliſta filium tunc a theatro revertentem enecat, exiſtimans eſſe nocturnum furem; unde detecto poſtmodum errore plurimum angitur.

*173. Altera diviſio Involuntarii ſimplicis, & ſecundum quid.*

173. Secundo diſpeſcitur Involuntarium in *ſimplex*, & *ſecundum quid* ſive *diminutum*. *Simplex* tunc eſt, quando quis externa vi compulſus aliquid agit, voluntate ſua in actionem nullatenus influente: ita ut in ea actione ſeſe habeat inſtar inanimis inſtrumenti; ut dum Sancti Martyres cogebantur tyrannorum, & carnificum violentia coram idolis genua flectere, & protriis manibus thura adolere. *Secundum quid* eſſe cenſetur, ubi aliquis inducitur quidpiam facere, quod non facere mallet, aut omittere, quod mallet facere; adeo ut mutata ob ſupervenientem gravem cauſſam priſtina inclinatione, jam influat voluntas in actionem, aut omiſſionem; ut dum pſeudomartyres vel tormentis perterriti, vel blanditiis illecti Chriſtianam Fidem abjurabant, in illa conſtanter permanſuri, niſi perſecutionis turbo ipſos dejeciſſet. Actiones hujuſmodi dicuntur involuntariæ *ſecundum quid*, ſive juxta Ariſtotelem (*l. 3. Eth. c. 1.*) *mixtæ*, quoniam ex voluntario ſimul, & involuntario coaleſcere videntur; ex *involuntario* quidem, quia malum imminens, aut bonum ſperatum, quibus voluntas tandem flectitur ad annuendum, quaſi cogentis vim habent: ex *voluntario* pariter, quia abſolute ſunt voluntaria quæ ſic fiunt; eo enim tempore, quo geruntur, *ſponte* ſuſcipiuntur, & contrariis rebus anteponuntur; unde vel laudem, vel reprehenſionem conſequentem habent ſapientum judicio; quæ ſunt utique clara indicia ſponte factorum.

*174. Qui in Eccleſiaſtica Hiſtoria leguntur ſuſcepiſſe reluctantes & nolentes Sacramenta Ordinis, & Baptiſmi, præſumuntur habuiſſe ſolum involuntarium ſecundum quid, quod abſolute reputatur voluntarium.*

174. Hoc alterum involuntarii genus, & non primum illud oportet credamus extitiſſe in Viris illis Sanctiſſimis, quos ab Eccleſiæ Præpoſitis, *invitos*, *repugnantes*, *nolenteſque* Sacris Ordinibus initiatos fuiſſe priſca Hiſtoria perſæpe commemorat; itidem in Hebræis, & Saxonibus infidelibus, quorum illi tempore Siſebuti Regis Hiſpaniæ, iſti ætate Caroli V. Imperatoris leguntur attracti *minis*, *terroribus*, *ſuppliciis* ad ſuſcipiendum Chriſtianum Baptiſma. Neque enim ii omnes animo penitus, & conſtanter contradicentes Sacra reapſe ſuſceperunt; ſed talia dumtaxat paſſi ſunt antecedenter, ut ex nolentibus fierent volentes, & Eccleſiaſticorum Paſtorum judicio tandem ſeſe ſubmitterent. Hujus rei fidem facit D. Auguſtinus præ reliquis Auctoribus, qui verba faciens de prædictis Ordinationibus (*Epiſt. 137. ad*



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*Donatum*) ita ſcribit: *Tam multi, ut epiſcopatum ſuſcipiant, tenentur inviti, includuntur, patiuntur tanta, quæ nolunt, donec eis adſit voluntas ſacri miniſterii ſuſcipiendi.*

*175. Innocent. III. in Jure Canonico id ipſum cuique perſuadet, facta diſtinctione duplicis voluntatis abſolutæ, & conditionatæ.*

175. Conſonat quoque Innocentius III. (*l. 3. Decr. tit. 42. de Baptiſ. c.* Majores) ubi perpendens factum illud Hebræorum, quod ratum habuit Synodus Hiſpana Toletana IV. (*c. 56.*) duplicem diſtinguit voluntatem, *conditionatam* & *abſolutam*, additque illam ſufficere ad validam Sacramentorum ſuſceptionem; quia ſcilicet *coacta voluntas, voluntas eſt*, arg. c. *Merita 15. q. 1.* en ejuſdem Pontificis Maximi verba. *Inter invitum & invitum, coactum, & coactum, alii non abſurde diſtinguunt, quod is qui terroribus ac ſuppliciis violenter attrahitur, & ne detrimentum incurrat, baptiſmi ſuſcipit Sacramentum, talis characterem ſuſcipit Chriſtianitatis impreſſum, & ipſe tamquam conditionaliter volens, licet abſolute non velit, cogendus eſt ad obſervantiam Fidei Chriſtianæ*; id eſt, licet ſecluſo metu, & pœnarum ſibi impendentium apparatu, nolit baptiſmo initiari, metu tamen & pœnis inducitur ad volendum, & recipiendum baptiſmum, juxta illud Angelici (*1. 2. q. 8. ar. 6.*) *Quod per metum agitur, eſt voluntarium, ſecundum quod actu agitur; ſed involuntarium eſt, ſi talis metus non immineret.*

*176. Aſſignata diſtinctio voluntatis abſolutæ, & conditionatæ inſervit ad ferendum judicium de ſingularibus actionibus, quæ ſolent a quibuſdam dici facta modo coacto.*

176. Doctrinis iſtis imbuti Confeſſarii genuinum ſenſum aſſequi poterunt illarum coactionum, quas alterius ſexus perſonæ ſolent obtendere, dum pandunt ſe ob alienam violentiam vel primam feciſſe pudoris jacturam, vel iterata ejuſdem damna ſubiiſſe. Plerumque enim *conditionata* ſeu inducta voluntate admittunt, quod facere detrectarent extra certas circumſtantias conſtitutæ. Minime tamen diffiteor, illarum multas deſuper dari, ut dum corpore violantur, animo prorſus averſo ad agonem uſque, immo & ad palmam, luctentur: ut proinde in ipſis locum habeat, quod ſcripſit D. Auguſtinus loquens de Chriſtianis Sacratiſque feminis in captivitate vim perpeſſis (*l. 1. de Civ. Dei c. 16.*) *Sanctum corpus uſu ſit ſanctæ voluntatis, qua inconcuſſa, & ſtabili permanente, quidquid alius de corpore fecerit, quod ſine peccato proprio non valeat evitari, præter culpam eſt patientis.* Confirmat idipſum Seraphicus (*in 4. Sent. diſt. 33. ar. 2. in fine*) dicens: *Si amittatur incorruptio carnis, ſalva incorruptione mentis, manet quod formale & completivum eſt virginitatis, ideo meritum, & præmium etiam; quamvis illud, quod materiale erat, ſit perditum, unde perdita eſt ſecundum quid, tamen manet ſimpliciter; perdita eſt in conſpectu hominum, non tamen in conſpectu Dei.*

## SECTIO II.

### *De Cauſſis Involuntarii.*

177. Quatuor univerſim agnoſcenda impedimenta voluntarii, juxta mentem quoque Ariſtotelis quamvis expreſſe duo tantum nominarit.

177. DEclarando hactenus Involuntarii diviſiones, ejus quoque cauſſas ſumus perſecuti, videlicet *Violentiam*, & *Ignorantiam*, quas Ariſtoteles (*n. 172.*) memoravit. Solent hæ ab Auctoribus vocari *impedimenta* voluntarii. Mirum porro videri non debet, quod quatuor paſſim recenſeant, nempe *Violentiam*, *Metum*, *Ignorantiam*, & *Concupiſcentiam*; nec enim propterea Morali Philoſopho adverſantur. Siquidem is nominare voluit illa dumtaxat impedimenta, quæ voluntarium omnino perimunt, adeoque involuntarium ſimpliciter efficiunt, quæ certe binarium numerum non excedunt, per ſe loquendo. Moralibus autem Theologis placet omnia exponere impedimenta, ſive quæ tollunt, ſive quæ minuunt ipſum voluntarium: idcirco adjiciunt etiam Metum, & Concupiſcentiam; quippe hæc intellectus cognitioni, is voluntatis propenſioni poſſunt officere. Quod quidem ipſemet Ariſtoteles ſparſim indicavit in ſuis ad Nicomachum libris: nam (*lib. 3. c. 1.*) ait, *quæ per metum aguntur, mixta ſunt ex voluntario, & involuntario*, & (*lib. 6. c. 8.*) *delectatio*, ſeu concupiſcentia *corrumpit æſtimationem prudentiæ*. Itaque pro more perluſtremus ſingula hujuſmodi quatuor impedimenta.

### §. I. *De Violentia.*

*178. Impedimentum primum voluntarii, ſeu prima involuntarii cauſſa,*

178 *Primum* igitur impedimentum Voluntarii eſt *Violentia* ſeu Vis, quam Paulus Juriſconſultus definit (*l. 2. ff. Quod metus cauſſa*) eſſe *majorem rei impetum, qui repelli non poteſt*. Hic recolenda, quæ jam docuimus (*n. 154. & 155.*) *de coactione*. Nimirum ex iis liquet, humanam voluntatem a nulla creata cauſa poſſe violentiam ſeu coactionem pati quoad internos ſuos actus volendi, nolendi, amandi, averſandi, ita ut a violentia tamquam a principio activo extundi poſſint voluntate reluctante,





*eſt violentia qua cadere poteſt in actus a voluntate tantum imperatos, minime vero in elicitos.*

quo quidem in ſenſu dixit Venuſinus Poeta (*l. 2. Ode. 2.*) *Cuncta terrarum ſubacta, præter atrocem Catonis animum.* Ibidem vero addidimus, violentiæ & coactioni ſubeſſe poſſe reliquas voluntatis actiones exteriores, quas nempe voluntas imperat ſubjectis ſibi potentiis. Et hoc non ſic intelligendum, quaſi externa vi cogi queat voluntas ad imperandos actus aliarum potentiarum; imperium enim voluntatis eſt actus ejus *elicitus* ſeu internus, in quem coactio non cadit; ſed iſtum potius habet ſenſum, quod interiores potentiæ, præſertim exteriora membra, per violentiam agentis extrinſeci vel poſſunt cohiberi ne moveantur ad votum voluntatis, ut ſi volens currere detineatur; vel poſſunt contra voluntatis inclinationem ad motum impelli, ut ſi jacere cupiens cogatur progredi.

*179. Superior doctrina de effectu violentiæ relate ad actus voluntatis illuſtratur, & firmatur ex D. Bonaventura.*

179. Allatam quoad actus utriuſque generis doctrinam confirmant quæ ſcribit Seraphicus (*in Sent. diſt. 25. par. 2. ar. 1. q. 4.*) Quærenti enim, num *liberum arbitrium ab aliquo cogi poſſit?* ita reſpondet: *Notandum, quod eſt loqui de libero arbitrio quantum ad actum exteriorem, & quantum ad actum interiorem, ſicut proprium & alienum. Si loquamur quantum ad exteriorem, reſpectu talium actuum poteſt intervenire coactio; poteſt enim quis compelli ut genua coram idolo flectat. Si loquamur quantum ad interiorem, qui ſcilicet eſt velle, eligere, conſentire; ſic reſpectu talis actus poteſt liberum arbitrium aliquo modo induci, poteſt & impediri, ſed nullo modo poteſt compelli. Induci quidem poteſt, quando amat aliud a ſe, & quod infra ſe eſt. Unde per oblationem alicujus rei amatæ, vel ablationem, poteſt induci ad conſentiendum in aliquid multum efficaci perſuaſione, per quem modum Idololatræ tentabant Sanctos Martyres conſentire in idololatriam, modo promittendo delectabilia, modo infligendo triſtia. Iſta tamen inductio longe diſtat a coactione, ſicut probat ipſe exitus; quia nec blandimentis allici, nec tormentis terreri adeo potuerunt, ut a veritate juſtitiæ mutarentur; & ſic liberum arbitrium induci poteſt, quia amat aliquid infra ſe, utpote victum temporalem, vel aliquid conſimile, quod poteſt agens creatum conferre vel auferre. Poteſt etiam impediri propter inclinationem, & conjunctionem ſui ad corporalem naturam, quæ ſubeſt virtuti creaturæ: unde poſſet aliquis alium ita lædere, quod uſum liberi arbitrii amitteret, ex hoc tamen liberum arbitrium non cogeret; coactio enim ponit liberi arbitrii actum, & uſum, ſed ligatio vel impeditio tollit. Coactio provenire habet a ſuperiori; hinc liberum arbitrium a bono creato non poteſt cogi reſpectu actus proprii: hanc enim dignitatem habet liberum arbitrium, ut in quantum liberum ſoli Deo ſit ſubjectum.*

### §. II. *De Metu.*

*180. Impedimentum ſecundum voluntarii eſt metus, cujus definitio & quintuplex diviſio aſſignatur.*

180. *Secundum* impedimentum voluntarii eſt *Metus*, qui ad violentiam prope accedit, atque a Jureconſulto definitur (*ff. Quod metus cauſſa l. ait prætor*) *eſt inſtantis, vel futuri periculi cauſſa, mentis trepidatio*: multipliciter dividi ſolet. In primis poteſt eſſe vel *levis*, vel *gravis*, hoc eſt non cadens, vel cadens in conſtantem virum. Levitas, aut gravitas timoris non ex ſola natura mali, quod timetur, (ut nonnulli putant) deſumenda eſt; verum etiam ex indole, apprehenſione, ſexu, temperamento, aliiſque circumſtantiis dimetienda. Nam ſicuti aliquos interdum reperire eſt, quos pavor imminentis gravis mali, nedum commovet, ſed rationis uſu omnino privat: ita non deſunt, qui ſpecie mali ſuapte natura levis vehementer concutiuntur. Dein ſeu gravis ſeu levis metus poteſt eſſe, vel *antecedens* movenſque ad agendum, ita ut actio dicatur peracta *ex metu*; vel *concomitans* dumtaxat actionem, quæ propterea dicitur facta *cum metu*. Rurſus antecedens, vel eſt *totalis*, quando ſcilicet actio fit ſolum ejus cauſſa, adeoque eo remoto omittitur; vel *partialis*, ubi nempe ſimul cum aliis motivis ad agendum urget, ſicque eo etiam deficiente actio non ceſſat. Tandem, cum metus quicumque aut ab *extrinſeco*, aut ab *intrinſeco* poſſit oriri, ille qui extraneam habet cauſſam dicitur vel *injuſte* incuſſus, qualem prædones ingerere ſolent; vel *juſte* qualis a Legiſlatore incutitur prævaricatoribus legum.

*181. Secluſo caſu imperturbatæ rationis in homine agente, actus quomodocumque ob metum producti*

181. Quamquam recenſitas timoris ſpecies exploratas habere valde conducat, præſertim ubi de *publicis* actibus, ſponſalibus, matrimoniis, & contractibus reliquis agitur, circa quos Doctores ſtabilire ſolent diverſas theſes juxta diverſitatem timoris, qui poteſt ad eoſdem actus concurrere; hoc tamen loco moralitatem ſpectantes dicimus univerſim & indiſtincte, actiones ex quocumque metu ortas pro voluntariis *ſimpliciter* habendas; modo excipiatur caſus, in quo contingat rationis uſum intercipi ob timoris vehementiam, unde actiones evadant prorſus indeliberatæ. Communis ea doctrina nititur hoc momento valido, quia nempe non po-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*reputantur abſolute voluntarii.*

teſt non eſſe abſolute voluntarium, quod prodit a cognitione intellectus, & voluntatis inclinatione: hujuſmodi porro eſſe quidquid fit *ex metu*, multoque magis *cum metu*, ſatis perſpicue deprehenditur (*ex n. 173. & ſeq.*) Quare, qui pavore mali ſeu motivo proximo inducitur ad volendum, vel nolendum, quod extra illius periculi circumſtantias nolet, aut vellet; is poteſt vere dicere cum Epicteto: *non metus mali me cogit, ſed mea me opinio cogit, id eſt, voluntas vincit voluntatem.*

*182. Ex Seraphico actus etiam metu gravi extorti, in foro Poli reputantur abſolute voluntarii, etſi juxta leges civiles ſint irriti; quatenus nempe poſſint reſcindi (ſi prodierint ex metu injuſte incuſſo) ad arbitrium ejus, qui talem eſt paſſus metum.*

182. Haud pigeat audire denuo S. Bonaventuram (*n. 179 cit.*) qui hanc ad rem ita ſcribit: *Etſi inductio videatur eſſe quædam coactio, maxime ſecundum Humana Jura, quæ dicunt, illud quod fit cauſſa metus, non eſſe habendum ratum, maxime de eo metu, qui poteſt cadere in conſtantem virum, pro eo quod conſiderant exteriora opera; ſecundum veritatem tamen iſta inductio ſtat cum libertate voluntatis, nec ei repugnat in aliquo; ſed potius repugnat plenitudini amoris, & voluntatis, non enim ita plene vult aliquis, quando vult ex inductione, ſicut quando vult abſolute, ſicut patet de jactatione mercium in mare: nihilominus tamen ſalvatur ibi ratio libertatis, & voluntatis, unde talis metus apud Deum non excuſat a culpa; ſicut aperte patet in negatione a Petro facta; & propterea non ſequitur, quod liberum arbitrium, ſi poſſit a creatura induci, poſſit cogi.* Seraphico conſonat Angelicus (*1. 2. q. 6. ar. 6.*) cujus prolixa doctrina in hanc brevem argumenti formam quadrari poteſt. Aliquid conſideratur, vel *ſecundum quod eſt in actu*, vel *ſecundum quod eſt in ſola apprehenſione ſeu ratione, unumquodque autem ſimpliciter eſſe dicitur, ſecundum quod eſt in actu*: atqui ubi id quod per metum agitur, ſpectatur *ut repugnans voluntati, hoc non eſt niſi ſecundum rationem tantum*; ergo *ſecundum quod eſt in actu, fit voluntarium, in quantum hic & nunc eſt impedimentum majoris mali, quod timebatur*; proinde *dicendum voluntarium ſimpliciter*.

*183. Præcedens aſſertio de voluntario ſimplici ſeu abſoluto, quod ineſt actionibus factis ex gravi metu, non impedit, quominus illud dici poſſit diminutum, adeoque ipſæ actiones cenſeantur involuntariæ ſecundum quid.*

183. Altera tamen non minus certa & univerſalis ſententia viget, qua edocemur, in iis quæ efficiuntur ex metu quatiente etiam conſtantes viros, plerumque rationem voluntarii *diminui* ex parte inclinationis ſeu lubentiæ voluntatis, gemina ex cauſſa. Prima, quia actiones hujuſmodi antecedenter, ſive extra illas circumſtantias, in quibus fiunt voluntate inducta, erant contra genium & inclinationem voluntatis, adeoque prorſus involuntariæ. Secunda, quia etiam dum poſtmodum ſupervenientibus iis circumſtantiis impendentis gravis mali, mutata voluntatis inclinatione, evadunt abſolute voluntariæ, adhuc perſeverare ſolet in ipſa voluntate habitualis illa diſpoſitio, ſeu velleitas inefficax ipſas non producendi, adeoque ſimul ineſſe quædam repugnantia ad contrarium, quod reipſa peragitur ex motivo circumſtantiarum, uti docent Pſycologi agentes *de Inclinationibus Animæ*; propria unjuſcujuſque experientia ſuadet, & confirmat Angelicus (*1. 2. q. 6. ar. 7.*) dicens: *In eo, qui per metum aliquid agit, manet repugnantia voluntatis ad id quod agitur, ſecundum quod in ſe conſideratur, & ideo, quod per metum agitur quodammodo eſt involuntarium*. Hinc porro eſt, ut ſpectata ejuſmodi diminutione voluntarii, actiones pravæ ex metu factæ cenſeantur venia aliqua, & pœna mitiore dignæ.

*184. Ethica doctrina de metu occaſionem præbet Sapientibus pluribus judicandi, imparem eſſe ad obtinendam gratiam in Sacramento Pœnitentiæ dolorem conceptum ex ſolo gehennæ metu.*

184. Mox tradita juxta communem Ethicorum ſenſum doctrina de *involuntario ſecundum quid*, quod ineſt actionibus ex metu peractis, haud parum poteſt (judicio graviſſimorum Theologorum) ſententiæ illorum Scholaſticorum, qui aſſerunt *inſufficientem* eſſe diſpoſitionem, ad juſtificationis gratiam in Sacramento Pœnitentiæ conſequendam, eam ſpeciem attritionis, quæ a peccatore concipitur ob *ſolum* gehennæ pavorem, abſque *ullo* prorſus ſeu explicito ſeu implicito vel gratitudinis vel benevolentiæ *amore* erga Deum: ſic enim argumentantur illi. Ea, quæ ab homine fiunt ex metu *antecedente*, & *totali* (*n. 180.*) fiunt dumtaxat voluntate *inducta*, & *conditionata* (*n. 175.*) quatenus nempe extra circumſtantiam gravis mali impendentis, quod rationabiliter timetur, *abſolute* non fierent; & ideo juxta Angelicum (*n. 183.*) etiam dum peraguntur in tali circumſtantia, *manet repugnantia voluntatis ad ipſa in ſe conſiderata, unde ſunt quodammodo involuntaria*. Atqui in deſcripta ſententia timor gehennæ, quo peccator corripitur, eſt antecedens & totalis cauſſa dolendi de peccatis; ergo peccator non habet niſi dolorem inductum & conditionatum; hoc autem poſito, jam convincitur habere repugnantiam voluntatis ad ejuſmodi dolorem, etiam dum actu dolore iſto conflictatur quatenus nempe extra circumſtantiam apprehenſæ gehennæ illum abſolute non conciperet; & idcirco habitualem retinet erga illum in ſua voluntate averſionem, propter quam eſt ipſi quodammodo involuntarius.

*185. Prædictum judicium ratione ſimul & auctoritate validiſſima nititur.*

185. Quod ſi ita eſt (pergunt iidem argumentari) ecquis non videt, in hujuſce peccatoris animo latitare implicitum peccati affectum; quem tamen a dolore ſincero ac vere pœnitentiali abeſſe debere & naturalis ratio dictat, & Tridentina Synodus (*ſeſſ. 14. c. 4.*) expreſſe decernit? Quare eidem homini, per imaginationem reputanti ſe tormentis Inferni afficiendum, videntur omnino convenire verba S. Joan. Chryſoſtomi, qui (*hom. in c. 16. Luc.*) ſic inclamat divitem iis tormentis jam ſubditum, & Abrahæ clementiam anxie implorantem: *Tormenta te cogunt agere pœnitentiam, non mentis affectus*. Confirmatur id ex Seraphico (*in 3 ſent. diſt. 34. par. 2. ar. 1. qu. 1.*) dicente, *propter æternorum ſuppliciorum timorem ceſſat homo a peccatorum perpetratione, licet non omnino ceſſet a voluntate; ſicut dicit Gloſſa ad Pſ. 118. Confige timore tuo carnes meas*. Accedit S. Aug. qui (*ſer. 162. de verb. Apoſt.*) ſcribit. *Cum dicis mihi: gehennam timeo, ardere timeo, in æternum puniri timeo: quid dicturus ſum? vane times? male times? non audeo: quandoquidem ipſe Dominus in Evangelio ablato timore ſubjecit timorem dicens: nolite timere eos, qui occidunt corpus &c. plane time, nihil melius times. Sed interrogo te, ſi te non videret Deus, quando facis, nec quiſquam te vinceret in judicio illius, faceres? inſpice te ipſum: ſi faceres, ergo pœnam times, caſtitatem nondum amas: ſerviliter times: formido eſt mali, nondum dilectio boni: ſed time tamen, ut iſta formido cuſtodiat te, & perducat ad dilectionem: timor enim iſte, quo gehennam times, & ideo mala non facis, continet te, & ſic volentem peccare animum interiorem non ſinit*. Porro inepta foret Sancti Doctoris illatio (quod peccator *pœnam timeat, & ſerviliter timeat*; quoties ſibi intime conſcius eſt, quod *faceret mala*, ſecluſo timore pœnarum) ſi purus putuſque gehennæ metus *voluntatem peccandi* revera excluderet, quamvis nullo ſeu formali ſeu virtuali informetur amore Dei, aut in ſe boni, aut nobis beneficii.





*186. Etſi ſuſtineatur dolorem ex ſolo pœnarum metu conceptum non eſſe ſufficientem diſpoſitionem in Sacramento Pœnitentiæ: non ideo ſequitur, ſervilem timorem, aut dolorem inde ortum eſſe in ſe prorſus malum aut ſterilem.*

186. Neque præcedens argumentatio etiam evincit, ſervilem metum gehennæ eſſe vel *in ſe* malum, vel prorſus infructuoſum, uti contendunt Novatores, ac noviſſime indicare voluit Queſnellus iis theſibus: *Timor nonniſi manum cohibet; cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore juſtitiæ non ducitur* (ord. 61.) *qui a malo non abſtinet niſi timore pœnæ, illud committit in corde ſuo, & jam eſt reus coram Deo* (ord. 62.) quam doctrinam conſtat jam damnatam fuiſſe a laudata Synodo definiente: *Attritionem, quæ ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur ſi voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ, non ſolum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem; ſed eſſe donum Dei . . . & peccatorem ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponere*: non id, inquam, evincit. Nam juxta vulgarem Scholarum diſtinctionem timor pœnarum duplex eſt, *ſervilis ſimpliciter*, & *ſerviliter ſervilis*. Ex Angelico (*2. 2. q. 19. ar. 4.*) *timor ſervilis ſecundum ſuam ſubſtantiam non importat niſi timorem pœnæ, ſive timeatur ut principale malum, ſive non timeatur ut principale malum: timor ſervilis, inquantum eſt ſervilis, ſolum pœnam timet. Hæc ſervilitas facit, ut homo affectum ſuum non velit ſubjicere jugo juſtitiæ per amorem. Timor ſervilis ſecundum ſuam ſubſtantiam bonus eſt; ſed ſervilitas ejus eſt mala: ſervilitas non pertinet ad ſpeciem timoris ſervilis, ſicut nec informitas ad ſpeciem fidei informis*, adeoque oritur ex mero vitio timentis, qui non vult *amare juſtitiam, ſed ſolum pœnam timere*. Porro quiſquis ex metu pœnarum gehennæ, tamquam ex motivo proximo, inducitur ad dolendum de peccatis, utique bene facit (quippe eſt gehenna maxime timenda, atque ab hujuſmodi timore, teſte D. Auguſtino, ſolet plerumque inchoari ſalutaris Peccatorum converſio); aſt ſi in ſolius pœnæ metu ſiſtit, & altius non aſſurgens nullum alium finem dolori ſuo præſtitit, jam ejus timor, qui erat initio ſervilis *ſimpliciter*, degenerat in ſervilem *ſerviliter*, adeoque de bono in malum transformatur ſolo ipſius *timentis* vitio. Siquidem eo ipſo, quod homo dolens hæret in ſolo pœnarum metu, nihil videtur appetere aliud quam immunitatem ab illis, proindeque in proprio commodo velut in ultimo fine conquieſcere; quod ſane vitioſum eſt, & pravam peccandi voluntatem minime excludit.

*187. Non qualibet attritionis ſpecies, quæ ex metu pœnarum enaſcitur, juxta mentem Concilii Tridentini diſponit*

187. Si quis autem neget, evenire mox dictam timoris ſervilis transformationem vitio timentis hominis, is audiat D. Gregorium M. qui (*l. 3. Curæ Paſt. adm. 14.*) ſic appoſite ſcribit: *Admonendi ſunt, qui flagella metuunt, ut ſi malis veraciter carere deſiderant, æterna ſupplicia perhorreſcant. Neque in hoc ſuppliciorum timore permaneant, ſed ad amoris gratiam excreſcant; nam qui propterea bonum facit, quia tormentorum mala metuit vult non eſſe, quod metuat, ut audacter illicita committat*. Quod ſpectat ad Tridentinorum Patrum declarationem, utique *attritionem ex metu pœnarum conceptam* ajunt eſſe *diſpoſitionem* ad gratiam in Sacramento obtinendam; ſed non proximam diſpoſitionem intellexerint, vel tantum

*peccatorum ad Sacramentalem Gratiam.*

remotam, uti ſunt actus fidei, & ſpei, adhuc ſub judice lis eſt. Dein, quomodocumque ea diſponat ad gratiæ pœnitentialis aſſecutionem, hac ſolum conditione id aſſerunt, nempe *ſi voluntatem peccandi excludat;* quæ locutio hypothetica ſatis indicat, non omnem nec qualemcumque pœnarum timorem eſſe ſejunctum ab interno peccati affectu: ſejunctum porro non eſſe timorem illum, quo quis *ſolum* pœnam timet, ita ut in timore iſto *permaneat*, ſuperioribus teſtimoniis jam demonſtratum. Quidnam ergo timori pœnarum accedere debet, ut voluntatem peccandi excludat? hiſce ab iiſdem Patribus, qui antecedenter (*ſeſſ. 6. de Juſtif. c.* 6.) inter alias diſpoſitiones hominis in Baptiſmo juſtificandi recenſuerant motum amoris, quo *Deum tamquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipit, ac propterea movetur adverſus peccata per odium aliquod, & deteſtationem.* Speciem autem hujuſce perneceſſarii amoris determinare, ad præſens inſtitutum noſtrum non attinet, quippe ad diſſerendum de ſolo timore nos pertraxit ſecundum voluntarii impedimentum.

## §. III. *De ignorantia.*

*188. Impedimentum tertium voluntarii eſt Ignorantia. Quidquid de ipſa uberius ſubinde dicetur, erit gratia perſpicuitatis diſtinctum tribus veluti capitibus.*

188. *Tertium* impedimentum voluntarii eſt *Ignorantia*, de qua longe fuſius quam de reliquis impedimentis agendum: ipſa namque defectus eſt late pervadens genus humanum, & ſæpiſſime creans extremam perniciem animabus, quæ in vitæ hujus termino ignorantur a Deo, quoniam antea voluerunt ignorare, quæ ſcire oportebat ad rite excolenda illa officia, a quibus neceſſario pendet æterna felicitas: *Et ſi enim*, ait Seraphicus (*in 2. Sent. diſt. 22. dub. 3.*) *omnes homines natura ſcire deſiderent, ſcientiam tamen mandatorum Dei plurimi aſpernantur.* Quæcumque de ignorantia ab Auctoribus traduntur, commode poſſunt revocari ad tria ſumma capita: in primo multæ ac variæ diviſiones ignorantiæ expenduntur, in altero declaratur, an & quomodo ratio voluntarii conveniat tum ipſimet ignorantiæ in ſe conſideratæ, tum actionibus omnibus, quæ ex ipſa vel cum ipſa efficiuntur ab homine: in tertio ignorantiæ natura, atque effectus deſcribuntur ſpectato genere moris. Procedamus nos hac ipſa methodo, quandoquidem non minus claritati idearum favet, quam memoriæ ſerviat; proindeque tractationem hanc diſpertiemur in totidem capita.

*189. Ex Triplici capite hauriuntur quotquot ſunt diviſiones ignorantiæ, & primo ex parte objecti ignorantia dicitur negationis, privationis puræ, & pravæ diſpoſitionis.*

189. *Primo* igitur ignorantia (quæ univerſim accepta denotat abſentiam cognitionis in ſubjecto illius capaci, hoc eſt in ſubſtantia intelligente; adeoque non voluntatis propenſioni, ſicuti priora duo impedimenta, ſed intellectus cognitioni ad voluntarium requiſitæ officit) triplicem habere poteſt reſpectum, videlicet ad *objectum* ſeu rem, quæ ignoratur, ad *actum* humanum, in quem ipſa influit; ad *ſubjectum* ſeu perſonam, in qua reperitur: exinde petuntur diviſiones omnes ignorantiæ. Juxta *primum* adſpectum multiplex exſtit diviſio. In primis enim ignorantia alia eſt *negationis*, alia *privationis*, alia *pravæ diſpoſitionis*. Ex Seraphico (*in Decl. Term. Th.* verſus medium) *ignorantia negationis eſt ſimpliciter non ſcire;* unde juxta alios *neſcientia* vocari poteſt. *Ignorantia privationis eſt ignorare aliquid, poſtquam ſciri potuit, & tenebatur quis ſcire. Ignorantia pravæ diſpoſitionis eſt non ſcire veritatem, & cum hoc tenere oppoſitam falſitatem.* Ex eodem Seraphico (*in Gentil. par. 1. ſect. 7.*) *ignorantia negationis eſt in parvulis, quæ non eſt culpa neque pœna, uſque ad præfinitum tempus. Ignorantia privationis eſt in adultis, qui tempore determinato ignorant, quæ poſſunt ſcire; vel obliti ſunt, quæ aliquando didicerunt. Ignorantia pravæ diſpoſitionis eſt, qua quis opinatur contraria Fidei, quæ poteſt erronea dici, & eſt in hæreticis.*

*190. Secundo ſuccedit diviſio ignorantiæ Juris & Facti, quarum utraque ſuam habet ſubdiviſionem.*

190. Deinde ignorantia alia eſt *facti*, alia *juris*. Poſterior eſt, quando ignoratur lex, quæ eſt norma operandi; prior vero, quando aliquod opus ignoratur vel ſecundum genus ſuum, vel ſecundum aliquam circumſtantiam, ita ex. ca. ſi quis fornicatur neſciens fornicationem eſſe grave peccatum divina lege prohibitum, *juris* ignorantia tenetur; ſi quis vero fornicatur, perſuaſus quidem de fornicationis inhoneſtate, ſed falſo credens ſe cognoſcere mulierem ſuam, cum ſua non ſit, *facti* ignorantia implicatur. Tum ignorantia facti, vel eſt *proprii*; ut dum quis neſciens ſeu non advertens, ſe non perſolviſſe penſum Divini Officii, ad cujus recitationem tenetur ratione Ordinis, vel Eccleſiaſtici beneficii, cubitum pergit: vel *alieni*, uti dum quis communicat in actionibus ſacris vel profanis cum homine, quem ignorat eſſe excommunicatum, & per ſententiam judicis Eccleſiaſtici publice denuntiatum. Pariter ignorantia juris, aut eſt juris *naturalis*, hoc eſt eorum dictaminum, quæ ab auctore naturæ ſignantur in cordibus omnium venientium in hunc mun-



dum, ex. ca. non eſſe violandum alienum thorum; aut *Divini*, videlicet legum, quas Deus per Prophetas, Apoſtolos, & Filium ſuum manifeſtavit hominibus, atque in Sacris Scripturis conſignari voluit, ex. gr. ſuſcipiendum eſſe Chriſtianum baptiſma; aut demum *humani*, quod partim *canonicum* dicitur, ut morales conſtitutiones Eccleſiaſticæ de vita & honeſtate Clericorum, partim *civile*, ut politica ſtatuta Sæcularium Principum de ſatisfactione Tutorum, dote uxorum, & ſimilibus; quorum utrumque rurſus aut eſt *univerſale*, ut quod Clericis ſacris ordinibus initiati debeant deferre tonſuram, & Parentes teneantur abſolute dotare filias; aut *particulare*, ut quod Clerici comam alentes ſuſpenſione a Divinis, aut mulcta pecuniaria coerceantur, & Parentes dotem determinatæ quantitatis debeant filiabus ſuppeditare.

191. Sub *ſecundo* adſpectu occurrit tripartita ignorantiæ diviſio, quam D. Thomas (*1. 2. q. 6. ar. 8.*) aſſignavit, nempe vel *concomitans*, vel *conſequens*, vel *antecedens* dicitur. *Sciendum, quod ignorantia tripliciter ſe habet ad actum voluntatis: uno modo concomitanter, alio modo conſequenter, tertio modo antecedenter. Concomitanter quidem, quando ignorantia eſt de eo, quod agitur: tamen etiamſi ſciretur, nihilominus ageretur: tunc enim ignorantia non inducit ad volendum, ut hoc fiat; ſed accidit, ſimul eſſe aliquid factum, & ignoratum; ſicut cum aliquis vellet quidem occidere hoſtem, ſed ignorans occidit eum, putans occidere cervum... Conſequenter autem ſe habet ignorantia ad voluntatem, in quantum ipſa ignorantia eſt voluntaria ſecundum duos modos voluntarii*, directi, & indirecti: (*quos* art. 3. deſcripſit) *Antecedenter autem ſe habet ad voluntatem ignorantia, quando non eſt voluntaria, & tamen eſt cauſſa volendi, quod alias non vellet: ſicut cum aliquis homo ignorat aliquam circumſtantiam actus, quam non tenebatur ſcire, & ex hoc aliquid agit, quod non faceret, ſi ſciret: puta cum aliquis diligentia adhibita neſciens aliquem tranſire per viam, projicit ſagittam, qua interficit tranſeuntem.* Exemplum ignorantiæ *conſequentis*, quod a S. Doctore reticetur, ex mercatore ſumatur, qui hujuſmodi ignorantia dicitur agere contra juſtitiam, ſi fœneratitios contractus paſſim ineat, vel quia ex induſtria tamquam moroſos & ſcrupuloſos abs ſe repulit doctos pioſque viros, qui ipſum rite inſtruere volebant; vel quia ſolummodo neglexit mediis legitimis comparare notitiam eorum, quæ ad proprium ſtatum & officium pertinent, quorum illud *directi*, iſtud *indirecti* voluntarii rationem habet. *191. Secundo ex parte actus diſtinguitur ignorantia ab Angelico Doctore in concomitantem, conſequentem, antecedentem.*

192. Si quis petat, quamobrem in ea diviſione ponatur tertia ſpecies ignorantiæ *conſequentis*, præter *antecedentem*, & *concomitantem*: cum (*ex n. 180.*) metus non dividatur, niſi in *concomitantem*, & *antecedentem*; tunc difficultas illa, quam Auctores plerumque prætereunt, ſic poterit meo judicio enodari. Ignorantia poteſt comparari vel cum *voluntate* hominis ignorantis, vel cum *actu*, qui ab eo ignoranter fit. Si cum actu conferatur, tunc ſicuti non datur medium inter *eſſe* cauſſam, *non eſſe* cauſſam; ita diviſione adæquata omnis ignorantia, vel eſt *antecedens*, quia ſcilicet cauſſa actus eſt, vel *concomitans*, quia nempe cauſſa actus non eſt, ſed eumdem dumtaxat comitatur: unde ſub hoc priore reſpectu ignorantia, quæ dicitur *conſequens, in quantum eſt voluntaria* (ut ait prælaudatus Angelicus) ſub alterutra illarum ſpecierum comprehenditur, prout contingit ipſam eſſe, vel non eſſe cauſſam actionis. Quod ſi referatur ignorantia ad voluntatem agentis, tunc exacta pariter diviſione vel erit *antecedens*, hoc eſt præveniens omnem voluntatis actum; vel *conſequens*, hoc eſt ex aliquo voluntatis actu ſive omiſſione culpabili promanans; cum non detur medium inter *velle*, & *non velle* ignorantiam. Quare ſub hac poſteriore conſideratione ea ignorantia, quæ *concomitans* vocatur, in quantum ex eodem Angelico *non inducit ad volendum actum, ſed accidit actui*, ad alterutram iſtarum reducitur, prout ipſa eſt aut prorſus involuntaria, aut directe vel indirecte voluntaria. Itaque allatum exemplum de metus diviſione potius nobis favet; ſicut enim eam bimembrem diviſionem dedimus, conferentes metum cum *opere*, quod prodit ab homine metu inducto ad operandum; ita bimembrem quoque diviſionem ignorantiæ hic aſſignamus, conferentes ignorantiam cum *opere* hominis ignoranter agentis. *192. Proponitur, ac ſolvitur dubium quod facile enaſci poteſt perpendenti ſuperiorem diviſionem tripartitam ignorantiæ.*

193. Hinc vero duo ſunt conſectaria. Primum, unam eamdemque ignorantiam poſſe eſſe & *antecedentem*, & *conſequentem*, reſpectu tamen diverſo: poteſt enim eſſe cauſſa actus, ſicque dicetur *antecedens*, in ordine ad ipſum actum: ac ſimul poteſt eſſe voluntaria, ſicque dicetur *conſequens*, in ordine ad voluntatem, quæ actum producit. Sit ex. ca. Medicus valde ignarus, qui hominem aut amicum aut propinquum ineptis pharmacis hinc migrare facit, eo quod libros fere nunquam legat, aut longe alios quam ſuæ artis, libros legat ejuſmodi ignorantiæ, humanæ ſtirpi *193. Eadem ignorantia ſub diverſo reſpectu poteſt dici tum antecedens & conſequens, tum concomitans & conſequens.*

ſtirpi exitialis, erit *conſequens* voluntatem medici, quia ab eo indirecte ſaltem volita; ſimulque *antecedens* utpote cauſſa internecionis amici, aut propinqui, quibus vitam prius ſervare quam adimere optabat medicus. Secundum, ignorantiam aliquam, ſub eadem diverſa conſideratione voluntatis, & actus ejus, eſſe poſſe & *concomitantem* & *conſequentem*: evenire namque poteſt, ut ignorantia ad operandum nullatenus inducat, ita tamen ut ipſa etiam ſecluſa opus adhuc fieret; ſicque cenſetur *concomitans* actum; ſimul vero poſſibile, ipſam eſſe aliquo modo voluntariam; & ita vocabitur *conſequens* voluntatem. Veniat in exemplum ille memoratus a Plutarcho (de Tranq. Animi) *qui cum in protervum canem lapidem librans, & ab illo aberrans, novercam non deſtinato percuſſiſſet: ne hoc quidem, inquit, modo male*: ejus enim ignorantia fuit concomitans, quia *non deſtinato percuſſit novercam*: fuiſſet ſimul conſequens, ſi ante jactum lapidis plane neglexiſſet circumſpicere, quoties poterat & debebat, num ullum adeſſet periculum in eo loco lædendi pertranſeuntes perſonas.

*194. Vindicatur a contrariis exceptionibus diviſio ignorantiæ tripartita quam retulimus ex Divo Thoma.*

194. Quod ſi propoſitæ difficultatis (*n.* 192.) ſolutio ita acceptetur, ut tamen ipſi D. Thomæ quis pater ſuccenſendum, quod producendo unam tripartitam diviſionem ignorantiæ *concomitantis*, *conſequentis*, *antecedentis*, duarum diverſarum diviſionum bimembrium partes invicem permiſcuerit: huic ergo auctor forem, ut gratias haberet Angelico Doctori, quod more reliquorum ſcholæ Principum verbis brevis, ſenſibus profuſus, exigua doctrinæ ſerie exhibuerit lectoribus duas præcipuas ignorantiæ diviſiones, immo quatuor, ut patet penitus inſpicienti integrum textum (*art.* 8.) At quomodo, inquies, duas ſuperiores ignorantiæ (*num.* 192.) diviſiones attigit? reſpondeo, quia vox ignorantiæ *antecedentis* ſemel ab ipſo nominata poteſt aſſumi ad intelligendas binas ignorantiæ ſpecies, quæ in utraque diviſione idem *antecedentis* nomen participant, diviſo tamen ſenſu, quemadmodum explicavimus. Replicabis; ſi ita eſt, ergo opus Dælio natatore. Heus tu, quæſo, domi placidus conſideas, ſi tibi non datur Corinthum adire.

195. Tertio *ex parte* ſubjecti *ignorantia diſtribuitur in* vincibilem & invincibilem, *& illa rurſus in* affectatam *& non affectatam, quæ poſtrema vel eſt* craſſa, *vel* ſupina. *Expenditur hic prima diviſio.*

195. Juxta *tertium* adſpectum variæ extant diviſiones ignorantiæ. Primo enim ignorantia dividitur in *vincibilem*, quam adhibito diligenti ſtudio ſive induſtria poteſt homo diſpellere: & *invincibilem*, quam nullius ſtudii, aut diligentiæ viribus removere poteſt. Ambas ſpecies ita deſcribimus, preſſe inhærendo ipſarum nomenclationi. Ceterum cum in moralibus verſemur, in quibus *ignorantiæ* vox non ſumitur negative, ſed privative; hoc eſt non pro mera *neſcientia* eorum, quæ promiſcue debent aut non debent ſciri; ſed pro defectu neceſſariæ notitiæ illorum, quæ ad vitæ noſtræ officia, & ad beatitudinem quoquo modo referuntur, juxta generalem illam Angelici definitionem (1. 2. *q.* 101. *ar.* 1.) *ignorantia eſt privatio ſcientiæ, quæ debet haberi pro tempore illo*: idcirco in dignoſcenda, diſcernendaque ignorantia vincibili, atque invincibili non eſt habenda ratio ſolius *potentiæ*, vel *impotentiæ* ſciendi, ſed attendenda præterea *obligatio* comparandi ſcientiam, utrum ea adſit nec ne: ita quidem ut ea dumtaxat ignorantia reputetur *vincibilis*, quæ poteſt ac ſimul debet ſuperari; invincibilis vero, quæ vel non poteſt, vel non debet ſuperari. Hanc ob cauſſam, licet tres iſtæ diviſiones, ignorantiæ *vincibilis*, & *invincibilis*, *culpabilis*, & *inculpabilis*, *voluntariæ*, & *involuntariæ*, quas recenſent Scriptores aliqui, metaphyſica præciſione ſpectatæ inter ſe aliquatenus differant, in genere tamen moris pro una eademque habentur diviſione.

*196. Expenditur altera diviſio* affectata, *& non affectata ignorantia.*

196. Succedit altera diviſio, qua ignorantia *vincibilis* diſſecatur in eam, quæ *affectata* dicitur, & in aliam quæ vocatur *non affectata*. Prior ex Seraphico (*Centil. part.* 1. *ſect.* 25.) *eſt ex vero conſenſu*; poſterior *eſt ex negligentia & ignavia*. Hoc ut clarius evadat, exponenda iſtius diviſionis ratio, quam Angelicus (1. 2. *q.* 6. *ar.* 8. *q.* 76. *ar.* 3. & 4.) repetit ex partitione voluntarii *directi*, & *indirecti*; quia nimirum (*ex n.* 195.) quæ revera *vincibilis* eſt ignorantia, eadem *voluntaria* & *culpabilis* a Moralibus reputari ſolet. *Ignorantia eſt voluntaria dupliciter*, ait priori loco, *ſecundum duos modos voluntarii ſupra poſitos*, directi ſcilicet & indirecti: *uno modo, quia actus voluntatis fertur in ignorantiam; ſicut cum aliquis ignorare vult, vel ut excuſationem peccati habeat, vel ut non retrahatur a peccando, ſecundum illud* (*Jobi c.* 2.) *ſcientiam viarum tuarum nolumus: alio modo ignorantia voluntaria dicitur quaſi per negligentiam proveniens*, quod ſic explicat poſteriore loco: *cum aliquis propter laborem in ſtudio, vel propter alias occupationes negligit addiſcere id per quod a peccato retraheretur: vel cum aliquis vult bibere vinum immoderate, ex quo ſequitur eum inebriari, & diſcretione carere*. Paucis igitur, reſumit Seraphicus (*in* 2. *ſent. diſt.* 22. *ar.* 2. *q.* 2.) ignorantia affectata dicitur, *cum ad viam veritatis valentes pertingere, cupimus in tenebris ambulare*: non affectata vero, *cum ex quadam pigritia, & negligentia non curamus veritatem addiſcere*.

197.



*197. Diviſio tertia ignorantiæ craſſæ & ſupinæ quonam ſenſu admittenda ſit, demonſtratur.*

197. Quamvis Seraphicus, & alii paſſim Theologi ignorantiam, quam ſimpliciter *non affectatam* nos vocavimus, exprimere ſoleant vocibus *craſſæ ſive ſupinæ ignorantiæ*, ſicque videantur quaſi ſynonima habere ejuſmodi vocabula; attamen ſub aliquo reſpectu poſſunt accipi pro duabus ſpeciebus infimis, quæ ſub genere *non affectatæ* continentur, ſi nempe reſpiciatur *modus* diverſus, quo licet ignorantiam vincibilem depellere. Ipſe namque Seraphicus (*Centil. par.* 1. *ſect.* 7.) eum modum perpendens ita ſcribit: *Vincibilis ignorantia, alia poteſt removeri cum magna difficultate, ut in valde hebetibus: alia poteſt removeri cum facilitate, ut in ingenioſis*. Igitur ignorantia erit dicenda *ſupina*, quando poteſt ea facillime ſuperari: *craſſa* vero ubi non ita facile vinci poteſt. Ceterum, quotieſcumque ignorantia non affectata comparatur & opponitur affectatæ, ut ſcilicet invicem diſcernantur homines, qui *ſtudioſe volunt neſcire*, ab aliis, qui *per negligentiam non volunt ſcire*, ut loquitur laudatus Angelicus; tunc citra religionem ullam licebit cuique non affectatam ignorantiam vocabulis ſeu *craſſæ* ſeu *ſupinæ* promiſcue deſignare; quia & craſſa & ſupina ad eos refertur, qui per negligentiam *non volunt ſcire*.

*198. Ultimo exhibetur diviſio ignorantiæ* habitualis, & actualis, *quæ eſt veluti transcendentalis.*

198. Tandem, præter diviſiones ignorantiæ, quas ex triplici diverſo adſpectu *objecti*, *actus*, *ſubjecti*, deſumptas hactenus recenſuimus, obſervanda hæc alia, quæ ſingulis illis accommodari poteſt: nimirum ignorantia vel *habitualis* eſt, vel *actualis*. Habitualis denotat neceſſariæ ſcientiæ defectum permanentem in homine inſtar habitus fixi; qualis eſt in pluribus plebeis ac ruſticis, qui cum catechiſmos, conciones, aliaſve inſtructiones audire negligunt, aut ſtudioſe detrectant; unde ad ætatem virilem aut etiam ſenilem deveniunt ignorantes ea, quæ Dei ſunt, falſiſque præjudiciis detenti circa proprii ſtatus officia. Actualis vero importat carentiam illius dumtaxat conſiderationis ſeu circumſpectionis, quam homines habere debent, quoties quidpiam operantur; eaque poteſt occurrere etiam in doctis viris, qui licet intellectum habent habitibus ſcientificis exornatum, non idcirco tamen ab omni evagatione animi, incuria, torpore, præcipitantia immunes ſunt. Poſteriorem illam vocat Angelicus Doctor (1. 2. *q.* 6. *art.* 8.) *malæ electionis*, inquiens: *dicitur voluntaria ignorantia etiam hoc modo, cum aliquis actu non conſiderat, quod conſiderare poteſt, & debet: quæ eſt ignorantia malæ electionis, vel ex paſſione, vel ex habitu proveniens*. Talem fuiſſe ex c. in Lamecho ſupponit Seraphicus, dum ſcribit (*Spec. animæ c.* 3.) *Lamech, qui putavit occidere feram, & occidit Cain, non excuſatur*. Proprie loquendo, & juxta præſentem Scriptorum moralium uſum, ſola habitualis dicitur ſimpliciter *ignorantia*; actualis autem vocatur *inadvertentia*, *inconſideratio*, *oblivio*.

*199. In hoc ſecundo capite examinandum, quidnam ignorantia præſtare poſſit circa voluntarium, & involuntarium. Quam ad rem ſtatim præmittitur doctrina communis de inculpabili, & culpabili ignorantia.*

199. *Secundo*, quod ſpectat ad alterum ſupremum caput (*n.* 189.) eorum quæ de ignorantia poſſunt inveſtigari, nimirum an & quomodo voluntarium & involuntarium vel ipſa participet, vel in actiones ex ipſa prodeuntes refundat; apud catholicos Theologos nunc eſt indubitatum, *aliquam* ignorantiam, etſi *non omnem*, culpa vacare ſeu undique verſum, ſeu ex parte tantum. Primum tuentur contra Lutheranos, Bajanos, Janſeniſtas, alioſque Novatores, qui invincibilem etiam ignorantiam rerum ad morum honeſtatem, æternamque ſalutem attinentium judicant culpabilem, eo ſcilicet falſo principio ducti, quia quæ modo a nobis depelli nequit ignorantia, cenſetur olim fuiſſe voluntaria in Adamo (*n.* 128.) Hinc damnatæ ab Alex. VIII. hæ duæ propoſitiones ab illo venenato fonte fluentes. *Tametſi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipſa non excuſat a peccato formali* (*ord.* 2.) *Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali* (*ord.* 19.) Alterum iidem Theologi ſuſtinent contra Pelagium, Cæleſtium, eorumque reliquias, qui prædictarum rerum ignorantiam quantumvis vincibilem arbitrabantur prorſus innoxiam, eo quod dempto peccato originali, quod ipſi negabant, ſecundum neceſſitatem magis, quam voluntatem eſſe videtur, quidquid ex ignorantia perpetratur. Utrumque extremum errorem elidunt paucula hæc D. Auguſtini (*l.* 3. *de lib. arb. c.* 18.) verba: *non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras; ſed quod negligis quærere, ignoras*.

*200. Quia Doctores priſci ignorantiam expendentes nominant frequentius culpam, quam voluntarium, idcirco præmittitur ... vel ipſa ... vel*

200. Ejuſmodi communis doctrina de ignorantia partim inculpabili, partim culpabili ſubindicat, ignorantiam has habere partes circa voluntarium, ut illud pro varia ſui indole nunc perimat omnino, nunc extenuet, nunc intactum relinquat; quippe apud omnes pariter in confeſſo eſt, rationem *culpæ* in humanis actibus menſurandam ſecundum rationem *voluntarii*. Quare ut munus noſtrum hic expleamus, ſat erit declarare, quonam modo ignorantia vel ſit ipſa reatus vere culpabilis, vel reatum ejuſmodi in actiones humanas inducat: exinde enim velut a poſteriori, ut ajunt Logici, pronum erit colligere totum id, quod ignorantia efficere

N. 2 po-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

*actiones ex ipſa facta judicantur culpabiles vel non culpabiles, colligendum a poſteriori ipſam eſſe vel non eſſe impedimentum voluntarii.*

poteſt relate ad voluntarium. Ideo vero culpabilem reatum attribuimus ſeorſim tum ipſimet ignorantiæ, tum actionibus ex ea productis; quoniam ut Seraphicus notat (*Centil. part.* 2. *ſect.* 2.) *aliud eſt peccatum ex ignorantia, aliud peccatum ignorantiæ: peccatum ignorantiæ eſt omiſſio debitæ ſcientiæ; peccatum ex ignorantia eſt peccatum, quod committitur ignoranter.* Ceterum de reatu ſeu peccato ipſius ignorantiæ prorius erit locus loquendi in ſubſequenti tertio capite, ubi naturam moralem ignorantiæ perſcrutabimur; impræſentiarum inquiramus dumtaxat culpabilem reatum actionum, quæ committuntur ignoranter.

*201. Juxta commune Catholicorum principium non eſt cenſenda culpabilis ignorantia, nec culpabiles actiones ex illa productæ, niſi ex negligentia oriatur, ſitque vincibilis.*

201. Porro in tali inquiſitione illud inconcuſſi principii loco tenendum, quod juxta ſuperiorem obſervationem noſtram (*num.* 199.) Seraphicus inculcat (*Spec. Anim. c.* 3.) *nulla ignorantia poteſt habere rationem peccati, niſi ex negligentia oriatur, ut dicit Auguſtinus: non tibi deputatur ad culpam &c. Unde qui de ſalute ſua diligens eſt, per ignorantiam damnari non poteſt; quia ſi in eo ignorantia eſſet, invincibilis eſſet, quæ excuſat omnino: ignorantia igitur, quæ peccatum eſt*, adeoque actiones etiam culpabiles reddit, *ex negligentia oritur*. Hoc poſito, jam compendiaria via de quavis ignorantiæ ſpecie poterit quis judicare ac decernere, utrum culpabilis ſit necne, & culpabiles itidem actiones ex ipſa prodeuntes. Videlicet unica cura erit pervidere an ignorantia ortum habuerit *ex negligentia*, ſeu an *vincibilis* fuerit, vel *invincibilis*. Etenim, cum iſta ignorantiæ diviſio catenus dicatur deſumi ex parte *ſubjecti* ſive agentis (*num.* 195.) quatenus proxime reſpicit *voluntarietatem* ac moralitatem actionum ejus, palam eſt ipſam reliquas omnes ignorantiæ diviſiones in ſe complecti, quantum ad præſens negotium attinet.

*202. Aſſignatur regula univerſalis, cujus ope dignoſci poteſt, quænam ignorantia voluntarium tollat, immunes, aut relinquat in actionibus ignoranter factis.*

202. Hinc itaque gradum facimus ad ſtabiliendum, ejuſdem negotii expediendi cauſa, hanc generalem regulam. Ignorantia ſeu juris ſeu facti, ſeu antecedens ſeu concomitans, ſeu cujuſvis alterius ſpeciei, ubi revera eſt *invincibilis*, reddit actiones abſolute involuntarias, adeoque a culpa prorſus immunes. Contra vero, ubi ignorantia eſt *vincibilis*, tunc ea non impedit, quominus actiones cenſeantur abſolute voluntariæ, & culpabiles: quamquam in hoc caſu major vel minor poſſit eſſe culpa juxta varium ipſius ignorantiæ reatum; quæ fuit in cauſſa cur actiones male ſequerentur. Hujuſmodi regula quoad ambas partes jamdiu ab Angelico Doctore fuit conſignata, ac deinceps communi Moralium Scriptorum calculo firmata; ſic enim ait (1. 2. *q.* 76. *ar.* 3.) *Ignorantia, quæ non eſt cauſſa actus peccati, quia non cauſſat involuntarium, non excuſat a peccato ..... Sed ignorantia, quæ eſt cauſſa actus; quia cauſſat involuntarium, de ſe habet, quod excuſat a peccato.... Quod ignorantia aliquando non totaliter excuſet a peccato, poteſt contingere ex parte ipſius ignorantiæ, quia ſcilicet ipſa ignorantia eſt voluntaria vel directe, vel indirecte*, adeoque quia eſt ignorantia vincibilis. *Si vero ſit talis ignorantia, quæ omnino ſit involuntaria, ſive quia eſt invincibilis, ſive quia eſt ejus, quod quis ſcire non tenetur, talis ignorantia omnino excuſat a peccato.* Apud Seraphicum quoque (*in* 2. *ſent. diſt.* 40. *dub.* 3. & *in* 4. *ſent. diſt.* 16. *par.* 2. *ar.* 2. *q.* 1.) ſimilia reperies.

*203. Ad majus lumen, & robur ſtatutæ Regulæ communis, explicatur, quomodo actio neceſſario facta, ob defectum liberi dicatur quidem inculpata, ſed non involuntaria: actio vero ignoranter facta, ob defectum cognitionis adeoque voluntarii poſſit vocari & inculpata & involuntaria abſolute.*

203. At (opponet fortaſſe aliquis) ſi ignorantia invincibilis facit actionem *involuntariam*, & a culpa immunem, ergo actiones omnes ex *neceſſitate* abſoluta productæ, quæ pariter culpa vacant, dicendæ erunt *involuntariæ* ſimpliciter: hoc autem plane abſurdum, cum poſſit voluntarie, immo lubentiſſime fieri etiam quod neceſſario fit, ut liquet de amore, quo nos hic beatitudinem aut bonum in genere amamus, & Sancti in cælis Deum diligunt. Nec præſtabilitam generalem regulam, nec dictiones in ea poſitas, ullatenus variare mihi fas eſt; quandoquidem, ut jam oſtenſum, meæ non ſunt, ſed Magiſtrorum omni exceptione majorum, atque communem in Moralium ſcholis aſſenſum obtinent: quo quidem nihil validius teſte Ariſtotele (*lib.* 10. *Ethic. c.* 6.) *potentiſſimum probationis genus vocatur, conſeſſum omnibus teſtimonio poſſe probare.* Itaque meum dumtaxat erit, communem doctrinam a propoſita difficultate liberare tali pacto. *Neceſſitas* abſoluta agendi in ſe ſpectata tollit ab actu *culpam*, quia cum electioni ac determinationi propriæ agentis locum non relinquat, *libertatis* uſum impedit, qui ad peccandum requiritur: non tollit vero *voluntarium*, quia neutrum eorum, quæ voluntarium conſtant, nempe intellectualem cognitionem, aut intimam voluntatis inclinationem, deſtruit. Sed *ignorantia*, cum ſit cognitionis privatio, directe eliminat unum, ſine quo voluntarium nec eſſe, nec concipi poteſt, ut centies jam dictum eſt: igitur actum ignoranter factum reddit *involuntarium*, adeoque a culpa immunem.

*204. Proferuntur ex D. Bonaventura particulares canones ſtendenter quænam ſingillatim ſpecies ignorantiæ reducenda ſit ad invincibilem, vel vincibilem ignorantiam; adeoque quidnam præſtent circa voluntarium.*

204. Aſſignata regula generali, quamvis optima ac veriſſima, contenti non ſumus: ad uberiorem clarioremque notitiam placet e veſtigio referre plures diſtinctas aſſertiones Seraphici Doctoris, quæ ſunt veluti particulares canones reſpicientes unamquam-



quamque ſpeciem ignorantiæ expreſſam in tot diviſionibus (*n.* 169. & *ſeq.*) jam delineatis. Prima igitur ſit (*Centil. part.* 1. *ſect.* 7.) *ignorantia negationis excuſat a toto: ignorantia privationis excuſat a parte, non a toto: ignorantia pravæ diſpoſitionis accuſat in toto, quia perverſam ſequitur voluntatem.* Secunda *ibid ſect.* 25. *ignorantia facti duplex, aut adhibita debita diligentia, & hoc excuſat a toto: aut non adhibita debita diligentia, & hoc excuſat a tanto, & non a toto.* Tertia (*Spec. anim. cap.* 3.) *circa ignorantiam Juris naturalis nullus excuſatur, quin peccet, faciendo contra legem naturalem. Jus naturale appellatur illud, ad cujus cognitionem poteſt homo per naturalia attingere; qui tale quid ignorat, hoc ei ex negligentia contingit.*

*205. Sequuntur iidem canones de ignorantia.*

205. Quarta (*ibid. in Spec. anim.*) *Circa ignorantiam juris Divini, ſcilicet mandatorum Decalogi, & articulorum Fidei, hæc ignorantia eſt mortalis; quia in poteſtate cujuslibet eſt hoc ſcire, & a lege naturali derivatur.* Quinta (*Cent. cit. ſect.* 7.) *Ignorantia Legis, Prophetarum, Evangelii, & Doctrinæ Apoſtolicæ, accuſat ſicut de magno, & mortali delicto Prælatos, maxime Epiſcopos & Metropolitanos, qui tenentur de Fide, & ſpe reddere rationem. Accuſat ſicut de veniali Clericos ſimplices & illiteratos, qui cum potuiſſent diſcere, noluerunt. Laicos vero in nullo accuſat, quia ad ipſos non pertinet; dummodo non contemnant.* Quiſquis poſtremam hanc partem regulæ cum prima ejuſdem parte, & cum quarta ſuperiore regula conferet, non poterit ſuſpicari, Seraphicum exemiſſe laicos homines ab omni obligatione cognoſcendæ Divinæ Legis. Diſtingue *ſimplicem* rerum divinarum notitiam laicis neceſſariam a cognitione *æthiologica* Eccleſiaſticorum, ex quorum ore Populus legem requirere ſolet; & conciliabis prædictas regulas. Non quævis promiſcue cognitio proprie ſcientia reputatur; ex Iſidoro enim Peluſiota (*epiſt.* 430. *ad Ophelium*) *hoc vere eſt ſcire, rem cum & propter cauſſas ſcire.*

*206. Prædicti canones de ignorantia deſinunt.*

206. Sexta (*ibidem in Spec. anim.*) *Circa ignorantiam juris poſitivi*, nempe humani, *quilibet illa, quæ pertinent ad officium ſuum, & de jure poſitivo ſunt præceptoria, ſcire tenetur; & talium ignorantia eſt mortalis.* Septima (*Cent. cit. ſect.* 7.) *ſi eſt ignorantia legum, & decretorum*, puta civilium, *ſolos judices accuſat. Si eſt ignorantia juris continentis morales conſtitutiones Eccleſiaſticas, ad diſcernenda peccata, accuſat Sacerdotes, & Confeſſores.* Octava (*Centil. ſect.* 7. & 25.) *Ignorantia craſſa ſeu ſupina non excuſat a toto, ſed a tanto: ſed etſi aliquo modo excuſat, non tamen ſic excuſat, quin æterno igne ardeat, ſicut dicit Auguſtinus.* Nona (*ibidem in Centil.*) *Ignorantia affectata accuſat potius, quam excuſat; ſeu ex una parte excuſat, & ex alia magis aggravat:* quod ſic explicat Richardus de Mediavilla (*in* 2. *Sent. diſt.* 22. *art.* 2. *q.* 3.) *Affectata ignorantia peccatum non tollit, nec excuſat in aliquo, omnibus penſatis; quia ſi excuſat, in quantum eſt ignorantia, tamen aggravat in quantum eſt voluntaria: ex magna enim intenſione voluntatis ad peccandum provenit, quod homo velit ignorare, ut liberius peccet, cum omnes homines naturaliter ſcire deſiderent.* Decima (*Centil. ſect.* 7.) *Ignorantia vincibilis, quæ poteſt removeri cum magna difficultate excuſat a tanto, ſed non a toto: quæ autem poteſt removeri cum facilitate, non excuſat.*

*207. Ad idem revocatur regula generalis, qua Moraliſtæ plurimi utuntur diſtinguendam ignorantiam invincibilem, ac vincibilem.*

207. Ex dictis ſatis evidens, ſingulas ignorantiæ ſpecies revocandas ad *vincibilem*, & *invincibilem*, ubi agitur de exploranda moralitate, & imputabilitate actionum ignoranter factarum. Porro plurimi morales Theologi ætatis recentioris ad utramque hanc ignorantiæ ſpeciem diſcernendam criterium iſtud aſſignare ſolent. Quoties in illis circumſtantiis quibus homo operatur, nulla ratio, nullum dubium, nullus ſcrupulus occurrit de præcepto legis; tunc ignorantia eſt inculpabilis, cum in ea hypotheſi vinci nequeat: ubi vero animo agentis ſeſe obtulit aliqua ratio vel dubium vel ſcrupulus, tunc eſt culpabilis, quia vinci potuit; tenebatur quippe agens in eo caſu ſufficientem adhibere diligentiam ſecundum prudentiam, & circumſtantias ad perſcrutandam illam rationem legis. Verum ejuſmodi regula, utut veriſſima quoad ſecundam partem de *culpabili* ignorantia, in prima tamen parte de *inculpabili* non videtur adæquata, ac tuta ſatis. Nam inculpabilem & invincibilem aſſeverare ignorantiam aliquam, *præciſe* quia homo ignoranter operans nullam in ſeipſo experitur cogitationem ſeu dubitationem de lege vetante illam operationem, atque de periculo peccandi, id minime cohæret cum genuina notione talis ignorantiæ, & cum doctrina Angelici, Seraphici, aliorumque ſanioris Ethices Magiſtrorum: Hi enim ad ignorantiam vere invincibilem maxime requirunt, quod ſit omnino involuntaria, & non ſit introducta per præambulam culpam ſeu negligentiæ in adipiſcendis rebus neceſſariis, ſeu actionum, quæ cognitioni ac diſcretioni ad operandum neceſſariæ impedimento ſunt. Ex quo ſequitur, ignorantiam in ea regula indicatam, non *abſolute*, ſed *aliquatenus*, tantum invincibilem ſeu inculpabilem vocari

cari poſſe; cum evenire queat, ut permulti in ſtudiis deſidioſi, aut ebrioſi, nulla pulſentur ſuſpicione peccandi, dum quidpiam agunt revera prohibitum a legibus, quas ignorant.

*208. Afferuntur teſtimonia perſpicua Angelici, & Seraphici, quibus corrigere licet traditam regulam apud multos Scriptores pervagatam.*

208. Talem eſſe utriuſque præſertim Doctoris prælaudati perſuaſionem oſtendunt plures textus ſparſim in hac tractatione de ignorantia (*n.* 189. *& ſeq.*) ac præterea in declaratione voluntarii indirecti ſeu interpretativi (*n.* 141. *&* 146.) a nobis jam producti; quibus hi ſequentes addi poſſunt. Angelicus (1. 2. *q.* 76. *ar.* 3.) *Cum aliquis propter laborem, vel propter alias occupationes negligit addiſcere id per quod a peccato retraheretur, talis negligentia facit ignorantiam ipſam eſſe voluntariam indirecte, & peccatum; dummodo ſit eorum, quæ quis ſcire tenetur, & poteſt; & ideo talis ignorantia non totaliter excuſat a peccato. Si vero ſit talis ignorantia, quæ omnino ſit involuntaria, ſive quia eſt invincibilis, ſive quia eſt ejus, quod quis ſcire non tenetur, talis ignorantia omnino excuſat a peccato.* Seraphicus (*Centil. par.* 1. *ſect.* 25.) *Ignorantia juris invincibilis poteſt eſſe duplex, aut enim eſt introducta per præambulam culpam, aut præter omnem culpam. Si præter omnem culpam, aut ſimpliciter privat cognitione juris, ſicut in infantibus & furioſis, qui omnino carent uſu rationis: & hæc excuſat a toto: aut non tollit omnino uſum rationis, ſed ſemiplenum: & tunc non excuſat a toto, ſed a tanto: ſicut in his, qui non plene ſunt furioſi; ſed habent aliquo modo aliqua intervalla lucida, & in pueris, qui ſunt aliquo modo capaces præcepti, licet non plene. Si autem ignorantia eſt introducta per præambulam culpam, ſicut in ebrio, & furioſo, quorum uterque præcipitavit ſe in hoc per culpam ſuam, ſic non excuſat a toto.* Et (*in* 2. *Sent. diſt.* 22. *ar.* 1. *q.* 2.) *privatio cognitionis ad ſalutem neceſſariæ dupliciter poteſt eſſe: aut ita quod eſt in nobis, ſed non a nobis; & hoc modo culpa non eſt, ſed magis pœna; & cum non ſimus ejus principium, in ipſa nec meremur, nec demeremur: aut ita quod eſt in nobis, & a nobis, & ſic culpa eſt: hoc autem tripliciter poteſt eſſe: aut quia ex quadam pigritia & negligentia non curamus veritatem addiſcere &c.*

*209. Ad tuto dignoſcendam ac diſcernendam ignorantiam vere invincibilem, & vincibilem ſubſtituitur alia regula ex doctrina, utriuſque Magiſtri expreſſa.*

209. Quæ cum ita ſint præſtabit potius hanc aliam generalem regulam, in hujuſmodi teſtimoniis contentam rectiſſimamque, eum in finem attendere. Quotieſcunque aliquis ad ſciendum ea, quæ tum ad proprium ſtatum ac munus generatim pertinent, tum ad particulares operationes producendas ſpectant, præmiſit diligentiam moralem, quam nempe adhibere ſolent in ſimilibus probi & prudentes viri: ac præterea actioni proximus nullo pulſatur dubio vel de jure, vel de facto, vel de circumſtantia aliqua, quam ignorat; aut ſi tale dubium paſſus eſt, pari diligentia quæſivit, ut certior fieret, neque tamen notitiam adſecutus eſt: tunc ſane ipſius ignorantia erit in foro conſcientiæ vere invincibilis & inculpata, etſi interdum non admittatur ut talis in externo judiciali foro, ubi ex allegatis & probatis procedere moris eſt. Contra vero ignorantia erit aliquo modo reputanda vincibilis & culpabilis, etiam in foro Sacramentali, ſi quis vel non omnem ordinariam ſeu moralem diligentiam ad diſcenda ſcitu neceſſaria præmiſerit; vel agendo deinceps, contrariam cogitationem de honeſtate ſuæ actionis perſenſerit, & nihilominus ſtudium, aut induſtriam ſuam non reſtauraverit ad explorandam veritatem. Sic ex. ca. Henricus Gandavenſis (*quodl.* 12. *q.* 25.) cenſet fuiſſe prioris generis ignorantiam Jacob, *qui credens ſibi ſuppoſitam fuiſſe Rachelem, cognovit Liam, priuſquam conſenſit cum ipſa in matrimonium:* poſterioris vero generis ignorantiam Achimelech, *qui revera peccaſſet, ſi cognoviſſet Saram, etiam ipſa accepta in uxorem, quia non ſufficienter inquiſivit, an fuiſſet uxor Abraham.*

*210. In iſto capite tertio moralis natura, & effectus ignorantiæ evolvuntur, quam ad rem hic præmonetur, ignorantiam habere poſſe triplicem diverſam rationem tum peccati, tum pœnæ, tum cauſſæ peccati.*

210. Nunc ad materiam *tertii* capitis (*num.* 188.) accedamus, propius inſpecturi, quænam ſit in genere moris *natura* ignorantiæ, quive præterea *effectus* ab ipſa dimanent. Ignorantia, ut ita dicam, monſtrum eſt triforme; nam & pœna peccati, & cauſſa peccati, & peccatum ſimul eſſe poteſt, quemadmodum obſervavit S. Auguſt. (*lib.* 5. *contr. Jul. c.* 3.) de ſenſuali concupiſcentia. Sicut enim *carnis concupiſcentia, adverſus quam concupiſcit bonus ſpiritus, & peccatum eſt, quia ineſt illi inobedientia contra dominatum mentis,* non præcavente ſcilicet aut impediente voluntate, cum poſſet (*n.* 129. *&* 134.) *& pœna peccati, quia reddita eſt meritis inobedientis; & cauſſa peccati defectione conſentientis, vel contagione naſcentis:* pari modo ignorantia 1. *pœna* eſt, quatenus provenit ex originaria culpa, juxta illud Auguſtini; *inflicta eſt nobis ignorantia rerum agendarum:* iterum quatenus ad noſtra actualia crimina conſequitur ex eodem Auguſtino, *ſpargit Deus pœnales cæcitates ſuper illicitas cupiditates.* 2. eſt *cauſſa*; ut illa, quæ comparata ad actum voluntatis, dicitur *antecedens*, & ſimul *conſequens* reſpectu ipſius voluntatis (*n.* 193.) qualis fuit in Deicidis, qui, ſi cognoviſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſ-

ſent.



ſent, teſte Apoſtolo. 3. Eſt *culpa* vere proprieque dicta, quæ a Deo imputatur, & pro qua venia deprecanda, exemplo Pſalmiſtæ, *Ignorantias meas ne memineris, Domine.*

*211. Modus declaratur, quo contingit ignorantiam, quæ dicitur vincibilis, peccati rationem induere.*

211. In primis, quomodo ipſa ignorantia in ſe poſſit eſſe proprie dicta culpa & peccatum, ſic demonſtratur. Ex S. Bonav. & Richardo de Mediavilla (*in ſent. diſt.* 22. *ar.* 2. *q.* 2.) duo conſpirant ad ignorantiam culpabilem; unum, quod eſt quaſi *materiale* peccati, nempe privatio ſcientiæ neceſſariæ in intellectu; alterum, deordinatio in voluntate detrectante, ſeu negligente eamdem ſcientiam, eſtque veluti *formale* peccati. *Ignorantia, quæ opponitur cognitioni virtutis, ad quam tenemur* (inquit Seraphicus) *non tantum reſpicit intellectum, ſed etiam affectum: unde non tantum dicit ſcientiæ carentiam, ſed etiam voluntatis incuriam ad ſcientiam percipiendam.* Porro ex Richardo *ratio culpabilitatis ignorantiæ penes voluntatem conſiſtit:* quatenus, ſi vincibilis ignorantia eſt affectata, *eſt per voluntatis commiſſionem, dum homo vult ignorare ea, quæ ſcire teneretur, pro tempore quo ſcire tenetur;* vel ſi eſt craſſa, aut ſupina, *eſt per voluntatis omiſſionem, dum homo ex quadam negligentia omittit procurare notitiam eorum, quæ ſcire tenetur.* Nihilominus culpabilis inhoneſtas ignorantiæ non in hac ſolum deordinatione voluntatis ſita eſt, ſed etiam in privatione ſcientiæ afficiente intellectum, quatenus voluntati ſubſtat tamquam cauſſæ; eo fere pacto, quo in genere cujuſvis peccati conſummati actus exterior & interior, imperatus & imperans, ſimul ſunt unicum peccatum.

*212. Ubi culpabilis ignorantia nos decipit, ſi quæ poſtea ſunt peccata ratione illius, ea ſunt diverſa ſaltem numero a peccato ipſius ignorantiæ ſive hæc ſit credibilium ſive operabilium.*

212. Quoties igitur aliquis vincibili ignorantia detentus quidpiam ſubinde perpetrat contra juſtitiam, caritatem, vel quamlibet aliam virtutem; conſequens eſt dicere, peccata hujuſmodi eſſe prorſus diſtincta a prævio ignorantiæ peccato. Idque ſentiendum, non modo dum ignorantia verſatur circa ea, quorum ſcientia ſpeciali præcepto exigitur ratione ſui, quemadmodum ſunt myſteria Religionis Chriſtianæ; ſed etiam dum ad alia refertur, quorum cognitio requiritur in ordine ad opus, ut ſunt Divina, & Eccleſiaſtica mandata: etſi hoc intercedat diſcrimen quod peccatum ignorantiæ pure *credibilium* ſit diſtinctum tum numero tum ſpecie ab illo, quod committitur vel faciendo vel negligendo aliquid circa ipſa credibilia: peccatum vero ignorantiæ *operabilium* ſit quidem aliud numero, ſed tamen ejuſdem ſpeciei cum illis peccatis, quæ fiunt circa praxim rerum ignoratarum. Quare ex. ca. ſicut graviter peccat non ſolum, qui diſſentit Fidei, vel tempore debito non elicit actum Fidei, ſed etiam qui culpabiliter negligit addiſcere myſteria Fidei: ita prorſus reus eſt gravis peccati non ille tantum qui proximum bonis ſpoliat, decimas non ſolvit, jejunia non ſervat; ſed etiam qui neglexit comparare ſibi notitiam Divinorum aut Eccleſiaſticorum præceptorum, ob quorum ignorationem in illa crimina prolabitur.

*213. Afferuntur varia argumenta quibus oſtenditur ignorantiam, rerum operabilium eſſe per ſeſe proprie dictum peccatum.*

213. Multa ſunt, quæ ſententiam hanc ſolide confirmant. In primis Divinæ Literæ loquendo de ſcientia *operabilium*, eam per ſeſe ſpectatam inculcant, ac ſimiliter damnant inſcitiam eidem oppoſitam. Eccleſiaſt. (*c.* 17.) *cognoſce juſtitias, & judicia Dei.* Oſee (*c.* 4.) *quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te.* (1. Corinth. c. 14.) *ſi quis ignorat, ignorabitur:* quæ omnia referenda eſſe ad ſola credibilia nemo evincet. Dein ipſa per ſe ignorantia operabilium opponitur virtuti ſpeciali, quæ *Studioſitas* vocatur, & ab Angelico inter partes potentiales Temperantiæ recenſetur: adeoque independenter ab operibus malis ex ipſa ortis ſpeciale peccatum eſt. Tandem ita ſenſere illuſtriores Magiſtri antiquæ Scholæ. S. Thomas (*q.* 3. *de malo ar.* 7.) *Manifeſtum eſt, quod qui negligit habere, vel facere id quod tenetur habere, vel facere, peccat peccato omiſſionis; unde propter negligentiam ignorantia eorum, quæ aliquis ſcire tenetur, eſt peccatum.* S. Bonaventura (*Centil. par.* 1. *ſect.* 24.) *nota, quod aliud eſt peccatum ex ignorantia, aliud peccatum ignorantiæ.* Richardus (*in* 2. *Sent. diſt.* 22. *ar.* 2. *qu.* 2.) *non tantummodo velle actum, qui eſt peccatum, vel carentiam actus, quæ eſt peccatum, culpa eſt; ſed etiam velle actum vel carentiam actus ordinantis ad culpam; ignorantia autem neceſſariorum ad ſalutem ita ordinat ad culpam, quod cum tali ignorantia in eligendo recte dirigi non poteſt homo.* Igitur ignorantia indefinite ſeu credibilium, ſeu operabilium, eſt ſpeciale peccatum diverſum a ſubſequenti peccato operis.

*214. Proponitur ſimulque diſſolvitur duplex objectio adverſus ſuperiorem ſententiam.*

214. Nec opponas, ſcientiam operabilium nobis præceptam eſſe, non abſolute & ratione ſui, ſed in ordine ad ipſa operabilia; adeoque eorum ignorantiam non evadere culpabilem, & animæ pernicioſam, priuſquam fiant ignoranter mala opera; itidem abſurdum eſſe hominem, quamdiu in ignorantia verſatur, continue peccare. Nam prior objectio, ſi quid probat, hoc dumtaxat evincit; ſcilicet ignorantiam, & tranſgreſſionem alicujus præcepti reſpicientis operabilia, quæ evenit

ratio-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

ratione ignorantiæ, invicem convenire in eadem ſpecie peccati ( quod jam faſſi ſumus *num.* 212. ) minime vero ignorantiam, & tranſgreſſionem ſubſequentem conſiare unicum numero peccatum. Poſterior autem oppoſitio abſurdum committiſcitur, quod nequaquam complectitur ſtatuta a nobis ſententia, ſi rite percipiatur. Quippe, ut ait Seraphicus ( *in* 2. *Sent. diſt.* 22. *ar.* 2. *q.* 3. ) *Ignorans ignorando non peccat, niſi in illo inſtanti & tempore, in quo tenetur noſcere vel addiſcere, quod ignorat; ideo quamvis ſemper dicatur ignorare, non tamen ſemper dicitur peccare:* rationem ſuppeditat evidentem Angelicus ( 1. 2. *q.* 76. *ar.* 2. ) *quia ſicut in aliis peccatis omiſſionis ſolo illo tempore homo actu peccat, pro quo præceptum affirmativum obligat; ita eſt etiam de peccato ignorantiæ; non enim continuo ignorans actu peccat, ſed ſolum quando eſt tempus acquirendi ſcientiam, quam habere tenetur:* ex. ca. quando quis publicum judicis, advocati, tabellionis, medici, confeſſarii munus capeſſit, atque obire aggreditur, deſtitutus neceſſaria ſcientia: a quo tempore tamdiu ſemper tenetur reatu culpabilis ignorantiæ, quamdiu ſincera pœnitentia illum non expungit.

215. *Nunc agitur de ignorantiæ effectu, qui bifariam conſiderari poteſt reſpectu ſcilicet voluntarietatis & imputabilitatis actionum.*

215. Cum ignorantiæ *natura* ſecundum genus moris ſpectata jam in propatulo ſit, reſtat ut ejuſdem *effectus* perpendamus. Univerſim loquendo duplicem diſtinguere licet ignorantiæ effectum relate ad actiones ex ea procedentes: unus immediatus, qui *phyſicus* dici poteſt; alter mediatus, qui *moralis* appellandus: ille reſpicit *voluntarietatem* actionum, quam ignorantia juxta varias ſpecies inſpecta poteſt aut penitus tollere aut ſolum minuere, aut etiam aliquo modo augere: iſte concernit *imputabilitatem* actionum ad culpam, & pœnam, atque ex illo conſequitur neceſſario. Satis explanatum in priore parte hujus tertii capitis ( *num.* 200. *& ſeq.* ) quomodo actiones ob ignorantiam voluntariæ vel involuntariæ, ſubindeque etiam culpabiles vel inculpabiles judicandæ ſint. Quare reliquum dumtaxat eſt, ut examinemus deinceps, quanam ratione pœnæ evadant obnoxiæ, quotieſcumque conſtat, ipſas ignoranter peractas fuiſſe.

216. *Aſſignantur cauſſa, ob quas impræſentiarum verba fiunt de imputabilitate dumtaxat ad pœnam, eamque ſola lege humana conſtitutam.*

216. Cauſſa vero, quæ in expendendo morali effectu ignorantiæ facit nos diſſerere de ſola *pœna*, nulla facta mentione *præmii*, hæc eſt: quia tametſi neceſſaria illatione deducatur, actiones in quas ignorantia influit, culpabiles eſſe aut inculpabiles, prout ab agente prodierunt voluntarie aut involuntarie; evidens tamen certumque nobis non eſt, exinde præterea conſequi, ut iiſdem debeatur ſupplicium, aut præmium. Nam omnes quidem Theologi fatentur, ignorantiam, quæ involuntarium abſolute inducit, ſimulque inculpabilis eſt, veniam & excuſationem parare actionibus ex ipſa factis: at plures detrectant pronunciare, illas etiam præmio dignas eſſe, quoniam in Tractatu Morali de Regula proxima agendi propugnant, operantem ex conſcientia erronea invincibiliter, etſi non peccet, proprie tamen non operari *honeſte*, ac *meritorie*. & ab his non videtur diſſentire Seraphicus ( *n.* 207. *in fine* ). Immo ſi de pœnis fiat ſermo, quæ ſunt humana lege ſtatutæ, in ſententia plurium Theologiæ ac Juris peritorum contingere poteſt, ut ab hiſce pœnis immunis exiſtat actio illius hominis, qui ex ignorantia voluntaria ac vere culpabili operatus eſt contra legem, ignorans tamen invincibiliter pœnam in lege taxatam.

217. *Lex humana Eccleſiaſtica ſpectari poteſt triplici modo, ut moralis, pœnalis, irritans.*

217. Has ob cauſſas præſens ſermo noſter erit de *pœnis* dumtaxat, ac de ſolis illis quæ jure *poſitivo Eccleſiaſtico* ſancitæ ſunt: ſicque ex eo aliquid luminis accedet particularibus quæſtionibus, quas Doctores movere ſolent circa Cenſuras, Irregularitates, Reſervationes caſuum, & alia hujus generis: juxta hunc ſcopum noſtrum duo ſunt hic prænotanda: unum circa leges, alterum circa pœnas. In primis Eccleſiaſticæ legis varia ſunt officia: nam vel mores dirigit, obligando in conſcientia ad quidpiam agendum, aut omittendum, & ſub hoc aſpectu vocatur *moralis*; vel pœnam aliquam ſive temporalem ſive ſpiritualem, in foro externo a tranſgreſſoribus luendam determinat: & ita dicitur *pœnalis*: vel actus quoſdam ſeu ad externum forum, ſeu ad internum conſcientiæ tribunal ſpectantes privat morali valore ac fructu, ſicque *irritans* vocatur. Ad pœnales leges referri poſſunt cenſuræ, reſervationes caſuum ad irritantes, irregularitates partim ad pœnales, partim ad irritantes.

218. *Pœna accipitur proprie; & valde uſitata apud Auctores diviſione diſtribuitur in ordinariam, & extraordinariam.*

218. Deinde *pœna* duplicis generis eſſe poteſt. Etenim vel ſtricte ſumitur pro incommodo per actum juſtitiæ vindicativæ inflicto ad aliquam culpam mulctandam: quo ſenſu dicitur in Jure ( *l. aliud. de verb. ſign.* ) *pœna eſt noxæ vindicta*, atque ab Auguſtino ( *l.* 2. *de Retr. c.* 9. ) *pœna, ſi juſta eſt, peccati pœna eſt, & ſupplicium vocatur:* vel accipitur late pro onere impoſito etiam citra peccatum, ob juſtam publicam præſertim cauſſam: quo reſpicit regula 23. Juris in 6. *ſine culpa, niſi ſubſit*





*ſit cauſa, non eſt aliquis puniendus*, ut dum quis ex diſpoſitione canonici juris deponitur ab Eccleſiaſtico beneficio, ad quod fuit promotus per ſimoniam ab altero commiſſam in ejus favorem, tametſi inſcius fuerit ejuſdem ſimoniæ. Porro pœnæ proprie ſumptæ hæc præ reliquis eſt notanda diviſio, quæ dicitur vel *ordinaria* vel *extraordinaria* in iſto ſenſu; quatenus ordinaria deſignat pœnam convenientem, & proportionatam naturæ delicti, quæ legibus, aut communi prudentia Judicum determinata eſt; extraordinaria vero ſignificat pœnam auctam ultra naturam delicti in ſe ſpectatam, propter aliquas peculiares circumſtantias, quæ ad illud concurrunt: prior pœna ſolet etiam vocari *moderata*, & poſterior *exorbitans*.

219. *Ignorantia hominis contra leges pœnales agentis modo eximit modo non eximit ipſum a pœna ſubeunda: id per quaſdam generales theſes hic declaratur.*

219. His in anteceſſum poſitis, quidnam ignorantia præſtare poſſit, ubi de violatione legum *pœnalium* agitur, patefaciemus ſequentibus Theſibus. *Prima*, ignorantia invincibilis pœnæ tantummodo non excuſat a peccato, ſeu formali tranſgreſſione legis; quoniam non tollit, uti nunc ſupponitur, voluntarium & liberum ab actu, quo lex infringitur. *Secunda*, ignorantia ſive Juris, ſive Facti, quotieſcumque a culpa penitus excuſat, eximit quoque a pœna; ſiquidem pœna ſtricto ſenſu eſt culpæ vindicta, & peccati ſupplicium. *Tertia*, ignorantia non undequaque invincibilis, ubi a gravi culpa excuſat, etiam a gravi pœna liberat, ob eamdem rationem: quatenus vero eſt ignorantia vincibilis ſeu culpabilis venialiter, pœnam auſert vel non auſert, prout hæc eſt proportionata vel non proportionata illi peccato veniali. *Quarta*, ignorantia graviter culpabilis non liberata a pœna *ordinaria* & moderata, ſive tranſgreſſor legis ignoraverit legem ſimul & pœnam ſive ſolam pœnam: quippe pœna hujuſmodi voluntate ſuprema legiſlatoris eſt adnexa culpæ, ſimulque ſupponitur attemperata naturæ illius.

220. *Sequuntur reliquæ theſes, quæ conducunt ad plenam intelligentiam doctrinæ de variis ignorantiæ effectu.*

220. *Quinta*, ignorantia conſequens, & graviter etiam culpabilis excuſat a pœna, quotieſcumque lex non abſolute delicto pœnam intentet, ſed ſuppoſito *dolo*, vel *ſcientia*, vel *auſu temerario* delinquentis, & aliunde nihil horum occurrat in eo, qui tali ignorantia affectus legem tranſgreditur. Nam leges ex trito Juriſperitorum dicto non operantur ultra verba, quæ continent, maxime ubi de *pœnalibus* agitur, quæ ſunt ſtrictæ interpretationis. *Sexta*, ignorantia conſequens affectata, ſeu ex induſtria quæſita ac retenta ad liberius peccandum, non excuſat a pœna, etiam in caſu, quod lex ſit concepta ſub præfatis formulis *ſcientiæ* vel *auſus temerarii*. Siquidem ejuſmodi ignorantia in jure æquiparatur ſcientiæ, uti expreſſe indicat Clemens IV. ( *c. eos qui Tit. de Temp. Ord. in* 6. ) dicens: *Eos, qui Clericos parœciæ alienæ, abſque ſuperioris ordinandorum licentia, ſcienter ſeu affectata ignorantia præſumpſerint ordinare, per annum a collatione ordinum decernimus eſſe ſuſpenſos*. Tum quia illæ formulæ ſolent apponi in legibus ad eos perſtringendos, qui volunt *directa*, ſeu *formali* voluntate ipſarum legum tranſgreſſionem: porro operantes ex ignorantia affectata plane directa voluntate peccatum velle dicendi ſunt; quippe ex Angelico ( 1. 2. *q.* 76. *art.* 4. ) *Ex intentione voluntatis ad peccandum provenit, quod aliquis vult ſubire ignorantiæ damnum propter libertatem peccandi*.

221. *Ponitur ultima theſis, quæ apud Doctores haud parum quidem controverſa eſt, ſed tamen plurium, præſertim Canoniſtarum graviſſimorum calculo munitur.*

221. *Septima*, ignorantia prorſus inculpata & invincibilis etiam ſolius pœnæ ſtatutæ humana lege pœnali excuſat ab eadem pœna gemino in caſu; quando videlicet pœna, vel eſt extraordinaria & exorbitans, vel propter contumaciam delinquentis impoſita eſt, & ideo medicinalis ſub hoc reſpectu vocatur. Non hoc conſtat ex unanimi & certa Doctorum ſententia, ſed dumtaxat nititur valde veroſimili opinioni Panormitani, Hoſtienſis, Joannis Andreæ, Felini, Gonzalez, Soti, Suarezii, ac præſertim Navarri ( *in Manual. Conf. c.* 23. *nu.* 27. *& c.* 274. *atque in c.* 2. *de Conſtit.* ) qui ea in re ſibi ſuffragantes memorat, præter alios Summiſtas, S. Antoninum, & B. Angelum a Clavaſio. Porro hanc illi rationem præcipue afferunt pro *ſecundo* caſu. Non poteſt præſumi in delinquente contumacia adverſus legem & poteſtatem Legiſlatoris, quæ dicitur *coercitiva* per pœnas, niſi delinquens fuerit aliquo modo præmonitus de tali pœna a legiſlatore impoſita: atque præmonitio hujuſmodi nequit ſupponi relate ad illum, qui legem dum violat, ſcit equidem actionem ſuam eſſe malam, ac lege humana vel etiam divina prohibitam, ſed tamen inſuperabili ignorantia neſcit eam gravem pœnam eſſe adjectam ab humano legiſlatore: igitur contumax tranſgreſſor legis non eſt, adeoque a pœna videtur omnino immunis.

222. *Aſſignatur ex Navarro ratio diſcriminis inter ſuperioris duas theſes, quartam & ſeptimam,*

222. Pro *primo* caſu ſic ratiocinatur Navarrus ( *cit. c.* 27. *Manual.* ) *Licet non requiratur conſenſus delinquentis in pœnam, ut obligetur ad eam, quia obligatio non nititur ejus conſenſu, ſed poteſtate legiſlatoris imponentis eam; requiritur tamen conſenſus in cauſſam, ob quam imponitur, ut dixit S. Thomas: & ut quis dicatur con-*

*ſentire in cauſſam alicujus, non ſufficit quod conſentiat in eo, quod eſt cauſſa; ſed requiritur quod ſciat aut ſcire debeat, id eſſe cauſſam; & qui ſcit, aliquid eſſe malum, & ignorat pœnam ob id impoſitam; ſcit quidem id quod eſt cauſſa illius, non tamen cauſſam illius. Nec ex eo ſequitur, quod mulier, ruſticus, & alii, qui probabiliter pœnas legum ignorant, in nullas earum incidant; reſponderi enim poteſt, negando ſequelam, quoad pœnam ordinariam, & mediocrem proportionatam delicto, ſecundum naturam ejus ſtatutam, vel prudentia communi imponendam; quam quilibet diſcretus paullo plus minus prævidere poteſt, ſaltem alucinando per legem naturalem dictantem, delicta mediocriter punienda: concedendo vero ſequelam quoad pœnam extraordinariam, exorbitantem, & auctam ultra naturam delicti unde conſideratam, propter frequentiam, vel alias circumſtantias perſonæ, temporis, loci; quia delinquens neſcit, nec ſcire debet, illum malum eſſe cauſſam illius pœnæ, & ſola ratio naturalis non pertingit ad illam.* Addit vero (*cit. c. 23.*) *Quod maxime procedit in foro conſcientiæ; quo multos pios quis conſolari poteſt, maxime in materia cenſurarum, & irregularitatum.* Legatur etiam Can. 2. *Propoſuiſti* (*diſt. 82. in 1. par. Decreti*) qui ad eamdem ſententiam confirmandam ſolet allegari.

*223. Uſus notatur, quem habere poſſunt ſuperiores theſes in particularibus diſputationibus de cenſuris, irregularitatibus, & irritationibus actuum.*

223. Quæ hactenus, juxta ſententias Doctorum partim omnino communes exploratasque, partim veroſimiliores judicio noſtro, propoſitæ fuerunt generales regulæ circa pœnas legum humanarum, & ignorantiam transgredientium ejuſmodi leges, plenum uſum habere poterunt in materia *Cenſurarum* Eccleſiaſticarum, quas conſtat univerſim eſſe veri nominis pœnas, non qualeſcumque quidem, ſed *medicinales* uti ajunt. Valebunt quoque in materia *Irregularitatum*, ſaltem quæ *ex delicto* dicuntur, quippe etſi irregularitates omnes ab Eccleſia ſint conſtitutæ primario ad tuendum honorem Sacri Miniſterii Altaris; ſecundario tamen illæ, quæ ſunt ex crimine aliquo canonico, feruntur per modum pœnæ vindicativæ; quatenus, quiſquis in ſimile crimen voluntarie prolabitur, ob illud indignus judicatur ſacro miniſterio, & ab Altari arcetur. Immo & pro materia *Legum irritantium* inſervient, quotieſcumque actuum irritatio fuerit impoſita *in pœnam* alicujus delicti, quod legiſlator deprehendit non poſſe alia via efficaciter impediri, vel removeri a ſubjecta ſibi communitate.

*224. Neque irregularitas ex defectu, neque irritatio actuum non pœnalis, impediri poſſunt ulla ignorantiæ ſpecie.*

224. Cæterum, ubi agitur de aliis irregularitatibus, quæ dicuntur ex mero *defectu*, concordant Doctores nullam ignorantiæ ſpeciem, etiamſi invincibilis ſit, excuſare ab hujuſmodi irregularitate; quia, cum ipſa ſit purum putumque impedimentum, hominem ita deformans, ut videatur indecens illum deputare Sacris Functionibus, poſito ſemel tali impedimento mox contrahitur, etiam citra ullam cognitionem, aut ullum reatum culpabilem. Sic ex. ca. ſi quis in uxorem duceret feminam, quam ab alio prius vitiatam fuiſſe omnino ignorat, foret hic nihilominus irregularis ob defectum ſignificationis Sacramenti, hoc eſt *bigamiam interpretativam*. Similiter, ubi leges irritantes certas quaſdam conditiones ad valorem actuum præſcribunt ex fine boni communis, non cauſſa mulctandi aliquod delictum, uti ſunt ex. ca. parochiale beneficium, aut ſpecialis Epiſcopi approbatio ad Sacramentales Confeſſiones rite excipiendas, numerus ſeptenarius teſtium ad ſollemne teſtamentum; certum eſt apud Doctores, ejuſmodi leges ſuum ſortiri effectum, etſi quis ſecus operetur ex invincibili ignorantia. Siquidem irritatio actuum non eſt tunc proprie dicta pœna, quæ culpam ſupponat, ſed merum damnum vel incommodum, quod etiam ab ignorante invincibiliter ſuſtineri debet, quoties occurrit legitima cauſſa ad bonum commune pertinens.

*225. Reſervatio caſuum ſive Epiſcopalium, ſive Papalium ſubſiſtit, quamvis delinquentes illam invincibiliter ignorent. Cenſura tamen, ſi quæ iiſdem ſint adnexa, non videntur ligare laborantes tali ignorantia.*

225. Hinc patet, quidnam ſentiendum ſit de reſervatione caſuum, quam ſemper *magnopere ad Chriſtiani Populi diſciplinam pertinere ſanctiſſimis Eccleſiæ Patribus viſam eſſe*, Synodus Tridentina (*ſeſs. 14. de pœn. c. 7.*) teſtatur. Quando Superior Eccleſiaſticus peccatum aliquod ſibi reſervavit, dempta Confeſſariis ſibi ſubditis facultate abſolvendi ab illo, non requiritur in delinquente ſcientia reſervationis, ut dicatur incurriſſe in caſum reſervatum; ſed delictum ejus cenſetur reſervatum, ſuppoſita etiam ignorantia invincibili reſervationis. Quod ſi Superior reſervationi caſus etiam cenſuram adnectat (uti Epiſcopi interdum, Romani Pontifices plerumque faciunt) tunc ita peccatum manebit reſervatum, vel actus erit invalidus, ut tamen qui ſecus facit, immunis exiſtat a cenſuræ vinculo quoties invincibiliter ignorarit cenſuram (*n. 221.*) quia ſuppoſita tali ignorantia nequit dici *contumax* adverſus Eccleſiam. Porro exemplum caſus Papalis reſervati & ſine cenſura, & cum cenſura habemus in una eademque Conſtitutione Bened. XIV. *Sacramentum Pœnitentiæ*: nam accuſare in Eccleſiaſtico tribunali innocentem Confeſſarium alicujus ſollicitationis ſacrilegæ, peccatum eſt abſque cenſura reſervatum Apoſtolicæ Sedi: abſolvere autem



tem in Sacramentali judicio perſonam complicem in peccato inhoneſto contra ſextum præceptum, peccatum eſt cum cenſura excommunicationis majoris reſervatum eidem Sedi.

## §. IV. *De Concupiſcentia.*

*226. Impedimentum quartum voluntarii eſt concupiſcentia, ſeu paſſio. Quænam ſenſu uſurpentur hoc loco voces iſtæ, ſtatim oſtenditur.*

226. *Quartum* impedimentum voluntarii eſt *Concupiſcentia*. Nam hic *concupiſcentiæ* nomen uſurpamus generaliter pro appetitu rationali ſimul & ſenſitivo, quomodo frequenter Scriptura, & Patres; neque pro ſola illa appetitus ſenſitivi portione, quæ dicitur *vis concupiſcibilis*, & ad carnis peccata nos exſtimulat. Sed ſenſu quodam intermedio deſignamus ea voce motus omnes appetitus ſenſitivi, in quantum eſt in homine per peccatum originale corruptus, atque ob corruptionem illam factus rebellis rationi rectæ: qui quidem motus alio nomine dicuntur *paſſiones*. *Appetitus ſenſitivus*, ait Angelicus (*1. par. q. 81. ar. 2.*) *eſt una vis in genere, quæ ſenſualitas dicitur*, quia videlicet *eſt inclinatio conſequens apprehenſionem ſenſitivam: ſed dividitur in duas potentias, quæ ſunt ſpecies appetitus ſenſitivi, ſcilicet in iraſcibilem, & concupiſcibilem. Per hanc anima ſimpliciter inclinatur ad proſequendum ea, quæ ſunt convenientia ſecundum ſenſum, & ad refugiendum nociva: per illam anima reſiſtit impugnantibus, quæ convenientia impugnant, & nocumenta inferunt.* Quare *concupiſcentia* hoc loco complectitur paſſiones ſeu motus tum potentiæ concupiſcibilis, uti ſunt motus libidinis & gulæ; tum potentiæ iraſcibilis, uti ſunt motus iræ, & vindictæ.

*227. Explicatur diviſio trita antecedentis, conſequentis & concupiſcentia.*

227. Pervagata eſt apud Auctores diviſio concupiſcentiæ *antecedentis*, & *conſequentis*; quæ non intelligitur deſumpta ex parte *actus*, quaſi ſit vel non ſit cauſſa illius, quemadmodum de ignorantia diximus (*n. 192.*) ſed reſpectu dumtaxat *voluntatis* agentis efformatur, uti Angelicus (*1. 2. q. 77. ar. 6.*) docet. *Peccatum eſſentialiter conſiſtit in actu liberi arbitrii, quod eſt facultas voluntatis, & rationis: paſſio autem eſt motus appetitus ſenſitivi. Appetitus autem ſenſitivus poteſt ſe habere ad liberum arbitrium & antecedenter, & conſequenter: antecedenter quidem, ſecundum quod paſſio appetitus ſenſitivi trahit vel inclinat rationem, vel voluntatem. Conſequenter autem, ſecundum quod motus ſuperiorum virium, ſi ſint vehementes, redundant in inferiores; non enim poteſt voluntas intenſe moveri in aliquid, quin excitetur aliqua paſſio in appetitu ſenſitivo.* Itaque concupiſcentia antecedens cenſetur paſſio, quæ vel ex qualitate corporis, vel ex apprehenſione ſeu imaginatione ſenſibilis objecti oritur in appetitu ſenſitivo, & prævenit omnem deliberationem rationis ac voluntatis determinationem; uti eſt motus vindictæ exſurgens in homine, cui inſperato occurrit inimicus. Conſequens vero dicitur paſſio, quam in eodem appetitu ſenſitivo voluntas excitat, aut enatam fovet ut ipſa promtius & ardentius in ſuum objectum feratur; uti eſt motus vindictæ in eo, qui illatas ſibi injurias ſerio ac frequenter ruminat, ut eas poſſit vividius & acrius ulciſci.

*228. Ut rite intelligatur communis doctrina de impedimento, quod accedit voluntario ob concupiſcentiam, oportet ſecernere voluntarium a libero.*

228. De utraque concupiſcentiæ ſpecie inquiritur, quidnam præſtare poſſit relate ad voluntarium. Antequam quæſtioni fiat ſatis, probe recolenda diſtinctio *voluntarii*, ac *liberi*, de qua ſermo præceſſit in Articulo III. paſſim (*præſertim num. 161.*) ſecus enim videbuntur ſibi invicem contraria, quæ mox ſtatuemus juxta doctrinam Angelici, ab omnibus Theologis probatam. Ut diſtinctionem illam paucis denuo repetamus, *voluntarium* proprie illud eſt, quod ex intrinſeca inclinatione voluntatis cum prævia intellectus cognitione procedit; ſive illud fiat neceſſario, ſive contingenter: *liberum* vero, præſuppoſita ea cognitione, profluit a voluntate ſeipſam determinante ad agendum. Hoc prænotato, videamus ſtatim, quomodo voluntarium ac liberum ſe habeant, ubi paſſio in nobis eſt *antecedens*, id ipſum poſtea examinaturi relate ad paſſionem *conſequentem*.

*229. Probatur, antecedentem concupiſcentiā ſi referatur ad ſolum voluntarium, nullatenus eidem obeſſe.*

229. *Primo* igitur, ſi *voluntarium* præciſe conſideretur, concupiſcentia *antecedens* ex Angelico Doctore (*1. 2. q. 6. ar. 7.*) *non cauſſat involuntarium, ſed magis facit aliquid voluntarium.* Aſſertio hæc tribus conſtat partibus. 1. quod concupiſcentia neque reddat actum *ſimpliciter* involuntarium. 2. neque involuntarium *ſecundum quid*. 3. quod potius efficiat *magis* voluntarium: ſingularum ratio in promptu eſt. Quoad 1. nam ad actum ex tali concupiſcentia factum concurrit cognitio objecti ex parte intellectus, & inclinatio in objectum cognitum ex parte voluntatis; ergo nequit idem cenſeri involuntarius *ſimpliciter*. Sane, ſemel ac quis ſequitur motum concupiſcentiæ tendentis in aliquod objectum ſenſibile, vis concupiſcentiæ facit, ut intellectus conſideret id quod eſt delectabile in objecto, & ſub ratione boni delectabilis proponat voluntati; adeoque, ut voluntas etiam libenter appetat objectum illud.

 Quoad

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Quoad 2. cum concupiſcentia objectum ſuum ſenſibile perſequens nullo modo malum reſpiciat, ſed dumtaxat bonum delectabile, atque ſub ſola boni ratione hujuſmodi objectum ab intellectu voluntati repræſentetur; hinc patet concupiſcentiam non incitare voluntatem ad amplectendum aliquid ipſi repugnans: quare nec eſt, cur conſequens ſubinde voluntatis actio erga objectum illud ſenſibile dicatur involuntaria *ſecundum quid*. Igitur quod per concupiſcentiam agitur, nullo modo eſt involuntarium.

*230. Concupiſcentia antecedente potius augeri voluntarium, oſtenditur: unde a metu plurimum ea differt.*

230. Quoad 3. aſſertionis partem, impetus concupiſcentiæ ſive paſſionis effervescentis facit, ut intellectus vividius ac intenſius apprehendat, quod eſt delectabile in objecto ſenſibili, illudque ſub majoris boni ſpecie voluntati proponat: idcirco efficit quoque, ut voluntas ipſa lubentius ac ferventius amplectatur tale objectum: quod autem a voluntate magis lubenter fit, illud eſt magis voluntarium, ſiquidem in voluntario principaliter attenditur voluntatis inclinatio (*num.* 122.) Quare Angelicus prælaudatus: *Dicitur aliquid voluntarium ex eo, quod voluntas in id fertur: per concupiſcentiam autem voluntas inclinatur ad volendum id quod concupiſcit; & ideo concupiſcentia magis facit ad hoc, quod aliquid ſit voluntarium, quam quod ſit involuntarium*. Ex his merito infert, in præſenti negotio longe aliam eſſe rationem *metus & concupiſcentiæ*. Nam *in eo, qui per metum aliquid agit, manet repugnantia voluntatis ad id quod agitur, ſecundum quod in ſe conſideratur. Sed in eo, qui aliquid agit per concupiſcentiam, ſicut eſt incontinens, non manet prior voluntas, qua repudiabat illud quod concupiſcitur, ſed mutatur ad volendum id quod prius repudiabat*.

*231. Aſſignatur gemina exceptio ſuperioris doctrinæ communis & hic de prima, quæ proprie exceptio eſt.*

231. Quamvis hæc omnia *ordinarie* loquendo ſint veriſſima, poteſt tamen interdum evenire, ut ob concupiſcentiam minuatur voluntarium tum ex parte *propenſionis* voluntatis, tum ex parte *cognitionis* intellectus, ſicque actus ex ea producti dicantur involuntarii *ſecundum quid*. Primo quidem, quotieſcumque concupiſcentia certis in circumſtantiis ad aliquid exſtimulat, quod eſt maxime contrarium primariæ inclinationi, ſeu habituali diſpoſitioni agentis; ut eſt in ſene avaro viduitatem ægre ferente, qui juvenilibus voluptatibus ineptiiſque quaſi poſtliminio revocatis, pecunia abutitur, quoad uſque uxorem novam nanciſcatur; ea vero in domum deducta confeſtim inſudat reparandæ priſtinæ bonorum jacturæ ſeveriſſima parſimonia, qua domeſticos ſuos pene conficit. In hujuſmodi enim caſu, cum præſentium objectorum delectabilitas non videatur ſic mutare voluntatem agentis, ut non retineat propenſionem contrariam ad id quod agit, ſi ſecundum ſe & præciſis circumſtantiis ſpectetur; ſequitur, involuntarium eſſe *ſecundum quid*, quod ita fit ex concupiſcentia, ſicuti diximus eſſe involuntaria (*num.* 183.) quæ per metum aguntur.

*232. Altera, quæ nunc refertur exceptio, non tam limitat traditam de voluntario doctrinam, quam tradendam mox de libero confirmat.*

232. Altero item ex capite, ſcilicet reſpectu cognitionis intellectualis, concupiſcentia videtur minuere voluntarium. Cum enim voluntarium non objecti & finis dumtaxat, ſed etiam circumſtantiarum cognitionem complectatur (*nu.* 121.) aliunde vero impetus ebullientis paſſionis non ſinat intellectum rite examinare ſingulas circumſtantias ad actum pertinentes, puta ſcandalum, dedecus, damnum, & ſimilia pravum actum conſecutura, quia intellectum detinet in vivida apprehenſione objecti ut delectabilis tantummodo; palam eſt, aliquam voluntarii diminutionem contingere. Ceterum voluntarium, in hoc eminenti gradu ſpectatum, non eſt ſimplex illud voluntarium, quod reſpexit Angelicus (*n.* 230.) dicendo, *concupiſcentiam magis facere ad hoc, quod aliquid ſit voluntarium*. Eam quippe cognitionem exactam potius ad liberum refert, ut patet ex his, quæ ſubjungit: *Quandoque in his, quæ per concupiſcentiam aguntur, non totaliter tollitur cognitio; quia non tollitur poteſtas cognoſcendi, ſed ſolum conſideratio actualis in particulari agibili; ſed tamen hoc ipſum eſt voluntarium, ſecundum quod voluntarium dicitur, quod eſt in poteſtate voluntatis, ut non agere, & non velle, ſimiliter & non conſiderare*, ideſt, licet turbatio, quam intellectui ingerit concupiſcentia, impediat actualem diſcretionem circumſtantiarum recti, ſeu *æſtimationem prudentiæ*, ut ait Ariſtoteles (*lib.* 6. *Eth. c.* 5.) attamen ſemper verum eſt; per concupiſcentiam voluntarium, etiam ex parte cognitionis potius augeri, quam minui: quia ex dictis intellectus a concupiſcentia excitatus majori vi apprehendit, quod eſt delectabile in objecto, & aliunde in facultate hominis eſt conſiderare circumſtantias recti, quas tunc non attendit.

*233. Concupiſcentia antecedens liberum proprie acceptum minuit.*

233. *Secundo*, ſi *liberum* conſideretur, prout a voluntario diſtinguitur, utique diminuitur per *antecedentem* concupiſcentiam, ita Angelicus (1. 2. *q.* 77. *ar.* 6.) ſcribens: *Peccatum eſſentialiter conſiſtit in actu liberi arbitrii, quod eſt facultas voluntatis, & rationis: paſſio autem eſt motus appetitus ſenſitivi, qui poteſt ſe habere ad liberum arbitrium & antecedenter, & conſequenter . . . ſi paſſio præcedit actum peccati, tunc neceſſe eſt, quod diminuat peccatum: actus enim in tantum eſt peccatum; in quantum eſt voluntarium, & in nobis exiſtens: eſſe autem aliquid in nobis dicitur per rationem, & voluntatem: unde quando ratio & voluntas ex ſe aliquid agant, non ex impulſu paſſionis, magis eſt voluntarium, & in nobis exiſtens; & ſecundum hoc paſſio minuit peccatum, in quantum minuit voluntarium*: in qua quidem poſtrema voce S. Doctor ſumit *voluntarium* pro *libero*, ſive ſecundum quod voluntarium eſt etiam liberum, uti Sylvius, Medina, & alii ipſius interpretes obſervant; alias contradiceret doctrinæ prius conſignatæ (*ar.* 7. *q.* 6.) ubi *voluntarium* preſſe ſumptum dixit *augeri* per concupiſcentiam ſive paſſionem.



*ex parte tam intellectus, quam voluntatis.*

*234. Rationes premuntur, quibus palam fit, concupiſcentiam antecedentem intellectui perinde ac voluntati obeſſe, adeoque libertati.*

234. Nocumentum, quod ex impulſu paſſionis advenit rationi, & voluntati, facile perſpicitur. Etenim, ubi ſenſualis appetitus, ſeu concupiſcibilis ſeu iraſcibilis, rationem inclinat ad apprehendendum objectum juxta ſuam delectabilitatem, quæ juvat ad explendum ipſum appetitum, tunc impeditur neceſſaria illa ad voluntarium perfectum ſive liberum cognitio, qua percipi debet non ſolum ea res, quæ eſt finis, ſed etiam ratio finis, & proportio mediorum ad illum, adeoque pervideri debent, quæ poſſunt a malo avertere, & ad bonum ducere: veriſſime namque de carnali concupiſcentia ſcripſit Menander, *amor hominibus furor eſt, nullo conſilio movetur, tenebras offundit etiam illis, qui habent bonam rationem, & decenter affecti ſunt*; atque de ira Euripides, *nemo iratus quicquam recte deliberat*. Pariter motus ejuſdem appetitus illicio ſuo voluntatem ad agendum pertrahentis coarctant indifferentiam ipſius voluntatis, cum fortius in ſuas partes eam inclinent, quam flectatur in partem adverſam ex alio quovis motivo aut ſtimulo. Ex quibus omnibus neceſſe eſt libertatem diminui.

*235. Quoties rationis uſus in homine intercipitur ob vehementiam paſſionis, tunc locum non habet doctrina ſuperior, quia in iſto caſu liberum, & voluntarium, ſimul perimuntur.*

235. Præcedens aſſertio cum allatis rationibus eatenus ſubſiſtit, quatenus ſupponit rationis uſum in homine a concupiſcentia pulſato. Nam ſi concupiſcentia tam repentina ac vehemens foret, ut eum uſum penitus abſorberet, quemadmodum teſte Angelico (1. 2. *q.* 10. *ar.* 3.) *Contingit in his, qui propter vehementem iram, vel concupiſcentiam furioſi vel amentes fiunt, ſicut & propter aliquam aliam perturbationem corporalem*; tunc, *cum in his non ſit aliquis rationis motus, & per conſequens nec voluntatis, ſed ſola paſſio dominetur, ſicut in animalibus brutis, quæ ex neceſſitate ſequuntur impetum paſſionis*, talis paſſio & liberum, & voluntarium tollit ab actu ſequente, adeoque (*q.* 77. *ar.* 7.) *Totaliter a peccato excuſat*. Immo ſic ea *voluntarium tollit* (*q.* 6. *ar.* 7.) *ut proprie non ſit ibi involuntarium; quia in iis, quæ uſum rationis non habent, neque voluntarium eſt, neque involuntarium*; ſicut videre eſt in iiſdem brutis animalibus, in quibus ob defectum rationis fruſtra voluntarium, aut involuntarium perquireres.

*236. Quamvis paſſiones exprimant quandoque a voluntate actus reliquis, qui nec liberi nec voluntarii ſunt; non idcirco labefactatur liberum arbitrium.*

236. Cave tamen, ne ex prædicto effectu vehementiſſimæ paſſionis colligas, concupiſcentiam inferre poſſe voluntati *neceſſitatem*, proindeque corruere catholicum dogma de libertate *indifferentiæ*. Nam aliud eſt, hominem neceſſitati interdum a paſſione; aliud, voluntatem neceſſitari ad agendum: primum cum Angelico laudato faſſi ſumus tum de furioſis & amentibus, tum de reliquis perturbationem corporalem ſic patientibus, ut *uſum rationis non habeant*: ſecundum præfracte negamus cum eodem Angelico, qui articulum illum (*q.* 10.) *utrum voluntas moveatur de neceſſitate ab inferiori appetitu*, ſic reſolvit brevibus: *aut motus voluntatis non eſt in homine, ſed ſola paſſio dominatur; aut, ſi motus voluntatis ſit, non ex neceſſitate ſequitur paſſionem*. Ratio, cur hic *voluntatem* ab *homine* diſtinguamus, hæc eſt; quia dogma de libertate indifferentiæ, eo ipſo quod *liberum arbitrium*, ſeu *facultatem voluntatis & rationis* importat, reſpicit voluntatem, non quatenus *natura* eſt, ſed quatenus *rationalis natura* (*n.* 163.) porro voluntas, dum agit qua rationalis, adeoque uſum rationis ſupponit, nunquam a paſſione aliqua poteſt neceſſitari ad conſenſum vel ad actum, juxta illud (*Geneſ. c.* 4.) *ſub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius*. Ubi vero rationis uſus interceptus penitus eſt; & nihilominus aliquis actus a voluntate prodit, tunc ejuſmodi actus vel *hominis* potius quam voluntatis eſt, vel ſi *voluntatis* dicitur, a voluntate prodit præciſe ut *natura* eſt: ſub quo adſpectu nemo Theologorum aut Philoſophorum contendit voluntatem habere *libertatem indifferentiæ* ad agendum, vel non agendum. Sume exemplum ab homine dormiente, cujus voluntas non excidit libertate ſua, & tamen perſæpe in motus erumpit, qui ex Angelico (*q.* 28. *de Verit. art.* 3.) *motis ſequuntur phantaſiam; quam judicium completum rationis*: & ideo (2. 2. *q.* 154. *art.* 5.) *non imputatur ei ad culpam*.

*237. Hæc duo conciliantur.*

237. Quod invicem conferendo ambas aſſertiones de concupiſcentia ſuperius (*n.* 229.

*quod paſſio augeat voluntarium, & minuat liberum; quodque diminuat peccatum ob decrementum liberi, non obſtante augmento voluntarii.*

*n. 229. & 233.*) ſtatutas tecum ambigas; qui poſſit concupiſcentia *liberum* minuere, dum *voluntarium* auget: vel, ſi utrumque præſtat, eccur dicatur *minuere peccatum* ob diminutum liberum; minime vero *augere peccatum* ob voluntarium adauctum? æquum ſane erit ejuſmodi dubitationes ab animo tuo eximere. Animadverte primo, *liberum* non eſſe proprie dictam *voluntarii* ſpeciem, qua utique diminuta & ipſum genus neceſſario diminuitur: ſed eſſe quoddam veluti accidens (*num.* 147.) quod cum voluntario jungi, aut ab eo ſejungi poteſt: unde voluntarium diviſione illa, quæ a Dialecticis dicitur diviſio ſubjecti in ſua accidentia, diſpeſci ſolet in *neceſſarium*, & *liberum*. Si ita eſt, jam voluntarium & liberum quo pacto poſſunt aliquando non conjungi in eodem actu, poſſunt etiam, ubi conjunguntur, ſic ſe habere, ut alterum increſcat, alterum decreſcat; idque vi etiam unius duntaxat cauſſæ, quæ conditiones voluntarii firmat, & liberi conditiones quatit. Secundo obſerva, ubi diſcutitur imputabilitas actionum ad vituperium vel laudem, ad ſupplicium vel præmium, ea proxime ac principaliter (*num.* 148.) *ex libero* deſumitur, etſi *voluntarium* quoque ceu fundamentum præſupponat, *actus in tantum eſt peccatum in quantum eſt in nobis exiſtens*, ait Angelicus; (*num.* 235.) *eſſe autem in nobis dicitur per rationem, & voluntatem*, namque per liberum arbitrium, quod *eſt facultas voluntatis & rationis*: unde *paſſio minuit peccatum, in quantum minuit voluntarium*, hoc eſt liberi arbitrii uſum. Igitur, uti pergit S. Doctor; *etſi motus voluntatis ſit intenſior paſſione incitatus, non tamen ita eſt voluntatis proprius, ſicuti ſi ſola ratione moveretur ad peccandum*: adeoque nil mirum, quod minorem præſeferat peccati malitiam.

*238. Concupiſcentia alterius ſpeciei, quæ ſolet vocari conſequens, ex ſe auget & voluntarium, & liberum; proindeque majorem malitiam actuum, qui ex ea fiunt.*

238. Hucuſque de *antecedente* concupiſcentia, nunc de *conſequente* (*num* 226.) dicamus. Hæc, citra ullam diſtinctionem voluntarii ac liberi, utrumque auget, ſicque ipſum etiam peccatum; quemadmodum unanimiter tradunt Auctores quibus præivit Angelicus dicens (1. 2. *q.* 77. *ar.* 6.) *Paſſio conſequens non diminuit peccatum, ſed magis auget, vel potius eſt ſignum magnitudinis ejus; in quantum ſcilicet demonſtrat intenſionem voluntatis ad actum peccati; & ſic verum eſt, quod quanto aliquis majori libidine vel concupiſcentia peccat, tanto magis peccat*. Talis ex. ca. foret concupiſcentia illius ebrioſi, ac luxurioſi, qui ſalſamentis excitaret in ſeipſo ſitim ad immodice bibendum, atque potatione hujuſmodi provocaret ſenſum venereorum. Porro quamvis peccata, quæ fiunt ex paſſione, dici conſueverunt peccata *ex infirmitate*, quatenus juxta Angelicum (1. 2. *q.* 77. *ar.* 3.) *quando extra ordinem rationis vis concupiſcibilis, aut iraſcibilis aliqua paſſione afficitur, & per hoc impedimentum præſtatur debitæ actioni hominis, dicitur peccatum eſſe ex infirmitate*; attamen non iſta concupiſcentiæ ſeu paſſionis ſpecies poteſt in controverſiam venire, ubi Seraphicus (*in* 2. *ſent. diſt.* 22. *q. ult.*) aliique Doctores quærunt, num excuſanda magis ſint, quæ ex *ignorantia*, aut quæ ex *infirmitate* geruntur. Siquidem quæ perpetrantur ex concupiſcentia *conſequente* voluntatis motum, magis *ex induſtria* quam ex *infirmitate* evenire reputantur; quia ex S. Iſidoro (*l.* 1. *de Sum. Bon. c.* 27.) *induſtria peccat qui ſtudio & deliberatione mentis malum agit, infirmitate autem, qui caſu vel præcipitatione delinquit*.

*239. Antecedens concupiſcentia, & rationis uſum præ vehementia abſorbens, a peccato totaliter excuſat, ſolum quando ipſa nequit dici ullo modo voluntaria.*

239. Duo, quæ gravis ſunt momenti, remanent obſervanda circa geminas concupiſcentiæ ſpecies modo declaratas. In primis quod *antecedentem* ſpectat, eatenus verum eſt, illam *totaliter* a peccato excuſare, rationis uſu in homine penitus deficiente (*num.* 235.) quatenus tam exorbitantis concupiſcentiæ origo non eſt voluntaria nec *directe*, nec *indirecte*. Ceterum, ſi voluntaria alterutro modo foret, tunc voluntarii pariter reputari deberent quicumque actus per ipſam concupiſcentiam poſtea fierent, intercepto etiam rationis uſu; quia juxta Scholarum effatum: *quod eſt cauſa cauſſæ, eſt etiam cauſſa cauſſati*. Itaque plane Angelicus doctrinam illam abs ſe traditam oſtendit eſſe accipiendam, dum prolata duplici diviſione voluntarii *ſecundum ſe*, & *ſecundum ſuam cauſſam*, atque *directi*, & *indirecti*, hæc ſubjungit (1. 2. *q.* 77. *ar.* 7.) *Paſſio quandoque eſt tanta, quod totaliter aufert uſum rationis, ſicut patet in his, qui propter amorem vel iram inſaniunt: & tunc ſi talis paſſio a principio fuerit voluntaria, imputatur actus ad peccatum; quia eſt in cauſſa, ſicut de ebrietate dictum eſt. Si vero cauſſa non fuerit voluntaria, ſeu naturalis, puta cum aliquis ex ægritudine, vel alia hujuſmodi cauſſa incidit in talem paſſionem, quæ totaliter aufert uſum rationis, actus omnino redditur involuntarius, & per conſequens totaliter a peccato excuſatur*.

*240. Ex conſequente concupiſcentia conſentius fieri, quæcumque*

240. Secundo nomine *conſequentis* concupiſcentiæ *peccatum augentis* non ea duntaxat intelligitur quæ hic & nunc motum ſeu imperium voluntatis ſequitur, ut dum quis iram in ſe excitat, ut poſſit de inimico ultionem ſumere; ſed illa



illa etiam, quæ ex *habitibus* gignitur permanenter reſidentibus in ipſa voluntate, aut in aliis potentiis voluntati ſubjectis; quotieſcumque habitus hujuſmodi *voluntarie* inducantur, vel jam acquiſiti foveantur. Nam cum habitus addant potentiis, quibus inſunt, facilitatem operandi, neceſſario fit, ut voluntas ob tales habitus majore propenſione, & conatu intenſiore agat: hoc autem poſito, habitus ipſi, ſin minus per ſeſe, ſaltem quatenus ſunt voluntarie comparati, ac retenti, voluntarium adaugent relate ad operationes ſibi conformes, ad quas producendas voluntatem, ſeu alias potentias inclinant. Quocirca Angelicus (1. 2. *q.* 78. *ar.* 2.) theſim hanc inſtar canonis ſtatuit: *manifeſtum eſt, quod qui peccat ex habitu, peccat ex certa malitia*. Ex quo intelligimus, habitum vitioſum a voluntate inductum, & ſervatum æquipollere actuali voluntatis imperio, quantum ad provocandum concupiſcentiam, & augendum reatum eorum, quæ per ipſum habitum committuntur; quæ enim ex *conſequente* ſeu provocata concupiſcentia fiunt, præſumuntur eſſe in ſcalu eorum, quæ fiunt ex *induſtria* (*n.* 238.) ſive ex malitia. Quæ cum ita ſint, merito ab Innocentio Papa XI. confixa illa propoſitio (*ord.* 58.) *Non tenemur Confeſſario interroganti fateri peccati alicujus conſuetudinem*.

*ſunt ex habitu voluntarie retento, adeoque magis culpanda, quam excuſanda illa ſunt.*

*241. Ponuntur duæ objectiones adverſus traditam ex Angelico doctrinam de malitia actionum quæ fiunt ex habitu non retractato; & una earum mox diluitur.*

241. Nec præſens de habitibus doctrina convelli poteſt difficultatibus iſtis: videlicet 1. quod ſignum peccati ex malitia ſeu induſtria patrati ſit ſubſequens gaudium in peccatore, juxta illud (*Prov. cap.* 2.) *lætantur cum male fecerint*; quod videtur abeſſe a multis ex habitu peccantibus, qui hanc ipſam ob rem potius anguntur & triſtantur. 2. quod habitus, dum natura ſua potentiam inclinant ad actus ſibi conformes, faciant voluntatem propendere magis in unam, quam in alteram partem, & ſic indifferentiam ejus coarctando videantur, ſin minus voluntarium, ſaltem *liberum* diminuere; nihil, inquam, horum obeſt. Nam, ut poſteriorem difficultatem ſtatim aggrediamur, ea propenſio voluntatis magis ad unam quam ad aliam oppoſitorum partem, nullatenus extenuat *liberum*; quia provenit a principio prorſus voluntario, nempe ab habitibus ſponte ac libere introductis, aut retentis. Quemadmodum enim ipſa concupiſcentia *conſequens*, quoniam a voluntate ſupponitur excitata, licet voluntatem inflectat ad unam partem, non idcirco *liberum* diminuit, ſed potius auget, vel ſignum eſt magnitudinis illius libidinis, cum qua peccatur, ſicut *bona paſſio ſequens voluntatis motum ſignum eſt perfectionis motus voluntatis, & ex conſequenti ſignum eſt magnitudinis meriti*, ex Ricardo de Mediavilla (*in* 2. *ſent. diſt.* 22. *q. ult.*) haud abſimili modo de habitibus philoſophandum eſt.

*242. Prior etiam objectio propoſita diſſolvitur facili negotio.*

242. Priori vero difficultati ita occurrit Angelicus (1. 2. *q.* 78. *ar.* 2.) *Ille qui peccat ex habitu, ſemper gaudet de hoc, quod ex habitu operatur, quamdiu habitu utitur; ſed quia poteſt habitu non uti, ſed per rationem, quæ non eſt totaliter corrupta, aliquid aliud meditari, poteſt contingere, quod non utens habitu doleat de hoc, quod per habitum commiſit: plerumque tamen tales pœnitent de peccato, non quia eis peccatum ſecundum ſe diſpliceat, ſed propter aliquod incommodum, quod ex peccato incurrunt*, ex. ca. infirmitatem, egeſtatem, infamiam, objurgationes, moleſtias, & ſimilia, quæ inveteratum habitum ſeſe inebriandi, blaſphemandi, adulterandi, furandi, conſequuntur jure veluti hereditario. Atque hæc quidem Angelici animadverſio communi experientiæ maxime conſona, debet valde cautos attentoſque reddere Sacros Pœnitentiæ Adminiſtros, ne facile credant pœnitentibus longa peccandi conſuetudine implicatis, dum Paſchali præſertim tempore ſe ſiſtunt prægrandem ſarcinam flagitiorum exoneraturi, forſitan metu magis Eccleſiaſticæ Poteſtatis, quam ſinceræ converſionis deſiderio. Etenim ex D. Greg. M. (*hom.* 26. *in Evang.*) *Cauſſæ penſandæ ſunt, & tunc ligandi atque ſolvendi poteſtas exercenda: videndum, quæ culpa præceſſerit, aut quæ ſit pœnitentia ſecuta poſt culpam; ut, quos Omnipotens Deus per compunctionis gratiam viſitat, illos Paſtoralis ſententia abſolvat*. Deus autem gratia ſua *viſitat*, & in miſericordia coronat, non fundentem ludicras crocodili lacrymas, ſed rugientem a gemitu cordis ſui.

*243. Etſi qui ſovent vitioſos habitus juxta eoſdem frequenter operentur, & ideo ex malitia peccare cenſeantur, nulla tamen abſoluta neceſſitate ſe operandi conſtringuntur.*

243. Porro ſic propugnanda ſuperior doctrina de vi habituum malorum ad extorquendas a voluntate actiones ſibi conformes, ac de malitia peccantium ex habitu, ut duo ſcopuli caute declinentur; videlicet tum proſcripta ab Apoſtolica Sede Michaelis Baji hæreſis, qui docuit: *omne, quod agit peccator vel ſervus peccati, peccatum eſt* (*Ord.* 35.) *in omnibus ſuis actionibus peccator ſervit dominanti cupiditati* (*Ord.* 40.) tum falſa aliorum quorumcumque perſuaſio, quibus videntur ex neceſſitate provenire peccata, quæ patrantur ab hominibus perditis, ac venumdatis ad faciendum malum; quia nempe apud D. Auguſtinum (*lib.* 8. *Confeſſ.*) legitur, *dum conſuetudini non reſiſtitur, ſit neceſſitas*; & apud Doctores illud invaluit

effa-

effatum, *conſuetudo & habitus vertitur in naturam*. Ejuſmodi namque opinamenta ſcimus eſſe prorſus aliena ab avita Eccleſiæ doctrina, communique Fidelium ſenſu, ut propterea non indigeant longa refutatione. Satis ſit audire citatum Angelicum ſic appoſite ſcribentem. *Usi habitu non eſt neceſſarium, ſed ſubjacet voluntati habentis, unde & habitus definitur eſſe, quo quis utitur cum voluerit; & ideo ſicut poteſt contingere, quod aliquis habens habitum vitioſum prorumpat in actum virtutis, eo quod ratio totaliter non corrumpitur per malum habitum, ſed aliquid ejus integrum manet, ex quo provenit, quod peccator aliqua operatur de genere bonorum: ita etiam poteſt contingere, quod aliquis habens habitum vitioſum non ex habitu operetur, ſed ex paſſione inſurgente, vel etiam ex ignorantia.*

*244. Memorata duo effata Eccleſiaſticis Scriptoribus familiaria non deſignant, vitioſos homines ſemper ac neceſſario malum agere.*

244. Neque ex D. Auguſtino, aut aliis Eccleſiaſticis Doctoribus contrarium eruitur. Nam quonam ſenſu accipi poſſit ſecundum axioma, indicat idem Angelicus verbis immediate ſequentibus. *Sed quandocumque utitur habitu vitioſo, qui ſcilicet eum habet, neceſſe eſt, quod ex certa malitia peccet: quia unicuique habenti habitum eſt per ſe diligibile id, quod eſt ei conveniens ſecundum proprium habitum; quia fit ei quodammodo connaturale, ſecundum quod conſuetudo, & habitus vertitur in naturam*. Primum vero ſic explicat (*QQ. diſp. q. 6. de Elect. Hum. in fine*) *dicendum, quod conſuetudo facit neceſſitatem non ſimpliciter, ſed in repentinis præcipue: nam ex deliberatione quantumcumque conſuetus poteſt contra conſuetudinem agere*: quod denuo confirmat (1. 2. q. 109. ar. 8.) ſcribens: *in repentinis homo operatur ſecundum finem præconceptum, & habitum præexiſtentem, ut Philoſophus dicit* (3. *Eth.* 8.) *quamvis ex præmeditatione rationis poſſit homo aliquid agere præter ordinem finis præconcepti, & præter inclinationem habitus. Sed quia homo non poteſt ſemper eſſe in tali præmeditatione, non poteſt contingere, ut diu permaneat, quin operetur ſecundum conſequentiam voluntatis deordinatæ a Deo, niſi cito per gratiam ad debitum ordinem reparetur*. Datas autem ab Angelico Magiſtro interpretationes conſonare menti S. Auguſtini, ex ipſomet colligimus Auguſtino: qui (*l. 1. de Serm. Dom. in mont. cap. 23.*) ubi varias diſtinxit delectationes illicitas, quæ ſolent occurrere in conſummando aliquo flagitio, monet eas cunctas eſſe minores *illa, quæ aſſiduis factis in conſuetudinem vertitur; hanc enim vincere difficillimum eſt*, tum ſubdit: *& tamen etiam ipſam conſuetudinem, ſi ſe quiſque non deſerat, & Chriſtianam militiam non reformidet, Deo duce atque adjutore ſuperabit*.

*245. Ubi peccator jam aggreſſus eſt retractare malos habitus, vitamque emendare, tunc quidquid perficit juxta illorum inclinationem inadvertenter agit, ceſſat habere rationem culpæ.*

245. Profecto tantum abeſt, quod habitus vitioſi proprie dictam imponant agendi neceſſitatem; quin immo (hocque ſumatur velut appendix ſuperioris theſis *n.* 240.) gravium Theologorum valde concors & rationabilis ſententia fert, ea quæ a peccatoribus *indeliberate* fiunt vi habituum pravorum ipſis inhærentium, non amplius reputari fœtum *conſequentis* voluntatis, nec culpæ attribui; quotieſcumque priſtini habitus jam cœperint diſplicere voluntati, & idcirco voluntas eos opportunis mediis deſtruere atque exſcindere pro viribus adlaboret. Tali ſiquidem voluntatis retractatione ſeria, ac diligenti jam cenſetur amotum proximum illud peccandi periculum præſertim in repentinis caſibus, quod prius inerat, dum perverſi habitus tamquam ſerpentes in ſinu fovebantur: jam cauſſa malorum actuum exinde conſequentium cenſetur morali judicio ſublata. Ex quo fit, quod hujuſmodi actus, quantumvis ex mala radice adhuc ſuperſtite prodeuntes, non ſint *formalia* peccata, quoties ſine *actuali* deliberatione & aſſenſu eveniunt, quia nimirum nec ſunt voluntarii *ſecundum ſe*, ut hic ſupponimus, nec *ſecundum ſuam cauſſam* utpote jam viriliter retractatam.

*246. Afferuntur duo exempla ad declarandum ſuperiorem doctrinam.*

246. Hujus rei exempla peti poſſunt ex quibuſque vitiis, quæ ex diuturna peccandi conſuetudine coaleſcunt, & in affectum cordis tranſeunt; ſed obvia & aperta maxime ſunt illa, quæ iracundia & laſcivia nobis ſuppeditant. Sit vir, ut ait Græcus Comicus, *ingenii irritabilis & amarulenti, in quo affectus iræ non curatus & caſtigatus in naturalem morbum abierit*, qui propterea in domo ſua uxorem & filios jugiter allatrat, ac ſubjectos ſibi famulos contumeliis, conviciis, maledictionibus proſcindit. Sit item adoleſcens, qui inter ipſa crepundia mollitiem edoctus, atque creſcente ætate eidem cœno magis amicus factus in alias etiam fœdas cupiditates exarſerit, quæ mentem e pectore tenero ſuſſuratæ miſeros juvenes in amore jacere cogunt quaſi exanimes. Jam finge, ambos poſtmodum ad bonam frugem converſos neceſſitatem mali ſeu malam agendi conſuetudinem vertiſſe in voluntatem boni, Dei primum miſerantis validiſſimo auxilio, ſimulque ſtrenua opera alicujus Confeſſarii, qui ut Gregorius, & Bernardus loquuntur apud Seraphicum (*Pharet. l. 2. c. 17.*) *frumenta non abſcondit in populo*, hoc eſt, *morientibus animabus vitæ remedia*



*media non ſubtrahit, nec verbum bonum, quod poteſt prodeſſe, damnabili ligat ſilentio*. Nihilo tamen minus cum ea vitia valde velocem habeant acceſſum, & tardum diſceſſum, facile deprehendes non ita iiſdem frænum injectum, quin interdum rationi præcurrentia ambos pelliciant ad aliquem reprobatæ vetuſtatis actum. Porro autem quid contendimus hoc eſt, quicquid vitioſi in tali caſu Uterque vel facit vel patitur, non poſſe amplius in culpam vocari *prætextu* inveteratæ conſuetudinis, malorumque habituum nondum exciſorum, ſed tantum poſſe cenſeri culpabile, ſi contingat Utroque *actu* advertente, & conſentiente, quomodo judicari ſolet de aliis hominibus non peccantibus ex abitu.

*247. Quæ ſunt formaliter mala & culpabilia, poſſunt mutatis circumſtantiis evadere materialiter mala, & innoxia.*

247. Quod ſi exemplum itidem expoſtules dilucidans; quomodo una eademque res juxta varietatem temporis & circumſtantiarum, nunc *formaliter* mala, nunc *materialiter* dumtaxat mala exiſtere poſſit, illud exhibebit Angelicus, qui de uſura diſſerens (2. 2. *q.* 78. *ar.* 4.) ita ſcribit: *nullo modo licet inducere aliquem ad mutuandum ſub uſuris: licet tamen ab eo, qui hoc paratus eſt facere, & uſuras exercet, mutuum accipere ſub uſuris propter aliquod bonum, quod ſit ſubventio ſuæ neceſſitatis ſeu alterius*. Sicut ergo, mutuando auxilia ab avaro fœneratore, proxime ac *formaliter* ego cooperor peccaminoſæ actioni, qua is pecuniam ſub uſuris mihi accommodat, quotieſcumque nullam habeam gravem legitimamque cauſſam id faciendi; hac vero inſtante, non niſi remote & *materialiter* eidem cooperor & idcirco culpæ expers evado: ita nihil mirum, quod ea quæ fiunt ex malo habitu voluntarie inducto ac retento, cenſeantur evenire *tamquam ex certa malitia*, ut ait idem Angelicus (*n.* 240.) contra vero reputentur innoxia in ſenſu jam explicato, poſtquam homo ejuſmodi habitum averſari, ac pro viribus exterminare aggreſſus eſt. Doctrina nunc ultimo propoſita recreare poterit peccatores ſerio reſipiſcentes, ſimulque cautos reddere Confeſſarios, ne forte ab iis exigant plus quam oportet.

## ARTICULUS QUINTUS.

### *De Moralitate actionum.*

*248. Actus humani dicuntur habere duplex eſſe, unum naturæ alterum moris: hic jam incipimus ſecundum conſiderare in omnem faciem.*

248. OBſervant Doctores cum Angelico bifariam ſpectari poſſe actum humanum; in genere *naturæ*, & in genere *moris*. Primum *eſſe naturæ* denotat phyſicam entitatem ſeu naturalem conſtitutionem actus: alterum *eſſe moris* ſignat habitudinem ſeu relationem ipſius actus ad regulas operandi, quæ ſecum fert imputabilitatem actus ad laudem vel vituperium, pœnam vel præmium, atque *moralitas* dici conſuevit. Utrumque iſtud *eſſe* deprehendi poteſt in actibus tum internis ſolius voluntatis, tum externis aliarum potentiarum. Nam ex. ca. amor, deſiderium, timor, quamdiu rationem præveniunt omnimode, in ſolo hærent naturæ genere: dum deliberate continuantur, pertinent etiam ad genus moris. Similiter actio exterior eundi ad Eccleſiam in genere naturæ eſt ejuſdem ſpeciei ſeu in pœnitente, ſeu in fure; in genere autem moris ſpeciem ſortitur diverſam, cum ille pergat animo ſe Deo reconciliandi, iſte intentione furandi, adeoque in priore actio ejuſmodi cenſeatur moraliter bona, in poſteriore mala.

*249. Referuntur ſeptem ſuprema capita, quibus complectemur quidquid de moralitate actuum deinceps dicetur in memoratis ipſo Articulo.*

249. Quoniam in prioribus tribus Articulis ſatis ac ſuper perſcrutati ſumus naturalem conſtitutionem, perfectionemque omnem humanorum actuum, inſtituti noſtri ratio poſtulat, ut eorumdem etiam moralitatem quam accurate expendamus. Cum vero hujuſce argumenti amplitudo longiorem exigat ſermonem, idcirco ne rerum diſcendarum varietas obſcuritatem aut confuſionem pariat, præſtat illas ad generalia ſeptem capita revocare, quibus quantum mihi videtur, cuncta feliciter exhauriri poſſunt, quæ ſunt ſcitu digna circa præſentem hujuſmodi materiam, ſive ad theoriam, ſive ad praxim referatur. Hæc igitur eo ipſo, quo nunc indicantur ordine, ſeorſim inveſtigabimus. 1. quæ ſit eſſentia moralitatis. 2. quænam ſupremæ ſpecies moralitatis. 3. quiſnam determinatus illarum numerus. 4. unde repetenda moralitas. 5. quibuſnam actibus ea proprie conveniat, quove modo. 6. quinam effectus ſeu actiones moralitatis. 7. quænam conditiones neceſſariæ ad opus morale meritorium vitæ æternæ.

effatum, *conſuetudo & habitus vertitur in naturam*. Ejuſmodi namque opinamenta ſcimus eſſe prorſus aliena ab avita Eccleſiæ doctrina, communique Fidelium ſenſu, ut propterea non indigeant longa refutatione. Satis ſit audire citatum Angelicum ſic apposite ſcribentem. *Usi habitu non eſt neceſſarium, ſed ſubjacet voluntati habentis, unde & habitus definitur eſſe, quo quis utitur cum voluerit; & ideo ſicut poteſt contingere, quod aliquis habens habitum vitioſum prorumpat in actum virtutis, eo quod ratio totaliter non corrumpitur per malum habitum, ſed aliquid ejus integrum manet, ex quo provenit, quod peccator aliqua operatur de genere bonorum: ita etiam poteſt contingere, quod aliquis habens habitum vitioſum non ex habitu operetur, ſed ex paſſione inſurgente, vel etiam ex ignorantia.*

*244. Memorata duo effata Eccleſiaſticis Scriptoribus familiaria non deſignant, vitioſos homines ſemper ac neceſſario malum agere.*

244. Neque ex D. Auguſtino, aut aliis Eccleſiaſticis Doctoribus contrarium eruitur. Nam quonam ſenſu accipi poſſit ſecundum axioma, indicat idem Angelicus verbis immediate ſequentibus. *Sed quandocumque utitur habitu vitioſo, qui ſcilicet eum habet, neceſſe eſt, quod ex certa malitia peccet: quia unicuique habenti habitum eſt per ſe diligibile id, quod eſt ei conveniens ſecundum proprium habitum; quia ſit ei quodammodo connaturale, ſecundum quod conſuetudo, & habitus vertitur in naturam*. Primum vero ſic explicat (*QQ. diſp. q. 6. de Elect. Hum. in fine*) *dicendum, quod conſuetudo facit neceſſitatem non ſimpliciter, ſed in repentinis præcipue: nam ex deliberatione quantumcumque conſuetus poteſt contra conſuetudinem agere*: quod denuo confirmat (1. 2. q. 109. *ar.* 8.) ſcribens: *in repentinis homo operatur ſecundum finem præconceptum, & habitum præexiſtentem, ut Philoſophus dicit* (3. *Eth.* 8) *quamvis ex præmeditatione rationis poſſit homo aliquid agere præter ordinem finis præconcepti, & præter inclinationem habitus. Sed quia homo non poteſt ſemper eſſe in tali præmeditatione, non poteſt contingere, ut diu permaneat, quin operetur ſecundum conſequentiam voluntatis deordinatæ a Deo, niſi cito per gratiam ad debitum ordinem reparetur*. Datas autem ab Angelico Magiſtro interpretationes conſonare menti S. Auguſtini, ex ipſomet colligimus Auguſtino: qui (*l.* 1. *de Serm. Dom. in mont. cap.* 23.) ubi varias diſtinxit delectationes illicitas, quæ ſolent occurrere in conſummando aliquo flagitio, monet eas cunctas eſſe minores *illa, quæ aſſiduis factis in conſuetudinem vertitur; hanc enim vincere difficillimum eſt*, tum ſubdit: *& tamen etiam ipſam conſuetudinem, ſi ſe quiſque non deſerat, & Chriſtianam militiam non reformidet, Deo duce atque adjutore ſuperabit*.

*245. Ubi peccator jam aggreſſus eſt retractare malos habitus, vitamque emendare, tunc quidquid perficit juxta illorum inclinationem inadvertenter agit, ceſſat habere rationem culpæ.*

245. Profecto tantum abeſt, quod habitus vitioſi proprie dictam imponant agendi neceſſitatem; quin immo (hocque ſumatur velut appendix ſuperioris theſis *n.* 240.) gravium Theologorum valde concors & rationabilis ſententia fert, ea quæ a peccatoribus *indeliberate* fiunt vi habituum pravorum ipſis inhærentium, non amplius reputari fœtum *conſequentis* voluntatis, nec culpæ attribui; quotieſcumque priſtini habitus jam cœperint diſplicere voluntati, & idcirco voluntas eos opportunis mediis deſtruere atque exſcindere pro viribus adlaboret. Tali ſiquidem voluntatis retractatione ſeria, ac diligenti jam cenſetur amotum proximum illud peccandi periculum præſertim in repentinis caſibus, quod prius inerat, dum perverſi habitus tamquam ſerpentes in ſinu fovebantur: jam cauſſa malorum actuum exinde conſequentium cenſetur morali judicio ſublata. Ex quo fit, quod hujuſmodi actus, quantumvis ex mala radice adhuc ſuperſtite prodeuntes, non ſint *formalia* peccata, quoties ſine *actuali* deliberatione & aſſenſu eveniunt, quia nimirum nec ſunt voluntarii *ſecundum ſe*, ut hic ſupponimus, nec *ſecundum ſuam cauſſam* utpote jam viriliter retractatam.

*246. Afferuntur duo exempla ad declarandum ſuperiorem doctrinam.*

246. Hujus rei exempla peti poſſunt ex quibuſque vitiis, quæ ex diuturna peccandi conſuetudine coaleſcunt, & in affectum cordis tranſeunt; ſed obvia & aperta maxime ſunt illa, quæ iracundia & laſcivia nobis ſuppeditant. Sit vir, ut ait Græcus Comicus, *ingenii irritabilis & amarulenti, in quo affectus iræ non curatus & caſtigatus in naturalem morbum abierit*, qui propterea in domo ſua uxorem & filios jugiter allatrat, ac ſubjectos ſibi famulos contumeliis, conviciis, maledictionibus proſcindit. Sit item adoleſcens, qui inter ipſa crepundia mollitiem edoctus, atque creſcente ætate eidem cœno magis amicus factus in alias etiam fœdas cupiditates exarſerit, quæ mentem e pectore tenero ſuffuratæ miſeros juvenes in amore jacere cogunt quaſi exanimes. Jam finge, ambos poſtmodum ad bonam frugem converſos neceſſitatem mali ſeu malam agendi conſuetudinem vertiſſe in voluntatem boni, Dei primum miſerantis validiſſimo auxilio, ſimulque ſtrenua opera alicujus Confeſſarii, qui ut Gregorius, & Bernardus loquuntur apud Seraphicum (*Pharet. l.* 2. *c.* 37.) *frumenta non abſcondit in populo*, hoc eſt, *morientibus animabus vitæ remedia*





*media non ſubtrahit, nec verbum bonum, quod poteſt prodeſſe, damnabili ligat ſilentio*. Nihilo tamen minus cum ea vitia valde velocem habeant acceſſum, & tardum diſceſſum, facile deprehendes non ita iiſdem frænum injectum, quin interdum rationi præcurrentia ambos pelliciant ad aliquem reprobatæ vetuſtatis actum. Porro autem quid contendimus hoc eſt, quicquid vitioſi in tali caſu Uterque vel facit vel patitur, non poſſe amplius in culpam vocari *prætextu* inveteratæ conſuetudinis, malorumque habituum nondum exciſorum, ſed tantum poſſe cenſeri culpabile, ſi contingat Utroque *actu* advertente, & conſentiente, quomodo judicari ſolet de aliis hominibus non peccantibus ex abitu.

*247. Quæ ſunt formaliter mala & culpabilia, poſſunt mutatis circumſtantiis evadere materialiter mala, & innoxia.*

247. Quod ſi exemplum itidem expoſtules dilucidans; quomodo una eademque res juxta varietatem temporis & circumſtantiarum, nunc *formaliter* mala, nunc *materialiter* dumtaxat mala exiſtere poſſit, illud exhibebit Angelicus, qui de uſura differens (2. 2. *q.* 78. *ar.* 4.) ita ſcribit: *nullo modo licet inducere aliquem ad mutuandum ſub uſuris: licet tamen ab eo, qui hoc paratus eſt facere, & uſuras exercet, mutuum accipere ſub uſuris propter aliquod bonum, quod ſit ſubventio ſuæ neceſſitatis ſeu alterius*. Sicut ergo, mutuando auxilia ab avaro fœneratore, proxime ac *formaliter* ego cooperor peccaminoſæ actioni, qua is pecuniam ſub uſuris mihi accommodat, quotieſcumque nullam habeam gravem legitimamque cauſſam id faciendi; hac vero inſtante, non niſi remote & *materialiter* eidem cooperor & idcirco culpæ expers evado: ita nihil mirum, quod ea quæ fiunt ex male habitu voluntarie inducto ac retento, cenſeantur evenire *tamquam ex certa malitia*, ut ait idem Angelicus (*n.* 240.) contra vero reputentur innoxia in ſenſu jam explicato, poſtquam homo ejuſmodi habitum averſari, ac pro viribus exterminare aggreſſus eſt. Doctrina nunc ultimo propoſita recreare poterit peccatores ſerio reſipiſcentes, ſimulque cautos reddere Confeſſarios, ne forte ab iis exigant plus quam oportet.

## ARTICULUS QUINTUS.

### *De Moralitate actionum.*

*248. Actus humani dicuntur habere duplex eſſe, unum naturæ alterum moris: hic jam incipimus ſecundum conſiderare in omnem faciem.*

248. OBſervant Doctores cum Angelico bifariam ſpectari poſſe actum humanum; in genere *naturæ*, & in genere *moris*. Primum *eſſe naturæ* denotat phyſicam entitatem ſeu naturalem conſtitutionem actus: alterum *eſſe moris* ſignat habitudinem ſeu relationem ipſius actus ad regulas operandi, quæ ſecum fert imputabilitatem actus ad laudem vel vituperium, pœnam vel præmium, atque *moralitas* dici conſuevit. Utrumque iſtud *eſſe* deprehendi poteſt in actibus tum internis ſolius voluntatis, tum externis aliarum potentiarum. Nam ex. ca. amor, deſiderium, timor, quamdiu rationem præveniunt omnimode, in ſolo hærent naturæ genere: dum deliberate continuantur, pertinent etiam ad genus moris. Similiter actio exterior eundi ad Eccleſiam in genere naturæ eſt ejuſdem ſpeciei ſeu in pœnitente, ſeu in fure; in genere autem moris ſpeciem ſortitur diverſam, cum ille pergat animo ſe Deo reconciliandi, iſte intentione furandi, adeoque in priore actio ejuſmodi cenſeatur moraliter bona, in poſteriore mala.

*249. Referuntur ſeptem ſuprema capita, quibus complectemur quidquid de moralitate actuum deinceps dicetur in memoratis iſtis Articulo.*

249. Quoniam in prioribus tribus Articulis ſatis ac ſuper perſcrutati ſumus naturalem conſtitutionem, perfectionemque omnium humanorum actuum, inſtituti noſtri ratio poſtulat, ut eorumdem etiam moralitatem quam accurate expendamus. Cum vero hujuſce argumenti amplitudo longiorem exigat ſermonem, idcirco ne rerum diſcendarum varietas obſcuritatem aut confuſionem pariat, præſtat illas ad generalia ſeptem capita revocare, quibus quantum mihi videtur, cuncta feliciter exhauriri poſſunt, quæ ſunt ſcitu digna circa præſentem hujuſmodi materiam, ſive ad theoriam, ſive ad praxim referatur. Hæc igitur eo ipſo, quo nunc indicantur ordine, ſeorſim inveſtigabimus. 1. quæ ſit eſſentia moralitatis. 2. quænam ſupremæ ſpecies moralitatis. 3. quiſnam determinatus illarum numerus. 4. unde repetenda moralitas. 5. quibuſnam actibus ea proprie conveniat, quove modo. 6. quinam effectus ſeu actiones moralitatis. 7. quænam conditiones neceſſariæ ad opus morale meritorium vitæ æternæ.

## SECTIO I.

### *De eſſentia Moralitatis.*

*250. In hac prima ſectione agitur de eſſentia moralitatis. Expenditur ſtatim una opinio, quæ circa eamdem in Scholis circumfertur.*

250. INter multiplicia attributa actionum ab homine prodeuntium alia ſunt eſſentialia, alia accidentalia: quod actio aliqua ſit & dicatur *moralis*, habetur loco meri accidentis (*nu.* 147.) Quidnam porro formali ſuo conceptu præſeferat moralitas iſta præciſe ſpectata, a Scholaſticis Theologis diſceptatur. Plures non minoris ſubſellii contendunt, eam conſiſtere in actionum *libertate*, quæ ſit utroque gradu (*nu.* 157.) completa, prout ſcilicet & voluntarium, & liberum in ſe concludit, quæque præterea non phyſica tantummodo libertas eſt, ſed *moralis*, id eſt, quatenus in agente ſupponit cognitionem boni, & mali, ordinatam non ad ſolam naturalem delectationem, aut commodum, ſed ad moralem honeſtatem, aut turpitudinem: unde ſevero loquendi genere, ajunt, non eumdem prorſus eſſe actum *humanum*, & *moralem*; quippe ad illum phyſica ſufficit libertas, ad iſtum moralis libertas requiritur; hincque deducunt, humanas tantum eſſe actiones puerorum, & quorumdam amentium; eſſe vero etiam morales actiones adultorum rationis uſu pollentium.

*251. Relicta opinione eorum, qui eſſentiam moralitatis ponunt in libertate morali agentis, adſtruitur alia opinio reponens moralitatem in habitudine actus cum regula agendi.*

251. Aſt ſi libertas moralitatem non conſtituit, niſi quatenus moralis eſt, & moralem quemdam reſpectum importat; haud ſatis capio, qui poſſit eſſe eſſentialis forma moralitatis abſolute conſideratæ, cum abſonum mihi videatur, quod eſſentia rei quipiam poſſit aut debeat præſupponere ejus rei, cujus eſſentia eſt. Hac igitur dimiſſa ſententia, quam forte ingenia feliciora poterunt aſſequi, alteri communiori lubenter ſubſcribo, quæ fert completam agentis libertatem eſſe quidem neceſſariam conditionem ac ſimul indicium evidens moralitatis actuum; ipſam tamen moralitatem proprie ſitam eſſe in habitudine actuum cum recta ratione tamquam normam agendi. Etenim ab hac unica commenſuratione univerſi actus primo nanciſcuntur honeſtatem, aut turpitudinem moralem, atque ad eamdem ultimo refertur totum id quod in actibus morale eſt, aut dicitur. Id omnino ſenſiſſe videtur Scotus, quamvis in oppoſitam diſtrahi ſoleat ſententiam, dum ſcripſit (*quodl. q.* 18. *lit. O.*) *Patet, quod non ab eodem formaliter eſt actus bonus bonitate morali, & imputabilis ad laudem vel præmium: ſed primum habet ex convenientia ad regulam juxta quam debet elici; ſecundum ex eo, quod eſt in libera poteſtate agentis*. Nec aliter Richardus de Mediavilla (*in 2. Sent. diſt.* 40. *ar.* 2. *q.* 2.) *actio exterior bona eſt moraliter, in quantum eſt a voluntate deliberativa ſecundum regulam rectæ rationis; & mala, in quantum eſt contra*.

*252. Firmata ea ſecunda opinione, corruit diſcrimen in priore illa ſtatutum inter actionem moralem, & humanam, ac inter actiones puerorum & adultorum.*

252. Eapropter, cum homini ratione libera prædito ſit maxime proprium præſtitutam ſibi a ſapientiſſimo naturæ Auctore regulam agendi attendere, eique cunctas actiones ſuas conformare, quo ſic beatitudinis particeps evadere queat; jam conſectarium eſſe intelligitur, neutiquam inter ſe diſcerni actionem vere *humanam*, & actionem *moralem*: quod quidem exerte docuit Angelicus (1. 2. *q.* 2. *art.* 3.) *idem ſunt actus morales, & humani*: Sed quamquam omnis actio, quæ humana eſt, nobis ſit etiam moralis quoad appellationem, fatemur tamen diverſam eſſe rationem attribuendi uni eidemque actioni utrumque vocabulum. Nam actio vocatur *humana*, quatenus a libera hominis voluntate procedit; & *moralis*, quatenus eo ipſo eſt vel conſentanea rectæ rationi, vel ab eadem diſſentanea. Rebus ſic conſtitutis, cogimur aliter diſtinguere actiones puerorum, & adultorum ratione utentium; dicendo nimirum humanas ſimul ac morales eſſe poſſe in utriſque, diſpari tamen gradu, quia *plene* in adultis, *ſemiplene* in pueris; uti ſentire videtur D. Bonav. (*n.* 208.) ac præterea ſuadet diviſio illa voluntarii *perfecti*, & *imperfecti* (*n.* 138.) quæ ſolet communiter aſſignari.

*253. Exhibetur accurata definitio actus moralis, quæ perinde ſubſiſtit, ſive prior ſive poſterior prævaleat opinio de eſſentia moralitatis.*

253. Scholaſticum diſſidium in ediſſerenda moralitatis natura non impedit, quo minus proferri poſſit omnium ſenſui accommoda definitio *actus moralis*; modo ſcilicet complectatur id omne, ſine quo moralitas nequit ſubſiſtere, & adæquate intelligi: erit autem iſta, quæ dicitur *actus ab homine productus libera voluntate, cum aliquo ordine ad regulam agendi, ultimo fini accommodatam*. Vocatur *productus* ſimpliciter, ut comprehendantur actus cum a voluntate eliciti, tum ab aliis potentiis ad nutum voluntatis manantes. Nominatur tantum *voluntas libera*; quia cum liberum ſupponat voluntarium, & voluntarium involvat cognitionem; iis vocibus ſatis exprimitur & prævia intellectus advertentia, & ſubſequens voluntatis determinatio a quavis neceſſitate immunis. *Regulæ* nomine recta ratio proxime innui-



innuitur, remote æterna Dei lex ſeu voluntas, quæ media ipſa ratione nobis innoteſcit, & applicatur ceu ſupremum & unicum agendi principium; atque eadem regula indefinite ſumitur, prout quidpiam aut jubet, aut vetat, aut conſulit, aut permittit. *Ordo ad regulam* non eum tantummodo ſignat, qui fert convenientiam actionum cum illa, ſed & alterum oppoſitum, qui actionum ab ipſa diſcrepantiam importat. *Ultimo fini accommodata* pronunciatur ea regula, quoniam nec æterna Dei lex, nec ratio recta aliud proponunt, niſi quod moribus informandis conſentaneum eſt, adeoque conducit ad beatitatem, quæ a morum honeſtate pendet. Sicuti autem actus moraliter *mali* referuntur ad *regulam* agendi quatenus ab eadem diſcordant: ita ad ipſam *beatitatem* referuntur, quatenus ejuſdem aſſecutionem impediunt.

## SECTIO II.

### *De ſpeciebus Moralitatis.*

*254. In hac ſecunda ſectione dividitur moralitas in duas ſupremas ſpecies, communi Doctorum ſenſu admiſſas: quæ ſunt bonitas, & malitia.*

254. DUas eſſe ſpecies ſupremas moralitatis, *bonitatem* videlicet, ac *malitiam*, apud omnes in confeſſo eſt. Etenim, cum ex dictis moralitas deſumatur generatim ex ordine ad regulas morum; neceſſario conſequitur, id quod eſt hujuſmodi regulis conforme, eſſe *bonum*; *malum* vero, quod ab iiſdem difforme eſt: quare bonitas ſeu honeſtas actionum deſignat illarum conformitatem cum recta ratione; & malitia ſeu turpitudo deformitatem ab ipſa ratione. Quamquam, ad vocabula ejuſmodi quod attinet, obſervant nonnulli, alia atque alia ratione actus humanos & morales, ita denominari: ajunt namque, actus eſſe *honeſtos* vel *turpes*, quatenus cum prædicta regula agendi conveniunt, vel ei repugnant: eſſe vero *bonos* aut *malos*, quatenus ad finem ultimum perducunt, aut ab eo diſtrahunt. Verum ut promiſcue illa accipiantur, tametſi regula & beatitudo, ad quas referuntur, valde diſcrepent inter ſe, uſus jam communis facit, a quo neque nos recedere volumus.

*255. Bonum proprie non eſt, niſi quod dicitur honeſtum; licet nomen boni attribuatur etiam ei, quod utile, ac delectabile eſt.*

255. Expendamus ſeorſim utramque moralitatis ſpeciem, ut inde hauriamus, quæ noſtra plurimum intereſt ſcire. Primo *bonitas moralis* in *honeſtate* ſita eſt, quæ ex dictis convenientiam ſignat cum recta ratione, æternam Dei voluntatem nobis manifeſtante. Equidem jam a vetuſtiſſimis temporibus apud doctos ſemper perſonuit tripartita diviſio boni *utilis*, *delectabilis*, *honeſti*, ſeu rectius reſpectus triplex, ſub quo conſiderare licet unum idemque bonum, ex. ca. amorem erga Deum, qui ſimul eſt & *honeſtus*, quia maxime decet naturam rationalem; & *jucundus*, cum nulla major puriorque voluptas quam ex Numinis dilectione naſcatur; & *utilis*, quoniam cum veram in hac vita libertatem, tum felicitatem ſummam in alia procreat. Attamen nihil proprie dicitur *bonum moraliter*, niſi quod *honeſtum* eſt: quippe bonum utile, & delectabile poſſunt eſſe objectum tam bonæ, tam malæ actionis, prout nempe adamantur ad conſequendum vel honeſtum, vel inhoneſtum finem, proindeque per ſeſe nequeunt moribus noſtris affundere bonitatem moralem.

*256. Solum bonum honeſtum eſt abſolute bonum morale, & propter ſe expetendum; tametſi etiam ipſum debeat referri ad Deum.*

256. Hinc duo hæc ſunt prorſus conſectaria. Primum, ſolum bonum *honeſtum* poſſe ſimpliciter appellari bonum *morale*. Secundum, bonum honeſtum *propter ſe expetendum*, uti Seraphicus (*Centil. par.* 1. *ſect.* 9.) indicat: *honeſtum eſt, quod ſua vi nos trahit, & ſua dignitate nos allicit: honeſtum lex reſpicit*: cum e converſo bonum *utile* & *delectabile* eatenus boni moralis nuncupatione donentur, quatenus cum honeſtate conſocientur; atque idcirco non propter ſe amari debeant, ſed propter ipſum honeſtum. Ceterum ſic dicimus *propter ſe* amandum honeſtum, quoniam in tanta creatorum bonorum varietate unicum eſt, ad quod reliqua ordinari debent, quodque ad reliqua non ordinatur; ſed non propterea contendimus, in ipſo honeſto penitus ſiſtendum, ac conquieſcendum eſſe, nam ad increatum bonum omnino referri debet ſimul cum aliis quibuſcunque. Unde Seraphicus (*in* 1. *Sent. diſt.* 1. *in fine*) inquit. *Quod objicitur de virtute, quod virtus eſt bonum honeſtum; dicendum quod bonum honeſtum dicitur dupliciter; aut quod eſt pure bonum, aut in quo relucet ejus ſimilitudo: Primo modo honeſto eſt fruendum, proprie accepto frui, quia hoc ſolum terminat & quietat: ſecundo modo non, niſi communiter accipiatur, prout dicit delectationem: hujuſmodi enim propter aſſimilationem ad Deum habent pulchritudinem, quæ nos delectant & alliciunt. Attamen in ipſis non eſt quieſcendum, quia tunc amittunt pulchritudinem, quoniam virtutes, cum ad ſe referuntur, ſuperbæ ſunt, & inflatæ*: quod quidem palam perſpicitur in veterum Stoicorum jactantia: qui ſummum bonum quo poſſunt homines beari, in ſola animi virtute reponentes dictitabant ſapientem ſibimet ſufficere ad beate vivendum etiam in rota, & in Phalaridis tauro, hoc eſt in congerie quarumvis ærumnarum.

*257. Quod utile, & delectabile bonum vocari ſolet, excidit a nomenclatione iſta, quoties honeſto non conſonat.*

257. Præterea, ſit cunctis ratum fixumque, illud omne, quod cum *honeſto* minime cohæret, vel *honeſto* adverſatur, proprie nec *utile*, nec *delectabile bonum* cenſendum eſſe. Nam idea *boni* univerſe ſpectati neceſſario fert, ut ipſum aliquo modo poſſit nos conſervare ac perficere; unde quia unuſquiſque naturali ſtimulo nititur in propriam perfectionem, ſcripſit Ariſtoteles (*lib. 1. Ethic. c. 1.*) *pulchre bonum eſſe dixerunt, quod omnia appetunt*. Atqui quodcunque æſtimatur ab hominibus ſecundum faciem judicantibus ſeu utile ſeu jucundum bonum, ſemel ac honeſto non conſonat, ne hilum nos juvat in propoſitæ nobis beatitudinis negotio: *quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur?* (*Matth. c. 16.*) immo ad extremam perditionem noſtram magis conſpirat: *impii vivunt, ſublevati ſunt, confortatique divitiis . . . ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt* (*Job c. 21.*) Non igitur bonum vere utile, ac delectabile dici poteſt, quod ab honeſtate diſcordat. Legatur D. Ambroſius (*lib. 1. Offic. c. 9. & 12.*) de hoc argumento præclare diſſerens.

*258. Reſpuenda tamquam falſa perniacioſa atque non Religioni tantum, ſed & Societati humani generis adverſa, illorum perſuaſio, qui cenſent utile poſſe ab honeſto ſejungi.*

258. Nec aliter prudens quiſpiam ſentiet, ſi ſepoſitis etiam revelatæ doctrinæ oraculis velit rem exigere ad naturale rectæ rationis dictamen. Nam Gentilitatis ſapientes, teſte Tullio (*lib. de Offic.*) execrabantur eos, qui emolumentis cuncta metientes, quod minime honeſtum eſt, utile eſſe poſſe fingebant, atque duo hæc, natura cohærentia, opinione diſtrahebant: ad quem ſcopulum concurrerunt recenti memoria Hobbeſius, Spinoza, pluresque alii increduli, & pſeudopolitici. Profecto, quoties *utile* ſecernimus ab *honeſto*, ſic erimus animo affecti, ut poſthabito quovis religionis, pietatis, amicitiæ officio propter ſuum quiſque commodum alios turbet, ſpoliet, perfundet, ſeu vi aperta ſeu machinationibus occultis: hoc autem ſemel admiſſo, & cuivis injuſtitiæ generi viam aperiri, & virtutem omnem de medio tolli, atque ipſam, quæ maxime eſt ſecundum naturam, humani generis ſocietatem penitus diſrumpi nemo non videt. At inquies, eccur ergo apud cordatos etiam viros tam frequentes & graves in variis vitæ negotiis de honeſto, deque utili occurrunt contentiones, ſi exploratum eſt utilitatem ab honeſtate ſeparari non poſſe? Totam difficultatem eorum, qui reapte ſapiunt, mihi perſuadeo in eo duntaxat verſari, ut veram utilitatem a fucata diſcernant, minime vero ipſos contendere de utilitate, quæ poſſit reperiri ſeorſim ab honeſto; quippe ex eodem Tullio *non modo pluris putare, quod utile videtur, quam quod honeſtum, ſed hæc etiam comparare, & in his dubitare, turpiſſimum eſt*.

*259. Malum morale non eſt, niſi quod turpe, ac diſſonum a ratione recta. Hujuſce autem mali præciſe in ſe ſpectati nulla entitas aſſignanda, cum ſit merus defectus ex mente apertiſſima Auguſtini.*

259. Boni moralis deſcriptio hactenus aſſignata notionem quoque ingerit *moralis mali*. Nimirum id omne ac ſolum, quod turpe eſt ſeu diſſentaneum a regulis rectæ rationis, intelligimus eſſe malum morale. Ipſa porro *malitia* actionum turpium quidnam *formaliter* præſeferat, num poſitivum aliquid, vel potius quidpiam negativum ſive privativum, jamdiu Scholaſtici inter ſeſe litigant. Longe veroſimilior ſententia ſuſtinet, actualem malitiam moralis peccati eſſe merum boni defectum: hoc eſt, privationem illius rectitudinis, quam homo in ſuis actibus ſervare deberet ex præſcripto legis ſeu normæ agendi. Nullus, qui D. Auguſtino aliquid defert, ſecus opinabitur, aperte enim ait (*Ench. c. 11.*) *quid aliud eſt malum, quam privatio boni?* & exponens illud (*Joan. c. 1.*) *ſine ipſo factum eſt nihil*, hinc complectitur; *manifeſtum eſt, peccatum nihil eſſe*; quia videlicet, ſi peccatum eſſet aliquid, haberet pro cauſa Divinum Verbum, per quod facta ſunt omnia, quæ aliquid revera ſunt. Unde non aliam peccato cauſſam præfixit, quam deficientem & a ſcopo aberrantem (*lib. 12. de Civit. Dei c. 7.*) *Nemo quærat cauſſam efficientem malæ voluntatis: non enim eſt efficiens, ſed deficiens; quia nec illa effectio eſt, ſed defectio: cauſſas porro defectionum iſtarum velle inquirere, tale eſt, ac ſi quis velit videre tenebras, & audire ſilentium*.

*260. Enarratam D. Aug. ſententiam de malo morali firmiter tenuerunt, S. Th. S. Bon. & Scotus.*

260. Inde eſt, ut præcipua tria Scholæ lumina, Thomas, Bonaventura, Scotus, qui Auguſtino maxime duce pleraque ſua ſcripſerunt, quemadmodum de poſtremo nominatim teſtatur Cl. P. Berti (*Theol. Diſcipl. l. 14. c. 10.*) aperte conſtanterque eamdem ſententiam propugnarint: *Peccatum*, inquit Subtilis Doctor (*in 2. Sent. diſt. 17. q. 1.*) *eſt formaliter corruptio rectitudinis in actu ſecundo. Voluntas enim libera debitrix eſt, ut omnem actum ſuum eliciat conformiter regulæ ſuperiori, ſcilicet ſecundum Divinum præceptum, & ideo, quando agit diſcorditer ab illa regula, caret juſtitia actuali debita: hæc eſt juſtitia quæ deberet ineſſe actui, & non ineſt, & hæc carentia, in quantum eſt actus voluntatis deficientis, eſt formaliter peccatum actuale*. Seraphicus (*in 2. Sent. diſt. 34. q. ult.*) *malum ſive peccatum dupliciter poteſt accipi, abſtractive & concretive; concretive concernit illud quod deformat, vel aliquam actionem, vel ſubſtantiam: & ſic dicitur malum res mala, utpote actio*

mala



*mala vel anima mala: hoc modo malum aliquid eſt, & habet eſſe naturæ. Abſtractive: & hoc modo malum in recto ſive prædicatione formali, non eſt aliquid; ſed nihil, quia non eſt ens, nec bonum, ſed privatio boni. Quamvis autem malitia vel peccatum nihil ſit in recto, in obliquo tamen alicujus eſt, & alicujus ut oppoſiti; & alicujus ut ſubjecti*.

*261. Declaratur, ac vindicatur genuina ſententia D. Thomæ, quam ad oppoſitam partem trahere nonnulli Interpretes.*

261. Angelicus tandem (*1. 2. q. 109. art. 2. ad 2.*) *Peccare nihil aliud eſt, quam deficere a bono: quod convenit alicui ſecundum ſuam naturam*. Et (*q. 75. art. 1.*) *Peccatum eſt quidam actus inordinatus: ex parte actus poteſt habere per ſe cauſſam, ſicut & quilibet alius actus: ex parte autem inordinationis habet cauſſam eo modo, quo negatio vel privatio poteſt habere cauſſam, ſcilicet deficientem, & agentem per accidens: ſic igitur voluntas carens directione regulæ rationis, & legis divinæ, intendens aliquid bonum commutabile, cauſſat actum quidem peccati per ſe, ſed inordinationem actus per accidens & præter intentionem; provenit enim defectus ordinis in actu ex defectu directionis in voluntate*. Quare dum alibi (*q. 72. art. 1. ad 2.*) ſcribit: *Peccatum non eſt pura privatio ſed eſt actus debito ordine privatus*, ſumit peccatum *concretive* ſeu quantum ad materiale ſimul & formale; non *abſtractive* quoad ſolum formale; quod duntaxat impræſentiarum nos ſpectamus. Placuit integros referre laudatorum Doctorum textus, ut contrariæ opinionis Theologi ex iiſdem pernoſcant, quidquid a nobis reponi poſſet ad diluendas ipſorum difficultates, quæ ad actum ſeu *ſubſtratum* peccati magis, quam ad ipſam peccati *malitiam* præciſe conſideratam, referuntur.

*262. Oſtenditur, quonam ſenſu bonitas, & malitia dicantur conſtitutivæ differentiæ actionis conſideratæ in eſſe moris ſecundum duas contrarias ſpecies.*

262. Porro cum ex dictis bonitas & malitia duæ ſint moralitatis ſpecies, quæ ex Seraphico (*in 2. Sent. diſt. 41. art. 1.*) *Circa actionem humanam ita habent repugnantiam, quod ipſam dividant*, in genere moris, non naturæ, *tamquam membra oppoſita*, dubium exiſtit, quomodo ambæ dici poſſint differentiæ eſſentiales, & conſtitutivæ duplicis ſpeciei oppoſitæ actionum moralium, ſi quidem ex ſententia S. Auguſtini moralis malitia eſt mera boni privatio; hanc autem proprietatem eſſentialem eſſe poſſe actionis poſitivæ, nulla mens capit. Sed ideo Seraphicus (*q. 2. ſeq.*) illud ſic amovet. *Malitiam contingit tripliciter comparari ad actionem: aut ſecundum quod eſt actio, aut ſecundum quod hæc actio, aut ſecundum quod talis actio. Si comparatur ad actionem, ſecundum quod actio eſt*, videlicet univerſim ſpectatam; *ſic tenet rationem accidentis ſeparabilis & communis; quia actio, quæ conſuevit fieri cum culpa, poteſt cauſa aliqua interveniente fieri abſque culpa. Si comparatur ad actionem; ſecundum quod eſt actio*, nempe ſingularem, & individualibus circumſtantiis veſtitam; *rationem tenet accidentis inſeparabilis, & proprii, quia illa actio eadem numero, quæ eſt mala, non poteſt eſſe ulterius bona, propter hoc quod eadem numero ſumi non poteſt. Si vero & malitia comparetur ad actionem, ſecundum quod talis actio eſt*, ſcilicet malam & turpem; *ſic poteſt habere rationem differentiæ eſſentialis, ſicut enim albedo eſt eſſentialis homini albo, ſecundum quod eſt albus; quamvis non ſit eſſentialis ſecundum quod homo: ſic malitia eſt eſſentialis actioni malæ, ſecundum quod mala. Quamvis autem dicatur aliquo modo eſſentialis; non tamen dicitur eſſentialis; quia dicat veram eſſentiam, ſed quantum ad modum ſe habendi*.

*263. Proponitur incidens quæſtio ſcholaſtica, an bonitas & malitia poſſint ſimul convenire eidem actui atque illius ſtatus dilucidatur.*

263. Circa bonitatem ac malitiam a Theologis controverſia movetur, num ſcilicet utraque *ſimul*, aut ſaltem *ſucceſſive* eumdem actum humanum poſſit afficere? Cum ex dictis bonitas, & malitia ſint ſpecies moralitatis plene oppoſitæ, & tantum inter ſe differant, quantum forma & privatio formæ, primo adſpectu videtur hujuſmodi controverſia otioſa & inepta; ecquis enim ſanæ mentis diſputabit ex. ca. de conventione lucis ad tenebras, vitæ ad mortem; ea tamen non ita reapſe eſt. Nam ubi ambæ ſpecies moralitatis non in ſeipſis dumtaxat abſtracte concipiuntur, ſed ad aliquem individualem actum humanum referuntur qui in genere moris eſt veluti aggregatum quoddam ex multiplici partiali bonitate aut malitia; jam adeſt aliqua ratio dubitandi, an utraque poſſit ad eumdem actum concurrere, quando nempe contingit, ut ſit bonus ex objecto, malus vero ex fine ſive circumſtantiis, aut viceverſa. Porro talis quæſtio duplici conſtat parte, nam agitatur & de *ſimultaneo*, & de *ſucceſſivo* concurſu bonitatis, ac malitiæ. Præterea intelligitur reſpectu *ejuſdem* operantis, & ejuſdem *numero* actus in genere *naturæ* invariati. Nullus enim inficiatur, bonum malumque dici poſſe vel eumdem numericum actum, ubi a pluribus ceu concauſſis producitur, quorum unus ex bono fine, debitiſque circumſtantiis ſervatis poteſt agere, alter vero ſecus; ut dum duo ſimul medentur infirmo, alius ex miſericordia & modeſtie, alius ex concupiſcentia & inverecunde: vel eumdem duntaxat ſpecie actum, dum a pluribus con di-

ſtin-

ſtinctis ac ſeorſim agentibus cauſſis editur ; ut dum alius fidem Chriſti annuntiat ex vana gloria , alius ex animarum zelo . Quæſtio ſic intellecta a multis pendet in Sectione IV. ſubinde dicendis , quare utramque illius partem brevibus hic expediemus .

*264. Indicata quæſtio reſolvitur negative , quantum ad priorem partem de ſimultaneo concurſu bonitatis & malitiæ ad eumdem actum.*

264. Quoad *primam* partem propoſitæ quæſtionis , neutiquam concedo , unicum numero actum ab uno eodemque homine productum , ſimul & eodem tempore eſſe poſse bonum , & malum . Enimvero , ut ex communi ſententia ſcribit Scotus ( *in 2. Sent. diſt. 40. qu. un.* ) *Bonitas actus moralis eſt ex aggregatione omnium convenientium actui , non abſolute ex natura actus , ſed quæ conveniunt ei ſecundum rectam rationem . Quia igitur actui ratio recta dictat determinatum objectum convenire , & determinatum modum , & alias circumſtantias , non eſt completa bonitas ex ſolo fine , ſed requiruntur aliæ circumſtantiæ ſecundum ordinem prædictum ad hoc , quod bonitas ſit* . Quoties ergo datur aliquis actus ex objecto malus , & bonus ex fine , ut dum mulier marito mentitur ſolo animo impediendi graves domeſticas rixas ; vel viceverſa bonus ex objecto , & malus ex fine , aut circumſtantiis , ut dum mulier ob vanam gloriam aucupandam apud ſuas coæquales Sacram Synaxin frequentat , aut orationibus in templo vacat , dum operas ſuas præſtare deberet propriæ familiæ : tunc in ejuſmodi actu , adæquate conſiderato ſecundum aggregationem omnium ei convenientium in genere moris , illa partialis bonitas ſeu ex fine , ſeu ex objecto , quodammodo inficitur ac deperditur , ita ut morali judicio reputetur , non partialiter bonus & partialiter malus , ſed ex integro & abſolute malus , juxta decantatum axioma Moralium ; *bonum ex integra cauſſa , malum ex quolibet defectu* : quamvis ut idem notat Scotus , talis actus non dicatur *perfecte malus , quibuſdam dumtaxat deficientibus , quæ ad actum concurrere deberent , ſicut de turpitudine in corpore patet* ; ideo reatus culpæ & pœnæ in ipſo attenuetur . Eadem fuit doctrina Seraphici ( *in 2. Sent. diſt. 24. par. 2. ar. 2. q. 1.* ) *plura requiruntur ad bonum conſummandum , quam ad malum perpetrandum ; unius enim circumſtantiæ defectus operationem deformat* : item Angelici ( *in 2. Sent. diſt. 38. q. 1. ar. 4.* ) *cum aliquis vult dare eleemoſynam propter inanem gloriam , hic eſt unus actus voluntatis ; & hic actus totus eſt malus , licet non ob omni eo , quod in ipſo eſt , malitiam habeat* .

*265. Subdiſtinctione ſatisfit parti quæſtionis poſteriori de ſucceſſivo concurſu bonitatis & malitiæ ad eumdem actum.*

265. Quoad *ſecundam* vero ejuſdem quæſtionis partem , arbitror diſtinctione opus eſse , ut rite reſpondeatur . Quamdiu actus in genere moris non multiplicatur , ſed unus idemque perſeverat , non poteſt bonitatem & malitiam habere ne quidem ſucceſſive , ſiquidem ex Seraphico ( *n. 262.* ) *bonitas & malitia habent rationem differentiæ eſſentialis , ſi comparentur ad actionem , ſecundum quod talis actio eſt* , nimirum bona vel mala , adeoque , cum hujuſmodi differentiæ aliunde ſint inter ſeſe oppoſitæ , fieri nequit , ut ſimul afficiant eumdem actum invariata manente ipſius moralitate ſpecifica . Aſt ubi actus moralem ſpeciem variat , vel ob extrinſecum finem , ut in actibus indifferentibus ambulandi , legendi ; vel ob moralem mutationem objecti , ut in actibus manducandi carnes , celebrandi Miſsam , qui tempore eſuriali , & Eccleſiæ interdictæ aut pollutæ ſunt illiciti , liciti vero elapſo tali tempore : tunc haud gravate fateor , poſse ſucceſſive bonum , & malum dici immutata naturali ſua ſubſtantia , quippe indifferentia , bonitas , malitia , non ſunt indifferentiæ ſpecificæ & eſſentiales actus humani ſecundum genus naturæ conſiderati , ſed mera ejus accidentia ; ex alia parte prædicta mutatio finis extrinſeci , aut objecti poteſt inducere abſque ulla repugnantia diverſam moralitatem in ipſum actum , ita ut ſucceſſive & bonus & malus dicatur . Id ipſum , quod de externis actibus nunc oſtenſum eſt , poteſt de internis quoque enuntiari ; uti Angelicus ( *q. 2. de malo ar. 4.* ) indicat : *ſi in aliquo actu continuo primo feratur intentio ad bonum , poſtea ad malum ; ſequitur , quod ſit idem actus numero ſecundum ſuam naturam , ſed tamen differt ſpecie ſecundum quod eſt in genere moris* .

## SECTIO III.

### *De numero ſpecierum Moralitatis* .

*266. In hac tertia ſectione aſſignatur determinatus numerus ſpecierum moralitatis ; ſicque examini ſubjicitur indifferentia actionum humanarum.*

266. SUppoſito , quod bonitas , & malitia duæ ſint oppoſitæ ſpecies , quæ genus moralitatis dividunt , adeoque moralibus actionibus disjuncte conveniunt per modum eſsentialis differentiæ , quemadmodum ſuperiori Sectione pateſecimus ; jam hoc alterum diſcutiendum venit , videlicet an ſint præterea differentiæ *immediatæ* , ita ut univerſum moralitatis genus exhauriant , nullamve actionem alterius ſpe-



ſpeciei relinquant : & hæc quæſtio eo recidit , num *indifferentia* ſit admittenda tamquam ſpecies moralitatis media inter bonitatem , ac malitiam . Ne quis forte alucinetur in graviſſimæ iſtius controverſiæ ſtatu recipiendo , præſtat audire Seraphicum ( *in 2. Sent. diſt. 41. ar. 1. q. 3.* ) ſic appoſite ſcribentem . *Cum quæritur , utrum actio dividatur per bonum , & malum tamquam per differentias immediatas , eſt quæſtio de actione voluntatis deliberativæ , ſecundum quod deliberativa eſt ; illa enim eſt , quæ dividitur per bonum , & malum . Et quoniam de actione voluntatis deliberativæ dupliciter eſt loqui , ſcilicet quantum ad genus actionis , & in comparatione ad operantem ; dupliciter poſſunt illæ differentiæ ad actionem comparari , aut ſecundum genus operis , aut reſpectu operantis . Si primo modo , ſic planum eſt , quod non eſt diviſio per immediata ; immo inter actionem bonam , & malam actionem indifferentem contingit reperiri mediam , & in hoc communiter omnes concordant . Si autem loquamur de bonitate , & malitia actionis in comparatione ad operantem , ſic ſunt diverſæ opiniones* .

*267. Eliquatur prima quæſtio de ſpecifica indifferentia actionum humanarum , in qua concordant omnes Catholici.*

267. Hinc intelligimus , duas eaſque diverſas moveri poſse quæſtiones , ubi de *indifferentia* ſermo eſt : una , an dentur actiones indifferentes ſecundum *ſpeciem* ſive naturam ; altera , an admittendæ indifferentes etiam *in individuo* , prout hic & nunc ab homine fiunt . In primis *ſpecificam* actuum indifferentiam admittendam eſse conſtat ex Seraphico prælaudato , atque ex Angelico , qui ( *1. 2. q. 18. ar. 8.* ) ait : *poteſt eſſe aliquod medium inter bonum & malum . . . levare feſtucam de terra , ire ad campum , & hujuſmodi actus ſecundum ſpeciem ſuam ſunt indifferentes* : concordant pariter reliqui Doctores Catholici . Quod ſi opponas , indifferentiam hujuſmodi elevari ex ipſa ratione , qua ( *n. 24.* ) probavimus duas ſupremas moralitatis ſpecies reccurendo ad regulam morum ; quia nimirum inter *conformitatem* cum regula agendi , & *difformitatem* ſeu diſſonantiam ab eadem regula , nequit dari medium , adeoque nec inter *bonitatem* , & *malitiam* , quæ ſita ſunt in ea duplici habitudine actus humani cum regula agendi . Si hoc , inquam , opponas , ex hac alia Angelici doctrina ( *1. 2. q. 92. art. 2.* ) ſolutionem ſumere licebit . *Præcepta legis ſunt de actibus humanis , in quibus lex dirigit : ſunt autem tres differentiæ humanorum actuum : nam quidam actus ſunt boni ex genere , qui ſunt actus virtutum : & reſpectu horum ponitur legis actus præcipere vel imperare : quidam vero ſunt actus mali ex genere , ſicut actus vitioſi ; & reſpectu horum lex habet prohibere : quidam vero ex genere ſuo ſunt actus indifferentes ; & reſpectu horum lex habet permittere* .

*268. Ex doctrina Angelici deducitur , indifferentiam actuum admittendam eſſe tamquam poſitivam moralitatis ſpeciem mediam inter bonitatem , ac malitiam.*

268. Itaque ſi teſte Angelico *permittere* indifferentiam numeratur inter actus ſeu officia legis univerſim acceptæ , quatenus lex non ſolum mere negative ſe habet circa illa , ſed poſitive commonſtrat , ea ex ſuo genere nec bona eſſe nec mala , & ideo permiſſa ; jam indifferentia ſunt utcunque conſentanea legi , non qua præcipiens , aut prohibens eſt , ſed qua *permittens* : proinde , cum ipſa lex ſit morum regula , inter moralitatis ſpecies admitti debet *indifferentia* , quin opus ſit admittere medium inter convenientiam cum lege , & diſcrepantiam a lege . Si quæras poſtea , quomodo intelligenda ejuſmodi *indifferentia* , an per ſolam negationem utriuſque extremi , bonitatis ſcilicet & malitiæ , an per veram ſpeciem poſitivam ? Reſpondeo , utrumque poſſe affirmari : nam actus , qui dicitur indifferens , ſpeciem poſitivam habet ab objecto ſuo , quatenus objectum nec honeſtum nec turpe ex ſe eſt , ſicuti actus boni & mali ſortiuntur a propriis objectis poſitivam ſpeciem ſuam , pariter habet negationem bonitatis & malitiæ ab eodem objecto , quod honeſtatis æque ac turpitudinis expers ſupponitur . Igitur denominatio *indifferentiæ* ſumitur quidem a negatione bonitatis , ac malitiæ , attamen non impedit , quominus *indifferentia* cenſeatur poſitiva ſpecies moralitatis , cum & ipſa ſubſtet legi mores dirigenti .

*269. Quiſſualis juxta communem doctrinam fatetur indifferentiam ſpecificam quarumdam actionum , is ſeſe elongat ab utroque extremo errore tum Scepticorum moralium , tum hæreticorum Novatorum.*

269. Quotieſcunque actionum ſpecifica indifferentia , eo intelligatur ac defendatur moderamine , quo ab Angelico laudato , aliiſque Catholicis ſolet proponi , ut nempe ad *aliquas* ſolum referatur actiones ; licebit tuto pede procedere inter extremos duos errores . Primus mentem occupavit plurium cum priſcorum Academicorum , tum recentium Incredulorum ( *n. 258.* ) quibus *omnia* ſunt indifferentia , quippe cum omnia metiantur ſolis hominum opinionibus , conſuetudinibus , ſtatutis emolumentis , nihil natura turpe aut honeſtum proprie recognoſcunt . Secundus inſedit Vvicleffitis & Huſſitis , qui *nullum* opus ſecundum ſpeciem indifferens agnovere : unde Concilium Conſtantienſe ( *Seſſ. 15.* ) damnavit ſequentem eorum Articulum ( *ord. 16.* ) *diviſio immediata humanorum operum eſt , quod ſint virtuoſa , vel vitioſa : quia , ſicut vitium ſeu peccatum mortale inficit omnes actus hominis vitioſi ; ſic virtus vivificat omnes actus hominis virtuoſi* . Hoc ipſum circa humanas actiones ſyſtema , præter erro-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

errores alios ſuſceperunt deinceps quaſi hereditario jure Bajani, Janſeniſtæ, Queſnelliani; qui propterea docent, omnia indiſcriminatim ſeu infidelium, ſeu improborum hominum opera eſſe peccata, utpote ab incredulitatis, & concupiſcentiæ mancipiis manantia.

*270. Evangelicus textus de arbore mala, non faciente fructus bonos, liberatur a diſtorta expoſitione Novatorum.*

270. Novatores iſti maximum cauſſæ ſuæ præſidium repoſitum arbitrantur in verbis Chriſti (*Matth. c. 7.*) *non poteſt arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere*. Vix ullus Divinæ Scripturæ locus, ex quo tam multos varioſque errores conati fuerint elicere Hæretici diverſorum temporum. Hinc enim deduxerunt Manichæi duas rerum naturas, unam bonam, alteram malam, unde boni malique extarent homines; Donatiſtæ malos Sacerdotes irrita conferre Sacramenta; Pelagiani ex uſu boni conjugii peccatum originale minime prodire, Jovinianus homines ex Deo natos non poſſe peccare; quemadmodum variis in libris teſtantur S. Hieronymus, & S. Auguſtinus. Quod ſpectat ad perverſam Novatorum interpretationem, qui mala dicunt quæcunque *actu* fiunt ab hominibus vitioſis, hac præciſe de cauſſa, quia *habitu* mali ſunt; eam jamdiu exploſit D. Bonav. (*in 2. Sent. diſt.* 41. *dub.* 2.) qui duplicem propoſuit reſpondendi modum, paſſim nunc a Theologis uſurpatum. *Ad illud quod objicitur; quod arbor mala non poteſt bonos fructus facere; intelligenda eſt locutio per ſe, id eſt, ſi operetur voluntas mala, in quantum mala, videlicet mala intentione: ſi autem non per ſe intelligatur, non eſt ſermo verus; niſi intelligatur de bono perfecto, quod quidem eſt bonum meritorium: ſed tunc non ſequitur; non facit fructum bonum, ergo facit fructum malum; quia inter tale bonum, & malum eſt medium, ſicut ſupra* (dub. 1.) *oſtenſum eſt*. Ad aſſequendum genuinum ſenſum hujus Evangelici textus præſtabit legere Cornelium Janſenium Epiſcopum Gandavenſem (*Dom. in concord. Evang. part.* 2. *cap.* 42.) ubi ſcite oſtendit, non omnia, quæ Dominus dicit *ad litteram* de arbore bona vel mala, eodem modo accommodanda hominibus per ſimilitudinem arboris *parabolice* deſignatis.

*271. Proponitur quæſtio ſecunda de Individuali indifferentia actionum circa quam diſcors ſemper fuit Scholaſticorum Magiſtrorum judicium.*

271. Gradus nunc faciendus eſt a *ſpecifica* ad *individualem* indifferentiam actionum humanarum; ſive, ut verbis utar Seraphici (*n.* 266.) actiones conſideratæ jam *ſecundum genus operis*, expendendæ modo *reſpectu operantis*. Poſſibile non eſt celebrem hanc de actibus indifferentibus in individuo quæſtionem definire ex unanimi aut fere unanimi Doctorum ſenſu, quemadmodum hucuſque conatus ſum pleraque proponere Scholaſticæ concordiæ promovendæ cauſſa, quæ quo major, eo validior ad profligandos veritatis, ac honeſtatis hoſtes. Compertum namque eſt, non præſenti ſolum ætate, verum ſuperioribus ſæculis contrarias ea de re doctrinas e Sapientum ore, & calamo prodiiſſe, ita quidem ut neque Thomas ac Bonaventura, qui ceteroquin in docendo tam egregie conſpirarunt, unquam inter ſeſe convenire potuerint. Quo me igitur vertam a tantis duobus mihimet relictus, atque in tam acri & univerſali conſtitutus conflictu? Cum præſens quæſtio ejus ſit indolis, ut modo nihil pro alterutra litigantium parte videatur poſſe produci, quod jamdiu non fuerit in ſcholis auditum; aliunde vero ſuffragii mei tenuitas bilanci nullum valeat addere pondus; has ob cauſſas conſultum arbitror unicam aſſumere curam diſtincte exponendi, quæ ad penitiorem faciunt controverſiæ intelligentiam, atque tum inſigniores vindices, tum præcipua momenta utriuſque oppoſitæ ſententiæ commemorare.

*272. In hac quæſtione de actibus indifferentibus in individuo ly indifferens non ſumitur pro eo, quod nec mortem nec vitam æternam meretur.*

272. In primis, ad vocem *indifferens* quod attinet, impræſentiarum non diſceptatur, num admittendus ſit actus aliquis humanus ſic *indifferens*, ut neque ſit bonus, id eſt æternæ vitæ meritorius, neque malus, id eſt æterna pœna dignus: actus enim ſenſu iſto indifferentes admittunt Catholici omnes fide indubia, eorumque exempla in promptu ſunt. Nam ex Apoſtolo (1. *ad Cor. c.* 3. dantur in nobis *lignum*, *fœnum*, *ſtipula*, videlicet juxta SS. Patrum interpretationem *peccata venialia*, quorum aliqua omnino ex genere ſuo talia ſunt, uti verbum otioſum, mendacium officioſum, vanus veſtium ornatus: porro ex Seraphico (*in* 2. *Sent. diſt.* 42. *art.* 2 *q.* 2.) *peccatum veniale vitam æternam retardat, quia a Deo elongat; nec tamen obligat ad pœnam æternaliter cruciantem, quantum eſt de ſe*; adeoque nec vita, nec mors æterna eidem debetur. Rurſus actus fidei, timoris, ſpei, quibus impii *divina gratia excitati, & adjuti diſponuntur ad juſtitiam* ex Concilio Tridentino (*Seſſ.* 6. *c.* 6.) neque ſunt meritorii vitæ æternæ, cum non fiant in ſtatu gratiæ ſanctificantis, quæ illius ſemen pignuſque eſt; neque digni æterna pœna, cum ex eodem Conc. (*Seſſ.* 14. *c.* 4.) *dona Dei ſint, & Spiritus Sancti impulſus, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam ſibi ad juſtitiam parat*. Idem dicas de oratione reſipiſcentis peccatoris, quæ nec mala eſt, nec ſupplicio digna: unde damna-



mnata a Clemente XI. ea Queſnelli propoſitio (*ord.* 59.) *oratio impiorum eſt novum peccatum, & quod Deus illis concedit, eſt novum in eos judicium*.

*273. Neque ly indifferens ſumitur pro eo, quod reſpectu ſpiritualis ſalutis nec bonum, nec malum vocari poteſt.*

273. Neque pariter quæritur, an exiſtere poſſit humanus actus eo ſenſu *indifferens*, ut nec bonus ſit, nec malus in ordine ad ſpiritualem ſalutem in hac vita inchoandam. Etenim Catholica itidem doctrina adverſus Novatores (*n.* 269.) inſtruimur, infideles homines non peccare in quavis actione ſua, ſed poſſe bonum aliquod in genere moris interdum operari; quia ex Angelico (2. 2. *q.* 10. *ar.* 4.) *remanet in eis aliquod bonum naturæ, idcirco quamvis non poſſint operari bona opera, quæ ſunt ex gratia, ſcilicet opera meritoria: tamen bona opera, ad quæ ſufficit bonum naturæ, aliqualiter operari poſſunt: unde non oportet, quod in omni ſuo opere peccent: ſed quodcunque aliquod opus operantur ex infidelitate, tunc peccant*. Nec obſtat D. Auguſtini effatum, *omnis vita infidelium peccatum eſt*: nam ex Seraphico (*in* 2. *Sent. diſt.* 41. *dub.* 2.) *hoc ideo dicitur, quia per nullam actionem, quam agunt, liberantur a culpa, quamdiu in infidelitate perſiſtunt; & ideo ſenſus eſt, omnis vita infidelium eſt peccatum, id eſt, non ſine peccato. Similiter intelligenda ſequens auctoritas, & aliæ conſimiles, cum dicitur, quod ubi deeſt agnitio veritatis, falſa eſt virtus, non quia illa virtus ſit vitium, ſed quia deficit a vera virtutis perfectione: nam virtus vera dicitur, quia veraciter perducit ad vitam*. Porro autem infidelium actiones, quantumvis intra naturæ confinia bonitatem moralem habere poſſint, & eo ipſo malæ non ſint dicendæ in ordine ad ſpiritualem ſalutem, nihilominus non ſunt eatenus bonæ, ut ad illam *proxime* ordinentur. Siquidem opera, ſolis arbitrii liberi viribus peracta per generalem Dei concurſum, nullam habere poſſunt ſeu meriti ſeu conditionis rationem ad conſequendam ſalutem, & gratiam ſupernaturalem, quam Chriſtus paſſione ſua nobis promeruit; quia *ſi gratia ex operibus* (ad Rom. cap. 11.) *gratia jam non eſt gratia*.

*274. Propoſitæ quæſtionis ſtatus nitide aperitur.*

274. Itaque propoſita quæſtio ad eos dumtaxat reſtringitur actus, qui vocantur *indifferentes* in hoc ſenſu, quoniam concipiuntur quaſi medii inter illos, qui in *ſolo genere moris*, hoc eſt relate ad rectam rationem, boni ac mali ſunt. Præterea ſupponit, eoſdem actus eſſe *deliberatos*; quia ex Angelico (1. 2. *q.* 18. *ar.* 9.) *ſi actus non procedant a ratione deliberativa, ſed ex quadam imaginatione, ſicut cum aliquis fricat barbam, vel movet manum; talis actus non eſt proprie loquendo moralis vel humanus: ſicque eſt indifferens, quaſi extra genus moralium actionum exiſtens*. Quapropter quæſtionis ſtatus erit iſte: an poſſit exiſtere actio deliberata & humana ex. ca. ludendi, ambulandi, comedendi, quæ conſiderata ſecundum omnes circumſtantias, in quibus ab homine hic & nunc elicitur, nullam habeat *moralem* bonitatem, aut malitiam, ſed ſit prorſus *indifferens* inter utramque; adeoque a lege, quæ norma agendi eſt, nec præcepta, nec prohibita, ſed mere *permiſſa*? His omnibus in anteceſſum obſervatis videamus nunc, quidnam hac de re ſenſerint, ſentiantque Scholaſtici Doctores.

*275. Recenſentur illuſtriores Patroni utriuſque contrariæ ſententiæ.*

275. D. Thomas prælaudatus, ejuſque Sodales Theologi; Auguſtinenſis Familia, ac plures variarum Scholarum Auctores, junctis viribus contendunt, haud poſſe dari actum humanum hoc poſtremo ſenſu indifferentem. Ex adverſo poſſibilem, ac reapſe admittendum propugnant: tres præcipui Franciſcanæ Scholæ Magiſtri, Alexander Alenſis, S. Bonaventura, Scotus, ac plerique ipſorum Aſſeclæ. Richardus tamen de Mediavilla ex antiquis cauſſam hanc problematice pertractat (*in* 2. *Sent. diſt.* 40. *ar.* 2. *qu.* 3.) ſinens, unumquemque tenere ſeu primam ſeu ſecundam opinionem, quamvis priorem *ſibi probabiliorem videri* fateatur. Ad poſteriorum partes acceſſerunt quavis ætate multi Theologi illuſtres tum ex vetuſtis, ut Gabriel Biel Tubingenſis, Almainus Pariſienſis, tum ex recentibus, ut Vaſquezius, aliique plures Societatis Jeſu, inter quos nuperrimus Scriptor *Inſtitutionum Juris univerſalis Naturæ, & Gentium* P. Ignatius Schvvarz hæc ſubdit (*Part.* 1. *tit.* 1. *Inſtr.* 2. §. 4.) poſt maturam diſcuſſionem utriuſque ſententiæ oppoſitæ. *Utraque ſententia eſt admodum probabilis, prima probabilior ab auctoritate, ſecunda a ratione: illa de conſilio ſectanda, cum hominem melius diſponat ad finem ultimum, & virtutum exercitium; hæc in praxi omnino tuta, conformior humanæ fragilitati, & ſtatui tot diſtractionum, benignitatis itidem Divinæ circa nos Providentiæ, ut recte animadvertit S. Bonaventura*.

*276. Planum fit quomodo citra ullum abſurdum admitti poſſit indifferentia ſpecifica actionum, negata individuali.*

176. Mirum fortaſſe cuipiam videbitur, quod Angelicus, ceterique prioris claſſis Doctores inficientur actus indifferentes *in individuo*, cum admittant (*n.* 167.) indifferentes eſſe poſſe *ſecundum ſpeciem*: ſic enim videntur admittere ſpeciem extra omnia individua. Verum hoc pacto poſſunt ipſi amovere a proprio ſyſtemate omnem contradictionis, & abſurditatis notam. Dum actus conſideratur ſecundum ſpe-

*ſpeciem*, ejuſdem *objectum* præciſe attenditur, ſuppoſitis circumſtantiis in quibus actus venire poteſt, & ſub hac conſideratione debet utique admitti indifferentia tamquam *ſpecies* moralitatis media inter bonitatem, ac malitiam, quia revera extant objecta, quæ collata cum regula agendi nec præcepta nec prohibita deprehenduntur. At quoties actus in *individuo* ſpectatur, attendendæ etiam circumſtantiæ, in quibus hic & nunc producitur; cum ſingula quæ fiunt, ſint plane individua, certiſque veſtita circumſtantiis. Jam vero cum moralitas actuum tum bona tum mala *primario* quidem deſumatur ex *objecto*, *ſecundario* vero ex *circumſtantiis*, & aliunde inter circumſtantias cujuſvis deliberatæ actionis individuæ numeretur (ut ipſi ſupponunt) *intentio finis honeſti* naturæ rationali convenientis: inde eſt, ut ipſorum judicio actus reputari debeat *malus*, ubi exercetur citra ullum honeſtatis intuitum; *bonus*, ubi fit honeſtatis intuitu: quamvis, ratione ſolius objecti, nec bonus nec malus ſit. Itaque quot ſunt actus *ex objecto* indifferentes, tot ſunt individua illius ſpeciei moralis, quæ *indifferentia* vocatur. Sed hujuſmodi actus licet non habeant ex propria ſpecie, quod ſint boni vel mali; aliunde tamen bonitatem aut malitiam contrahere poſſunt, ſcilicet ex circumſtantiis & conditionibus individualibus, in quibus neceſſe eſt ipſos evenire, quotieſcunque deliberate producantur. Quare hæc duo optime cohærent, ſcilicet nullum extare actum indifferentem in *individuo*, quamvis ſecundum *ſpeciem* aliqui poſſint eſſe indifferentes.

*277. Profertur ratio fundamentalis opinionis negantis actus indifferentes in individuo.*

277. Ex hujuſmodi doctrina quiſque intelliget palmare momentum ſententiæ negantis actus indifferentes in individuo: quod totum in hoc ſitum eſt, quia cunctæ deliberatæ operationes rationalis creaturæ debent ad finem honeſtum ordinari, adeoque bonas, aut malas ipſas evadere neceſſum eſt, prout talis ordinatio fit, aut non fit. Audiatur Angelicus (1. 2. *q.* 18. *ar.* 9.) qui in hunc modum declarat, admittendum actum indifferentem ſecundum ſpeciem, ſed non ſecundum individuum. *Contingit quandoque aliquem actum eſſe indifferentem ſecundum ſpeciem, qui tamen eſt bonus vel malus in individuo conſideratus. Et hoc ideo, quia actus moralis non ſolum habet bonitatem ex objecto, a quo habet ſpeciem, ſed etiam ex circumſtantiis, quæ ſunt quaſi quædam accidentia: ſicut aliquid convenit individuo hominis ſecundum accidentia individualia, quod non convenit homini ſecundum rationem ſpeciei: & oportet, quod quilibet individualis actus habeat aliquam circumſtantiam, per quam trahatur ad bonum vel malum, ad minus ex parte intentionis finis. Cum enim rationis ſit ordinare, actus a ratione deliberativa procedens, ſi non ſit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipſo repugnat rationi, & habet rationem mali; ſi vero ordinetur ad debitum finem, convenit cum ordine rationis, unde habet rationem boni: neceſſe eſt autem, quod vel ordinetur, vel non ordinetur ad debitum finem; unde neceſſe eſt, omnem actum hominis a deliberativa ratione procedentem in individuo conſideratum, bonum eſſe vel malum.*

*278. Exponitur præcipua ratio opinionis admittentis actus in individuo indifferentes.*

278. Ceterum alterius ſententiæ affirmantis Patroni omni conatu ſeſe opponunt huic *neceſſitati* univerſali, & abſolutæ relationi operum ad finem honeſtum in genere moris, quæ in adverſo ſyſtemate indubitanter aſſumitur tamquam baſis mox expoſiti ratiocinii. Itaque ajunt ipſi, Deum ſumme benignum indulgere humanæ naturæ fragili, infirmæ, atque in ſtatu continuæ diſtractionis poſitæ, ita ut homo non teneatur ſemper dirigere actiones ſingulas ad altiorem honeſtatis finem, ſed poſſit interdum quædam agere propter aliquem finem inferiorem, proxime reſpicientem indigentias ipſius naturæ humanæ; uti ſunt expuere, ſternutare, purgamenta projicere, ſe movere, refrigerare, & ſimilia. Ex quo ſequitur, actus hujuſce generis nec *poſitive inhoneſtos* dici poſſe, quia conformes voluntati Dei ſaltem ut permittenti & indulgenti; nec *poſitive honeſtos*; quia motivum ſolius permiſſionis ad honeſtatem inſufficiens eſt; adeoque vocandos *indifferentes*. Quocirca concludit Seraphicus (*in* 2. *Sent. diſt.* 41. *ar.* 1. *q.* 3.) & cum eo etiam Scotus (*ead. diſt. qu. un.*) quod ſicut *non dicitur homo eſſe otioſus ſemper, quando non laborat; ſed tunc, quando non laborat, & deberet laborare: ita non omnem actum malum eſſe ex hoc ſolum, quod caret tali bonitate*, ſcilicet ordinatione in finem honeſtum; *ſed qui caret bonitate, quam deberet habere: non autem actum debere habere talem bonitatem*. Itaque, ſi quid ego capio, tota quæſtio ampliſſima huc tandem redigitur, an divina bonitas indulgeat humanæ fragilitati nec ne, ut aliquæ ſaltem actiones ab homine deliberate & conſulto operante non referantur ad finem vere honeſtum ſeu moraliter bonum? Quod cum ego fidenter vel affirmare vel negare minime audeam, aliis decernendum relinquo.

SE-



## SECTIO IV.

### *De Fontibus moralitatis.*

*279. In hac quarta ſectione agitur de objecto, Fine, & Circumſtantiis, unde completa actionum moralitas repetenda. Explicatur ſtatim, quid ſit bonitas & malitia Formalis, atque Objectiva.*

179. BOnitatis, ac malitiæ moralis capaces non eſſe niſi actus vere *humanos*, ideſt voluntarie ac libere productos, propterea quia hi ſoli poſſunt ſubeſſe directioni rectæ rationis, ſæpiſſime jam a nobis obſervatum eſt. Ut autem bonitas, ac malitia actuum ex eorum ad hujuſmodi regulam habitudine detegatur, non quomodocumque conferendi cum iſta regula; ſed ſub triplici reſpectu, videlicet ratione *objecti*, *finis*, *circumſtantiarum*, comparatio inſtituenda, quippe ſecundum horum trium aggregationem adæquate cognoſci humanum actum docet Scotus (*n.* 264.) ex communi ſententia. Exinde nata ea diſtinctio duplicis bonitatis ac malitiæ, quarum alia dicitur *formalis* ſeu *actualis*, alia *objectiva* ſeu *fundamentalis*. Secunda reperitur in ſolo objecto, ipſumque conſtituit bonæ, aut malæ actionis objectum, ſive ſecundum rectam rationem appetendum, aut averſandum; prima reſidet in ipſo actu, ſumpto ſecundum aggregationem omnium conditionum ad ejus moralitatem confluentium, eaque actus conſtituitur formaliter bonus, aut malus. Unde actualis præſupponit objectivam; nec enim idcirco objectum cenſetur bonum, aut malum, quia recte aut perperam a voluntate appetitur; ſed potius a voluntate recte aut perperam appetitur, quia objectum per ſe bonum, aut malum eſt. Adeſt & aliud diſcrimen, quia videlicet actualis bonitas & malitia per ſe convenit actui interno, & per participationem ſeu denominative actui externo: objectiva vero præcipue competit actui externo, prout tamen eſt objectum interni.

*280. Sequitur ſubdiviſio Actualis bonitatis ac malitiæ in Materialem, & Formalem; quæ ſæpiſſime memoratur in Theologia Morali, ac per omnia habenda in ferendo judicio de ſingularibus actionibus.*

280. In ſcholis familiare eſt diſpeſcere *actualem* bonitatem, ac malitiam actionis in *materialem*, & *formalem*. Quotieſcumque actio a voluntate producta reipſa congruit rectæ rationi, ac legi æternæ, aut ab utraque diſcrepat, tunc appellatur bona, aut mala *materialiter*. Ubi vero ipſa materialis bonitas aut malitia actionis imputatur agenti voluntati ad laudem, vel reprehenſionem, ad præmium vel pœnam; eo, quod priuſquam fieret actio, eadem bonitas aut malitia cognoſcebatur, vel ſaltem poterat, ac debebat cognoſci; tunc vocatur actio bona, aut mala *formaliter*. Sic ex. ca. pure *materialis* foret bonitas eleemoſynæ, ſi quis Dominum honorare tentaret de ſubſtantia ſua, quam ex errore alienam putat: *formalis* vero bonitas ſimul accederet, ſi pecuniam erogaret, quam ſuam eſſe deprehendit. Pariter malitia luxuriæ fuit ſolum *materialis* in Patriarcha Jacobo concumbente cum Lia, quam inculpate opinabatur eſſe Rachelem; in Herode autem Rege, ſcienter abutente uxore fratris ſui, fuit etiam *formalis*. Ita malitia internecionis Chriſti *materialis* ſimul ac *formalis* fuit in Majoribus Judæorum qui moti ſunt ex invidia; in Popularibus vero, qui moti ſunt ex ignorantia audientes a prioribus, quod blaſphemaſſet ac morte dignus eſſet, *materialis* tantum fuit, quamquam non omni ex parte, quippe ex Seraphico (*in* 2. *Sent. diſt.* 40. *dub.* 3.) *Licet Judæi ſimplices & populares putarent ſe occidendo Chriſtum*, gladio linguæ, *blaſphemum interficere, & ſic obſequium Deo præſtare: iſta tamen ignorantia non excuſat, pro eo quod opera, quæ Chriſtus fecit, non ſolum magnis, ſed etiam parvis notitiam ſanctitatis ejus præſtare poterant.*

*281. Declaratur ſuperior diſtinctio Materialis, & Formalis bonitatis, ac malitiæ alia obſervatione petita a controverſia de Probabiliſmo*

281. Ut hac occaſione momentoſum quid moneamus, præcipua controverſia inter Probabilioriſtas, & Probabiliſtas huc ſpectat. Videlicet quando circa honeſtatem vel inhoneſtatem cujuſpiam actionis, ex. ca. alicujus contractus, duæ circumferuntur oppoſitæ opiniones Doctorum, una magis probabilis ac tuta, altera minus probabilis & tuta; & aliquis, hujuſce diſſidii probe gnarus ſe determinat ad agendum juxta opinionem minus probabilem at tutam, relicta priore, quia nempe perſuaſum habet ſe prudenter agere ſequendo opinionem, quæ dicitur probabilis, & a doctis viris defenſatur: tunc, ſi contingeret talem actionem a norma legis reapſe diſcordare ex. ca. contractum eſſe uſurarium, utrum homo ſic agens excuſetur coram Deo ob ignorantiam *invincibilem*, atque ejus actio repugnans legi cenſenda ſit *materialiter* dumtaxat mala nec ne, hoc eſt illud, de quo maxime controvertitur. Probabiliſtæ utrumque conſtanter affirmant, ſeque arbitrantur ſe reddere immunem ab omni gravi periculo uſum proprii ſyſtematis: at Probabilioriſtæ neutrum ſibi in animum inducere poſſunt, conſiderata præſertim genuina notione ignorantiæ vere *invincibilis* (*n.* 209.) ſic enim ratiocinantur. *Ignorantia invincibilis* (ut legitur apud P. Anacletum Probabiliſtam in ſcholis tritum) *ea eſt, quæ morali diligentia ſuperari ac tolli nequivit, eo quod nunquam in mentem venerit,*



dubi-

*dubitare aut cogitare de oppoſito ; vel etiamſi in mentem venit , tamen adhibita diligenti inquiſitione , ignorantia illa depelli , & veritatis cognitio acquiri non potuit .* Atqui conditiones illæ non videntur quadrare ignorantiæ illius hominis, qui Probabiliſmi clypeo munitus quidpiam agit, quod eſt reipſa a lege vetitum : quia ex una parte novit ex Logica , propoſitionum contradictoriarum, *hic contractus eſt licitus* , & *non eſt licitus* , neceſſario unam eſſe *veram* , alteram *falſam* ; ex alia parte ex duabus opinionibus hoc modo contrariis ipſe eam ſeligit , quam detexit eſſe *minus vero ſimilem* tutamque , ſpectata ſeu ratione intima , ſeu auctoritate externa Doctorum . Igitur , ſi contra legem agit , non poteſt obtendere ignorantiam vere *invincibilem* , & tranſgreſſionem pure *materialem* .

*282. Conſideratur Objectum, quod eſt velut fons primus , ex quo moralitas actuum humanorum derivetur.*

282. *Actualem* ſive *formalem* ( *n.* 279. ) dumtaxat bonitatem & malitiam actionum intelleximus , quoties eam nominavimus in præcedentibus Articulis . Nunc mentem convertimus ad *objectivam* ſeu *fundamentalem* , quæ hujus loci propria eſt ; adeoque de *objecto* agimus , quod eſt *primum* illud , unde derivatur moralitas actionum . Univerſalis doctrina eſt , humanos actus *primario* haurire ſpeciem ſuam moralem ab *objecto*; ita ſcilicet ut dicantur boni vel mali ſecundum ſpeciem ac naturam , prout verſantur circa rem , quæ rectæ rationi congruit , vel non congruit . Conſtat id auctoritate & ratione manifeſta : nam Oſee ( *c.* 9. ) dicitur : *facti ſunt abominabiles , ſicut ea , quæ dilexerunt* : ex quo ſic argumentatur Angelicus ( 1. 2. *q.* 18. *ar.* 2. ) *fit homo Deo abominabilis propter malitiam ſuæ operationis , ergo malitia operationis eſt ſecundum objecta mala , quæ homo diligit ; & eadem ratio eſt de bonitate actionis* . Quare hoc ſenſu intelligendum eſt itum D. Auguſt. ( *tr.* 2. *in* 1. *Joan.* ) *talis eſt quiſque , qualis eſt ejus dilectio ; terram diligis ? terra es : Deum diligis ? quid dicam ? Deus eris* . Certe in *naturæ* genere actus ſpecificari ab objectis , vetus eſt Philoſophorum axioma ; quidni ergo in genere *moris* idem erit ? Quod ſi contingat reperiri objecta , quæ ſuapte natura nec bona , nec mala ſunt , ſed *indifferentia* ; tunc bonitas & malitia actuum , qui circa illa verſantur , repetenda erit a *fine* vel *circumſtantiis* , quæ in tali caſu cenſentur induere rationem *objecti* moralis ; ut dum ambulatio fit honeſtæ recreationis , vel recuperandæ valetudinis cauſſa ; aut ex intentione perſequendi adverſarium , ſive eo tempore , quo eſt a Superiore interdicta : in priori enim caſu bona , in poſteriori mala eſt ex fine , & circumſtantiis .

*283. Statuta theſis procedit de objectis reſpective ad rectam rationem conſideratis , non de objectis abſolute ſumptis.*

283. Porro nomine *objecti* conferentis actibus moralem ſpeciem , non intelligitur res aliqua in ſe præciſe ſpectata ; ſed potius res , quatenus certum præfert reſpectum ad rationem , dum ſubſternitur actui , cujus objectum dicitur ; unde objectum cenſetur bonum & conveniens , quando actus verſatur circa rem modo conſentaneo rectæ rationi ; malum vero & inconveniens , ubi actus circa rem occupatur ſecus ac dictet ratio recta . Sic objectum , ex quo ſumptio cibi & potus habet , quod ſit bona aut mala in genere moris , non ſunt præciſe cibus & potus , cum poſſint peræque media eſſe tum gulæ , tum temperantiæ ; ſed cibus & potus , prout juxta , vel contra regulam rationis aſſumuntur ; idipſum dicatur de pecunia , quæ & avaritiæ fovendæ , & liberalitati exercendæ poteſt inſervire . Retenta hac diſtinctione objecti *abſolute* , & *reſpective* conſiderati , facile capies , quomodo actiones humanæ poſſint evadere malæ ex *objecto* , quamvis in *rebus ipſis* non ſit malum . *Licet res exteriores* , verba ſunt Angelici ( 1. 2. *q.* 18. *ar.* 2. ) *ſint in ſeipſis bonæ , tamen non ſemper habent debitam proportionem ad hanc vel illam actionem : & ideo , in quantum conſiderantur ut objecta talium actionum , non habent rationem boni* .

*284. Tradita collatio objecti cum rationis regula, ut actio in ipſum tendens dici poſſit bona vel mala in genere moris , firmatur doctrina Scoti diſtinguentis in actu humano tres gradus bonitatis , & malitiæ.*

284. Ubi de moralitate actionum agitur , ea ratione mox indicata conſiderandum eſſe objectum , confirmat Scotus ( *in* 2. *Sent. art.* 7. *qu. un.* ) cujus integrum textum referre juvat , quoniam & alia complectitur , quæ deinceps lumen nobis præbere poſſunt . *Præter bonitatem naturalem volitionis , eſt triplex bonitas moralis ſecundum ordinem ſe habens . Prima dicitur bonitas ex genere . Secunda poteſt dici bonitas virtuoſa , ſive ex circumſtantiis . Tertia bonitas meritoria , ſive gratuita , ſive ex acceptatione divina in ordine ad præmium . Prima competit volitioni ex hoc , quod ipſa tranſit ſuper objectum conveniens tali actui ſecundum dictamen rectæ rationis , & non ſolum qui eſt conveniens tali actui naturaliter , ut ſol viſioni ; & hæc eſt prima bonitas moralis , quæ ideo poteſt dici ex genere , quia eſt quaſi materialis reſpectu omnis boni ulterioris in genere moris . Secunda convenit volitioni ex hoc , quod ipſa elicitur a voluntate cum omnibus circumſtantiis , dictatis a recta ratione debere ſibi competere in eliciendo ipſam ; bonum enim eſt ex cauſa integra . Tertia convenit actui ex hoc , quod præſuppoſita duplici bonitate jam dicta , ipſa volitio elicitur conformiter princi-*

pio



*pio merendi , quod eſt gratia vel caritas , ſive ſecundum inclinationem caritatis . Exemplum de primo , dare eleemoſynam . Exemplum de ſecundo , dare eleemoſynam de proprio pauperi qui eget , & in loco quo melius poteſt ſibi competere . Exemplum de tertio , iſtud opus facere non tantum ex inclinatione naturali , ſed ex caritate , ex qua faciens eſt amicus Dei , in quantum reſpicit opera ejus . Hæc triplex bonitas eſt ita ordinata , quod prima præſupponitur ſecundæ , ſecunda tertiæ , & non e converſo . Huic triplici bonitati opponitur triplex malitia ex genere , ex aliqua circumſtantia , & in demerito .*

*285. Demonſtratur , has duo poſſe invicem componi , nempe quod bonitas & malitia actuum deſumatur primario ex illorum objectis , & quod ratio , ſeu lex æterna ſit norma agendi.*

285. Petes forſitan , cur Angelicus & Subtilis primariam bonitatem & malitiam actionum in genere moris doceant provenire ex *objectis* relatis ad rectam rationem , & non potius ab ipſa *ratione* aut *lege æterna* , quæ ſunt agendi norma ? Reſpondeo , utramque deſumi poſſe & ab objecto , & ab agendi norma , ſed diverſo modo . Dupliciter cognoſcere licet alicujus rei bonitatem ſeu perfectionem : primo ex ejus principiis , & accidentibus ; ſecundo ex ejuſdem conformitate cum exemplari . Porro actus humani bonitatem ( idem de malitia dicas ) priori reſpectu detegimus examinando illius objectum , finem , & circumſtantias ; poſteriori reſpectu recurrendo ad rationem , & legem æternam . Quare actus humanus licet poſſit in ſe bonus eſſe ex objecto tamquam cauſſa intrinſeca , ſimulque ex fine & circumſtantiis ; nihilominus requirit conformitatem cum lege , & ratione , tamquam cum menſura extrinſeca ; non quod bonitas ejus ſita ſit in tali conformitate , ſed quia ſine tali conformitate conſtrui nequit . Itaque juxta ſcholarum formulas loquendo dicere poſſumus , actuum humanorum moralitatem a multis pendere , quorum unum non excludit alterum ; videlicet a lege æterna *directive* ; a ratione practica ſeu conſcientia *applicative* ; ab objecto , circumſtantiis , ac fine *terminative* ; demum *formaliter* a tendentia agentis in objectum , ſpectatum cum omnibus circumſtantiis ſeu conditionibus , quas dictat ratio debere actui convenire .

*286. Conſiderato objecto , expendenda circumſtantiæ , quæ ſunt ſecundaria origo moralitatis actuum.*

286. Satis jam oſtenſum eſt , ex *objecto* regulis morum ſubdito deſumi moralitatem humanorum actuum ; ea tamen non a ſolo objecto pendet , tota quanta eſt ; ſed præterea a variis *circumſtantiis* ſecundario ſaltem repetenda , inter quas venit præcipue *finis* , qui *extrinſecus* dicitur , de quo ſeorſim accurateque diſſeremus in calce hujuſce Sectionis . Id porro mirum videri non debet , nam ex Angelico ( 1. 2. *q.* 18. *ar.* 3. ) *Sicut in rebus naturalibus non invenitur tota plenitudo perfectionis , quæ debetur ei , ex forma ſubſtantiali , quæ dat ſpeciem ; ſed multum ſuperadditur ex ſupervenientibus accidentibus , ut in homine ex figura , colore , & ſic de aliis , quorum ſi aliquid deſit ad decentem habitudinem , conſequitur malum ; ita etiam in actione : nam plenitudo bonitatis ejus non tota conſiſtit in ſua ſpecie ; ſed aliquid additur ex his , quæ adveniunt tamquam accidentia quædam , & hujuſmodi ſunt circumſtantiæ debitæ , unde ſi aliquid deſit , quod requiratur ad debitas circumſtantias , erit actio mala .*

*287. Multiplici argumento oſtenditur , moralitatem actuum pendere etiam a fine , & circumſtantiis reliquis.*

287. Nullum hic de re dubium , ſive conſulamus Ethicam naturalem , ſive Revelatam Theologiam . Enimvero Ariſtoteles *lib.* 2. *Eth. c.* 4. & 6. ) longe aliud eſſe docet , *agere juſte* , & *agere juſta* . Scripturæ Divinæ & Patres Eccleſiaſtici de Sacrificiis , orationibus , jejuniis , eleemoſynis , aliiſque operibus ex objecto optimis loquentes paſſim inculcant , eo quo par eſt modo , ac fine ſollicite peragenda , ne Deo inviſa , & ſalutarium effectuum vacua evadant . *Solemnitates veſtras odivit anima mea* ( *Iſa. c.* 1. ) *Oratio ejus erit execrabilis* ( *Prov. c.* 28. Unde Seraphicus ( *Compend. Theol. Verit. lib.* 5. *c.* 12. ) *notat , quod , non bonum facere , ſed bene facere , laudabile eſt : non enim verbis , ſed adverbiis meremur* : unde verſus : *In vitæ meritis præſunt adverbia verbis* . Hinc autem craſſus detegitur error olim Hebræis , ac multis ſubinde Chriſtianis familiaris , quo ſcilicet creditur animæ ſaluti ſatis conſultum fore , ſi ſola attendatur bonitas objectiva actionum , ſepoſita cura finium , & reliquarum circumſtantiarum . Valent ad eum convellendum plurima , quæ D. Auguſtinus præclare ſcripſit adverſus Pelagianos , qui ut medicinalis gratiæ Chriſti neceſſitatem elevarent , obtendebant virtutes , ac præſtantia Gentilium opera , retinentes acceſſoriam vanæ gloriæ labem , qua eadem plerumque deformabantur .

*288. Explicatur , quid ſit circumſtantia moralis.*

288. *Circumſtantiæ* , quam Græci *periſtaſin* vocant , juxta Seraphicum ( *Centil. p.* 1. *ſ.* 33. ) ſic nominatur a Latinis , quia *actum circumſtat* ; eſtque proprietas *pertinens ad laudem aut vituperium , vel diminuendo , vel augendo , vel in aliud genus trahendo* : ſeu eſt particularis quædam affectio , quæ humano actui accedit , & quidpiam confert ad ejus moralitatem . Quidquid ergo actui externus adjacet , niſi reſpectum aliquem præſeferat ad ipſum , prout ad finem ordinatur , ipſique obeſſe , aut prodeſſe poſſit , illud *circumſtantia moralis* cenſeri minime poteſt . Nam ex Angelico ( 1. 2. *q.* 7. *ar.* 2. ) *Sic circumſtantiæ ſunt extra actum , quod tamen actum aliquo modo contingant ordinate ad ipſum . . . . bonitas autem actuum eſt , in quan-*

tum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*tum ſunt utiles ad finem*. Quare ex. gr. cum actus orandi, vel furandi, nec magis nec minus boni, vel mali evadant, eo quod tali anno, vel hora contingant, & ad peccatum nihil referat ex Scoto (*in 4. Sent. diſt. 17. q. 1.*) *quod fiat cum aliqua quæ vocatur Berta. vel Alicia*: inde fit, ut hæc & ſimilia minime reputari debeant inter *morales* circumſtantias. Quanta hujus generis accidentia ad actuum moralitatem prorſus impertinentia in Sacris Confeſſionibus non ſine temporis jactura anxie enarrantur a garrulis mulierculis, viriſque meticuloſis!

*289. Circumſtantiarum numerus ſtatuitur, & probatur.*

289. Præcipuæ circumſtantiæ, unde aliquid bonitatis vel malitiæ moralis advenire poteſt humanis actibus, ſeptem numero aſſignantur ex communi Doctorum ſenſu; quas Tullius in ſua Rhetorica recenſuit verſiculo iſto comprehenſas: *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando*. Angelicus præcitatus ſic oſtendit convenientem eſſe hanc enumerationem. *Nam circumſtantia dicitur, quaſi extra ſubſtantiam actus exiſtens: ita tamen quod aliquo modo attingit ipſum: contingit autem hoc fieri tripliciter, uno modo, in quantum attingit ipſum actum: alio modo, in quantum attingit cauſſam actus: tertio modo, in quantum attingit effectum. Ipſum actum attingit, vel per modum menſuræ, ſicut tempus, & locus; vel per modum qualitatis actus, ſicut modus agendi. Ex parte effectus, ut cum conſideratur, quid aliquis fecerit. Ex parte cauſſæ actus, quantum ad cauſſam finalem accipitur, propter quid; ex parte cauſſæ agentis principalis accipitur, quis egerit; ex parte cauſſæ agentis inſtrumentalis accipitur, quibus auxiliis*. Quomodo ſingulæ iſtæ circumſtantiæ ſint intelligendæ, erit operæ pretium paucis indicare.

*290. Declarantur priores tres circumſtantiæ: Quis, quid, ubi.*

290. Circumſtantia 1. *Quis* non ipſum agentem hominem ſignificat, ſine quo actus proculdubio nequit exiſtere; ſed potius conditionem, ſtatum, qualitatem illius; perinde ac ſi diceretur *qualis*, Eccleſiaſticus, vel Sæcularis? ſolutus, vel conjugatus? rationis compos, vel impos? 2. *Quid* non denotat abſolute materiam ſeu objectum actionis; ſed ſecundariam objecti conditionem, potiſſime reſpicientem ejus quantitatem, ac qualitatem, ex. gr. an multum, vel parum rei fuerit furto ſublatum? an res ſacra, vel profana? Ut autem hujuſmodi *quid* plene perfecteque exprimatur, manifeſtare quoque oportet, *circa quid* verſetur objectum actionis ſpectatum ſecundum quantitatem, & qualitatem, videlicet num ex. gr. egeno, aut diviti res fuerit ablata? alioquin *quid*, & *circa quid*, erunt duæ diſtinctæ circumſtantiæ. Hinc patet, cur Ariſtoteles (*l. 3. Ethic. c. 1.*) ſeptem circumſtantiis, quas nos ex Tullio memoravimus, addat octavam *circa quid*, quæ, ut notat idem Angelicus, a Tullio comprehenditur ſub *quid*. 3. *Ubi* non indicat purum putumque locum, cum actus neceſſario debet alicubi fieri; ſed aliquam loci qualitatem ſeu conditionem, quæ, licet accidentaria ſit ipſi loco, attamen aliquam affert moralitatem; ut eſt ex. ca. ratio ſacri, vel profani, publici vel ſecreti, relate ad actum inverecundum in aliquo loco factum.

*291. Sequitur declaratio reliquarum quatuor circumſtantiarum quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.*

291. 4 *Quibus auxiliis* importat media applicata, & ſubſidia adhibita ad agendum: ex. gr. num Eccleſiaſticis exorciſmis, vel ligatura magica diſpuleris maleficium: proprio ſtudio ac labore, vel arte notoria Anabatiſtarum ſcientiam comparare tentaveris; virginem ſeduxeris ſolus ipſe, vel ope domeſticarum famularum? 5. *Cur* exprimit extrinſecum operantis finem, quem paullo poſt expendemus; ex. ca. utrum Clericus inſerviat Epiſcopo, aut Chorum frequentet, unice vel principaliter ut aſſequatur beneficium Eccleſiaſticum; & lucretur quotidianas diſtributiones. 6. *Quomodo* repræſentat peculiarem modum agendi, non quidem illum, qui eſſentialis eſt actui humano & morali, nempe quod fiat bene vel male in genere moris; ſed alium quemvis accidentarium modum, ex. ca. utrum ex paſſione, vel ignorantia, vel malitia; raro aut frequenter; remiſſe aut intenſe, quis operatus ſit ſeu circa ſe, ſeu circa proximum. Ex Seraphico (*in Confeſſionali c. 2. ar. 20.*) *Sacerdos hanc circumſtantiam non quærat de peccato luxuriæ, niſi a remotis; ne forte lupum excitet dormientem, id eſt, peccata nova in animo hominis repræſentet*. 7. *Quando* denotat, non præciſe ſolum tempus, quo actio fit; ſed aliquam temporis conditionem, ut ex. ca. feſtivitas aut vigilia eccleſiaſtica dierum, relate ad auditionem Miſſæ, & jejunii obſervationem: item temporis durationem, ex. ca. an quis integris menſibus, vel annis permanſerit in aliquo pravo affectu invidiæ, odii, laſciviæ, aut res alienas invito domino detinuerit apud ſe.

*292. Obiter quæritur, an circumſtantia feſti dici addat peccato, quod in eo committitur, malitiam novam, & quantam?*

292. Utrum circumſtantia *Feſti* ſuperaddat novam malitiam in Confeſſione Sacramentali exprimendam, quando die *feſto* committitur peccatum *mortale*, plures præſentis ætatis Theologi contendunt inter ſeſe haud modico æſtu, nec levi opinionum varietate. Steyartius Belga eo progreditur, ut ſcribere non dubitet, *circumſtantiam Feſti omne mortale aggravare, immo ad aliam transferre ſpeciem*; hancque addit utriuſque adſerti rationem, quia *omne mortale peccatum repugnat fini ipſi proximo, & extrinſeco præcepti de ſanctificando Sabbato, qui eſt ut mens vacet Deo, & rebus Divinis*. Aſt. P. Iac. Van Boſſuyt Auguſt. Profeſſor itidem Belga (*Tom. I. Theol. Mor. Tract. 1. cap. 6.*) ita eumdem excipit: *Si ita; non inde tamen conſequitur, quod circumſtantia Feſti tantam omni peccato addat malitiam, ut in Confeſſione exprimenda ſit. Durus alioqui exactor videberis, ſi aſſeras, quod legem de colendo Sabbato graviter violet, & duplicis peccati mortalis reus ſit ille, qui die feſto delectationem habet moroſam momento tranſeuntem*. Prædicta tamen circumſtantia peccatum aliquatenus aggravari, aperte indicat Seraphicus (*de Purit. Conſc. c. 2.*) *Confeſſio debet eſſe plena, quia debet continere circumſtantias aggravantes peccata quæ ſunt, Tempus, in quo peccas, quia gravius eſt otiari in die Dominico vel feſto ſollemni, quam in die alio ſimplici: & gravius eſt quodcumque peccatum in magna ſollemnitate, quam alio tempore &c.* Rurſus (*in Conf. c. 2. de interrog. faciend. ar. 20.*) *Confeſſor quærat etiam de circumſtantiis peccatorum: quando peccavit, utrum in tempore feſtivo, vel non feſtivo*.



*293. Circumſtantia moralis duos effectus poſſunt producere. Unus eſt bonitatem, & malitiam diminuere, vel adjicere actui humano in ſua ſpecie permanenti.*

293. Jam vero circumſtantiæ univerſim loquendo *duplicem effectum* parere poſſunt in genere moris ex Seraphico (*num. 288.*) dummodo non ſint impertinentes ad actum, prout refertur ad ultimum finem. Prior effectus eſt, augere, vel minuere bonitatem ac malitiam actus intra eamdem ſpeciem: ut dum quis Deum laudat, vel blaſphemat, longiori aut breviori tempore, cum majori aut minori affectu, vel averſatione, ſive majorem aut minorem pecuniæ copiam egenis largitur; hæ namque circumſtantiæ, quæ revocantur ad *quid*, & ad *quomodo*, reddunt actiones illas meliores, aut pejores, ita tamen, ut non immutent actionum ſpeciem; quia augmentum bonitatis, & malitiæ ex hujuſmodi circumſtantiis provenientis pertinet ad eamdem ſpecie virtutem, & ad idem vitium, ad quæ refertur ipſa bonitas, & malitia abſoluta, quam actiones habent ex proprio objecto: illud porro augumentum veroſimiliter non fit per additionem alicujus bonitatis, & malitiæ, ſed potius per intenſionem. Ex his ſequitur, quod ipſæ circumſtantiæ vocari poſſint ſimul & circumſtantiæ, & objecta: *circumſtantiæ*, quatenus ſupponunt jam objectum principale, quod per ſe poteſt, vel non poteſt honeſte amari: *objecta*, quatenus conjunguntur cum objecto principali, cum eoque conſtituunt quaſi unum totale objectum per modum aggregationis.

*294. Alter effectus circumſtantiarum eſt, vel actui novam addere ſpeciem, vel illam transformare in aliam.*

294. Poſterior circumſtantiarum effectus eſt, producere omnino aliquam ſpeciem moralem actus humani: quod bifariam poteſt contingere: 1. quidem dum novam & diverſam ſpeciem bonitatis vel malitiæ ſuperaddunt, remanente eadem bonitatis vel malitiæ ſpecie, quam actus antea habebat ex proprio objecto: ut quando aliquis jejunat ex voto, aut furatur in templo: actus enim jejunandi duplicem ſpecie diverſam continet bonitatem temperantiæ, & religionis: actus vero furandi ſimiliter involvit duplicem ſpecie diverſam malitiam, oppoſitam virtuti juſtitiæ, & religionis. 2. Dum mutant priſtinam objecti bonitatem, aut malitiam & ſimul cum objecto conſtituunt novam bonitatis, aut malitiæ ſpeciem: ut quando quis pro locis Terræ Sanctæ pecuniam erogat, vel ob vanam gloriam: hi enim actus, qui ceteroquin ſunt eleemoſynæ actus, non conſtituuntur in duplici ſpecie virtutis, aut vitii, ſed tantum in una ſpecie, ſcilicet religionis, vel ſuperbiæ. In priore caſu circumſtantiæ actui conferunt *ſecundam*, & *accidentalem* ſpeciem: in poſteriore dant *primam*, & *eſſentialem*; atque hoc ſecundum præſtant ſimiliter, ubi actus eſt ex ſua ſpecie indifferens; tunc enim nonniſi a circumſtantiis mutuatur bonitatem, aut malitiam.

*295. Quales circumſtantiæ novam ſpeciem inducunt in actum, tunc ſe habent per modum objecti, & eſſentiales ſunt actui ſpectato ſecundum illam ſpeciem. Aſſignatur regula ad cognoſcendum hunc effectum circumſtantiarum.*

295. Circa ſecundum iſtum circumſtantiarum effectum duo occurrunt animadvertenda. *In primis* quoties circumſtantia alicui actui adveniens conſtituit novam bonitatis, vel malitiæ ſpeciem, alterutro ex prædictis modis; jam non habet rationem circumſtantiæ relate ad actum ſpectatum ſecundum eam *novam* ſpeciem: ſed induit rationem objecti, & ſub eo reſpectu evadit eſſentialis actui, uti docet Angelicus (1. 2. *q. 18. ar. 10.*) *circumſtantia manens in ratione circumſtantiæ, cum habet rationem accidentis, non dat ſpeciem; ſed, in quantum mutatur in principalem conditionem objecti, ſecundum hoc dat ſpeciem*: ſic ex. gr. circumſtantia loci *ſacri* relate ad actum *furandi* eſt accidens; ſed relate ad eumdem actum, prout *ſacrilegium* eſt, evadit quid eſſentiale, ſcilicet differentia ſpecifica. *Deinde* indicium cognoſcendi, quandonam circumſtantia actui accedens novam in eo pariat ſpeciem, iſtud eſt; quando in ſe conſiderata deprehenditur continere peculiarem quamdam conſonantiam cum recta ratione, aut repugnantiam. Si enim abſolute ſpe-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ſpecies moris deſumitur ex ordine ad rationem tanquam agendi formam ( *n.* 254. ) profecto ex diverſo ordine ad rationem neceſſum eſt diverſam prodire ſpeciem: hinc idem Angelicus: *quandocumque aliqua circumſtantia reſpicit ſpecialem ordinem rationis vel pro, vel contra, oportet quod circumſtantia det ſpeciem actui morali vel bono, vel malo*: ita ex. gr. circumſtantia loci *ſacri* eſt hujus generis relate ad furtum, pollutionem, homicidium.

*296. Circumſtantiæ dividuntur in mutantes ſpeciem, & in aggravantes.*

296. Ex prædicto duplici effectu circumſtantiarum fluit prono velut alveo ipſarum diviſio in *aggravantes*, & *mutantes ſpeciem*, quas uberius explanare opus non eſt. Magis expedire arbitror nonnulla ſubnectere pertinentia ad utramque circumſtantiarum claſſem, quæ poſſint in praxi morali uſum habere. Primo itaque, circumſtantias *mutantes ſpeciem* ( hoc eſt, transferentes actum ad aliam ſpeciem diverſam ab ea, quam ſortitur ex proprio objecto ) revera admittendas eſſe certiſſime conſtat ex Trid. Conc. ( *ſeſſ.* 14. *can.* 7. & *cap.* 5. ) definiente contra Novatores, ejuſdem circumſtantias *in confeſſione explicandas eſſe: & alienum a ratione eſſe docere, circumſtantias has ab hominibus otioſis excogitatas fuiſſe; aut unam tantum circumſtantiam confitendam eſſe, nempe peccaſſe in fratrem*. Secundo, ad ſalvandam Confeſſionis Sacramentalis integritatem aperiendas eſſe *aggravantes* circumſtantias, eadem Oecumenica Synodus nullatenus definivit. Sciebat namque variantes ea de re veterum Magiſtrorum Catholicorum opiniones, adeoque recedere noluit a præconcepto ſuo conſilio, *abſtinendi ab articulis, qui Catholicas inter Scholas in dubitatione verſantur*, ut teſtatur Pallavicinus ( *in hiſt. Conc. lib.* 7. *cap.* 10. ) idque propterea, quia *collecta fuerat, non ad decidendas opiniones, ſed ad errores recidendos*.

*297. Vulgaris diviſio circumſtantiarum in aggravantium & mutantium ſpeciem, poteſt fieri trimembris, ſi addantur circumſtantiæ minuentes*

297. Tertio circumſtantiis *aggravantibus* ſeu intra eamdem ſpeciem bonitatem vel malitiam actus augentibus, poſſunt adjungi circumſtantiæ aliæ, quæ dicuntur *minuentes* eamdem ſcilicet bonitatem vel malitiam ſpecificam actus; ita ut ſuperior diviſio evadat trimembris, quemadmodum cum Præceptore ſuo Alex. Alenſi ( *par.* 4. *ſum. Theol. q.* 18. *memb.* 4. *ar.* 3. ) illam exhibet S. Bonav. ( *in* 4. *ſent. diſt.* 17. *q. ult.* ) dicens: *circumſtantiæ, quæ attingunt peccatum, quædam ſunt allevïantes, quædam in aliud genus trahentes, quædam aggravantes*: ſic ex. ca. orationis bonitas augetur, vel minuitur, prout cum fervore majori aut minori fit; & ſimiliter fornicationis malitia juxta varium libidinis gradum. Equidem & ipſæ *minuentes* circumſtantiæ debent actui bonitatem, aut malitiam aliquam conferre, ſecus morales circumſtantiæ abſolute non eſſent ( *n.* 288. ) Non idcirco tamen *minuentium* denominationem excidunt, nam ita denominantur, non ratione bonitatis vel malitiæ, quam actus habet ex objecto; hanc enim ſuo modo ipſæ adaugent: ſed ratione illius duntaxat bonitatis vel malitiæ, quæ ordinarie ſolet ineſſe actui: ita ex. ca. cum quis graviter percuſſus obiter tantum iraſcitur, vel acri pullatus tentatione remiſſe orat, circumſtantia brevitatis malitiam iræ, & circumſtantia torporis bonitatem orationis diminuunt: quatenus ſecluſis hiſce circumſtantiis, ordinarie loquendo, actus iraſcendi fuiſſet pejor, ac melior actus orandi.

*298. Circumfertur præterea diviſio circumſtantiarum aggravantium notabiliter, & leviter.*

298. Quarto, circumſtantiæ *aggravantes* ſolent a multis diſtribui in aggravantes *notabiliter*, & *leviter*. Sic ex. ca. publica, aut Eccleſiaſtica dignitas hominis, cui detrahitur, ſpecialis cuſtodia virginis, quæ defloratur, votum ſollemne continentiæ in Sacerdote poſt concupiſcentiis eunte ſunt circumſtantiæ *notabiliter* aggravantes triplicis ejus generis peccata; contra vero ignorantia difficulter vincibilis, quæ proprie dicitur *craſſa* ( *n.* 197. ) *leviter* duntaxat aggravat peccata, quæ ipſius cauſa fiunt ab idiotis, quatenus nempe non tantam habent malitiam, quantam plerumque ſolent præſeferre. Hinc porro liquet, ſubdiviſionem iſtam aggravantium circumſtantiarum ſuperfluam evadere, ſi teneatur trimembris circumſtantiarum diviſio a Seraphico citato aſſignata, quippe quæ hinc dicuntur *leviter* aggravantes, ſunt eæ ipſæ, quas appellavimus *allevïantes*, ſeu *minuentes*. Nihilominus eadem ſubdiviſio peraccommoda exiſtit in gravi controverſia de integritate Confeſſionis Sacramentalis. Auctores enim ſolent ibidem diſtinguere *multum*, & *parum* aggravantes circumſtantias; tumque alii affirmant *multum* aggravantes neceſſario aperiendas eſſe a pœnitentibus, alii vero negant. Ceterum horum ſententia, cui olim grave robur accedebat ex Scholaſticorum auctoritate aſſerentium, teſte Richardo de Mediavilla ( *in* 4. *ſent. diſt.* 17. *a.* 3. *q.* 5. ) *pepercisse Deum noſtræ infirmitati in non obligando nos ad has circumſtantias confitendas*, haud parum probabilitate ſua excidiſſe videtur ob varias Eccleſiaſticas ſanctiones, potiſſimum a tempore Conc. Trid. emanatas, ex quibus defenſores contrariæ ſententiæ valida eruunt argumenta non abludentia a mente etiam quarumdam Synodorum antiquarum, inter

quas



quas Bajocenſis an. 1300. quæ ita decrevit teſte Lambertino ( *de Synod. Diœc. l.* 6. *c.* 11. *n.* 2 ) *in confeſſione caveant Sacerdotes, ne inquirant nomina perſonarum, cum quibus peccaverunt confitentes; ſed circumſtantias tantum, quæ poſſunt aggravare peccatum.*

*299. Explicatur, quid ſit Finis, ſimulque proponitur vulgata ejuſdem diviſio in intrinſecum, & extrinſecum.*

299. Nunc de *Fine* ſpeciatim diſſerendum eſt, qui in ſeptenario Circumſtantiarum numero quintum ( *n.* 291. ) ſibi vindicat locum, atque inter eas omnes primatum obtinet; ut notavit Angelicus ( 1. 2. *q.* 8. *a.* 4. ) *etſi finis non ſit de ſubſtantia actus, eſt tamen cauſſa actus principaliſſima, in quantum movet agentem ad agendum, unde & maxime actus moralis ſpeciem habet a fine*. Juxta vim nudam omnis *finis* inde eſt, ac *meta* ſeu *terminus*: definitur vero ab Ariſtotele, *eſt id, cujus gratia aliquid fit*. Duplex diſtingui conſuevit; alius *operis*; ad quem opus ſuapte natura ordinatur, ut in eleemoſyna ſublevatio alienæ miſeriæ; alius *operantis*, quem operans pro ſuo arbitrio ſibi præfigit, ut in eodem eleemoſynæ actu ſatisfactio pro peccatis propriis. Prior finis idem eſt, ac *objectum* actus: idcirco ei *intrinſecus* eſt, propriamque ſpeciem confert. Poſterior differt ab objecto; eſtque actui *extrinſecus*; unde non dat ei propriam ſpeciem, ſed eſt circumſtantia operis ab agente relati in finem. Quare ubi bonum, aut malum *ex fine* nominatur, & diſtinguitur a bono, aut malo *objecto*: tunc ſemper intelligitur finis extrinſecus operantis, non finis intrinſecus operis. Intrinſecum autem finem diximus idem eſſe cum objecto actus, intelligentes non *materiale* ſed *formale* objectum: quia objectum formale non eſt, niſi ratio ſeu motivum appetendi objectum materiale.

*300. A fine extrinſeco participant actus humani moralitatem, ita ut ob ipſum proprie dicantur boni vel mali.*

300. Finem *extrinſecum*, de quo ſolo deceps loquemur, moralitatem ſeu bonam, ſeu malam conferre humanis actibus, utcunque jam demonſtratum ( *n.* 187. ) ubi id de univerſis Circumſtantiis probavimus. Addimus hic aliud momentum petitum ex Evangelio ( *Matth. c.* 6. ) *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit: ſi autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit*: in his verbis nomine *corporis* humanam operationem, nomine *oculi* intentionem finemque operantis deſignari, tradunt Eccleſiaſtici Doctores. *Eſt intentio tantæ virtutis*, inquit Angelicus ( *opuſ.* 4. *de decem Præcep.* §. *de dilect. Dei* ) *quod omnia opera ad ſe trahit: unde quæcunque bona, mala intentione facta, in mala convertuntur: ſi oculus tuus, id eſt intentio, nequam fuerit, totum corpus tenebroſum erit, id eſt congeries bonorum operum tuorum tenebroſa erit*. Et Seraphicus ( *de ſex alis Seraph. c.* 7. ) *ſi oculus ſuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit; hoc eſt, ſi intuitus intentionis purus fuerit caritate, totum corpus bonæ operationis dignum erit præmio lucis æternæ*. Licet autem ad bonitatem *meritoriam* requiratur caritas, uti ex Subtili Doctore audivimus *n.* 184. ad *moralem* tamen honeſtatem actuum ſufficiens eſt quicunque inferior finis, attemperatus dictamini rectæ rationis, & ex motivo alicujus moralis virtutis elicitus.

*301. Finis influxus in morales actiones valde diverſus declaratur diſtinctis Theſibus. Prima eſt de fine accedente actionibus indifferentibus.*

301. Sicuti actus humani diverſas ſortiuntur ſpecies morales ob diverſitatem objectorum, circa quæ verſantur, ita diverſimode quoque finis in moralitatem actuum influit: unde aliter atque aliter moralitatem inducit, tranſmutatque in actibus ex objecto ſeu genere *indifferentibus*, *bonis*, & *malis*: quod nunc diſtincte oſtendendum. *Primo*, quando actio *indifferens*, eſt ex objecto, tunc a fine bono, aut malo ſumit primam & eſſentialem bonitatem, aut malitiam ( *n.* 294. ) adeoque per ipſum finem conſtituitur in alia ſpecie virtutis, aut vitii. Hoc ſupponens principium D. paulus ( 1. *ad Cor. c.* 10 ) Fideles cunctos exſtimulavit, ut ex actionibus etiam per ſeſe infrugiferis, quales ſunt quæ pertinent ad communes corruptibilis vitæ neceſſitates ſollicite captarent ſpiritualia, & æterna lucra: *ſive manducatis, ſive bibitis, ſive aliquid facitis, omnia in gloriam Dei facite*. Clarum occurrit exemplum in actione *ſtudendi*, quæ cum ſit ex ſe indifferens, multas variaſque ſuſcipere poteſt bonitates aut malitias, juxta honeſtos aut inhoneſtos fines quorum cauſſa fit, teſte D. Bernardo ( *Ser.* 16. *ſuper Cantica* ) *Sunt qui ſcire volunt eo fine tantum, ut ſciant; & turpis curioſitas eſt: ſunt qui ſcire volunt, ut ſcientiam ſuam vendant; & turpis quæſtus eſt: ſunt qui ſcire volunt, ut ſciantur ipſi; & turpis vanitas eſt: ſunt qui ſcire volunt, ut ædificent; & caritas eſt: ſunt qui ſcire volunt, ut ædificentur; & prudentia eſt.*

*302. Secunda theſis de fine adjuncto actionibus ex objecto boni*

302. *Secundo*, quando actio ex objecto *bona* eſt, & ab agente ordinatur ad *bonum* finem; tunc, ſi bonitas finis eſt ſpecie diverſa a bonitate objecti, actio deſumit *novam* ſpeciem bonitatis, adeoque *duplici* diverſa bonitate honeſtatur. Nam ſicuti ex mox dictis actio *indifferens* deſumit a fine *primam* bonitatem, ita actio jam *bona* recipere poteſt a fine *novam* bonitatem. Neque bonitas objecti, ſpecie diſcrepans a bonitate finis adjuncti, illam ullatenus excludit, ut colligitur ex Angelico ( 1. 2. *q.* 4. *a.* 4. ) quidquid nonnulli ipſius Commentatores



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

contra ſenſerint: *Actiones humanæ & alia, quorum bonitas dependet ab alio, habent rationem bonitatis a fine, a quo dependent, præter bonitatem abſolutam, quæ in eis exiſtit*. Idque exemplis etiam illuſtrat ( *l. 3. cont.* Gent. *c.* 38. ) *In virtutibus contingit, quod actus unius virtutis ad aliam virtutem ordinatur, ſicut cum quis dat ſua, ut cum altero amicitiam habeat, actus quidem ex ſua ſpecie eſt liberalitatis, ex fine autem caritatis: hujuſmodi autem actus majorem laudem habet ex caritate, quam ex liberalitate. Ponamus aliquem jejunantem, vel continentem ſe a venereis; ſi abſque voto hoc faciat, erit actus vel caſtitatis, vel abſtinentiæ, ſi autem ex voto, refertur ulterius ad virtutem, cujus eſt Deo aliquid vovere, ſcilicet ad religionem, quæ potior eſt caſtitate, vel abſtinentia, utpote nos faciens recte habere ad Deum: erit actus continentiæ, vel abſtinentiæ laudabilior in eo, quod ex voto facit, etiamſi non ita delectetur in abſtinentia vel continentia, ex eo quod delectatur in potiori virtute, quæ eſt religio*.

*303. Ejuſmodi theſis firmat communem illam Patrum doctrinam, qua idem Angelicus oſtendit, majoris bonitatis, ac meriti eſſe opera Religioſorum facta ex voto, vel obedientia, operibus aliorum hominum, qui abſque voto eadem faciunt.*

303. Atque hoc quidem principio ſubnixus Angelicus demonſtrat ( *in eod. l. cont. Gent. l. de Perfect. Vitæ Spirit. 12. l. cont. Retrab. hom. ab ingreſ. Relig. c. 12. & Sum. 2. 2. q. 88. a. 6.* ) gravi, ac pernicioſo errore illos detineri, qui opera virtutum, abſque ulla voti, vel obedientiæ obligatione peracta, arbitrantur meliora & laudabiliora conſimilibus operibus factis ex neceſſitate voti, aut obedientiæ, quia nempe tanto laudabilius videtur bonum, quanto liberius minuſve neceſſario agitur; atque prætextu iſto homines avocant ab ingreſſu in Religioſas Familias erga quas ſunt animo male affecti. Enim vero majorem potius bonitatem dignitatemque ineſſe operibus honeſtis, factis vi voti & obedientiæ, oſtendit ad oculum vel hæc ſola ratio, quam adfert (*eod. Opuſc. de Perfect. Vitæ Spirit.*) *Quanto aliquis plus dat alicui, tanto majus aliquid ab eo meretur: qui facit aliquid ſine voto, dat ei ſolum, quod facit propter ejus amorem: qui autem non ſolum facit, ſed etiam vovet, non ſolum dat ei, quod facit, ſed etiam potentiam, qua facit; facit enim ſe non poſſe, quin faciat, quod prius non facere licite poterat: magis igitur meretur apud Deum qui ex voto aliquid facit, quam qui illud facit ſine voto*: eo ferme pacto juxta S. Anſelmum ( *l. de Similitud. c.* 84. ) quo magis dare dicitur ille, qui dat *arborem cum fructibus*, quam alter, qui dat *fructus tantum*. Nec quidquam obeſt illa neceſſitas ex voto promanans, quoniam non antecedens & abſoluta eſt, ſed hypothetica & conſequens liberam voluntatem voventium, qui ex majori erga Deum caritate, ac deſiderio perfectionis illam ſponte ſubeunt ( *n.* 156. )

*304. Eadem ſuperior theſis* ſecunda *firmatur duplici ratione, petita ab* abſurdis, *& a* ſenſu communi.

304. Neque ſola Angelici auctoritate nititur ſtatuta theſis ( *n.* 302. ): ad eam comprobandam rationes quoque in promptu ſunt. Nam ſi bonitas ex fine proveniens non conſtitueret actum in alia ſpecie diſtincta ab illa, quam habet ex objecto, & cum acceſſoria bonitate finis non remaneret prior bonitas objectiva, ſequeretur, actum unius virtutis non poſſe ab alia virtute imperari: item actus virtutum natura, & dignitate diverſarum (quales ſunt theologicæ & morales) quoties imperantur ab una virtute ex. ca. religionis, paris omnino perfectionis eſſe: neutrum autem horum ſuſtineri poteſt. Præterea ſolent Viri pii doctique in præcipuis ſuis operationibus ex objecto honeſtis varios laudabiles fines ſibi præfigere, ut talium finium multiplicatione multiplicentur bonæ moralitates; adeoque perſuaſum habent, varias bonitates partim ex objecto, partim ex finibus, poſſe ſimul in eodem actu ſubſiſtere. Sic ex. ca. erogando eleemoſynam intendunt ipſi, præter levamen pauperum, quod eſt finis operis intrinſecus, ſatisfactionem pro peccatis, qui eſt actus pœnitentiæ; cultum Dei, qui eſt actus religionis; ſuffragium animarum degentium in Purgatorio, qui eſt actus miſericordiæ ſpiritualis; & ſimilia.

*305. Diluuntur duo contraria argumenta petita ex S. Auguſtino, ac D. Thoma; & oſtenditur, utrumque Doctorem magis obeſſe, quam prodeſſe Adverſariorum cauſſæ.*

305. Theologi ſecus opinantes moventur præſertim auctoritate S. Auguſt. ( *l. de bono conjug. c.* 21. ) ſuſpicientis æquale meritum in Abrahamo generante filios, & in Joanne Bapt. continentiam ſervante, quoniam diverſa hæc vitæ ratio in utroque oriebatur ab una intentione placendi Deo: & etiam D. Thomæ ( 1. 2. *q.* 18. *ar.* 6. ) deſumentis a ſolo fine operantis bonitatem interiorum actuum voluntatis: *actus humani ſpecies formaliter conſideratur ſecundum finem, materialiter autem ſecundum objectum exterioris actus: unde Philoſophus dicit* ( 5. *Ethic.* 2. ) *quod ille, qui furatur, ut committat adulterium, eſt per ſe loquendo magis adulter quam fur*. Sed nihil horum nos dimovet a conſtituta ſententia. Auguſtinus æquiparat connubium Abrahæ cælibatui Joannis ſolum quo ad meritum præmii *ſubſtantialis*, non quoad meritum cujuſvis præmii etiam *accidentalis*. Abraham namque fuit dumtaxat animo paratus ad virginitatem ſervandam, ſi Deo ita placuiſſet: Joannes vero eam reipſa ſervavit, adeoque cum virginitas ex ſuo genere ſit perfectior matrimonio, neceſſum eſt Joannis meritum aliquo modo præcelluiſſe: hinc autem conficitur, quod præter bonitatem finis placendi Deo, qui erat ambobus communis, adfuerit bonitas obje-



objectiva in cælibatu Joannis, quæ excedebat bonitatem objectivam connubii Abrahæ: ita Angelicus interpretatur Auguſtinum ( 2. 2. *q.* 152. *a.* 4. ) *meritum continentiæ conjugalis in Abrahamo æquiparatur merito continentiæ virginalis in Joanne reſpectu præmii ſubſtantialis, non autem reſpectu præmii accidentalis*. Angelicus autem dicendo, actum ſpecificari *materialiter* ab objecto, & *formaliter* a fine, vult tantum *principalem* ſpeciem moralem actus petendam potius a fine, quam ab objecto; minime autem *totam* ſpeciem actus a ſolo fine pendere; alioquin fur in eo exemplo diceretur abſolute *adulter*, non *magis adulter*. Ex quibus omnibus compertum fit, Auguſtinum, & Thomam potius firmare, quam deſtruere theſim noſtram.

306. Gemina *proponitur* hypotheſis, *ſub qua licet concipere hominem, qui aliquid ex objecto bonum facit, ductus honeſto fine.*

306. Verum ut ea ad mentem noſtram recte ſumatur, ſimulque argumenta contraria facile diſſolvantur, *duplicem* oportet diſtinguere *hypotheſim*. Nimirum, vel agens amat objectum tum *propter ſe*, quia per ſe bonum, tum etiam *propter finem* honeſtum, ad quem aſſequendum deprehenditur utile & accomodum? vel objectum non amat ullo modo propter ſe, ſed *dumtaxat propter finem*, ita ut finis honeſtus ſit unicum & adæquatum motivum operandi? Theſis ( *n.* 302. ) propugnatur a nobis juxta priorem dumtaxat hypotheſim, in qua bonitas objecti per ſe appetitur, eſto ſimul referatur ad extrinſecum aliquem finem obtinendum; ut evenit in homine, qui jejunat & orat, ut hiſce mediis a Deo conſequatur continentiæ donum. Ceterum ſi quæſtio reducatur ad hypotheſim poſteriorem, cujus unum jam dedimus exemplum ( *in fine n.* 294. ) tunc lubenter concedimus, bonitatem objecti quodammodo evacuari per bonitatem finis; & ab hoc ſolo ſpecificari actum; cum in iſta hypotheſi objectum, tametſi per ſe bonum & amabile, appetatur dumtaxat propter aliud, & reſpectu finis deſiderati induat rationem medii: certum enim eſt, moralitatem ſeu bonam ſeu malam mediorum non eſſe aliam a moralitate finis, ob quem eliguntur & adhibentur: ſic ex. ca. cum teſte D. Iſidoro ( *l. 3. de ſum. bon. c. 7.* ) *multi reperiantur, qui cantus ſuavitate commoti ſua crimina plangunt*, ſi ſæcularis quiſpiam decurrente octava vel Corporis Chriſti, vel Immaculatæ Conceptionis Deiparæ, horis canonicis in Eccleſia aſſiſteret lucraturus indulgentias a Sum. Pontif. Urb. IV. & Sixto IV. cunctis Fidelibus conceſſas, ibique ſacræ pſalmodiæ, per ſeſe ad divinum cultum ordinatæ, ſic *præciſe* intenderet, ut cordis compunctionem dumtaxat ſibi parare vellet; in tali caſu finis iſte unicus & totalis ſolam pœnitentiæ bonitatem ejus actui affunderet, qui alioquin ex objecto bonitatem habet religionis.

307. *Succedit tertia theſis de fine* malo, *accedente actionibus* malis *ex objecto; eaque ad moralem praxim relata conſideratur*

307. *Tertio*, quando actio ex objecto *mala* refertur ab agente ad finem *malum*, & malitia objecti ſpecie diſcrepat a malitia finis, tunc actio retinet malitiam duplicis ſpeciei, nec una malitia alteram deſtruit. Exemplo ſit triboli mercator, qui omni arte incautos decipit & emungit, ut poſſit equeſtrem luxum in domum ſuam inducere, ac vitiis indulgere, a quibus avocabatur egeſtate & inopia preſſus: item artifex, miniſter, famulus, uxores aut filias ad individuam pene vitæ conſuetudinem concredentes iis, quorum favore ac potentia ſperant ſe ad ea munia promovendos, quibus contra juſtitiam & caritatem proximorum abuti decreverunt. Quæ ad ſtabiliendam ſuperiorem alteram theſim de actionibus ex objecto *bonis* peractis ob finem *bonum*, producta fuerunt momenta ( *n.* 302. *& ſeq.* ) eadem apte inverſa, juxta legem contrariorum præſentem quoque fulciunt theſim: idcirco non eſt opus ſpeciales probationes hic adjicere. Magis præſtabit obſervare, quidnam exinde deduci poſſit relate ad moralem praxim. Cum in iſta hypoteſi unicum quidem peccatum committi videatur propter unam ſubſtantiam actus, ſed tamen in genere moris multiplex reapſe ſit *propter multas & diverſas deformitates*, ut ait Angelicus ( *q. 2. de malo a.* 5. ) quas agens reſpicit; hinc ſequitur, non eſſe ſatis conſultum integritati Confeſſionis Sacramentalis, quoties ſolus exprimitur actus ex. ca. furandi, non indicato pravo fine luxuriandi, ſeu aliud quidpiam legibus vetitum patrandi: quamvis ejuſmodi finis poſtea effectu caruerit, vel ob mutatum voluntatis propoſitum, vel ob exteriora quævis impedimenta.

308. *Obligatio exprimendi in Sacramentali Confeſſione* malum *finem, duplicem conditionem involvit.*

308. Ceterum gravis hæc obligatio, qua pœnitens tenetur Confeſſario manifeſtare malitiam finis, ad quem ordinavit nefarium opus, duo ſupponit: videlicet eumdem finem eſſe operi *extrinſecum* ( *n.* 299. ) non *intrinſecum*; atque ipſum opus eſſe *graviter* illicitum, ſeu lethale peccatum. Primum quidem requiritur: nam quando objectum actus eſt per ſe ordinatum ad finem, quem agens reſpicit, adeoque finis eſt *intrinſecus* ſive *operis*, tunc ſatis eſt indicare ſolum actum pravum; quia malitia objecti, & finis hujuſmodi non eſt ſpecie duplex, ſed unica: hinc ex. ca. homo ebrioſus, & mollis qui ebrietatem, & pollutionem admiſit ad captandam dumtaxat ſenſualem oblectationem, rite confitetur nominando ebrie-



tatis,

tatis, & pollutionis actum, cujus finis proximus & intrinſecus cenſetur ea oblectatio. Secundum etiam neceſſarium eſt: quia ubi medium ſeu objectum actionis graviter malum ordinetur ad externum finem *leviter* malum, *venialis* tantum malitia ex fine in actionem redundat, quæ non eſt materia neceſſaria Confeſſionis: ut dum mulier gemmam furatur ad ſuperfluum & vanum ornatum, qui ex ſuo genere, & ſecluſa quavis & mortifera circumſtantia, eſt dumtaxat venialis, juxta Angelicum (1.2. *q.* 169. *a.* 1.). Sic viceverſa, nulla viget obligatio exprimendi malitiam objecti ſeu medii, quoties ad finem graviter malum adhibetur medium leviter illicitum; ut dum mulier eodem utitur vano ornatu ad excitandam in amaſiunculo fœdam concupiſcentiam.

*309. Ponitur theſis quarta de actionibus habentibus objectum malum finemque bonum, aut viceverſa objectum bonum & finem malum, & adducuntur tria argumenta, quæ aliquos Theologos flectunt in oppoſitam ſententiam.*

309. *Quarto*, quando objectum, ac finis actionis diſcrepant inter ſe ſpecie moralitatis, ita ut vel *malum* ſit objectum, & *bonus* finis; ex. ca. dum Judæi Apoſtolos necabant *putantes ſe obſequium præſtare Deo* (*Jo. c.* 16.) vel objectum ſit *bonum*, & finis *malus*; ex. ca. dum iidem Judæi *jejunantes exterminabant facies ſuas, ut viderentur ab hominibus* (*Matth. c.* 6.) tunc utroque in caſu actio ſingularis & individua non complectitur ſimul bonitatem, & malitiam, quarum altera ex objecto, altera ex fine ſit repetenda (quemadmodum nonnullis Theologis viſum eſt, quorum opinionem perſtrinximus (*n.* 263. *& ſeq.*) ſed unica conſtat moralitatis ſpecie, ſcilicet ſola malitia; unde abſolute mala & inhoneſta cenſenda eſt. Hujuſce poſtremæ theſis ſubſidiarias rationes ex citato loco petere licebit. Interim quoniam ibidem nullas produximus Adverſariorum objectiones, ne inaudita cauſſa videamur eos repudiare, tres potiſſimas referemus, ſimulque diluemus. Primam repetunt ex verbis Chriſti (*Matt. c.* 6.) *ſi oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit*. Secundam ex effato D. Ambroſii (*l.* 2. *Offic. c.* 30.) *affectus nomen operi imponit, & ex intentione facta penſantur*. Tertiam ex regula Juris Canonici (*Can.* duo pervi *diſt.* 13. *& Can.* quod ait *diſt.* 14.) *minus malum de duobus eligendum eſt*.

*310. Juxta doctrinam S. Bonav., reſpondetur primæ, & ſecundæ difficultati.*

310. Seraphicus Doctor affatim nobis ſuppeditat quidquid opportunum eſt tum communiendæ theſi jam ſtatutæ, tum repercutiendis adverſis telis. Is enim (*in* 2. *ſent. diſt.* 40. *a.* 1. *q.* 1.) perſcrutatur, num *omne opus, quod bona intentione fit, bonum ſit?* Commemorata initio duplici diverſa opinione affirmantium, & negantium Theologorum, monet utramque *verum dicere, ſi recte intelligatur*. Hanc ad rem duos aſſignat ſenſus, quos habere poteſt nominata *bona intentio*, nimirum advertit, eam vel indicare ſolam finis bonitatem, quæ tunc adeſt, quando bonum in ſe eſt illud, quod operans ſibi pro fine præfigit: vel denotare ſimul & hanc finis bonitatem, & rectam electionem mediorum ad præſtitutum finem conducentium, quæ bonitatem ipſorum mediorum neceſſario importat. Juxta diſtinctionem ejuſmodi reſpondet, eſſe generatim verum, *quod opus, bona intentione factum, ſit bonum, ſi intentio bona* ſumatur complete in *ſecundo* ſenſu: minime autem id verum eſſe, ſi *intentio bona* præciſe accipiatur in *primo* ſenſu: quia videlicet ubi malum aſſumitur medium, opus totum vitiatur tametſi bona fuerit intentio. Poſtmodum concludit, relatas Evangelii, & D. Ambroſii ſententias non eſſe intelligendas niſi de intentione *ſecundi* generis, habente completam bonitatem finis, ac mediorum. Hinc porro liquet, adverſarios noſtros incaſſum aſſumere geminos illos textus ad probandum, in uno eodemque actu humano ſimul conſiſtere poſſe *bonitatem* ex parte *finis*, & *malitiam* ex parte *objecti*, aut viceverſa.

*311. Refertur D. Bonav. textus ex quo fideliter expreſſa ſuperior doctrina.*

311. Quiſquis Seraphicum audire cupit, hæc ſunt ipſius verba. *Uno modo intentio dicit bonitatem finis: alio vero modo non tantum dicit bonitatem finis, ſed etiam ordinationem ejus, quod eſt ad finem, quem appetit. Et ſecundum hoc dupliciter poteſt dici intentio bona vel mala. Uno modo dicitur intentio bona, in qua eſt perfecta, & bona ordinatio operis ad finem intentum: & contra dicitur mala, in qua eſt ordinatio indirecta. Et hoc modo bonitas intentionis non tantummodo reſpicit bonitatem finis, ſed etiam rectum ordinem ejus, quod eſt ad ipſum finem: hæc enim duo neceſſario requiruntur ad hoc, quod oculus ſit ſimplex (ſicut dicit Bernardus ad Eugen.) videlicet quod veritas ſit in electione & caritas in intentione. Et hoc eſt dicere, quod tunc eſt oculus mentis ſimplex, ſive intentio bona, quando hoc amat finaliter quod eſt amandum, & eligit quod eſt eligendum: & hoc modo qualitas operis ſemper reſpondet qualitati intentionis, nec habet inſtantiam: immo ſi oculus eſt ſimplex totum corpus erit luminoſum, & ſi oculus eſt tenebroſus, hoc eſt intentio mala, & opus judicatur malum.... Et ſic intelligitur auctoritas Ambroſii: nam voluntas non dicitur eſſe bona in ſe, nec etiam arbor ex bonitate intentionis, niſi ſecundum quod intentio dicitur eſſe bona, quia bono modo bonum finem intendit.*

312. Per-



*312. Continuatio ejuſdem textus D. Bonav.*

312. Pergit Seraphicus Doctor, examinando alteram acceptionem intentionis bonæ. *Alio modo dicitur intentio bona, quia illud quod finaliter intendit, eſt bonum. Et hoc modo non eſt generaliter verum, quod qualitas operis cauſſetur a qualitate intentionis: hoc dico quantum ad qualitatem, quæ eſt bonitas. Si quis enim mentitur ad deliberationem innocentis, vel furatur ut paſcat pauperem, non dicitur bene facere, ſicut dicit Auguſtinus, & etiam Apoſtolus, non ſunt facienda mala, ut veniant bona. Quantum autem ad qualitatem malitiæ, non habet inſtantiam: immo neceſſario malitia operis correſpondet intentioni malæ intendentis: qualecunque enim ſit opus, dum faciat illud homo mala intentione, Deus qui ſcrutatur corda, malum reputat. Cum enim ad bonitatem operis neceſſario requiratur intentio boni finis, ſola illa deſiſtente opus judicatur eſſe malum: non tamen, illa ſola aſſiſtente, judicatur eſſe bonum, quia plura exiguntur ad conſtruendum, quam ad deſtruendum... quia bonum attenditur ſecundum conſtitutionem ex concurſu multarum circumſtantiarum; malum vero attenditur ex cujuſcumque privatione: hinc eſt, quod malum eſt omnifarie, & bonum uno modo.*

*313. Occurritur tertiæ difficultati, ſuperius ab Adverſariis oppoſitæ.*

313. Diſſolvamus nunc poſtremam objectionem (*n.* 309.) ex Jure Canonico deſumptam, quod videtur approbare electionem rei in ſe *malæ* factam *bono* fine. In primis ea regula, *minus malum de duobus eligendum eſt*, neutiquam Adverſarios juvat, ſi ſumatur de malis *pœnæ*, ex. ca. carceris, exſilii, jacturæ bonorum, naufragii, mortis; in quibus utique ſecundum rationem rectam illud amplectendum, quod minorem moleſtiam aut damnum affert, quoniam ſub eo reſpectu quaſi boni rationem induit. Neque pariter ſuffragatur, ſi ad malum *culpæ* transferatur, prout in Jure Canonico revera ſumitur. Nam duplex efformari poteſt hypotheſis: una, quæ ſupponit duo hujus generis mala ingruere *uni eidemque* perſonæ: altera, quæ *duobus pluribus* diverſis perſonis eadem mala impendere fingit. Si quis ad prioris hypotheſis anguſtias redigatur, poterit alterutrum malum, quod minoris deformitatis eſt, ſeligere, non quia malum morale poſſit honeſtari intuitu boni finis, ſed quia, quod ab homine ſic perplexo malum eligitur, reſpectu ipſius deſinit eſſe *peccatum* ob defectum libertatis: nam ſemel ac homo ex conſcientia invincibili erronea, quam non poteſt deponere, credit ſe peccare, quodcunque ex duobus extremis adoptet, & aliunde neceſſitate agendi premitur, jam libertate *indifferentiæ* ad peccandum neceſſaria nequit amplius uti. Quod ſi quis in poſteriore verſetur hypotheſi, tunc nullatenus ei licebit eligere minus malum culpæ, ut impediat majus malum culpæ in proximo: quoniam nullum vel leve malum *culpæ*, quamdiu manet tale, poteſt eſſe *eligibile* ſecundum rectam rationem ex Angelico (2.2. *q.* 43. *a.* 7.) *quidam dixerunt peccatum veniale eſſe committendum propter vitandum aliorum ſcandalum: ſed hos implicat contraria: ſi enim faciendum eſt, jam non eſt malum, neque peccatum, nam peccatum non poteſt eſſe eligibile.*

*314. Sana doctrina ſuperioris quartæ Theſis hactenus vindicata elidit binas propoſitiones ab Eccleſia proſcriptas: ſimulque deſtruit falſum præjudicium de uſu licito quorumdam mendaciorum.*

314. Ex his omnibus clarius percipimus, quanto jure Innocentius Papa XI. proſcripſerit ſequentes ambas propoſitiones. *Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſſa aliqua utilis aut honeſta non fugiendi occurrit* (*Ord.* 62.) *Licitum eſt quærere directe occaſionem proximam peccandi pro bono ſpirituali, vel temporali noſtro, vel proximi.* Utrum ex opinione hactenus a nobis confutata illas deduxerit, qui ſic ſcripſerit, plane ignoro: nullum tamen dubium, quin poſſint commode deduci, admiſſa eadem opinione. Porro quantumvis Pontifices, & Doctores Eccleſiaſtici palam conſtanterque edoceant juxta Apoſtolum non *eſſe facienda mala, ut veniant bona*, qua ſcilicet ex Seraphico (*n.* 312.) *malum attenditur ex cujuſcumque* bonæ circumſtantiæ ſeu conditionis ad actum requiſitæ *privatione*: nihil tamen minus plurimos adhuc in Catholicorum cœtu reperire eſt, qui falſa perſuaſione ſibi blandiuntur, innoxia eſſe, & utcumque permiſſa certis ſaltem in circumſtantiis, quæ ſunt reapſe mala etiam *intrinſece* ſive *ſecundum ſe*, ut in ſcholis dici conſuevit. Hoc potiſſime ſentiunt de mendaciis, æquivocationibus, ſimulationibus, ubi non obeſſe, ſed magis aliqua ex cauſſa prodeſſe videntur; quare eodem ferme implicantur errore, quem notavimus (*n.* 17.) in Grotio, ceteriſque Novatoribus hæreticis, diſtinguentibus *falſiloquium* utile ac licitum a pernicioſo, & malo *mendacio*. Sic ex. ca. mentiri ſolent matres, ut delinquentes filios, quos impenſius diligunt, ſubtrahant a virga paterna: famuli ac famulæ, ut propriam incuriam celent, & dominorum iram compeſcant: coſmetæ & aulici, qui in procœtionibus eadem hora promiſcue edicunt adventantibus, optimates ſuos a penetralibus abſentes vel præſentes, vacantes vel occupatos, bene vel male affectos, prout in rem eſſe judicant.

*315. Ad deſtruendum*

315. Eſt hic pretium operis referre, quæ Seraphicus (*in* 3. *ſent. diſt.* 38. *a.* 1. *q.* 2.) de *Mendacio* ſcite tradit inhærendo doctrinæ S. Auguſtini, a quo conſtat duos conſcri-

*prædictum falſum præjudicium facit mirum in modum doctrina S. Bonav. de mendacio, quæ facem etiam præfert eliquandis variis graviſſimis Theologiæ quæſtionibus.*

ſcriptos libros ad perſtrigendam opinationem olim Platonicis, ac ſubin Origeniſtis, aliiſque Eccleſiaſticis etiam Viris familiarem, qui mendacio interdum uti contendebant, ſicut veneno medicamentis ſalubriter interſperſo: Siquidem haud modicum lumen & adjumentum exinde capiemus non modo ad expediendam præſentem de mendaciis controverſiam; ſed etiam ad rite pronunciandum in aliis Theologicis quæſtionibus, quales præſertim ſunt iſtæ: An *idem ſpecie actus poſſit ſucceſſive habere bonitatem, & malitiam moralem?* (*n.* 265. & *ſeq.*) An *lex naturalis immutabilis?* An *circa præcepta Decalogi poſſit Deus diſpenſare?* An, *quæ iiſdem vetantur præceptis, poſſint aliquando in peculiaribus quibuſdam circumſtantiis licite fieri?* de quibus ipſe Seraphicus alibi diſſerit (*in* 1. *ſent. diſt.* 47. *q. ult. in* 2. *ſent. diſt.* 40. *dub.* 2. *in* 4. *diſt.* 33. *q.* 1. *q.* 3.) nec non Angelicus (*in* 3. *ſent. diſt.* 37. *q.* 1. *ar.* 4. & 1. 1. 2. *q.* 100. *ar.* 8.) Scotus (*in* 3. *ſent. diſt.* 37. *q.* 1.) atque ex recentioribus Doctiſſimus P. Baſilius Pontius (*tr. de Matr. l.* 8.) ſat prolixe.

*315. Refertur textus D. Bonav. de malitia cujuſcumque mendacii.*

316. Hæc igitur ſcribit Seraphicus Doctor loco prælaudato. *Dupliciter dicitur eſſe aliquid malum; aut ex genere actus, utpote cum actus tranſit ſuper materiam indebitam: aut ex malitia intentionis. Cum autem tranſit actus ſuper materiam indebitam, hoc poteſt eſſe dupliciter, vel reſpectu Dei, vel reſpectu proximi. Si reſpectu Dei, ſic eſt malum in ſe & ſecundum ſe, nec ullo modo poteſt bene fieri: ſicut eſt odiſſe ſummum bonum, blaſphemare Deum. Si reſpectu proximi, ſicut eſt nocumentum inferre proximo in perſona vel in rebus; ſic eſt malum in ſe, & poteſt aliquo fine bene fieri, quia poteſt recta intentio ſupervenire ex diſpenſatione. Cum autem aliquid eſt malum ex malitia intentionis, tunc ſive ſit reſpectu Dei, ſive reſpectu proximi; ſimpliciter malum eſt, & nullo fine poteſt bene fieri, quia dicit privationem debiti finis. Unde facere hoc malum eſſe bonum, nihil aliud eſt facere, quam aliquid ſimul eſſe bonum & malum. Tale autem eſt mendacium: nam mendacium non ſolummodo dicit malum, ex hoc, quod actus tranſit ſuper materiam indebitam, ſed etiam ex intentione indirecta. Et quoniam ad omne mendacium iſta duo concurrunt, videlicet dicere falſum, & intentio fallendi: ratione primi eſt malum in ſe, & poteſt bene fieri ab eo, qui ignoranter dicit falſum: ratione vero ſecundi eſt malum ſecundum ſe & nullo fine poteſt bene fieri, nec circa ipſum poteſt diſpenſari: ſicut nullo modo poteſt bene fieri, quod aliquis cognoſcat alienam intentionem adulterandi, ſive ex improbitate voluntatis.*

*317. Adducuntur auctoritates Scoti & D. Thomæ, idipſum, quod Seraphicus docuit, confirmantes.*

317. Veriſſimam & planiſſimam hanc Seraphici doctrinam, ex qua poſſunt Hæterodoxi apprehendere, adeo repugnans eſſe *falſiloquium licitum*, quam montem ſine valle. Scotus (*in* 3. *ſent. diſt.* 38. *q.* 2.) confirmat & paucis ſic proponit: *mentiri ex ratione ſua dicit intentionem decipiendi: licet autem aliqui actus non includentes intentionem malam poſſint aliquando eſſe boni ex aliqua bona circumſtantia; actus tamen includens ſecum intentionem malam numquam poteſt eſſe bonus, quia includit formaliter malum velle: ita eſt in propoſito de mendacio.* Accedit Angelicus, (*in* 3. *ſent. diſt.* 38. *q.* 1. *ar.* 3.) idipſum adſtruens hac non minus evidenti quam ineluctabili ratione. *Cum malum omnifariam contingat, cujuslibet circumſtantiæ perverſitas, etiam aliis circumſtantiis debitis exiſtentibus peccatum in moribus facit: ut ſi aliquis accipiat, unde non det quantumcumque bonum intendat, vel aliæ circumſtantiæ ordinatæ videantur, peccatum non evitabitur. Cum autem locutio inventa ſit ad exprimendam conceptionem cordis, quandocumque aliquis loquitur, quod in corde non habet, loquitur quod non debet: hoc autem contingit in omni mendacio: unde omne mendacium eſt peccatum, quantumcumque aliquis propter bonum mentiatur.*

*318. A bonitate & malitia actuum Objectiva, de qua hactenus ſermo conſtanter extitit, tranſitus fit ad formalem.*

318. Ex continuata ſerie eorum, quæ hucuſque diximus in præſenti Sectione ſatis jam compertum, humanorum actuum moralitatem ſeu bonam ſeu malam promanare univerſim triplici ex fonte, nimirum ex *objecto*, ex *fine*, ex *circumſtantiis*: atque *objectiva* (*n.* 279.) appellari conſuevit. Nunc quomodo erga hujuſmodi bonitatem ac malitiam oportet eſſe affectum ipſum hominem operantem, ut refundatur, præſertim ex objecto, in ſingulas ejuſdem operationes individuas, remanet explorandum, adeoque differendum de *Formali* (*n.* 279.) bonitate ac malitia, quæ importat tendentiam agentis in objectum circumſtantiis omnibus veſtitum. Cum autem, quantum ad rem iſtam attinet, aliter de bonitate, aliter de malitia philoſophari conveniat; idcirco diſtinctis theſibus pro more aperiemus, quidnam ſentiendum nobis videatur. Subinde capta occaſione a poſtrema theſi, quæ erit numero *tertia*, ventilabimus graviſſimam, magnoque animorum æſtu a Theologis agitatam quæſtionem *de relatione operum in Deum*, duce potiſſimum Angelico Magiſtro, qui plus ceteris de illa ſcripſit variis in locis.

*319. Theſis prima fert, ad bonitatem formalem actus humani neceſſarium eſſe, ut agens utcumque cognoſcat bonitatem objectivam actus, eamque propter ſe appetat.*

215. *Primo* igitur de formali *bonitate* ſic ſtatuimus. Ut ſingulares hominis actiones



nes ab objecto, fine, & circumſtantiis reliquis bonitatem hauriant, ſeu *bonæ* in genere moris revera ſint ac denominentur, debet illarum honeſtas ex iiſdem capitibus profluens cognoſci, & *propter ſe appeti* ab operante, ſaltem *confuſe*, & in *actu* ut ajunt *exercito*: ita ſcilicet, ut ex. ca. orans & jejunans ſpectet precum recitationem, & abſtinentiam a vetitis cibis, non ut objecta mere delectabilia, aut utilia; ſed ſub aliqua ratione honeſtatis, puta colendi Beatum Numen, & continendi corpus refractarium in officio. In his tamen, aliiſque actibus producendis non tenetur operans habere *reflexam exactamque* cogitationem de bonitate ſuorum actuum, atque ſecum dicere: *volo, & perficio hæc omnia, quoniam honeſta & virtuoſa ſunt.* Id quippe expectari nequit ab illiteratis, idiotis, mulierculis; quibus tamen perinde, ac reliquis hominibus, divinitus præſcripta eſt vitæ honeſtas, ac beatitudo ſuprema propoſita.

320. Ad comprobandam hanc primam theſim obvia ſunt Sapientum Virorum teſtimonia. Moralis namque Philoſophus (*l.* 2. *Ethic. c.* 4. & *alibi paſſim*) poſtulat, ut quiſquis virtutem colere, & honeſta operari deſiderat, *agat ſciens, & eligens propter ipſa*, hoc eſt, ipſorum honeſtate moveatur. D. Anſelmus (*l. de arbitr. c.* 3.) juſtitiam generice ſumptam vocat *rectitudinem honeſtatis propter ſe ſervatam*. Angelicus (1. 2. *q.* 19. *a.* 7.) *ad hoc ut ſit voluntas bona, requiritur, ut ſit bona ſub ratione boni; id eſt, quod velit bonum, & propter bonum, ſeu quia bonum eſt.* Duplex quoque ratio ſuppetit. Etenim bonitas objecti circumſtantiis & conditionibus neceſſariis veſtiti non videtur æſtimatione prudenti in actum humanum influere poſſe, eumque bonitate *formali* donare, quoties ipſa negligatur; ſicuti contingit, dum agens ipſam non reſpicit, neque directe vult. Præterea nomine *objecti*, a quo ſpeciem moralem habent voluntatis actus, cunctis fatentibus, non deſignatur illa res, quæ appetitur, in ſe præciſe ſpectata, ſed potius motivum ſive ratio illam appetendi: porro in ratione finis ſolum bonum honeſtum, ſeu verum, ſeu apparens, poteſt movere voluntatem; unde finis & bonum in moralibus invicem converti, ſeu promiſcua eſſe dicuntur: igitur ſemoto honeſtatis in objecto materiali relucentis amore, repugnat actum eſſe *formaliter* bonum.

*320. Auctoritate, & ratione probatur præcedens theſis de amore honeſtatis requiſito ad bonitatem formalem actionum.*

*321. Theſis ſecunda adſtruit, ſufficere ad malitiam formalem actionis humanæ, ſi indirecte illam velit agens.*

321. *Secundo*, loquendo de formali *malitia* ita ex oppoſito ſentimus. Ut actus humani ſingulares malitiam trahant ex objecto, fine, & circumſtantiis, ſeu vere *mali* in genere moris cenſeantur, minime requiritur, ut agens illam directe velit & appetat; ſed ſatis eſt, ſi *indirecte* aut interpretative velit, appetendo nimirum ſponte ac libere aliquod objectum, quod malum eſſe ei conſtabat, vel poterat ac debebat conſtare. Ita ex. ca. ut quis jure inculcetur ſimoniacæ, aut fœneratitiæ labis, dum mercedis loco ſibi obſequentibus confert Eccleſiaſtica beneficia, aut pecunias ſuas diſtrahit contractu mutui palliati; ſat eſt, quod ſciat vel ſcire debuerit, inhoneſtum ac turpe eſſe ſpiritualia vendere temporali pretio, atque lucrum ex mutuo percipere; tametſi hujuſmodi inhoneſtas in ſe præciſe non appetatur, vel omnino diſpliceat: nam ſemel ac quis, prudens & ſciens, ambos actus perficit, ipſam quoque inhoneſtatem ipſis inhærentem voluiſſe convincitur. Secus enim rariſſimi dicerentur peccare, cum plerique ita ſint animo comparati, ut a morali turpitudine cupiant abſtracta, quæ voluptatis aut commodi cauſſa peragunt mala: hinc ubi ludis, commeſſationibus, ebrietatibus, impudicitiis, blaſphemiis indulſere a cacodæmone (ut dicere ſolent) ſeducti, paſſim eos audies talibus vitiis maledicentes. Quod ſi impoſſibile contendas, hominem ratione utentem vel directe vel indirecte *malum* appetere, cum ſolius *boni* amore ducatur humana voluntas, & *nemo reſpiciens ad malum operetur* juxta ſcholarum axioma: tunc reſpondebit Angelicus (1. 2. *q.* 18. *a.* 4.) *quod bonum, ad quod aliquis reſpiciens operatur, non ſemper eſt verum bonum, ſed quandoque verum bonum, & quandoque apparens; & ſecundum hoc ſequitur actio mala.* Unde & qui ferro, aquis, flammis, ſeſe enecant, nonniſi *ementita ſpecie aliqua bonitatis ineſcati*, juxta Nyſſenum Gregorium, proruunt in ea flagitia; quatenus nempe bonum æſtimant aut utile jucundum ſic emergere ex mendicitate, morbis, aliiſque ærumnis: hoc ſenſu *iram* hominis vindictam ſumentis *melle dulciorem* dixit Homerus.

*322. Explicatur diſcrimen, quod occurrit in contrahenda bonitate, & malitia actionum formali.*

322. Hujuſce reſponſionis doctrina penitus inſpecta commonſtrat legitimum diſcrimen inter theſim iſtam *ſecundam*, ac *primam* ſuperiorem (*n.* 319.) quod nonnullis haud ſatis perſpicuum videtur. Perpende, quæſo, ſequentia principia moralia communi Doctorum ſenſu probata: & difficultas omnis ab animo protinus abſcedet, videlicet 1. *formalem* actionum bonitatem, aut malitiam eſſe menſurandam ſecundum regulam rectæ rationis, quam homo agendo ſervat, aut prætergreditur. 2. malum, *qua malum*, a voluntate appeti non poſſe, adeoque voluntatem ſub fucata dum-

taxat

taxat ſpecie *boni* in *malum* ferri. 3. *bonum*, ſive verum, ſive putativum, eſſe objectum humanarum appetitionum; quodque *honeſtum* dicitur bonum, illud ſolum eſſe abſolute bonum, ac *per ſe* expetendum, horum omnium unica fer me eſt ratio, quia nimirum, ſi ſecus in homine contingeret, homo convinceretur non amare propriam felicitatem, contra ac dictet intimus cujuſcujuſque ſenſus. Hinc porro intelligitur, cur ad formalem cujuſpiam actionis *malitiam* ſatis ſit, ſi homo eam velit ſolum *indirecte*, tendendo ſcilicet ſponte ac libere in objectum, quod cognoſcitur, aut poteſt cognoſci illicitum & inhoneſtum; quia ſic homo vult malum eo modo, quo poteſt illud velle. Clareſcit ſimiliter, cur ad formalem *bonitatem* actionis neceſſarium ſit, ut homo perſpecta honeſtate objecti ſibi propoſiti, illud *directe* appetat; quia nempe juxta dictamen rectæ rationis, quod ipſi eſt norma agendi, non ſolum poteſt, ſed omnino debet honeſtatem per ſe amare, & colere in ſuis actionibus. Ex quibus præterea diſcimus, longe proclivius ac frequentius eſſe hominibus actiones producere multiplici malitia morali infectas, quam bonitate multiplici informatas.

*323. Theſis tertia declarat, ad abſolutam bonitatem formalem actus humani non eſſe neceſſarium, per ſe loquendo amorem directum ultimi finis.*

323. *Tertio*; ut ad *bonitatem* actionum regrediamur, hoc aliud preterea conſtituimus. Ut actus humani ſint in genere moris *formaliter boni* ſeu honeſti, neceſſarium non eſt, ut agens *directe* appetat, præter honeſtatem objectorum, etiam *finem ultimum*. Nam quamvis veriſſimum fateamur, omnem humanum actum eſſe propter aliquem ultimum finem; quia, niſi ſiſteret tandem in aliquo fine, in infinitum vergerent humani fines, ſicque, ut notat Angelicus (1. 2. q. 1. a. 4.) *homo nihil appeteret, nec aliqua actio terminaretur, nec etiam quieſceret intentio agentis*: Nihilo tamen minus ex eodem Doctore (a. 6.) neceſſitas iſta, *appetendi omnia propter ultimum finem*, ſatis conſiſtit, ſi bonum, quod eſt humanarum appetitionum objectum, appetatur ſub hoc alterutro reſpectu, nempe vel *ut bonum perfectum, quod eſt ultimus finis*, vel *ut tendens in bonum perfectum*: & rationem pro parte poſteriori aſſignat, *quia ſemper inchoatio alicujus ordinatur ad conſummationem ipſius, ſicut patet tam in his quæ fiunt natura, quam in his, quæ fiunt ab arte: & ita omnis inchoatio perfectionis ordinatur in perfectionem conſummatam, quæ eſt propter ultimum finem*. Porro homo voluntarie ac libere agens eo ipſo, quod honeſtatem objecti propter ſe directe amat, tamquam intrinſecum proximumque operis finem, jam bonum amat *ut tendens in bonum perfectum, & ordinatum in perfectionem conſummatam*, hoc eſt *in ultimum finem*: ergo per directum amorem objectivæ honeſtatis agit, quantum ſat eſt, propter ultimum finem; adeoque ejus actus cenſendi ſunt formaliter boni in genere moris abſque directo amore ultimi finis.

*324. Planum fit, quomodo agens ex amore honeſtatis ejus quod agit reputetur agere propter ultimum finem & conſummatum bonum.*

324. Quiſquis mente ſua funditus non aſſequitur, quomodo vere dicatur homo *propter ultimum finem* agere & *conſummatam ipſius bonitatem* amare, dum ſolummodo *honeſtatem objectivam* rerum, circa quas agit, directe & ſecundum ſe appetit (*n. 319.*) is ratiocinium iſtud advertat. Finis noſter ultimus reapſe alius non eſt niſi *Deus*, quod & Chriſtiani modo decantant, & inter Gentiles Philoſophos Platonici olim agnoverunt, teſte S. Aug. (*l. 8. de Civ. Dei c. 8.*) *non dicentes beatum eſſe hominem fruentem corpore, vel animo: ſed fruentem Deo; ſicut luce oculus*. Eſt vero Deus ſumma & infinita bonitas, perfectio, honeſtas. Igitur eo ipſo, quod opus aliquod ex parte objecti, finis, circumſtantiarum, completam illam præſefert bonitatem, quam ei ineſſe debere recta ratio dictat, atque aliunde homo ſciens & prudens illud producit ex motivo proximo talis bonitatis: profecto hujuſmodi opus ſuopte pondere in Deum tendit & relabitur tamquam in fontem honeſtatis omnis. Et quamquam operis auctor Deum non cogitet aut reſpiciat, ratione tamen iſtius tendentiæ ſeu relationis operis in Deum, quam Theologi promiſcue appellitant *habitualem, implicitam, interpretativam*, cenſetur ipſe auctor habere Deum ut finem ultimum, & ob finem ultimum operari, quantum ſatis eſt ad tuendam abſolutam bonitatem formalem operum, & communem illam neceſſitatem omnia appetendi propter ultimum finem. Sic ex ca. inquit Richardus de Mediav. (*in 2. Sent. diſt. 40. ar. 2. q. 3.*) *Quid ob amorem caſtitatis contrariæ tentationi reſiſtit ex deliberatione, quamvis illam reſiſtentiam per intentionem actualem in Deum explicite non referat, tamen actum facit moraliter bonum; quia hæc refert ad Deum habitualiter, & etiam aliquo modo actualiter implicite, in quantum hoc facit propter caſtitatem, cujus obſervatio eſt ſecundum Deum*.

*325. Ut actiones bonæ ſint meritoriæ cæleſtis vitæ, non ſufficit habitualis relatio in Deum; ſed debent a caritate vel elici, vel imperari cum in finem.*

325. Ejuſmodi tamen implicita tendentia ſeu habitualis relatio operum honeſtorum in Deum, non eſt tanti facienda, ut credatur *ſola* ejus ope poſſe Chriſtianum hominem explere *cuncta* ſua officia, citra ullum actum *formalis amoris* erga Deum gratiæ gloriæque auctorem. Nam univerſe loquendo *duplici titulo* debet is operationes



nes ſuas *formaliter* ad Deum referre per amorem *caritatis ſupernaturalis*. Primo quidem, quoties operandum eſt *meritorie* in ordine ad vitam æternam; ad hoc enim neceſſaria non tantum caritas ſive gratia *habitualis*, quæ gloriæ *ſemen* dicitur; ſed etiam caritas *actualis*, quæ aliarum virtutum actus imperat, & dirigit ad ſuum finem & objectum, nempe ad Bonum Summum, & idcirco appellatur ab Angelico (*qu. un. de Car. ar. 3.*) *motrix, finis, radix, forma, mater omnium virtutum*, juxta illud Apoſtoli (*ad Tim. c. 1.*) *finis præcepti eſt caritas*. Hinc idem Angelicus ſubdit: *Caritas cadit in definitione virtutis meritoriæ, ut patet per definitionem Auguſtini dicentis, quod virtus eſt bona qualitas mentis, qua recte vivitur. Non enim recte vivitur, niſi per hoc, quod vita noſtra ordinatur in Deum; quod caritas facit*. Attamen ad merendum neceſſe non eſt, ut iſte caritatis influxus ſit ſemper *actu*: ſufficit, ſi *virtute* perduret, ſicuti explicat idem Angelicus (*ar. 11. ad 2. & 3.*) nec non Seraphicus (*in 2. Sent. diſt. 41. q. 3.*) & Theologi paſſim.

*326. Item, quando implendum eſt præceptum dilectionis Dei ſuper omnia, per caritatis affectum referendæ ad Deum actiones.*

326. Præterea ex affectu ejuſdem ſupernaturalis caritatis debet homo ſe, ſuaſque actiones ad Deum referre, quoties urget & obligat affirmativum præceptum diligendi Deum ſuper omnia (*Deut. c. 6. Math. c. 22.*) ſiquidem ex Angelico (*1. 2. q. 100. ar. 10.*) *præceptum caritatis implere homo non poteſt, niſi etiam omnia referantur in Deum*. Graviter itaque alucinaretur quiſquis ſola fretus honeſtate morali, & habituali relatione operum in Deum, exiſtimaret ſe poſſe ſatisfacere primo, ac maximo illi mandato diligendi Deum, & ideo in nullum unquam prorumperet actum formalis hujus amoris. Sicut enim mandatum illud non ſolam importat reliquorum præceptorum obſervantiam, ut quidam putarunt Auctores diſtorte ſumentes verba Chriſti (*Joan. c. 14.*) *qui ſervat mandata mea, ille eſt qui diligit me*; ſed ſpeciale diſtinctumque præceptum eſt, cujus obſervantia inducit, & reliquorum obſervantiam, uti Chriſtus ibidem innuere vult: ita idem mandatum, quotieſcumque urget, diſtinctum & formalem exigit caritatis actum erga Deum, quia caritas ſeu dilectio in ipſo præſcripta, judice Auguſtino (*l. 3. de Doctr. Chr. c. 10.*) *eſt motus animi ad fruendum Deo propter ipſum*. Quare merito damnata ad Alexandro VIII. hæc propoſitio (*ord. 1.*) *Bonitas objectiva conſiſtit in convenientia objecti cum natura rationali; formalis vero in conformitate actus cum regula morum: ad hoc ſufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative: hunc homo non tenetur amare neque in principio, neque in decurſu vitæ ſuæ moralis*. Virus in fine, hoc eſt in complexione latet.

*327. Hic opportune proponitur celebris Controverſia de operum relatione in Deum, in cujus determinatione judicium Angelici Doctoris varias ob cauſas per magni faciendum.*

327. Porro autem num extra commemoratas geminas circumſtantias ulla ſit obligatio actiones noſtras ad Deum referendi ea ipſa relatione *formali & expreſſa*, quam tum ad promerendam vitam æternam, tum ad Deum ex toto corde diligendum, demonſtravimus (*n. 325. & 326.*) perneceſſariam præter relationem alteram *habitualem & implicitam*, ingens exiſtit Doctorum controverſia, quam quidem vel diſſimulare, vel præterire nullatenus poſſumus; tum quia hujus loci propria eſt, tum quia moralem praxim, atque ſalutis negotium proxime reſpicit. Ut in re tanti momenti obſcuritas, & æquivocatio omnis procul amoveatur, ſimulque plana aperiatur via ad decernendum ſubinde, quod veritati magis conſentaneum videbitur, exiſtimo quatuor hæc a nobis præſtari oportere eodem ipſo, quod nunc indicantur, ordine. 1. controverſiæ ſtatus rite evolvendus. 2. deſcribenda Auctorum diſſidentium opinamenta. 3. animi noſtri ſententia & promenda & communienda. 4. diluendæ præcipuæ difficultates, quas obtendere poſſunt quicumque abeunt in contrarios ſenſus. Integram vero hancce cauſſam ut D. Thoma præſertim ductore pertractemus, multa ſunt quæ nos movent. In primis, quia ejus gloriantur ſuffragio plerique illi Theologi, quos adverſarios habebimus: præterea, quia nullus alter ex veteris Scholæ Principibus argumentum hoc vel frequentius attigit, vel fuſius volutavit; ex quo fit, ut ejus judicium auctoritate ac diligentia ipſius junctis, non poſſit non eſſe maximi ponderis. Poſtremo, quia dum ipſe in variis ſuorum Librorum locis præſens thema in omnem pene faciem expendit pro occaſionum varietate, tot ac tanta ſolerter notavit, ſapienterque edocuit, ut ea univerſim accepta, ſin minus Theologiæ tyronibus, provectis, exercitatiſque ſaltem Viris videantur per ſeſe ſufficere ad controverſiam iſtam funditus apprehendendam ac finiendam, quando etiam ipſiuſmet nomen reticeretur, & auctoritas negligeretur.

*328. Primo loco ad rite aſſequendum indicatæ Controverſiæ ſtatum nominantur*

328. *Primo*, quod attinet ad *ſtatum controverſiæ*, ubi de *caritate*, deque *operum relatione* agitur ſive in Morali, ſive in Dogmatica Theologia, valde conducit quatuor ſequentes Quæſtiones diſtinguere. 1. eſt, An *caritas habitualis ſit neceſſaria, ut quæ ab homine prodeunt opera, non evadant formaliter mala, ſeu proprie dicta peccata?* 2. An *per actum caritatis homini inhærentis ſint opera omnia ad Deum referenda, quo poſſint divina mandata impleri etiam quoad ſubſtantiam, adeoque graves & mortiferæ tranſgreſſiones vitari?* 3. An *ab eadem actuali caritate, vel eliciente, vel im-*



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*quatuor diverſæ Quæſtiones, neceſſario diſtinguendæ in præſenti materia.*

perante, *profluere debeant quævis opera meritoria de condigno vitæ æternæ?* 4. *An ſub reatu ſaltem venialis omnes deliberatæ actiones ad Deum referendæ ex benevolo aliquo amore, ut a culpabili omiſſione immunes exiſtant, qui reapſe adimplent divinam legem?* Jam vero ultima hæc Quæſtio eſt ipſa Controverſia præſens de *relatione operum in Deum*. Tertiam jam expedivimus (*n.* 325.) ac denuo attingemus in Sect. ult. hujuſce Articuli, ubi ſermo inſtituetur de conditionibus ad *meritum* neceſſariis. Secundam, & Primam omnes Orthodoxi Tractatores ſenſu plane unanimi reſolvunt *negative* adverſus Novatores.

*329. Exponitur mens ac doctrina Novatorum circa productionem & relationem operum, ex caritate faciendam.*

329. Nimirum eſt Novatoribus ratum fixumque, cunctas humanas actiones *vitioſæ cupiditatis* ſordidum, ac noxium eſſe fœtum, quoties non prodeunt ex *laudabili caritate* hominem afficiente, in eoque indeſinenter operante. Perſuaſionem hanc manifeſtarunt ipſi in multis Propoſitionibus ab Apoſtolica Sede jam damnatis. Præ reliquis notentur hæ duæ Michaelis Baji. *Celebris illa Doctorum diſtinctio, divinæ legis mandata bifariam impleri: altero modo, quantum ad præceptorum operum ſubſtantiam tantum: altero, quantum ad certum quemdam modum, videlicet ſecundum quem valeant operantem perducere ad regnum æternum, hoc eſt ad modum meritorium, commentitia eſt, & explodenda.* (Ord. 61.) *Illa quoque diſtinctio, qua opus dicitur bifariam bonum: vel quia ex objecto, & omnibus circumſtantiis bonum eſt, quod moraliter bonum appellari conſuevit: vel quia eſt meritorium regni æterni, eo quod ſit a vivo Chriſti membro per ſpiritum caritatis, rejicienda putatur.* (Ord. 62.) Perpendantur & tres iſtæ Queſnelli. *Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, neceſſe eſt ut in eo regnet carnalis cupiditas, omneſque actiones ejus corrumpat.* (Ord. 45.) *Obedientia legis profluere debet ex fonte, & hic fons eſt caritas. Quando Dei amor eſt illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum eſt, quod apparet exterius; alioquin non eſt niſi hypocriſis, aut falſa juſtitia.* (Ord. 47.) *Sola caritas Chriſtiano modo facit actiones Chriſtianas, per relationem ad Deum, & Jeſum Chriſtum.* (Ord. 53.) Hæreticum illud ſyſtema, ex variis compactum erroribus, Artic. III. & deinceps nos haud ſemel jam perſtrinximus, per tranſennam quidem, ſatis tamen pro inſtituto noſtro.

*330. Inter Quæſtiones mox indicatas ſecunda affinis quidem quartæ, reapſe tamen diverſa. Quidnam in eadem ſecunda ſentiendum ſit, oſtenditur ex Doctore Angelico.*

330. Itaque ſecunda præſertim Quæſtio probe ſecernenda eſt a quarta, quam nunc ventilare aggredimur; ne vitioſa ut dicitur elenchi ignoratione cum Hæreticorum doctrinis confundantur Catholicorum Theologorum placita. Cum tamen ambæ aliquam inter ſe ſimilitudinem & affinitatem præſeferre videantur, idcirco ut clarius pernoſcatur quod inter ipſas reapſe intercedit diſcrimen, in eadem Quæſtione ſecunda paullulum immoremur; hinc quippe majus etiam lumen accedet iis, quæ in diſcuſſionem alterius poſtremæ erunt ſubinde dicenda. Porro hanc ad rem ſatis mihi videtur in medium proferre, quæ ſcripſit Angelicus Doctor (1. 2. q. 100. art. 10.). Ibi enim de præceptis Decalogi ſuſe diſſerens, illud quoque dubium proponit: *Utrum modus caritatis cadat ſub præcepto divinæ legis?* quod idem eſt, ac quærere: an adſit proprie dicta obligatio adimplendi univerſa mandata ex dilectione, ſeu affectu caritatis, ut divinæ legi ſatisfiat? Primo opiniones memorat contrarias, quæ illo etiam ævo vigebant apud Magiſtros. *Quidam enim dixerunt abſolute modum caritatis eſſe ſub præcepto.... alii vero dixerunt, quod omnino modus caritatis non cadit ſub præcepto.* Poſtea mentem ſuam aperiens, ſubdit: *Utrique autem quantum ad aliquid, verum dixerunt:* quod declarat, probatque ſequenti doctrina.

*331. Angelicæ doctrinæ ſeries integra diſtincte exhibetur.*

331. Diſtinguit 1. præceptum caritatis, quo Deus ſuper omnia diligendus, a ſerie aliorum præceptorum, quæ divinæ legis ambitu continentur. 2. Docet diſtinctum illud dilectionis præceptum eſſe affirmativum, adeoque non obligans ad ſemper, ſed pro determinato tempore. 3. Caritatis motum obſervat poſſe bifariam conſiderari; nempe vel quatenus eſt actus peculiaris, quem Deus a nobis interdum exigit eo affirmativo dilectionis præcepto: vel quatenus eſt modus, ſive finis & forma actuum omnium pertinentium ad reliqua Divinæ Legis præcepta. 4. Reſolvit, caritatis actum ſub priore reſpectu eſſe divinitus præceptum, quotieſcumque occurrit obſervandum primum & maximum dilectionis mandatum; ſub poſteriore vero reſpectu nequaquam præceptum eſſe, id eſt actus aliorum mandatorum haud neceſſario eliciendos ex caritatis motu & affectu, ut eadem mandata rite impleri cenſeantur. 5. Exinde complectitur, eum hominem, qui ſine ullo caritatis motu erga Deum honorat parentes, aut quælibet alia Legis præcepta obſervat, nullatenus reputandum eſſe tranſgreſſorem eorumdem præceptorum, cum ipſa in ſe ſpectata modum caritatis, hoc eſt, obſervantiam ex caritate præſtandam, minime includant: etſi concedat, ejuſmodi hominem poſſe tranſgreſſorem exiſtere alterius præcepti dilectionis Dei ſuper omnia, quoties honoret parentes, aliaque ſervet Legis præce-

pta



pta in iis temporis circumſtantiis, in quibus urget obſervantia memorati præcepti dilectionis; cum nequeat homo Deum ſuper omnia diligere ſpeciali dilectionis actu, niſi ſeipſum, & omnes ſuos actus ad Deum expreſſe ordinet.

*332. Referuntur ex parte ipſamet verba Angelici, quibus adduntur alia ferme conſimilia D. Antonini.*

332. Pateſcunt ea ſingula conſulenti Articulum mox citatum, quem brevitatis cauſa ſuperſedeo integrum hic tranſcribere, contentus ſequentibus verbis, quæ ad ſcopum noſtrum potiſſime faciunt. *Ad ſecundum dicendum, quod ſub præcepto caritatis continetur, ut diligatur Deus ex toto corde, ad quod pertinet, ut omnia referantur in Deum, & ideo præceptum caritatis implere homo non poteſt, niſi etiam omnia referantur in Deum. Sic ergo, qui honorat parentes, tenetur ex caritate honorare, non ex vi hujus præcepti, quod eſt: honora parentes: ſed ex vi hujus præcepti: diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Et cum iſta ſint duo præcepta affirmativa non obligantia ad ſemper, poſſunt pro diverſis temporibus obligare: & ita poteſt contingere, quod aliquis implens præceptum de honoratione parentum non tunc tranſgrediatur præceptum de omiſſione modi caritatis:* hactenus Angelicus. Totum id verbatim refert, & approbat S. Antonin. (*part. 1. Summæ tit. 4. c. 3. §. 3.*) ubi aſſumpta conſideratione Decalogi præmonſtrat, *quomodo caritatis actus cadat ſub præcepto*. Idipſum alibi quoque repetit (*par. 4. tit. 6. c. 5. §. 1.*) dicens: *Quamvis modus dilectionis non cadat ſub illis præceptis, quæ dantur de aliis actibus virtutum (puta ſub hoc præcepto, honora patrem tuum, non cadit hoc, quod ex caritate fiat) cadit tamen actus dilectionis ſub ſpeciali præcepto,* certis ſcilicet temporibus graviter obligante.

*333. Ejuſdem doctrinæ confirmatio ſubnectitur ex Bachono, aliiſque priſcis Magiſtris.*

333. Similia ſenſit, & docuit graviſſimus Joannes Bachonus Anglicus Carmelita, inter priſcos Theologos & Canoniſtas valde conſpicuus. Sic enim ex Petro de S. Dionyſio, aliiſque illius ætatis Doctoribus ſcribit (*in 3. Sent. diſt. 31. q. 1. art. 2.*) *Dicunt, quod caritas cadit ſub præcepto obligatorio reſpectu proprii objecti, ſcilicet reſpectu Dei & proximi, ita quod hoc omittens peccat mortaliter. Sed non cadit ſub præcepto reſpectu objecti cujuſcumque alterius mandati: ita videlicet, quod quicumque implet aliud mandatum non ex caritate, peccat mortaliter eo facto.* Jam qui doctrinas haſce rectiſſimas ſerio perpendere voluerit, facile deteget quam falſum, commentitium, & Chriſtianæ Theologiæ oppoſitum ſit a Novatoribus nunc propugnatum Theorema, quo nimirum ſtatuitur, veri nominis peccatum eſſe, quidquid ab homine geritur abſque caritatis habitu, & imperio. Ex quo fit, ut non poſſint eiſdem non refragari penitus quotquot ex Romanæ Communionis Theologis nunc propugnant, cunctas deliberatas operationes ad Deum eſſe dirigendas ex benevolo aliquo erga ipſum amore.

*334. Cenſuræ, qua perſtringuntur Novatores hujus ætatis volentes cuncta debere ex caritate prodire, ne peccata ſint, minime cadit in quoſdam veteres Theologos putantes neceſſarium modum caritatis ad divinam legem implendam.*

334. Opponet fortaſſe aliquis, non eſſe eam ob rem Novatoribus tantopere ſuccenſendum, cum teſte Angelico (*n.* 330.) in ipſo Catholicorum Theologorum cœtu jamdiu extiterint, qui *dixerunt abſolute modum caritatis eſſe ſub præcepto*. Reſpondeo, indicatos Theologos longe alio ſenſu putaviſſe obſervanda divina mandata actibus ex caritate provenientibus, ac Novatores modo contendant. Illi enim catenus ſolum ita cenſebant, quia ſuſpicabantur Deum, utpote humanæ ſalutis maxime ſollicitum, imponendo hominibus mandata, impoſuiſſe obſervantiam meritoriam æternæ beatitudinis, adeoque actus ex caritate manantes, ſine qua meritum ejuſmodi haberi nequit; qua in re utique alucinabantur, *non diſtinguentes id quod eſt de intentione præcipientis ab eo, quod eſt de obligatione præcepti* (ut notavit Richardus Minorita apud prælaudatum Bachonum), ſed alioquin nihil abſoni, aut falſi ad id tuendum comminiſcebantur adverſus orthodoxam doctrinam. Verum iſti ideo præſertim dictitant neceſſarium caritatis influxum in ſingulas actiones, quia eo ſecluſo perſuaſum habent omnia in homine coinquinari contagione concupiſcentiæ per ſeſe mortiferæ: quod nexum errorum involvit, tum revelato Dei verbo, tum manifeſtis Eccleſiæ ſenſibus adverſantium. Itaque non eadem indulgentia utriuſque impendenda: ſicuti Tridentina Synodus (*ſeſſ. 14. c. 6. & can. 9.*) non eodem habuit loco tum antiquos Scholaſticos, qui ante Scotum ſcripſere, Sacerdotem in Sacramento Pœnitentiæ declarare coram Eccleſia remiſſionem peccatorum intrinſecus a Deo factam; tum Novatores exiſtimantes eumdem Sacerdotem eſſe merum remiſſionis præconem; quoniam illis videbatur perfecta contritio neceſſaria cuilibet pœnitenti etiam ad Sacramentum accedenti: iſtis autem Sacramenti efficacia perquam exoſa eſt. Ceterum eſto tum in concluſione, tum in principiis Novatores convenirent cum Theologis ab Angelico relatis; adhuc tamen diſpar utrorumque cauſa. Siquidem illi ante, iſti poſt ſollemnes Eccleſiæ definitiones ſic opinati; unde priores dicendi ſolum *errantes*, poſteriores repudiandi tamquam *hæretici pertinaces*. Hoc ſane pacto D. Auguſtinus cum Donatiſtis diſputans, ipſos ſecrevit a SS. Cypriano &

 Fir-

Firmiliano, atque a reliquis Catholicis Epiſcopis rebaptizantibus, tametſi eodem prorſus errore univerſi detinerentur.

*335. Hic inchoatur diſcuſſio quartæ ultimæque Quæſtionis inter ſolos Catholicos agitatæ: & ſtatim præmonentur, relationem operum in Deum poſſe triplicem eſſe.*

335. Dimiſſa nunc Quæſtione ſecunda contra Novatores dumtaxat agitata; pergamus animadvertere quæcumque alia conducunt ad genuinam intelligentiam quartæ Quæſtionis inter ſolos Catholicos vigentis. Dum diſputatio ingruit de operum relatione in Deum, in primis oportet perſpectas habere tres *relationis* ſpecies, a diuturno tempore in ſcholis nominatas. Videlicet eam vel *habitualem*, vel *virtualem*, vel *actualem* eſſe contingit, prout Scotus (*in 2. Sent. diſt. 41. quæſt. unic.*) inter alios explicat de relatione *meritoria* verba faciens. *Poteſt actus referri ex caritate in finem ultimum tripliciter. Uno modo actualiter, cum cogitans actualiter de fine diligit illum, & vult aliquid propter illum. Alio modo virtualiter: cum ex cognitione & dilectione finis deventum eſt ad volitionem alicujus entis ad finem: puta cum quis ex cognitione, & dilectione Dei actum pœnitentiæ aſſumit, & exequitur volendo, non tamen tunc referendo in finem. Tertio modo habitualiter: puta ſi omnis actus referibilis in finem manens cum caritate, quæ eſt principium referendi, dicatur referri habitualiter.* Angelicus itidem Doctor tres iſtas relationis ſpecies non uno in loco deſignavit, ut conſtabit ex variis ipſius textibus quos deinceps ſparſim producemus.

*336. Relationes ſingulæ in ſuperiore diviſione propoſitæ, non ita ſixas apud Auctores obtinent notiones, ſicuti determinata ſortiuntur nomina. actualis interdum ſumitur pro virtuali.*

336. Poſtmodum animadverſione dignum eſt, non eodem ſenſu conſtanter uſurpari a Theologis præſertim antiquioris ætatis vocabula ſingularum rationum mox deſcriptarum: quod quidem ſi quis negligat aut ignoret, is meo judicio non ita facile mentem ſuam a dubiis extricabit, quæ ex Teſtimoniorum collatione enaſcentur, neque felici ſucceſſu quæſtionem hanc enodabit. Primo, cum aliquid poſſit vel in ſe, vel in alio ſubſiſtere, ac perdurare, relatio *Actualis* dicta fuit non ea dumtaxat, quæ per ſeſe actionibus jungitur, ideoque *explicita* eſt; ſed illa etiam, quæ actiones comitatur per aliud quidquam a ſe relictum; proindeque *implicita* eſt. Prior reputatur proprie actualis, poſterior cenſetur potius virtualis juxta diviſionem paullo ante aſſignatam. Hoc gemino ſenſu illam nominavit Angelicus (*in 2. Sent. diſt. 40. q. 1. art. 5. ad 7.*) ubi ait, *aut actualis relatio in Deum eſt conjuncta actioni noſtræ, non quidem actu, ſed in virtute; aut actualis ordinatio in Deum eſt actu conjuncta actioni noſtræ*. Si enim actualis non diceretur, niſi ea relatio, quæ actiones ad Deum dirigit expreſſe ac formaliter, adeoque una cum actionibus elicitur, quomodo concipi poſſet iiſdem non conjuncta actu? tunc quippe eſſet ſimul actualis, & non actualis ſub eodem reſpectu. Richardus quoque de Mediavilla (*in 2. Sent. diſt. 41. art. 1. q. 2.*) memorat intentionem ſeu ordinationem operum in finem, *actualem implicitam continuatam in virtute*, quam neceſſariam, ac ſufficientem arbitratur ad meritum actionum.

*337. Pariter virtuali relationi accommodatur ſæpe nomen habitualis.*

337. Secundo, quæ proprie *virtualis* relatio aut intentio eſt, frequenter legitur deſignata nomine *habitualis*, forſitan quia per modum habitus perſeverare ſolet. Ita S. Bonav. (*in 2. Sent. diſt. 41. art. 1. q. 3.*) *Ad hoc, quod aliqua actio ſit meritoria non oportet, quod ſemper quis eam referat actualiter in Deum; ſed ſufficit relatio habitualis. Habitualem autem relationem voco, non quia habeat caritatem, per quam ſit habitualis ad referendum: ſed quia in primordio operationis illius, vel alterius, ad quam illa conſequenter ſe habet, intentionem habet ad Deum directam. Unde ſi aliquis intendit dare pro Deo centum marcas, & incipit cogitare de Deo in prima marca, & in aliis non cogitat, nihilominus omnes illæ dationes ſunt ei meritoriæ & fructuoſæ.* Similiter Joan. Bachonus (*in 2. Sent. diſt. 42. art. 2. in fine*) *ſicut ad bonitatem voluntatis ſequentis rationem illuminatam per fidem, non requiritur, quod ſemper actu explicito intendatur beatitudo, ſed ſufficit quod a principio boni fideles ordinent actus ſuos ad ſalutem, & virtus hujus ordinationis remanet in actibus meritoriis, qui ſuccedunt: eodem modo ſufficit in bonitate morali, quod a principio intendat homo ea, quæ ducunt ad virtutem perfectam; quæ intentio manet in dictis actibus ſequentibus.* Exinde porro intelligimus, quonam ſenſu Seraphicus (*in 4. Sent. diſt. 6. part. 2. art. 2. q. 1.*) & Angelicus (*3. part. Sum. q. 64. art. 3.*) dixerint, *habitualem intentionem ſufficere ad perfectionem, & adminiſtrationem Sacramentorum.*

*338. Relatio virtualis ſenſu duplici a nonnullis dicitur.*

338. Tertio, ſunt ex recentibus Scriptoribus, qui relationem *virtualem*, etiam proprie ſumptam, putent gemino ſenſu explicandam. Uno quidem, ubi quis vi præteritæ intentionis actualis, qua finem cognitum intendit, operari pergit actu non amplius de illo cogitando; uti dum Medicus libros legit, herbas colligit, ob præconceptum propoſitum ſanitatis ægroto reſtituendæ, de qua jam non cogitat. Altero, ubi quis aliquid molitur, quod ſuapte natura tendit ad aliquem finem, ſicut inchoatio ad conſummationem, aut minus perfectum ad perfectionem, ſive eum finem ipſe cognoſcat, ſive non: uti dum quis grana ſeminis terræ committit, ex quo poſtea fru-



fructus prodit ipſi ignotus. Porro hominem utroque modo in genere moris agentem, vere finem ultimum appetere, ad eumque actiones ſuas ordinare, aſſeverat Angelicus Doctor (*qu. un. de Car. ar. 1. 2. & 1. 2. q. 1. ar. 9.*) ac nemo, ut reor, negabit. *Etenim ſicut in cauſſis efficientibus virtus primæ cauſſæ manet in omnibus cauſſis ſequentibus: ita etiam intentio principalis finis virtute manet in omnibus finibus ſecundariis. Item ſemper inchoatio alicujus ordinatur ad conſummationem ipſius: ſicut patet tam in his, quæ fiunt a natura, quam in his, quæ fiunt ab arte.* Ceterum ad mera nomina quod attinet, non ita apud omnes conſtat, *virtualem* dicendam eſſe relationem operum, quæ utroque modo contingit. Nam prioris modi relatio, preſſe loquendo cum Scoto (*n. 335.*) utique *virtualis* eſt, atque nonniſi improprie, ſeu ex arbitraria hominum conſuetodine (*n. 337.*) *habitualis* vocatur. Quæ autem poſterioris eſt modi, ea videtur haud incongrue poſſe deſignari alterutro promiſcue vocabulo & *virtualis*, & *habitualis* mox explicandæ; uti reipſa ab Angelico deſignatam fuiſſe credere par eſt, quo invicem poſſint conciliari plures ipſius locutiones in ſpecie contrariæ, unde ingens exoritur difficultas, haſtenus vix ab ullo Interprete ſatis nitide, & exacte expoſita, ac diſſoluta.

*339. Quæ poſteriori modo juxta eorumdem Scriptorum acceptionem virtualis eſt relatio, videtur ab Angelico promiſcue vocata & virtualis, & habitualis.*

339. Ut de Angelico ita ſentiam, hæc ſunt præcipue quæ me movent teſtimonia. Ipſe namque expendens obligationem, quam præfefert decantatum in ſcripturis præceptum de caritate, deque operibus cunctis in Dei gloriam referendis, poſteaquam quis præſtituto tempore ſpecialem elicuit actum dilectionis Dei ſuper omnia, ac Deo ſe totum explicite obtulit, ait (*qu. un. de Car. ar. 2.*) *virtualiter omnia referre in Deum, cadit ſub præcepto caritatis*: tum ejuſmodi conſequentem relationem *virtualem* eſſe ferens ſubdit: *cum hoc nihil aliud ſit, quam habere Deum finem ultimum*. Itaque cum quilibet bona opera faciens, quæ ſuo pondere tendunt in Deum tamquam bonum conſummatum perfectumque (*n. 323. & 324.*) Deum habeat finem ultimum, etſi hoc nec conſideret, nec intendat (quod ad *ſecundum* pertinet *virtualis* relationis modum (*n. 388.*) palam eſt, relationem hujuſcemodi ab Angelico dictam fuiſſe *virtualem*. Nomine itidem *habitus*, ſeu *habitualis*, eamdem ipſam expreſſiſſe videtur aliis in locis, præſertim (*Lect. 3. in c. 3. epiſt. ad Coloſſ.*) ubi ſcribit. *Non eſt neceſſarium, quod omnia in Deum referantur actu, ſed habitu: qui facit contra gloriam Dei, & præcepta ejus, facit contra hoc præceptum.* Si enim ad ſervandum mandatum de cunctis operibus in Dei gloriam faciendis, debent ea referri in Deum actu, vel habitu: aliunde vero referre *habitu* hoc importat, quod reliqua generatim divina præcepta non violentur, adeoque benefactis adimpleantur: conſequens exinde eſt, *habitualem* pariter vocatam ab Angelico eamdem relationem prædicti *ſecundi* modi, qui ſola nititur bonitate operum in Deum, ceu conſummatam perfectionem, tendentium.

*340. Habitualis relatio nacta eſt apud Theologos triplicem ſignificationem: a nobis autem ſumetur deinceps in tertia, juxta quam ab aliis dicta virtualis ſecundi modi, ab aliis implicita ſeu interpretativa.*

340. Quarto, quod ex haſtenus prænotatis facile eruitur, ultima relationum ſpecies, quæ *habitualis* nuncupatur, plus ceteris æquivoca eſt, utpote triplici diverſo ſenſu uſurpata. Nam 1. libere traducta veteri loquendi more ad indicandam relationem *virtualem* proprie dictam, quæ ſcilicet *priori modo* (*n. 338.*) talis eſt: quod quidem ad oculum jam demonſtratum (*n. 337.*) puto: 2. nativa, magiſque communi ſignificatione adhibita, quatenus exprimit puram concomitantiam habitus alicujus cum actu, abſque ullo vel actuali, vel virtuali influxu in actum. Ita Scotus in tripartita diviſione (*n. 335.*) & pleríque veteres Magiſtri eam intellexere, determinantes modum, quo oportet actus noſtros in Deum ordinare, ut evadant meritorii æternæ gloriæ. Sic etiam Angelicus, quando hæc ſcripſit (*qu. un. de Car. ar. 1.*) *Aliud eſt habitualiter referre in Deum, & aliud virtualiter: habitualiter enim refert in Deum & qui nihil agit, nec aliquid actualiter intendit, ut dormiens*, quia ſcilicet retinere poteſt *caritatem, quæ habitualiter ordinat in Deum*: (*1. 2. q. 88. ar. 1.*) *Sed virtualiter aliquid referre in Deum, eſt agentis propter finem ordinantis in Deum. Unde habitualiter referre in Deum non cadit ſub præcepto* (hoc eſt, præceptum dilectionis in Scripturis celebre non eſt de acquirendo aut retinendo ſimpliciter caritatis habitu, per quam actus poſſunt in Deum referri; ſed potius de producendis frequenter caritatis actibus, ac de dirigenda, eorum ope, in Deum finem ultimum tota vitæ ſerie) *ſed virtualiter omnia referre in Deum cadit ſub præcepto caritatis, cum hoc nihil aliud ſit, quam habere Deum finem ultimum*. 3. Demum eadem vox accepta, quatenus relationem indicat ſic afficientem actiones, quæ producuntur, ut ab ipſarum morali entitate, cum norma agendi ac fine ultimo comparata, haud diſtinguatur, & ideo *implicita & interpretativa* etiam vocetur. Sic ſpectando *habitualem*, Angelicus potuit abſque contradictione illam ſub præcepto caritatis concludere, dicendo (*n. 339.*) *neceſſarium eſſe, ut omnia in Deum referantur* ſaltem habitu-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*bitu*. Nos deinceps, dimiſſa *ſecunda* notione, quæ unice reſpicit ſtatum ſeu diſpoſitionem habitualem operantis, conſtanter hærebimus in *tertia*, quæ operum naturam & conditionem ſpectat; hæc namque magis quadrat præſenti controverſiæ. Unde relationis *habitualis* nomine intelligemus eam ipſam, quam alii *virtualem ſecundi modi* (*n.* 338.) alii *implicitam* ſeu *interpretativam* vocant.

*341 Eadem opera bone ſta poſſunt ſub diverſa conſideratione referri in Deum tum virtualiter, tum habitualiter: quod manifeſto declaratur exemplo.*

341. Poſtremo eſt operæ pretium obſervare, iiſdem plane bonis operibus ſimul ineſſe poſſe, reſpectu diverſo, duplicem relationem in Deum, & *virtualem*, & *habitualem*, retenta etiam propria diſtinctaque harum vocum ſignificatione. Quo id aſſequaris, hominem conſidera vere Chriſticolam, qui primum inſtante maximo mandato *diligendi Deum ex toto corde* ex. ca. in die Nativitatis Dominicæ, actum caritatis elicit, & formali relatione ab eodem actu indivulſa (*n.* 332.) omnia ſua in Deum ordinat: deinde juxta generale præceptum *declinandi a malo, & faciendi bonum*, diebus inſequentibus graviter inſudat honeſtis operibus ex motivo proximo aliarum quarumcumque virtutum, quæ ſubnata occaſione ei offeruntur excolendæ: poſtmodum, recurrente denuo eodem mandato maximo ex. ca. in die Epiphaniæ, Deum rurſus diligit ſpeciali actu amoris ſuper omnia (hujuſmodi enim mandatum per *ſeſe* obligare nos *graviter* ad Deum *expreſſe* redamandum in majoribus *ſaltem* anni Feſtis, in quibus præcipua Religionis noſtræ myſteria ſollemniter ab Eccleſia proponuntur Fidelibus grata memoria recolenda, nullus modo ambigit ex Theologis cordatioribus, doctrinas ſuas ad Sacræ Scripturæ gnomonem exigentibus) ac deinceps promore bona quæque operari pergit. Jam opera honeſta, quæ a tali homine peraguntur decurrente eo temporis ſpatio inter ambas dies Domino ſollemnes, referri cenſentur in Deum *habitualiter*, quia ex conditione ſua, hoc eſt ratione ſuæ objectivæ bonitatis moralis, cedunt in Dei gloriam: referuntur præterea in Deum *virtualiter*, quoniam ſerie continuata conſequuntur ad eum primum actum, quo idem homo diligendo Deum ſuper omnia ordinavit formaliter & expliciter ſeipſum, ſuaque omnia in Deum: unde eſt, ut ſint etiam meritoria vitæ æternæ ratione præcedentis caritatis actualis, quæ cenſetur in cuncta illa opera influere, ac in illis quaſi in virtute permanere juxta Seraphici (*n.* 337.) expoſitionem.

*342. Explicatis jam nominibus univerſis ſingularum relationum, quæ ab Auctoribus leguntur nominatæ, pro certo habendum, actualem continuam ſub præcepto minimo cadere.*

342. Jam vero, ut diviſionem relationis operum huculque diſcuſſam (*n.* 335. *& ſeq.*) aptemus præſenti controverſiæ, prudens nemo ſibi in animum inducet, hominibus in hoc ſæculo verſantibus præſcriptam eſſe ullo mandato *actualem*, & *explicitam* relationem omnium, quæ deliberate geruntur in vitæ decurſu: ex Angelico namque (*qu. un. de Car. ar.* 11.) *omnia actu referre in Deum non eſt poſſibile in hac vita, ſicut non eſt poſſibile, quod ſemper de Deo cogitetur*. Unde infert (*in* 2. *Sent. diſt.* 40. *ar.* 5.) *hoc nec præceptum, nec conſilium eſt, ſed finis præcepti. Sic Sancti in patria actus ſuos in Deum referunt.* Hujuſmodi actualis & formalis relatio cunctorum operum ſtatis dumtaxat temporibus facienda ex divino mandato, quotieſcumque videlicet tenemur Deum diligere ex toto corde; ut jam demonſtratum (*n.* 332.) atque idem Angelicus luculentius confirmat (*qu. cit. de Car.*) hiſce verbis: *Non oportet, quod intentio actualis ordinans in finem ultimum ſit ſemper conjuncta cuilibet actioni, quæ dirigitur in aliquem finem proximum*, hoc eſt, quæ fit immediate ob finem cujuſvis alterius virtutis a caritate diverſæ; *ſed ſufficit, quod aliquando actualiter omnes illi fines in finem ultimum referantur: ſicut fit, quando aliquis cogitat ſe totum ad Dei dilectionem dirigere*, inſtante ſcilicet mandato maximo dilectionis: *tunc enim quidquid ad ſeipſum ordinat, in Deum ordinatum erit. Et, ſi quæratur, quando oportet actum referre in finem ultimum*, prædicta relatione formali ſeu expreſſa, *hoc nihil aliud eſt, quam quærere, quando oportet habitum caritatis exire in actum: quia, quando exit, fit ordinatio totius hominis in finem ultimum*: hocque totum adamuſſim conſonat iis, quæ (*n.* 332.) retulimus ex Summa Theologica ejuſdem Angelici.

*343. Ex oppoſito nullum dubium eſſe poteſt, quin relatio habitualis ſeu implicita ſit univerſim præcepta.*

343. Nullus pariter dubitabit, quin e converſo omnis humanorum actuum ſeries neceſſario prorſus ſit ad Deum ultimum finem ordinanda habituali ſaltem & interpretativa relatione. Hujuſce namque relationis neceſſitas nihil præſefert aliud, quam neceſſitatem honeſte vivendi, atque ad rectæ rationis normam cunctas deliberatas actiones exigendi (*n.* 303. *& ſeq.*) ad quod quidem præſtandum cum Naturali tum Divina Lege obligari omnem hominem venientem in hunc mundum, nemo vel Theologorum vel Philoſophorum Moralium inficias ibit: ex D. enim Ambroſ. (*lib.* 1. *offic. c.* 38. *&* 39.) *In his duobus illa eſt animi excellentia, ut primum animus bonis exercitatus cogitationibus, mundo corde, quod verum & honeſtum eſt, videat, atque id quod honeſtum eſt, ſolum bonum judicet, omneſque res, in quibus honeſtas & decorum cernitur, præclara intentione uſque ad effectum perſequatur.* Itaque nonniſi de intermedia relationis ſpecie, quæ *virtualis* dicitur, diſputatio eſſe poteſt.

Ex



Ex quonam autem præciſe amore prodire oporteat hanc virtualem relationem; item an, & qualis vigeat obligatio ejuſdem eliciendæ, remanet nunc diſpiciendum: cum huculque cumulate jam ſint in medium producta quæcumque videbantur ſcitu neceſſaria tum ad ſtatum quæſtionis rite concipiendum, tum ad ipſam quæſtionem ſolide dirimendam.

*344. Secundo loco exponuntur duæ contrariæ ſententiæ Theologorum, quæ nunc in ſcholis Catholicis vigent circa præſentem controverſiam.*

344. *Secundo* quod ſpectat *opiniones Theologorum* de argumento ejuſmodi proloquentium, duæ generatim nunc circumferuntur, eæque inter ſeſe contrariæ. Una contendit, hominem quovis tempore, quidquid deliberate agit, teneri ex affectu caritatis referre in Deum tamquam ultimum finem. Ut autem ſe diſcernat, & elonget a Novatorum erroribus in præſenti materia per Apoſtolicam Sedem jam damnatis (*n.* 328. *& ſeq.*) adeoque ſalvam & incolumem relinquat Chriſtianam Fidem, plures adinvenit diſtinctiones, modificationeſque ſpecioſas, quæ utrum aliqua ſaltem ex parte meræ eluſiones ac ſubterfugia dicenda ſint (quemadmodum a nonnullis alterius ſenſus Scriptoribus obſervatum) aut reapſe legitima, & ſatis tuta munimenta, definire meum neutiquam eſt. Pro hac opinione, ceu pro aris & focis, decertant, præter varios Theologos Eclecticos, univerſi recentiores Alumni unius ſpectatiſſimæ Scholæ, ex quibus memoria noviſſima eruditi aliquot evulgarunt in Occiduis Oris ſcriptiones ſuas, quæ confeſtim etiam in Italia partim Veronenſes, partim Venetos typos ſubierunt: ubi Patronum ac Vindicem præ ceteris nactæ, qui magna librorum ferie omnigena litterarum ſpirantium ditavit Chriſtianam Rempublicam.

*345. Affirmativa ſententia, quæ unius inſignis Scholæ propria maxime eſt, ſub variis modificationibus defenditur, quas hic juvat ob oculos ponere.*

345. Hæc vero ſunt, ex quibus propriæ opinionis fepimentum iidem conſtant, ut cuilibet ipſorum volumina perlegenti innoteſcet. Sicut in alia theologica controverſia de *juſtificatione peccatoris* cum tuentur proprio ſyſtemati peraccommodam diſtinctionem de duplici *amore Dei ſuper omnia*, non vivificante, & vivificante; ita hic monent, *caritatem* bifariam poſſe uſurpari; nempe tum *ſtricte*, prout *habitum* ſupernaturalis & infuſæ caritatis, aut *actum* exinde manantem, denotat; tum *late*, prout importat quidem dilectionem Dei *propter ſe*, ſed quæ nondum eſt *ſuper omnia* adeoque inferiorem aliquam dilectionem benevolam, piumque affectum erga Deum. 2. Relationem operum *virtualem* dumtaxat exigunt: cum tamen virtualis relatio ſenſu magis proprio & communi ſumpta, neceſſario ſupponat prævium explicitæ dilectionis actum; idcirco ea voce intelligunt relationem initio *actualem*, ac deinceps ſolum *virtualem*: immo indicatæ notioni *virtuali* hærentes addunt, actualem ipſam toties in decurſu agendi iterandam, & tam efficaciter (ſi forſan contingat interturbari, ſeu deſerere relictam ex primo actu virtutem) ut vi ipſius judicentur ſubſequentes operationes virtualiter prodire. 3. Fundamentum relationis hoc modo continuæ videntur ſibi deprehendiſſe in quibuſdam *Apoſtolicis effatis*, quæ ipſorum judicio *legem* complectuntur Chriſtianos omnes adſtringentem. 4. Legem iſtam referendi actiones deliberatas in Deum ajunt eſſe *mixtam*; hoc eſt, partim *affirmativam*, uti per ſe ſonat, partim *negativam*, quatenus præcipit nullo tempore interrumpendam virtualem relationem. 5. Ex eadem lege talem *obligationem* enaſci cenſent, ut homo *ſaltem venialiter* delinquat, quando vel *unam* actionem, ſeu internam, ſeu externam, ad Deum ultimum finem non dirigit eo, quo prædictum eſt, modo.

*346. Sequitur ultima modificatio magni momenti, cujus præſertim ope Fautores ejuſdem ſententiæ nituntur illam diſcriminare a falſo abſurdoque Novatorum ſyſtemate.*

346. Denique 6. aſſerunt, defectum relationis hactenus explicatæ arguere quidem *hominem operantem*, atque reum conſtituere peccati omiſſionis, quoniam deliberate operando, cum poſſet & deberet actum ſuum referre ad Deum ultimum finem, id facere prætermiſit; minime vero vitiare ipſum *actum non relatum* (ex. ca. erogationem eleemoſynæ ſine ullo ad Deum reſpectu peractam) ita ut *in ſe* malus evadat, quippe *ex officio*, ſeu ex genere ſuo, bonus ſemper præſumitur: itaque in iſto caſu operans peccat, non quia operatur, ſed quia non refert. Poſtremum hoc eſt, de quo ipſi ſunt maxime ſolliciti, quodque ab aliis probe notari volunt. Etenim ſatis perſpiciunt, ſe ad Novatorum ſcopulos allidere, niſi actiones ipſas a labe immunes tueantur: quandoquidem iſti ceu meram hypocriſim, falſam juſtitiam, verumque peccatum traducunt & exsecrantur, quidquid abſque Dei amore, & relatione in ejus gloriam fit, etiamſi operans intuitu æternæ mercedis promoveatur ad operandum: atque ob id fictitias reputant in Catholicis ſcholis vulgatas diſtinctiones obſervantiæ mandatorum, *quoad ſubſtantiam*, *& modum*; itemque operis *moraliter dumtaxat boni*, *& meritorii ſupernæ gloriæ*; ut patet ex *n.* 329. ex Propoſit. 10. aliiſque ſequentibus ab Alex. Papa VIII. proſcriptis, atque ex Trid. Syn. *ſeſſ.* 6. *can.* 31.

*347. Proponitur altera ſententia negativa, quæ magis commu-*

347. Altera opinio ex adverſo ſic ſtatuit. Fatetur, rem quidem eſſe & laudabilem, & ſaluberrimam cunctas deliberatas operationes in Deum ultimum finem actu, aut virtute ordinare, ſive ex proprie dicta caritate, ſive ex alia quavis dilectione inferiori: attamen intra ullius præcepti neceſſitatem concluſam eſſe mordicus inficia-

*ni Scholarum, ac Theologorum judicio nititur.*

ciatur. Unde, loquendo univerſim in præſenti materia, duo ſolum agnoſcit Chriſtiani hominis officia: alterum, illudque ſpeciale ac determinatis alligatum temporibus, diligendi Deum ex toto corde, juxta primum, & maximum mandatum; quod formalem omnium operum relationem in finem ſupernaturalem complectitur; alterum, quovis tempore obligans, adeoque generale, honeſte operandi in quolibet negotio, juxta variam reliquorum mandatorum ſeriem; quod habitualem continet operum relationem. Idcirco ſi eveniat quacumque de cauſa, ut poſt elicitum explicitæ dilectionis actum, progreſſu temporis aliæ hominis actiones non cenſeantur amplius vi illius profluere, deficiente virtuali relatione, quæ actuali ſucceſſerat, ipſi hominem nullius peccati inſimulant hoc ſolum nomine, quod eamdem non reſtauret virtualem actionum relationem producendo novum actum caritatis, ſeu alterius amoris benevoli. Atque hæc poſterior opinio, ſi calculus rite ineatur, longe plures occupavit ſcholas, longeque majori gaudet privatorum Theologorum ſuffragio; quidquid contra nonnulli ſibi perſuadeant, aut orbi minus oculato ſuadere pertentent.

348. Tertio loco *profertur ſententia noſtra, quatuor generatim argumentis ſubnixa, quorum primum repetitur ex doctrina veterum* Magiſtrorum.

348. *Tertio*, ut *ſententiam noſtram* aperiamus, ſtabiliamuſque (quod quidem pro hujuſce operis inſtituto facimus, non quia judicium noſtrum aliquid vel ponderis addere, vel detrimenti adferre credamus alterutri litigantium Parti) nos opinionem ſecundo loco deſcriptam amplexamur, ceu ſaxo firmiore nixam. *Quatuor* autem argumentorum genera hanc ad rem ſeſe offerunt, quæ ſin minus ſingula, ſaltem ſimul juncta, animum noſtrum ita percellunt, ut ſecus ſentire aut docere, nonniſi reluctante conſcientia, queamus: quæ quidem cogitatio nos in ſpem erigit certiſſimum fore, ut Theologi ex oppoſito ſtantes haud gravate ſint excepturi, quæ hic conſcribimus tali animo, ipſorum ceteroquin eruditionem, pietatem, ſapientiam maxime ſuſpicientes. Duo priora ex *doctrina veterum Magiſtrorum*, ac *ſenſu Fidelium*; poſteriora duo partim ex *Sacra Scriptura*, & *Eccleſiaſticis Patribus*, partim ex *abſurdis* deducuntur. *Primum* eſt hujuſmodi. Præceptum ſingulas deliberatas actiones, ſeu actuali ſeu virtuali relatione, jugiter ad Deum dirigendi ex affectu caritatis benevolo ignorarunt, immo negarunt præcipui veteris ſcholæ Magiſtri, qui certe neque in D. Pauli epiſtolis, aut B. Auguſtini libris hoſpites, neque in detegendis aut exponendis neceſſariis chriſtianæ caritatis officiis oſcitabundi fuerunt: igitur opinio, quæ nunc illud tam fidenter inculcat, haud vacat gravi ſuſpicione novitatis in rebus theologicis perquam devitandæ. Sequentia eorumdem Magiſtrorum teſtimonia patefacient aſſumptionis noſtræ veritatem.

*349. Inter ceteros Magiſtros agmen ducit Subtilis Doctor, qui preſſe quæſtionem reſolvit ad ſenſum noſtrum.*

349. Scotus in primis, ad aſſequendum operibus vere meritoriis ſpiritualem finem vitæ æternæ, eorum in Deum relationem ex caritate faciendam propugnavit (*in 2. ſent. 17. q. 1. & diſt. 41. q. unic.*) tum ſpeciales caritatis actus, ex divino mandato eliciendos diebus Dominicis, etiam ſenſit (*in 3. ſent. diſt. 27. qu. unic.*) juxta quam piam laudabilem opinationem Catholicos Parochos extimulavit, ſaluberrimo conſilio Benedictus Papa XIV. (*Inſt. Eccl. 72.*) *ut ſingulis diebus feſtis, priuſquam rem Divinam incipiant, actus fidei, ſpei, & caritatis alta voce pronuncient, eoſque populus ad verbum repetat*. Præter hæc vero aliam quamvis obligationem in caritatis negotio palam inficiatus eſt verbis adeo libratis, ut propemodum crederes, ipſum oculis, quos gerebat, acutum cernentibus vel tunc perviſiſſe Adverſariorum noſtrorum ſingularem ſententiam, eamque impetere voluiſſe: ait namque (*in 2. ſent. diſt. 41. q. unic.*) *Non tenetur homo nec tentione neceſſitatis, contra quam ſit peccatum mortale, nec tentione minori, contra quam ſit peccatum veniale, referre ſemper actum ſuum in Deum actualiter, vel virtualiter; quia Deus non obligavit nos ad hoc.* Quid clarius? Vel unicum interim ex antiquitate profer Scriptorem, qui ipſum talia edocentem arguerit, quaſi contrarium aut D. Auguſtino, quem ſemper in ore & calamo habuit (*n. 290.*) aut D. Paulo, in cujus epiſtolas commentaria etiam edidiſſe fama eſt.

*350. Succedit Seraphicus Doctor qui præclara Apoſtolici Textus interpretatione & noſtram firmat ſententiam, & contrariæ fundamentum ſubruit.*

350. Præterea S. Bonaventura ſimiliter negavit prædictam neceſſitatem relationis operum in Deum, tametſi agnomine, neque *Seraphicus*, hoc eſt, Trithemio & Gerſone teſtibus (*lib. de Script. Eccl. & Epiſt. ad Oſvaldum Monachum*) *doctrinis ſanctis intellectum illuminans, & affectum in Chriſti amore accendens*. Nam propoſito ſibi Apoſtoli textu, *omnia in gloriam Dei facite*, ſic eum præclare interpretatur, ut nec ullam ſtatuat obligationem ſibi minime perſpectam, nec Auctores alios diverſa pronunciantes a vero penitus aberraſſe demonſtret (*in 2. ſent. diſt. 41. art. 1. q. 3.*) *Reſpondent aliqui, quod eſt conſilium, aliqui quod eſt præceptum, aliqui quod eſt finis præcepti ſicut illud: diliges Dominum Deum tuum &c. Omnibus autem prædictis modis prædictus ſermo poteſt intelligi. Poteſt enim accipi affirmative; vel negative, & affirmative dupliciter: quia hoc ſignum, omnia, poteſt ibi teneri collective, vel diſtributive,*





*tive. Si accipiatur negative, ſic eſt præceptum, & tunc eſt ſenſus: ita faciatis opera veſtra, ut nihil faciatis contra gloriam Dei. Si autem intelligatur affirmative, & hoc ſignum, omnia, teneatur diſtributive & diviſim, tunc eſt conſilium & admonitio: admonet enim Apoſtolus ſecundum hunc ſenſum, quod quodlibet opus noſtrum referamus in Deum; & de quolibet diviſim poſſumus facere, & utile eſt nobis & expediens, ſi faciamus .... Si autem prædictus ſermo teneatur affirmative, & hoc ſignum, omnia, teneatur collective, tunc non eſt præceptum, nec conſilium; ſed finis præcepti, & conſilii. Ad hoc enim debemus tendere, & hoc deſiderare, quod ad talem ſtatum perveniamus, quod omnes cogitationes noſtras, & affectus in Deum referamus; hoc autem tunc obtinebimus, quando Deum ex toto corde diligemus. Et ſic patet, quod ex auctoritate illa Apoſtoli non concluditur, quod aliquis peccet, cum non refert opus ſuum in Deum actualiter:* hoc eſt relatione actuali vel *explicita*, quæ proprie actualis eſt, vel *implicita*, quæ alio nomine virtualis dicitur (*n. 336.*) juxta ſuperiorem obſervationem.

*351. Angelicus Doctor (Sancto etiam Antonino aliiſque celeberrimis Magiſtris adſtipulantibus) aſſertioni noſtræ ſuperiori pondus addit multiplici doctrinarum genere quarum primum, modum determinat, quo caritas cenſenda ſit neceſſaria ad implendam legem.*

351. Quidnam vero ſcholarum Angelus, & Eccleſiæ columen D. Thomas? Diverſis in locis hoc idem thema volutando multa ac varia protulit, quæ in unam doctrinæ rite cohærentis ſeriem connexa nihil minus adſtruunt, quam quod Adverſarii noſtri contendunt; etſi nonnulli ipſorum in uno alterove textu, interdum etiam detruncato, ſiſtentes ſe hoc propugnare dictitent, quod Angelicus Doctor & conſtanter ſenſit, & perſpicue ſcripſit. Rem ita eſſe deprehendet quiſquis æqua lance ponderare voluerit partim probationes præſentes, partim reſponſa ad objectationes deinceps apponenda. Primo ex profeſſo expendens (*1. 2. q. 100. ar. 10.*) utrum caritatis influxus ſit neceſſarius ad divinam legem ſervandam, docet caritatis actum, quo Deus diligatur ex toto corde, & omnia in Deum referantur, eſſe quidem peculiari præcepto præſcriptum pro determinato tempore; ceterum in aliis præceptis *non includi, quod ſerventur ex caritate*, ideoque hoc ſenſu verum eſſe, quod *modus caritatis non cadat ſub præcepto*. Hinc duplici efformata hypotheſi, quod nempe quis ex. ca. honoret parentes ſine caritatis affectu, ſive dum urget prædictum præceptum affirmativum dilectionis Dei; ſive dum illud minime urget, reſolvit quoad priorem hypotheſim, ejuſmodi hominem *non idcirco tranſgreſſorem effici hujus præcepti de honorandis parentibus, etſi ſit tranſgreſſor præcepti, quod eſt de actu caritatis, propter quam tranſgreſſionem meretur pœnam*: quoad poſteriorem vero addit, *poſſe contingere, quod implens præceptum de honoratione parentum non tunc tranſgrediatur præceptum de omiſſione modi caritatis*. Igitur ſenſit Angelicus, extra circumſtantiam diligendi Deum ſpeciali actu poſſe a nobis citra ullum culpæ aut pœnæ reatum divinam legem impleri ex ſolo motivo proximo & honeſto aliarum virtutum, adeoque ex nullo prorſus caritatis affectu honeſta opera in Deum referenda eſſe; ſecus, ſi neceſſariam crederet relationem quorumvis operum ex aliqua caritate, aut amore benevolo ſeu perfecto ſeu imperfecto, non poſſet abſolute generatim & indefinite concludere, hanc conditionem in reliquis præceptis non includi, *quod ſerventur ex caritate, quod modus caritatis non cadat ſub præcepto*. Quare evidens, hanc doctrinam non ſolum Novatores torquere, de quibus (*n. 319. & ſeq.*) ſed noſtris etiam Adverſariis obeſſe, quibus familiares ſunt iſtæ generales propoſitiones contrariæ: *quiquid deliberate agitur, ex affectu caritatis referatur in Deum: omnia in caritate fiant*. Quod ſi Angelicus ipſis reluctatur, ergo etiam S. Antoninus, Baconus, aliique Magiſtri, qui hac in re (*n. 332. & ſeq.*) eamdem prorſus doctrinam propugnarunt.

*352. Sequitur ſecundum Angelicæ doctrinæ caput, ab eodem S. Antonino probatum; cujus declaratur, quonam ſenſu omnia in* gloriam Dei *facere præcipiamur, extra concurſum primarii mandati de Dilectione Dei.*

352. Secundo, Angelicus cohærenter ad ea, quæ loco præcitato edocuit juxta communem perſuaſionem Sapientiorum illius ævi, aliis in locis pariter expendens ex profeſſo, quidnam præſeferat tritum illud præceptum omnia in Dei gloriam faciendi, conſtanter reſolvit, in hoc ſitum eſſe, ut (poſteaquam quis, habitu caritatis in actum exeunte, Deum opportuno tempore ex toto corde dilexit, ſuaque omnia expreſſe ad ipſum ordinavit, prout primo & maximo legis mandato jubetur) finem caritatis præ oculis ſemper habens, Deum ſcilicet & Proximum, nihil contra Dei gloriam, nihil in Proximi offenſionem moliatur, ſed potius cuncta recte faciat juxta univerſæ legis præſcriptum, ſicque in tota honeſtarum ſuarum actionum ſerie habeat Deum ultimum finem. Ecquid porro iſtud eſt, niſi ea operum relatio, quam nos *habitualem* & *implicitam* dicimus (*n. 340.*) alii *virtualem* (*n. 338.*) vocant: ipſemet vero *habitualem* ſimul & *virtualem* (*n. 339. & 341.*) nuncupavit, reſpectu diverſo? Præter Textum ex *Lect. 3. in cap. 3. ad Coloſſ* (*n. 339.*) jam a nobis recitatum, cui ſimilis alter occurrit *1. 2. q. 88. ar. 2. ad 2.* attendantur hi alii. Nimirum (*Opuſc. 18. de Perfect. vitæ ſpirit. c. 3.*) ſcribit: *Alio modo ex toto corde Deum diligimus,*

totalitate ſcilicet conveniente hominibus viatoribus. *ſi nihil nobis deſit ad divinam dilectionem, quod actu, vel habitu in Deum non referamus, & hujus divinæ dilectionis perfectio datur homini in præcepto: primo quidem, ut omnia in Deum referat ſicut in finem, ſicut dicit Apoſtolus: ſive manducatis, ſive bibitis &c. quod quidem impletur, cum aliquis vitam ſuam ad Dei ſervitium ordinat, & per conſequens omnia, quæ per ſeipſum agit, virtualiter ordinantur in Deum, niſi ſint talia, quæ a Deo abducant, ſicuti ſunt peccata.* Ita pariter S. Antoninus (*par. 4. Sum. tit. 6. c. 5. §. 3.*) *Dupliciter contingit diligere Deum ex toto corde. Uno modo in actu, ut ſcilicet totum cor hominis ſemper actualiter feratur in Deum: & iſta eſt perfectio patriæ. Alio modo, ut habitualiter totum cor hominis in Deum feratur, ita ſcilicet quod nihil contra Dei dilectionem cor hominis recipiat: & hæc eſt perfectio viæ.*

*353. Continuatio textuum pertinentium ad idem cap. 21 Angelica doctrina.*

353. Rurſus (*Lect. 7. in 1. Cor. c. 10*) Apoſtolica ea verba ediſſerens: *Sive ergo manducatis, ſive bibitis, vel aliud quid facitis; omnia in gloriam Dei facite: ſine offenſione eſtote Judæis, & Gentibus, & Eccleſiæ Dei;* hæc profert. 1. Monet, Apoſtolum ad avertenda ſcandala, quæ ob idolothytorum eſum in Eccleſiam Corinthiorum irrepſerant, duohæc Fidelibus præſcribere: unum *reſpectu Dei, quia debent quærere ejus gloriam, & omnia facere ea intentione, ut Deus laudetur & glorificetur:* alterum *reſpectu proximi, quia debent cavere ejus offenſam.* 2. Utrumque officium ita declarat dicendo videlicet quoad primum: *Matth. 5. ſic luceat lux veſtra coram hominibus &c. Coloſſ. 3. omne quodcunque facitis in verbo, aut in opere, omnia in gloriam Dei facite. Auguſtinus: hæc ſi recte fiunt, laudes Dei ſunt. Non ergo ſolum vox tua laudet Deum, ſed etiam opera tua concordent cum voce tua. Cum enim Deus laudatur de bono opere, Deum laudas: & cum blaſphematur Deus de malo opere tuo, Deum blaſphemas.* Quoad ſecundum vero: *quaſi diceret Apoſtolus, ut omnia in Dei gloriam fiant, ſine offenſione eſtote Judæis, qui non adorant idola, & ideo in tali comeſtione ſcandalizantur, & Gentibus, qui adorant idola, & ideo per hujuſmodi comeſtionem in errore confirmantur.* 3. Demum, adverſus mox tradita difficultatem movet, & ſolvit ſubdens: *Omnia in gloriam Dei facite. Contra: ergo nullus actus eſt indifferens. Reſpondeo, relatio hæc in gloriam Dei intelligitur vel in actu, vel in aptitudine referendi, quæ non eſt ſolum in bonis, ſed etiam indifferentibus,* & hæc quidem *relationis* explicatio conſonat Textibus reliquis (*n. 352.*) nominatis. Igitur Angelicus per *intentionem laudandi & glorificandi Deum* non hoc vult, ut nempe ex præcepto teneantur Chriſtiani ſingulas actiones deliberatas actuali, vel virtuali relatione continua referre ad Deum ſive ex benevolo *Caritatis* affectu, ſive ex immediato *Religionis* motivo, cum utriuſque virtutis præceptum ſit *affirmativum*, adeoque non *ad ſemper* obligans. Sed requirit dumtaxat, ut operando appetant & perficiant, quæ recta & honeſta ſunt bonitate morali adæquata, reſpiciente objectum, finem, circumſtantias (*n. 319 & 320.*) vel ſaltem quæ ex honeſto fine peragi poſſunt, ſi ex proprio genere non ſint bona, ſed indifferentia. Sic enim talia opera gloriam Dei promovent ipſa conditione ſua, & in Deum ceu finem ultimum ordinantur, tametſi operans nullam de hoc cogitationem aut intentionem eliciat; ſicuti ex oppoſito docet ipſe Angelicus (*2. 2. q. 43. ar. 1.*) de illa ſpecie ſcandali activi, quod dicitur ex *conditione operis*, ſeu ex voluntate indirecta & interpretativa, relate ad inducendum Proximum ad peccatum.

*354. Proponitur ſecundum argumentum ad confirmationem noſtræ ſententiæ ex Fidelium hominum conſenſione petitum.*

354. Argumentum *ſecundum*, quod *Fidelium ſenſu* nititur, ex primo hactenus illuſtrato emanat faciliſſime. Quotquot ferme ſunt Fideles, nedum rure, ſed in florentibus quoque civitatibus vitam agentes, ſic a majoribus inſtituti, ac mente ſua affecti videntur, ut plane ignorent aſſertam jugis relationis operum neceſſitatem: neque vel leviter ſuſpicentur, ſe in legem aliquam peccato omiſſionis delinquere, ſi poſtquam juxta celebre D. Aug. monitum *fide, ſpe, caritate Deum coluerunt*, ac bona ſubinde operari pergunt ex honeſto motivo reliquarum virtutum moralium, ſollicite non reſtaurent interruptam caſu aliquo ſuorum operum in Deum relationem, quæ vi præteritæ dilectionis, ac relationis formalis aliquandiu perduraverat. Quodque pluris faciendum, nec Paſtores Eccleſiaſtici, ſacrive Pœnitentiæ Adminiſtri ullam iiſdem hac de re religionem ingerunt; aut ſerio eos commonefaciunt, ut culpabiles omiſſiones, pridem vincibili ignorantia neglectas, tandem agnoſcant, & confiteantur in generalibus aut annualibus ſaltem exomologeſibus, quæ ad perfectam animarum purgationem laudabili multorum conſilio nunc frequentantur. Poſtremum hoc utrum vere affirmari poſſit de Adverſariis quoque noſtris, ubi abſoluto ſacrorum ſtudiorum curriculo, vel relictis Theologicis exedris tribunali Confeſſionis ſe mancipant, ipſorum Pœnitentibus, ac temere quidpiam proloquar, dijudicandum relinquo. Interim adverto hoc unum, quod ex dictis conſectarium videtur, ſci-



licet mirum non eſſe, ſi ignorent illi, ſileant iſti: quandoquidem ex Scoto (*nu. 349.*) *Deus non obligavit nos ad hoc.*

*355. Argumentum tertium eſt ex Scripturis, & Patribus; quo modo hinc ad rem noſtram mutuari liceat ſubſidia, explicatur.*

355. *Tertium* Argumentum, quod ex *Sacra Scriptura, & Patribus Eccleſiaſticis* depromi poſſe initio monuimus, hoc pacto intelligendum, atque urgendum. Quandoquidem in agitandis controverſiis, ex Paulo Juriſconſulto, *ei qui aſſerit, non ei qui negat, incumbit probatio* (quod & Dialectici inter Artis ſuæ canones recipiunt) nos, qui aſſertam a Theologis adverſantibus neceſſitatem referendi humanas actiones in Deum inficiamur, ad tuendam cauſam noſtram minime tenemur expreſſa ſplendidaque momenta proferre ex Divinis Litteris, ac Patrum traditione; ſed officio noſtro ſatis perfungimur, ſi auctoritates ſacras, quibus iidem propriam confirmant ſententiam, ipſis eripiamus utpote longe aliud, quam quod ipſi volunt, præſeferentes: quamquam non deſunt apud noſtrates, qui curam etiam aſſumant argumentationes plauſibiles ducendi ex memoratis Theologiæ fontibus. In id ergo unum cogitatio noſtra intendit, dum ad Scripturas, & Patres provocamus, idque nunc ſic breviter conficimus. Indubitatum utique eſt, dilectionis Dei, & relationis operum in Deum, frequentiſſimam, & apertiſſimam mentionem ſeu in Scripturis, ſeu in Patribus occurrere. Sed quid tum? univerſa namque teſtimonia (generalibus, ſimulque ad communes Eccleſiæ, ac Theologiæ ſanioris doctrinas exactis, utendo reſponſionibus) poſſunt & apte, & commode exponi variis in ſenſibus, quorum nullus cauſſæ Adverſariorum ſuffragatur; modo authenticæ interpretandi regulæ ipſorummet Patrum verbis in Codice Canonico (*n. 71.*) conſignatæ non reſpuantur, ſed magis proprio ingenio, uti par eſt, anteponantur.

*356. Scripturarum, & Patrum teſtimonia ab adverſa ſententia Theologis exaggerata ſpectatis ſeſe legitimæ interpretationis, ſtatuunt firmari communes apud Catholicos doctrinas de relatione operum, amplius vero nihil evincunt.*

356. Nimirum hæc ſunt univerſim, quæ per Scripturas, & Patres in præſenti materia enuntiari arbitramur. 1. Omnia honeſte peragenda pervigili cura, prout decet, nedum Fideles omnes in ſocietatem Jeſu Chriſti vocatos, ſed etiam rationalem quemque hominem: ut ſic bene actis noſtris Deus jugiter glorificetur, qui omnis honeſtatis juſtitiæque norma, & fons eſt. 2. Nihil ſive in verbo, ſive in opere, ſive in converſatione attentandum contra caritatis regulas, ac finem, ita ut nec Dei honor ulla in re lædatur, nec ſalus Proximi in diſcrimen adducatur. 3. Deum crebris & iteratis ſinceræ caritatis actibus diligendum ex toto corde, ex tota mente, & ex tota anima, atque illorum vi omnia noſtra ad ipſum ceu finem ultimum ordinanda. 4. Ex eiuſdem caritatis affectu vivido eliciendas operationes ſingulas, quibus coronam gloriæ promereri avemus. Quiſquis præter hæc quatuor ſuprema officia, quæ homini Chriſtiano, quantum præſens ejus conditio patitur rite firmando, & cumulate beando videntur ſufficere, aliud præterea officii genus Apoſtolico Divino præcepto neceſſarium, jugem ſcilicet relationem formalem cujuſcumque actus deliberati, conatur extundere ex textibus illis: *omnia veſtra in caritate fiant: omnia in gloriam Dei facite &c.* næ is, præterquam quod ſeverum & communi hominum naturæ minus compatientem ſe prodit, rem exigit, cujus propriam ſpeciem ſive formam in iiſdem textibus expreſſam adinvenire non eſt. Ecquis enim aut in D. Paulo, aut in Eccleſiaſticis Patribus ſpeciale relationis præceptum deteget illis circumvolutum fimbriis, quas Adverſarii noſtri (*n. 345. & 346.*) apponunt? videlicet ut relatio fiat non ex caritate proprie accepta, ſed ex inferiori amore benevolo, ut præſcripta cenſeatur ſub veniali delicto; ut defectus hujuſce relationis ſic arguat ſolum hominem non referentem, ut minime inficiatur actus non relatus. Si graves illæ ſententiæ caritatem abſolute ac ſimpliciter commendantes præceptum continent a memoratis officiis, diſtinctum, vereor, ne quid amplius exinde hauriatur plana nitidaque conſecutionis lege, quod Catholicis Theologis hac ætate propugnare nullatenus licet.

*357. Argumentum quartum ab abſurdis expreſſum, complectitur rationem apodicticam demonſtrantem, in hypotheſi Adverſariorum ex omiſſionem prætenſæ relationis ipſos actus evadere malos, nedum culpabilem agentem, qui relationem illam negligit.*

357. Atque ut hinc ad *Quartum* progrediamur Argumentum, quod ab *abſurdis* repetitur, fatentibus Adverſariis (*n. 346*) omnino abſonum, atque ab Orthodoxa Fide alienum eſt ſuſpicari, actum ex genere ſuo morali bonum degenerare in malum, præciſe quia ex pio caritatis affectu ab agente non ordinatur ad Deum, ſed admiſſa neceſſitate relationis ab ipſis inculcatæ, revera iſtud eſſet conſectarium, quantumvis totis lacertis adnitantur refundere labem ejuſdem omiſſionis in ſolum agentem. Igitur ipſorum ſententia deſerenda, utpote abſurdis obnoxia: ſic porro oſtendere pronum eſt, quam ſit caſſus hujuſmodi conatus. Moralitas ſeu bona ſeu mala cujuſlibet actus individui, uti in hac IV. Sectione ſatis oſtenſum, non a ſolo pendet objecto, ſed etiam ex circumſtantiis, ac fine præſertim extrinſeco agentis, ita quidem ut ex Scoto, (*n. 264.*) *bonitas actus moralis omnino fit ex aggregatione omnium convenientium actui ſecundum rectam rationem; malum vero* ex D. Bonav. (*n. 312.*) *attendatur ex cujuſcunque privatione, & idcirco malum fit omnifarie, bonum autem*

 uno

*uno modo*, ſic uti ex eodem Scoto judicare ſolemus *de pulcritudine, & turpitudine in corpore*. Unde quamvis circumſtantiæ ſint quodammodo extra actum, eo ipſo tamen quod ſecundum rectam rationem actui conveniunt, adeoque *morales* circumſtantiæ ſunt, haud parum ad illius moralitatem conferunt, ut patet ex gemino earumdem effectu ( *n.* 288. *& ſeq.* ) paſſim admiſſo. Quare Angelicus ( 1. 2. *q.* 18. *ar.* 3. & 4. ) ſtabilitis hiſce theſibus, quod *actio humana ſit bona, vel mala ex circumſtantia, & ex fine*, difficultatem iſtam, quæ præcipue videtur obſtare: *bonitas actus eſt aliquid in ipſo exiſtens, finis eſt cauſſa extrinſeca, non ergo ſecundum finem dicitur actio bona, vel mala*, ita removet: *quamvis finis ſit cauſſa extrinſeca, tamen debita proportio ad finem, & relatio in ipſum inhæret actioni*, in genere ſcilicet moris ſpectatæ. Atque hæc quidem omnia, unanimi Moralium ſenſu exploratiſſima, non poſſunt non fateri ipſimet Adverſarii noſtri, ubi de *Moralitate* pertractant. En regulas, ex quibus *dignoſci poſſe actionem humanam ex circumſtantiis bonam, vel malam*, oſtendit eorum unus in ſua Theologia Morali contracta ( *Tr. de Actibus Hum. c.* 3. ) noviſſimæ editionis Venetæ an. 1757. *Prima, ut actio ſit bona, neceſſe eſt, ut non careat ulla circumſtantia ſibi debita. Secunda, ut actio defectuoſa ſit ex circumſtantia, debet eſſe in præcepto, & debita ineſſe*. Jam vero relatio operum in Deum, de qua nunc controverſia, juxta Adverſarios eſt moralis circumſtantia cujuſvis individualis operis deliberati, atque in præcepto eſt, & debita ineſſe: ergo ea deficiente non modo delinquit agens, ſed ipſum etiam opus defectuoſum fit, atque in genere moris malum; *licet non ab omni eo, quod in ipſo opere eſt, malitiam habeat*, ut Angelicus ( *n.* 264. ) loquitur de alio opere habente circumſtantiam pravi finis, ſive ex Scoto prælaudato *non ſit perfecte malum*.

358. *Superior ratio apodictica magis urgeat Adverſarios ſi muniatur eadem ipſa ratione, quam ſolent aſſumere, dum actus in individuo indifferentes inficiantur.*

358. Accedit, quod Adverſarii in alia controverſia, eliminando actiones *in individuo indifferentes*, hac præſertim utuntur ratione ex Doct. Angelico ( *n.* 277. ) mutuata; quia *cum quilibet individualis actus habeat aliquam circumſtantiam, per quam trahatur ad bonum vel malum, ad minus ex parte intentionis finis, conſequens eſt, ut actus a deliberativa ratione procedens, ſi non ſit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipſo repugnet rationi, & habeat rationem mali; ſi vero ordinetur ad debitum finem, conveniat cum ordine rationis, indeque habeat rationem boni, unde neceſſe eſt, omnem actum in individuo conſideratum bonum eſſe, vel malum*. Quemadmodum ergo, prætermiſſa relatione actus deliberati in finem *honeſtum*, actus non relatus, judicio Adverſariorum, *malus* evadit, & nequaquam indifferens dici poteſt; ita profecto, deficiente relatione actus deliberati in finem *ſupernaturalem*, hoc eſt, *in Deum propter ſe dilectum* actus non relatus, velint nolint, *malus* ob hujuſmodi defectum exiſtat neceſſe eſt. Nam ſi uterque finis ex divino præcepto reſpiciendus a quovis homine conſulto agente, omiſſio relationis operum in alterutrum finem peræque repugnat rationi dictanti, ejus finis gratia agendum eſſe: ſemel ac autem *recte rationi repugnat* actus citra intuitum alterutrius finis productus, inde habet *rationem mali*; quandoquidem ex Seraphico & ſubtili ( *n.* 357. ) *malitia* actus moralis individui *eſt omnifarie ex quolibet defectu cujuſvis circumſtantiæ pertinentis ad aggregationem omnium convenientium actui ſecundum rectam rationem*. Hinc porro intelligitur, quam infelici ſucceſſu conentur Adverſarii nodum hunc plane Gordianum ſolvere dicendo, defectum relationis in finem *honeſtum* eſſe defectum regulæ *proximæ* actuum humanorum, quæ eſt debita *actioni* deliberatæ, eamque afficit: defectum autem relationis in finem *ſupernaturalem*, ſeu in Deum propter ſe dilectum, eſſe defectum regulæ *remotæ*, & finis ultimi, qui afficit ſolum agentem. Nonne, inquam ego, finis uterque & *honeſtus*, & *ſupernaturalis*, Adverſariorum confeſſione *in præcepto eſt, & debitus ineſſe* actioni cuilibet individuæ in genere moris ſpectatæ? ergo utriuſque finis defectus occurrens in productione talis actionis *ex hoc ipſo repugnat rationi* dictanti, nihil omittendum eorum, quæ ſunt ad completam bonitatem actioni prorſus neceſſaria: ergo uterque pariter eſt defectus *regulæ proximæ agendi*, quam Morales omnes in rectæ rationis dictamine conſtituunt: ergo uterque defectus inde habet *rationem mali*, afficientis ipſas *actiones* non relatas ad geminum illum finem. Adducta igitur exceptione nodus magis conſtringitur, utpote quia ea potis non eſt inducendæ ulli ſolidæ diſparitati.

359. *Admiſſo ſyſtemate Adverſariorum, hinc omnino reſultare videntur (juxta ſuperiorem noſtram argumentationem ex communibus Ethicæ principiis conſtatam) conſectaria nonnulla, a quibus oportet cavere Orthodoxos Theologos.*

359. Quæ cum ita ſint, inconcuſſum manet, qualcunque hominis actiones ſine actuali, aut virtuali in Deum relatione peractas, non ſolummodo *informes* dicendas eſſe, uti Adverſariis loqui moris eſt, ſed omnino *defectuoſas & malas*, quamquam abſtracte & extra individuales circumſtantias, in quibus contingunt, conſideratæ ſint ex ſuo genere, ſive ex officio, bonæ atque honeſtæ, ſiquidem, ut jam audivimus



vimus ( *n.* 357. ) ex communi regula, quam illorum unus proponit *ad dignoſcendam actionem humanam ex circumſtantiis bonam, vel malam*, quoties circumſtantia quæ ab agente omittitur, *eſt in præcepto, & debeat ineſſe, tunc actio defectuoſa ſit ex circumſtantia*: atque ut Angelicus notat ( *n.* 358. ) *actus a deliberativa ratione procedens, ſi non eſt ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipſo repugnat actioni, & habet rationem mali*. Quod ſi ita eſt, jam in Adverſariorum ſyſtemate locum habebit, quod ſcripſit Guillelmus Eſtius ( *in* 3. *ſent. diſt.* 26. §. 34. *in reſp ad* 4. ) & ipſe propugnator prædictæ relationis, nimirum *hominis juſtificati nulla eſſe opera tantum moraliter bona; ſed quid laudabiliter ac bene moraliter ſit, totum id actu aut virtute tendere in finem ſupernaturalem, juxta præceptum Apoſtoli: omnia in gloriam Dei facite*: e converſo vero ( quod idem Auctor ibidem reticet ) quidquid actu aut virtute non tendit in finem ſupernaturalem, eſſe moraliter loquendo defectuoſum & malum, ſicut hucuſque ſatis a nobis probatum. Porro autem, admiſſis hujuſmodi corollariis, quonam ſucceſſu poſſint Adverſarii noſtri, cum reliquis Catholicis Theologis juncti, refellere & inſectari Bajum, totamque Novatorum cohortem, eo quod *veluti commentitiam* explodant *obſervantiam Divinæ Legis, quantum ad præceptorum operum ſubſtantiam tantum*, ac ſimiliter rejiciant *opera dumtaxat moraliter bona* ( *n* 329. & 346. ) penes æquos rerum æſtimatores judicium eſto.

360. *Quarto loco proponuntur Objectiones præcipuæ, quibus poſſunt nos impetere Patroni contrariæ opinionis; & hic quidem diſpellitur prima, quam ex Apoſtolo ſumunt.*

360. *Quarto* tandem, quod attinet ad *Difficultates*, quas ſolent Adverſarii obtendere, eas in ſuperioribus tribus membris hujus controverſiæ, tametſi aliud agentes jam inſinuavimus magna ex parte, ac ferme diluimus, quare ut datam ( *n.* 317. ) fidem exſolvamus, brevibus expediemus poſtremum iſtud membrum, quod alioquin ceteris prolixius eſſe deberet. In primis ad tres D. Pauli ſententias omnium ore tritas confugiunt, quibus nihil videtur evidentius; nihil validius ad firmandum præceptum de jugi, ac univerſali operum relatione. *Sive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite* ( 1. *Cor. c.* 10. ) *Omnia veſtra in caritate fiant* ( *ib. c.* 16. ) *Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jeſu Chriſti, gratias agentes Deo, & Patri per ipſum* ( *ad Coloſſ. c.* 3. ) Reſpondeo; caute, quæſo, utantur ſententiis iſtis, neque in ſolo hæreant verborum cortice, ſecus enim ( cum Paulus in ſecunda præſertim *caritatem* abſolute, & indefinite nominet, adeoque proprie dictam caritatem videatur intelligere, ſicuti alibi paſſim ) Sectarii meliori forſan argumentationis genere amplius quid exinde elicient, quod jam ab Eccleſia proſcriptum ( *n.* 329. ) ſcilicet, *ſolam caritatem chriſtiano modo facere actiones chriſtianas per relationem ad Deum, & Jeſum Chriſtum &c.* Itaque ſi certum eſt, effata illa Paulina non tam ſecundum extimam ſpeciem ſumenda, quam ſenſu aliquo intelligenda penitiore, atque aliis tum B. Pauli, tum ceterorum Scriptorum Canonicorum doctrinis attemperato, præ oculis habeantur quatuor illa ſuprema officia, quæ ibidem ab Apoſtolo, alio & alio ſenſu, Chriſtianis inculcata credi poſſe ( *n.* 356. ) monuimus. Conſulatur itidem aureus D. Bonav. textus ( *n.* 350. ) in quo veluti in tabula graphice expreſſos cernere eſt ſenſus omnes, quos ab eodem Apoſtolo deſignatos concipere licet.

361. *Tradita a nobis reſponſio munitur duorum inſignium Apoſtoli interpretum auctoritate, nempe D. Chriſ. & D. Th. qui effata Apoſtolica explicant de relatione operum implicita ſeu habituali.*

361. Sane mirandum ſummopere, quod qui inter Paulinos Interpretes omnium judicio maxime eminuerunt, Chryſoſtomus videlicet, & Aquinas, in illis locis interpretandis peculiarem operum relationem, ab actibus proprie dictæ caritatis, nec non a morum honeſtate prorſus diſtinctam, ſi eam D. Paulus Fidelibus revera præcepiſſet, nuſpiam agnoverint, memorarint, in apricum protulerint. Numquid chariſma interpretandi ejuſmodi ſententias ſolis reſervabatur Theologis, quibuſcum nos amice nunc diſputamus? Aquinatis expoſitiones ad utriuſque Epiſtolæ textus, quæ ſunt de *habituali & implicita* operum relatione, jam ( *n.* 353. ) recitavimus ex ipſius *Lect.* 7. *ad c.* 10. 1. *Cor.* Neque diſcordant quæ ( *Lect.* 3. *in c.* 3. *ad Coloſſ.* ) ait; hic enim præmiſſo utroque textu Apoſtolico: *ſive manducatis &c. omne quodcunque facitis &c.* ſic pergit. *Quidam dicunt, quod hoc eſt conſilium, ſed hoc non eſt verum: ſed dicendum eſt, quod non eſt neceſſarium, quod omnia in Deum referantur actu, ſed habitu: qui enim facit contra gloriam Dei, & præcepta ejus, facit contra hoc præceptum: venialiter autem peccans non facit contra hoc præceptum ſimpliciter; quia, licet non actualiter, tamen habitualiter refert omnia in Deum*: nempe & quatenus abſtinendo a mortalibus cenſetur retinere caritatem, quæ habitualiter ordinat in Deum; & quatenus præcepta Dei graviter non violando, ſimpliciter honeſtate quoque morum pollere præſumitur, ob quam ſeries actionum ejus refertur in Deum *habitualiter & implicite* ( ſive, ut aliqui ajunt, *virtualiter* ) demptis venialibus noxis, ſine quibus præſens vita eſſe non poteſt, ordinarie loquendo. Atque hoc loco obiter notari volo captioſam argumentandi formam a gene-

genere ad ſpeciem, quam videntur affectare quidam ex Adverſariis, dum prima dumtaxat illius textus verba producunt, ut probent non meri conſilii, ſed præcepti eſſe ſingularem illam relationem operum, pro qua ipſi decertant. Utique, Angelico interprete, verba Apoſtoli exponenda de præcepto obligante: at extendendum ne hoc præceptum ad quamlibet promiſcue relationis ſpeciem, & ad quodlibet tempus? minime gentium: illam ſolummodo relationem duplicem afficit ex Angelico, quæ *actu, vel habitu fit*; nimirum *actualem explicitam*, quando urget mandatum maximum divinæ dilectionis, & *habitualem implicitam* extra ejuſdem mandati circumſtantias.

*362. Transferuntur verba D. Chryſoſt. palam faventia habituali relationi operum, ſimulque Apoſtolico contextu, ac ſcopo appriме conſona.*

362. Expoſitiones itidem Chryſoſtomi conſiderantis verba Apoſtoli extra certa illa tempora, quæ ſpeciales exigunt actus dilectionis erga Deum, non ſunt niſi de *habituali* operum relatione; eæque non oſcitanter, aut arbitrario prolatæ, ſed potius ſagaci peritia, ſummaque ſapientia ex ſcopo, & contextu Apoſtolico, expreſſæ. Leges ſingulas tres S. Doctoris homilias (25. & 44. *in* 1. *Corint. c.* 10. & *cap.* 16. itemque 12. *in c.* 3. *ad Coloſſ.*) & palam deprehendes, ipſum ex Paulinis ſententiis de cunctis operibus *in caritate*, & *ad gloriam Dei* faciendis, hæc unice inferre, & Fidelibus inſinuare, ut ſcilicet a vitiis, pravis conſuetudinibus, ſcandalis caute abſtineant, & bonis actibus, quibus præſertim proximus juvatur, ſedulo incumbant. Quod ſi eum legendi laborem detrectas, aures ſaltem accommoda verbis, quæ nos ex iiſdem locis nunc proferimus. *Non auditis Paulum dicentem: quidquid facitis, ſive comedatis, ſive bibatis, ſive aliquid facitis, omnia ad gloriam Dei facite? vos autem ad maledicentiam, & ignominiam* (*hom.* 12. *ad Col.*) ob veſtras ſcilicet ſcurrilitates, laſcivias, ebrietates, quas ibidem acriter inſectatur. Rurſus (*hom.* 44. *ad Cor.*) *Omnia veſtra in caritate fiant. Paulus hoc dicens illos tangit, ut qui ſeditionem agerent . . . . Quid eſt illud: omnia in caritate? ſive quiſpiam increpat, inquit, ſive imperat, ſive paret imperio, ſive diſcit, ſive docet; omnia cum caritate. Nam & cuncta, quæ dicta ſunt, ideo contigerant, quod caritas neglecta fuiſſet, nam ſi ea non fuiſſet neglecta, non fuiſſent inflati, non dixiſſent: ego ſum Pauli, ego vero Apollo: non foris judicio contendiſſent: ille uxorem patris non accepiſſet: non fratres infirmos contempſiſſent: hæreſes non habuiſſent: propter chariſmata inanem gloriam non concepiſſent: Propterea dicit, omnia cum caritate fiant.* Quare Chryſoſtomo interprete, Paulus non aliud præcipere videtur, quam quod dixerat paulo ante (*c.* 14. *v.* 1. & 40.) iis verbis: *ſectamini caritatem omnia honeſte, & ſecundum ordinem fiant*: quod quidem idem eſt ac dicere; ſemper ſervetur inviolate *honeſtum & decorum omnium dictorum, & operum, ut deceat quod agatis, & conveniat, & quadret ſibi ordo vitæ veſtræ* (uti D. Ambroſius loquitur *lib.* 1. *de Offic. c.* 19. 45. & *ſeq.* tale honeſtum ac decorum pulchre deſcribens) atque chriſtianæ caritatis regulæ potiſſime cuſtodiantur ita, ut vita veſtra ab iis nulla in re diſcrepet: quippe ipſa eſt *vinculum perfectionis, & radix fonſque bonorum*, ut ex eodem Apoſtolo ait ibidem Chryſoſtomus.

*363. Objectio ſecunda ex SS. Patribus affertur, ac ſimiliter diluitur.*

363. A Divo Paulo provocant Adverſarii ad Eccleſiaſticos Patres, ceu ad probatiſſimos Divinarum Litterarum interpretes, ſanæque doctrinæ moralis Magiſtros, præſertim ad Ambroſium, Baſilium, Auguſtinum, Bernardum, aliosque, qui generale præceptum ex caritate jugiter operandi, quantum humana ſinit conditio, totumque vitæ ordinem ad Deum ſupernaturalem finem dirigendi, agnoſcunt divinitus nobis intimatum per os Pauli, in quo Chriſtus loquebatur. *Præcipit Apoſtolus, dicens: omnia veſtra in caritate fiant*, inquit (*lib. de corrept. & grat. c.* 3.) Auguſtinus. Reſpondeo. Bene eſt. Sed nihil exinde contra nos: ſiquidem credere par eſt, Sanctos Patres nihil enuntiare voluiſſe præter id quod ab Apoſtolo, cujus verbis ſuas conſtruxerunt ſententias, fuit conſtitutum: Apoſtolum autem placitis noſtris nullatenus repugnare (*nu.* 360. & *ſeq.*) jam confectum eſt. Itaque ſicuti Adverſarii locutiones Patrum, interdum valde amplas, & juxta apparentem vocum ſignificationem ultra quam ipſi cupiunt, tendentes, coguntur exponere in ſenſu mitiori; exigendo ſcilicet loco caritatis proprie dictæ inferiorem quemdam affectum amoris benevoli, præcepti obligationem ad veniale peccatum reſtringendo, ac labem prætermiſſæ relationis in ſolum hominem refundendo, ne *litteræ*, ut ait Paulus, *occidenti* inhærentes deſtituantur *ſpiritu vivificante*, & approbare videantur quod ex prædictis locutionibus directe inferunt Novatores in Chriſtianæ fidei perniciem: ita prorſus & nos eaſdem ſenſu accommodo & exploratis apud univerſam Eccleſiam doctrinis probe reſpondente, accipiendas arbitramur, juxta generalia principia (*n.* 356.) jam producta; quoniam propoſitum ab Adverſariis ſyſtema in animum noſtrum



ſtrum perſuadere non poteſt, ut pote quod videtur nobis & periculis plenum (*n.* 357. & *ſeq.*) & alienum a mente præcipuorum Magiſtrorum veteris ſcholæ (*n.* 349. & *ſeq.*) quos Eccleſia divinitus datos ſuſcipimus, veluti locum tenentes Sanctorum Patrum, quibus ſucceſſerunt. Ceterum, ut de ſolo Auguſtino ſpeciatim quidpiam addamus, ſatis declarat, Apoſtoli juſſa impleri poſſe ſola *habituali* operum relatione extra eas temporum circumſtantias, quæ nos urgent ad Deum diligendum *explicitis* caritatis actibus. Nam (*Concion.* 2. *in Pſ.* 34.) hæc ſcribit: *Suggero remedium, unde tota die laudes Deum, ſi vis: Quidquid egeris, bene age, & laudaſti Deum. Quando cantas hymnum; laudas Deum: lingua tua quid agit, niſi laudat conſcientia tua? Et quoties tu ceſſaſti ab hymno cantando, diſcedis ut reficiaris, noli ebriari, & laudaſti Deum; diſcedis, ut dormias, noli ſurgere ad male faciendum, & laudaſti Deum; negotia agis, noli fraudem facere, & laudaſti Deum. Agrum colis, noli litem movere, & laudaſti Deum. In innocentia operum tuorum præpara te ad laudandum Deum tota die.* Junge igitur Auguſtinum Chryſoſtomo, pari modo Apoſtolum explicanti; & perſuade tibi, nec reliquos Patres a Luminaribus iſtis diſcrepare.

*364. Adjungitur objectio tertia, ex pluribus D. Thomæ ſententiis ingenioſe contexta.*

364. Nihil porro eſt, de quo magis ſibi plaudant Adverſarii poſt allatas Scripturarum, Patrumque auctoritates, quam de Angelici Doctoris patrocinio: ſiquidem conſtat, ipſum ex profeſſo plurimis in locis Paulinas ſententias de operum in Deum relatione; minutatim examinaſſe, ac ſubinde perſpicuis loquendi formulis ea docuiſſe, quæ ad eorum cauſam mirum in modum facere videntur; ejus generis præſertim ſunt ſequentia iſta, 1. ſcribit (1. 2. *q.* 102. *ar.* 6. *ad* 7.) *Cæleſtis intentio omnibus operibus noſtris debet adjungi*, 2. (2. 2. *q.* 89. *ar.* 4. *ad* 3.) *Omnia, quæ facimus, debemus in Dei reverentiam facere*. 3. (2. 2. *qu.* 83. *ar.* 4. *in corp.*) *Deſiderium caritativum nobis debet eſſe continuum vel actu vel virtute, manet enim virtus hujus deſiderii in omnibus, quæ ex caritate facimus: omnia autem debemus in gloriam Dei facere, ut dicitur* 1. *Corint.* 10. *Et ſecundum hoc deſiderium oratio debet eſſe continua.* 4. Poſteaquam inconcuſſi principii loco ſtatuit verba Apoſtoli, non merum conſilium, ſed præceptum proprie dictum continere, adeoque *ex præcepto nos teneri omnia in gloriam Dei facere* (1. 2. *q.* 69. *art.* 1. & *qu. unic. de Carit. art.* 11. & *lect.* 3. *in c.* 3. *ad Coloſſ.*) modum huic præcepto ſatisfaciendi in hoc ſitum eſſe ex mente Apoſtoli determinat; videlicet ut quis primo *actualiter* per explicitum dilectionis actum ſe, ſuaque omnia in Deum referat, dein ea, quæ peragit deinceps, ad ipſum Deum *virtualiter* ordinet, & ita quidem ut hæc *virtualis* ordinatio conſequens prudenti judicio cenſeatur fieri *vi* antecedentis relationis *actualis expreſſæ*, atque idcirco alia relatio operum, quæ dici ſolet *habitualis*, minime ſufficiat. Hæc plane Angelicus, nec uno in loco, aut veluti per tranſennam; ſed conſulto, exerte, & conſtanter tribus in locis (*qu. un. de car. ar.* 2. & *in* 2. *Sent. diſt.* 40. *q.* 1. *ar.* 5. *ad* 6. & 7. & *opuſc.* 18. *de Perf. vit. ſpirit. c.* 5.) quemadmodum apparet ex ejus Textibus, quos ipſi nos (*n.* 240. 342. 352.) recitavimus.

*365. Ut planiori, tutiorique via occurratur quibuſcumque difficultatibus, quæ ex D. Thom. deſumi, & contra nos urgeri poſſunt, quæſtiones quædam prænotionibus, ex integra Scriptorum ipſius ſerie profluentibus: hicque earum prima aſſignatur.*

365. Verum enimvero, quamquam ex iſta doctrinarum ſerie acrius certamen nobis naſcatur, ea tamen nos fatigare aliquatenus poteſt, expugnare penitus non poteſt; quoniam ſi & alia plura ab Angelico Doctore exarata, quæ hic Adverſarii prætereunt, ſerio perpendantur, riteque diſponantur, tantum virium hinc nobis accedit, ut propriis munimentis poſſimus conſtanter nos tenere. Quæ ad hunc ſcopum neceſſario ſunt animadvertenda, mox præmittamus: inde talibus inſtructi prænotionibus calamum vertamus ad oppoſitos Textus ſingulatim explicandos ita quidem, ut nullum eorum cauſſæ noſtræ reipſa nocere quilibet Lector partium ſtudio ſolutus poſſit cognoſcere. Primo, Angelicus agnoſcit quidem in Apoſtolicis verbis, *omnia ad gloriam Dei facite*, præceptum referendi in Deum cunctas actiones; at non ad quamlibet prorſus relationis ſpeciem, quæ concipi poteſt, extendit tale præceptum: nam duas ipſe aperte nominat; quarum alteram meri conſilii, alteram nec præcepti, nec conſilii eſſe docet. Hoc poſito fieri poteſt, ut neque relationem aliam ab Adverſariis noſtris propugnatam comprehenderit ſub illo præcepto: reapſe autem non comprehendiſſe hinc nos deducimus, quia iſti omiſſionem relationis actualis aut virtualis in Deum propter ſe dilectum ajunt in quovis caſu eſſe dumtaxat venialem: Angelicus vero omiſſionem relationis, quam præcepto ſubjicit, monet aut mortalem, aut venialem eſſe poſſe. Quare, ut (*n.* 361.) adnotavimus, ex hoc præciſe, quod Angelicus relationem operum in Deum generaliter commendans dicat, eam eſſe, non meri conſilii, ſed præcepti, minime conſequitur, S. Doctorem eadem plane cum Adverſariis noſtris ſentire, niſi hi demonſtrent aliunde, illam ab eo deinceps declaratam fuiſſe eodem prorſus

ſus

ſuis modo, quod ab ipſis nunc proponitur: quod ex mox dictis falſum eſſe perſpicitur.

*366. Exhibentur tres aliæ ejuſdem generis prænotiones.*

366. Secundo, Angelicus obſervat illud ipſum relationis præceptum habere duplicem quaſi formam ita ſcilicet, ut negativum ſimul & affirmativum reputandum ſit, non eo quidem ſenſu, quo Adverſarii noſtri ſolent ſimiliter ipſum denominare, ac deſcribere; (*n.* 355.) ſed hoc alio longe diverſo; quatenus nempe vetat quidpiam facere contra Dei gloriam, ſimulque jubet ad Deum aliqua ratione ordinare opera, quæ fiunt: atque utroque quidem iſto ſenſu intellexit ipſe tale præceptum, produxitque variis in locis juxta varietatem thematum, de quibus diſſerendi occaſionem habebat. Tertio, idem præterea Apoſtoli præceptum, conſideratum qua affirmativum, mente ſua contulit cum Divinis præceptis diverſæ claſſis, videlicet nunc cum ſpeciali mandato ad ſolam caritatem, qua Deus ſuper omnia diligendus, ſpectante; tumque relationem operum actualem explicitam illud præſeferre dixit: nunc vero cum generali ſerie variorum mandatorum reliquas virtutes pertinentium: tumque relationem operum habitualem & implicitam deſignare docuit. Ex quo ſequitur, Angelico ratum fuiſſe, Apoſtoli præceptum quaquaverſus acceptum non eſſe niſi confirmativum Divinorum mandatorum ita quidem, ut idem Apoſtolus cenſendus ſit nihil plus, aut minus Fidelibus inculcaſſe, quam quod in nova lege ab ipſomet Chriſto Domino conſtitutum reperitur. Quarto denique, ſenſit Angelicus Doctor, in iiſdem plane operibus honeſtis, quæ ab homine Chriſtiano in juſtitia Domino ſuo fideliter deſerviente peraguntur, geminam relationis ſpeciem ſimul concurrentem notari poſſe, facta diverſa conſideratione; nempe relationem tum habitualem proprie dictam (*n.* 340.), cum virtualem, preſſe ſumptam, hoc eſt (*n.* 33 .) actualem implicitam continuatam: quod quidem facto poſſibile fore nemo negabit, noſque exemplo manifeſto (*n.* 341.) jam declaravimus.

*367. Indicantur, & referuntur varia D. Thomæ teſtimonia, ut exinde conjiciatur, ejus menti conſonas eſſe ſuperiores noſtras Prænotiones.*

367. Singulas iſtas quadruplicis generis obſervationes modo præmiſſas, non veritati tantum, ſed & menti Doctoris Angelici eſſe perquam accommedatas, oſtendunt ipſius ſcripta, ex quibus nos hanc eamdem ad rem decerpſimus potiora teſtimonia, ipari m inſerta præſenti controverſiæ. Pro tertia Obſervatione, quoad *priorem* partem de relatione actuali, neceſſaria ex præcepto Apoſtolico reſpiciente Divinum mandatum caritatis, valet textus 1. 2. *q.* 100. *tr.* 10. (*n.* 331.) & *in* 2. *Sent. diſt.* 40. *ar.* 5. (*n.* 342.) quoad *poſteriorem* partem de habituali relatione, ſufficiente juxta præceptum Apoſtoli ſpectantis Divina mandata reliquarum virtutum, textus *lect.* 7. *in* 1. *Cor.* (*n.* 353.) & 2. 2. *q.* 69. *ar.* 1. paulo infra a nobis recitandus in reſponſione ad Objectionem ultimam. Quoad *utramque* ſimul partem de prædicta gemina relatione, disjunctive habenda juxta diverſas temporum circumſtantias, textus *lect.* 3. *ad Coloſſ.* (*n.* 339.) & *opuſc. de Perf. vit. ſpir.* (*n.* 352.) Pro quarta Obſervatione inſerviunt textus *q. un. de Car. art.* 11. (*n.* 340.) & præcitati *opuſc. de Perf. vit. ſpir.* Obſervationem vero primam, ac ſecundam confirmat unicus iſte textus (*in Sent. diſt.* 40. *ar.* 1. *q.* 1. *ad* 7.) ubi S. Doctor hæc ſcribit. *Quod dicitur, omnia in gloriam Dei facite, poteſt intelligi dupliciter; vel affirmative, vel negative: Si negative, ſic eſt ſenſus: nihil contra Deum faciatis: & hoc modo præceptum eſt: & ſic præceptum hoc præteritur vel per peccatum mortale, quod contra Deum ſit, vel per peccatum veniale, quod præter præceptum, & præter Deum ſit. Si autem intelligatur affirmative, hoc poteſt eſſe dupliciter: aut ita, quod actualis relatio in Deum ſit conjuncta actioni noſtræ in virtute, ſecundum quod virtus primæ ordinationis manet in omnibus actionibus ſequentibus, ſicut & virtus finis ultimi manet in omnibus finibus ad ipſum ordinatis: & ſic adhuc præceptum eſt, & contingit omiſſionem ejus eſſe venialem, vel mortalem, ſicut dictum eſt: aut ita, quod ordinatio actualis in Deum ſit actu conjuncta cuilibet actioni noſtræ; & ſic poteſt intelligi dupliciter, vel diſtributive, vel collective. Si diſtributive, ſic eſt ſenſus: quamcumque actionem facitis melius eſt, ſi eam actu in Deum ordinetis; & ſic eſt conſilium. Si autem ſumatur collective, ſic eſt ſenſus; omnia opera veſtra ita faciatis, quod nullum eorum, ſit, quin actu in Deum ordinetis; & hoc nec præceptum, nec conſilium eſt: ſed finis præcepti, ad quod per impletionem præceptorum pervenitur: ſic enim Sancti in patria actus ſuos in Deum referunt.* Jam vero omnibus hiſce præſidiis inſtructi depromptas contra nos ex variis Angelici Textibus (*n.* 364.) difficultates penitus eliquare aggrediamur.

*368. Diſſpatur objectio petita ex primo textu D. Thomæ.*

368. Reſpondeo igitur ad *primum* Textum Angelici Magiſtri. Dum *cæleſtem intentionem omnibus operibus noſtris adjungendam* dicit, non deſignat explicitam illam in Deum propter ſe dilectum relationem, actualem aut virtualem, quæ adverſariis noſtris cordi eſt; ſed duntaxat propugnat univerſim neceſſitatem *honeſti* finis extrinſeci,



ſeci, quem quilibet noſtrum deliberate agens debet (*n.* 300.) actionibus ſuis præfigere; vel appetendo ipſam objectivam bonitatem rerum (*n.* 319.) circa quas agit, ſi eæ ſint ex proprio genere bonæ: vel ſpectando aliam adventitiam bonitatem, ſi ſint ſecundum ſpeciem indifferentes, ut liquet exemplo (*n.* 305.) adducto. Statim ac enim morali honeſtate ad agendum quis permovetur, is vere dicitur intentionem habere ſenſu aliquo *cæleſtem*, quatenus nempe honeſtas humanarum actionum inchoata tendit per ſeſe, eodem Angelico teſte (*n.* 323.) in *conſummatam perfectionem*, hoc eſt, in Deum omnis honeſtatis fontem; facitque, ut etiamſi is, qui agit, forte de Deo non cogitet, alii cernentes ejuſmodi opera glorificent, aut certe glorificare poſſint Patrem noſtrum, qui in cælis eſt, quemadmodum Angelicus ipſe (*n.* 353.) Auguſtino præeunte explicavit Apoſtolum, præcipientem nos *quærere Dei gloriam, & omnia facere ea intentione, ut Deus laudetur, & glorificetur*. Itaque S. Doctor nominando *cæleſtem* illam intentionem, quam loco citato notat fuiſſe a Deo inſinuatam Hebræis per *hyacinthinas vittas, quæ eorum palliis inſerebantur divino mandato*, quemcumque diſtortum, aut pravum operandi finem, in quem carnales Judæi facile propendebant (*n.* 287.) ſolummodo excluſit, minime vero honeſtum alium finem reliquarum virtutum a caritate diverſarum: quippe, fatente ipſo Angelico cum priſcis melioris notæ Magiſtris (*n.* 332. & *ſeq.*) in hujus vitæ decurſu eæ temporis circumſtantiæ ſæpe incidunt, in quibus *modus caritatis* univerſim ac indefinite conſideratæ, *non cadit ſub præcepto*, adeoque prorſus inculpata eſt obſervantia aliorum mandatorum ex fine proximo ceterarum virtutum. Sane ſi quis chriſtiana ſpe confortatus indicato tempore inclinaret cor ſuum ad faciendas juſtificationes propter retributionem cæleſtem nulla prorſus caritate, ſeu benevolo amore ejus actiones imperante, aut concomitante, numquid iſte foret cenſendus expers *cæleſtis intentionis* ab Angelico requiſitæ, aut peccati arguendus ob omiſſam ulteriorem actionum in Deum relationem? minime; uti colligere eſt ex Tridentino Concilio (*ſeſſ.* 6. *can.* 31.) atque ex damnatione propoſitionis (*Ord.* 12.) facta ab Alexandro Papa VIII.

*369. Deſumpta ex ſecundo textu objectis diluitur.*

369. Ex prædictis valde prona erit reſponſio ad *ſecundum* Textum. Sicuti intentio indeliberate agentibus reputatur ſufficienter *cæleſtis*, ſi ſit implicita ſeu habitualis fundata nimirum in honeſtate operum conditione ſua in Deum tendentium; & tunc ſolum debet eſſe explicita, & ordinata ulterius ad finem ſupernaturalem, quando oportet ſpecialibus caritatis actibus Deum diligere: ita intentio operandi *in Dei reverentiam* debet eſſe explicita & formalis, vel actu vel virtute, quoties opus eſt aliquem religionis actum elicere, v. g. recitare officium, ſacrificium litare, ſacram ſynaxim ſumere, jurare, adjurare &c. ubi vero nulla adeſt neceſſitas operandi ea, quæ religionis ſunt, tunc ſufficit implicita intentio Deum honorandi honeſtate actionum ex motivo cujuſvis promiſcue virtutis productarum; prout jam declaratum ab Angelico (*n.* 353.) & Auguſtino (*n.* 363.) Ratio utriuſque partis eſt, quia tum Caritatis tum Religionis præceptum eſt affirmativum, adeoque non *ad ſemper* obligans. Porro dum idem Angelicus ait, *omnia* in Dei reverentiam facienda, ſi de explicita relatione operum accipiatur, cenſendus eſt illam exigere in ſola hypotheſi, quæ nos adigit aliquem religionis actum elicere; quia nimirum, cum finis proximus hujuſce virtutis inter morales omnes præſtantiſſimæ ſit Deo honorem deferre, actus ad ipſam minime ſpectabit, niſi agens talem finem aliquo modo reſpiciat. Hinc loco citato ſolide elidit hanc difficultatem contra juramenti dignitatem propoſitam: *finis religionis eſt reverentiam Deo exhibere; hic non eſt finis juramenti, ſed potius aliquod verbum confirmare; ergo jurare non eſt actus religionis*: dicendo: *omnia, quæ facimus, debemus in Dei reverentiam facere; & ideo nihil prohibet, ſi in ipſo quod intendimus hominem certificare, Deo reverentiam exhibeamus*: quaſi diceret, ubi de exercendis religionis actibus ſit ſermo, palam eſt illos ad Dei honorem eſſe peculiariter dirigendos: nihil porro impedit, quo minus ad hujuſmodi finem dirigatur juramentum, etiam dum per illud cupimus certos reddere alios homines de veritate noſtrarum aſſertionum, adeoque jurandi actum religioſum efficiamus. Nihil igitur hæc Angelici doctrina ad ſcopum Adverſariorum facit, niſi forſan velint evincere, modum religionis cadere ſub præcepto univerſæ Divinæ Legis, ſicuti olim de caritate philoſophabantur nonnulli Theologi (*n.* 331. & *ſeq.*) ab ipſo Angelico refutati.

*370. objectio ex tertio textu baujta, enervatur.*

370. Ad *tertium* Textum apta ſimiliter reſponſio in promptu eſt, tametſi extima ſpecie videatur plane decretorius ad firmandam contrariam cauſſam. *Deſiderium caritatis, ex quo procedere debet oratio, & ſecundum cujus continuationem dicitur quis continue orare*, juxta Angelicum loco citato, aliud non eſt (uti unus etiam ex noſtris



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

ſtris Adverſariis exponit, ſcilicet Franciſcus Sylvius (*Comment. ad eum Artic.*) quam deſiderium ſalutis rerumque ſalutarium, ſeu beatitudinis & mediorum ad illam conducentium; tale enim deſiderium vim orationis complectitur, Pſalmiſta teſtante (*Pſ. 9.*) *Deſiderium pauperum exaudivit Dominus*. Hoc poſito, ſequentium verborum Angelici (*deſiderium caritatis in nobis debet eſſe continuum, vel actu, vel virtute; manet enim virtus hujus deſiderii in omnibus, quæ ex caritate facimus: omnia autem debemus in gloriam Dei facere, ut dicitur 1. ad Cor. 10. & ſecundum hoc oratio debet eſſe continua: unde Auguſtinus dicit ad Probam: in ipſa fide, ſpe, & caritate continuato deſiderio ſemper oramus*) iſte eſt genuinus ſenſus: hoc deſiderium ſalutis debet in nobis jugiter durare: Idque ſpectata etiam præſenti conditione noſtra, Deo opitulante facile continget, ſi ipſam ſalutem ſeu beatitudinem ardenter optaverimus ſæpe ſæpius, & aliunde, quæ producimus opera juxta proprium vitæ inſtitutum, ex affectu caritatis ordinaverimus in eumdem finem: hujuſmodi vero operibus oportere nos conſtanter vacare, quo optatæ ſalutis negotium feliciter perficiatur, liquet ex Apoſtolo adhortante, ut omnia ad Dei gloriam faciamus. Hæc, aut ſimilia Angelicus, cui utique juxta talem ſcopum idem prorſus ſunt, *omnia ad Dei gloriam facere, & operari omnia ex caritate*: exinde tamen nihil eruitur, quod vel nos feriat, vel Adverſarios juvet. Nam textu Apoſtoli non utitur, ut probet nos *peccare*, ſi quovis tempore opera noſtra non referamus in Deum ex affectu caritatis; ſic enim modus caritatis caderet indefinite ſub præcepto Divinæ Legis, quod ipſe alibi negat; ac præterea opera eſſent referenda ex caritate theologica proprieque dicta, de qua ibidem loquitur, atque ſub gravi obligatione, quam eadem caritas, ubi ipſius uſus præcipitur, ex ſuo genere importat: quorum neutrum Adverſarii audent aſſerere. Sed eum textum ſenſu quaſi accommodatitio aſſumit dumtaxat ad oſtendendum neceſſarium influxum theologicæ caritatis in omnia opera vere *meritoria* conſummatæ ſalutis, hoc eſt æternæ gloriæ: quod nos quoque (*n. 325. & 336.*) ſerio propugnavimus duce ipſo Angelico.

*371. Ope duplicis diſtinctionis diſſolvitur ultima objectio, nixa variis textibus quarto ac poſtremo loco indicatis.*

371. Ad *quartum* Textum, ſive ad poſtremam objectionem ex pluribus Textibus idem ſonantibus conſtructam, ſic reſpondendum arbitramur juxta ea, quæ hunc in finem (*n. 338. & tribus ſeq.*) prænotavimus. Tota vis argumenti nobis oppoſiti in hoc ſita eſt, quod Angelicus conſtanter edicat, præceptum Apoſtolicum litteraliter preſſeque ſumptum duo hæc involvere: unum, ut ſtatuto tempore homo actualiter per explicitum dilectionis actum, ſe, ſuaque omnia in Deum referat: alterum, ut opera univerſa, quæ deinceps facit, ordinentur in Deum virtualiter, hoc eſt vi præcedentis actualis relationis, & non mere habitualiter, quæ quidem ſunt ea ipſa, quorum neceſſitatem tuentur noſtri Adverſarii. Reſpondeo adhibita diſtinctione. Angelicus pro tempore *poſteriori* ad actum formalis dilectionis requirit, tamquam ex Apoſtolico præcepto neceſſariam *ad non peccandum*, relationem operum *virtualem*, præciſe ratione *ſui*, quatenus virtualis eſt, & habituali ſeu implicitæ oppoſita, nego: eamdem requirit ſolummodo ratione *mandati* maximi de dilectione, pro *priori* tempore identidem obligantis, concedo. Ergo extra tempus, in quo urget affirmativum hoc mandatum, ſatis non eſt, ſi homo, qui illud rite jam implevit, referat opera ſua in Deum dumtaxat *habitualiter*, rurſus diſtinguo: ſi ſumatur relatio *habitualis* in ſenſu familiari priſcis Scholæ Theologis diſſerentibus de merito bonorum operum, ſcilicet pro pura concomitantia habitus caritatis cum actibus qui ab homine habente eumdem habitum fiunt, aut fieri poſſe concipiuntur (*n. 340.*) concedo: ſi accipiatur in ſenſu nunc apud Morales Theologos frequentato pro relatione indivulſa ab operibus honeſtis, ſeu completam in genere moris bonitatem complectentibus, nego conſequentiam. Ne videamur talia confingere more Sophiſtarum ad difficultatem mere eludendam, præſtabit Angelici mentem magis aperire, ac ſtabilire: quem in finem velim unice obſerves, *virtualem* inter, & *habitualem* relationem iſtud verſari diſcrimen; quod habitualis, utpote pendens a ſola honeſtate operum attribuitur homini operanti; etiamſi antecedenter nullum elicuerit formalis dilectionis actum ad ſe, ſuaque omnia in Deum ordinanda: virtualis vero, ut nomen hoc ſuum tueatur, neceſſario eumdem actu præceſſiſſe ſupponit. Unde omnis relatio operum in Deum virtualis eſt etiam habitualis, non vice verſa.

*372. Ad tuendam, firmandamque reſponſionem mox traditam formulis Scholarum uſui accommodatis, nitide germanus Angelici Doctoris ſenſus evolvitur.*

372. In primis Angelicus, ubi eam poſtulat relationem, qua poſteriora opera hominis bonum operantis cenſeantur morali judicio referri in Deum *virtualiter*, ſeu vi prioris actus quo idem homo Deum ſuper omnia dilexit, totamque vitam ſuam ad Deum ordinavit, reapſe exigit relationem operum habitualem, quæ in virtuali mox deſcripta includitur, quatenus non niſi honeſta opera poſſunt ad Deum ordinari:



nari: ſed hanc relationem vult ſimul eſſe debere virtualem ſenſu explicato, ſolum ut innuat, neceſſitatem nobis impoſitam crebro Deum diligendi ſpecialibus actibus; quam quidem dilectionem in nobis præceſſiſſe ſignum certum & evidens eſt, quotieſcumque ſubſequentia opera noſtra poſſint vere dici in Deum ordinata relatione, non tantum habituali & implicita ob ipſorum operum honeſtatem, ſed etiam virtuali, quæ juxta nominis ethymon vim prævii actus, ſcilicet relationis explicitæ, præſefert tamquam ſui cauſſam. Quare hoc totum & unicum eſt, quod aliis verbis breviter perſtringit (*q. unic. de Car. ar. 11. in reſp. ad 1.*) *quod omnia virtute referantur ad Deum, hoc pertinet ad perfectionem caritatis, ad quam omnes tenentur*: & (*in reſp. ad 2.*) ubi præceptum Apoſtoli conſiderat, prout eam perfectionem caritatis omnibus neceſſariam inculcat: *cum aliquis ſeipſum ordinat in Deum, ſicut in finem*, actu ſcilicet formalis dilectionis, *in omnibus, quæ propter ſeipſum facit, manet virtute intentio ultimi finis, qui Deus eſt, unde in omnibus mereri poteſt, ſi caritatem habeat: hoc igitur modo Apoſtolus præcipit, quod omnia in Dei gloriam referantur*. Itaque Angelicus, ſi aliis verbis paraphraſtice exponatur, hæc videtur dicere: laudo quidem habitualem implicitamque relationem operum ad Deum in iis, qui virtuti inſudant, quippe eſus, potus, & alia, ubi recte fiunt, laudes Dei ſunt, etiamſi vox ſileat: nihilominus volentibus Divina, & Apoſtolica præcepta cumulate adimplere eſt præterea neceſſaria relatio virtualis: hoc eſt, ea relatio habitualis fundata in honeſtate operum debet, quoad peccatum vitandum & perfectionem cunctis Chriſtianis neceſſariam habendam, prodire interdum ex aliquo ſpeciali actu caritatis explicitæ erga Deum; quia, ſi ejuſmodi actus aut ſemper, aut diu a Chriſtianis intermitteretur, ipſi convincerentur prætergredi primum & maximum mandatum Evangelicum de diligendo Deo ex toto corde, nec non præceptum Apoſtolicum, ejuſdem mandati confirmativum, de omnibus operibus ad Dei gloriam faciendis. Hæc plane Angelicus. Quocirca, dum ſubinde (*in reſp. ad 3.*) negat *habitualem* relationem operum *cadere ſub illo præcepto* Apoſtolico Divino, eam vocem uſurpat non in ſenſu noſtro; ſed in alio tunc uſitato (*n. 340.*) prout nempe ſignat meram concomitantiam habitus caritatis cum actibus ab homine juſto productis in quovis honeſtatis genere: quaſi dicat: præceptum maximum caritatis ſeu dilectionis Dei ſuper omnia, neutiquam impletur ſola poſſeſſione habitus caritatis, qui poteſt manere etiam in dormiente; ſed potius frequenti exercitio actuum hujuſce dilectionis, qui vim habent ordinandi ad Deum ſequentem quoque vitæ noſtræ ſeriem, tametſi Deum expreſſe non cogitemus; dummodo non interponantur a nobis peccata, quæ a Deo abducunt & avertunt.

*373. Proponuntur duo diverſa Corollaria, ex ſenſu Angelici jam explanato fluentia; unum favens ſententiæ noſtræ: alterum ſubvertens laxas quorumdam Moraliſtarum theſes de actuali caritate.*

373. Porro ſi talia ſentit Angelicus, integro ejus contextu penſiculate examinato, in proclivi erit deducere iſthæc tria. 1. Summam omnis doctrinæ noſtræ, in præſenti tota controverſia expoſitæ, confirmari mirum in modum iiſdem ipſis Angelici textibus, qui primo adſpectu videbantur vel maxime nobis adverſari: quod jam non indiget alia probatione. 2. Hinc magis magiſque labefactari jamdiu ab Apoſtolica Sede profligatam opinationem Moralium illorum Scriptorum, qui de neceſſitate actualis caritatis miſerrime ſenſerunt. Si enim laxiores ii, proprioque genio nimium indulgentes Caſuiſtæ, Angelicum Magiſtrum aut legiſſent, aut docentem ſequi voluiſſent, prout ſacratis proprii inſtituti legibus forſan tenebantur; nunquam profecto edidiſſent in Criſtianæ diſciplinæ perniciem male ſonantes haſce propoſitiones, ab Innocentio XI. ab Alexandro VII. & VIII. poſtmodum proſcriptas. *Sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative: hunc homo non tenetur amare neque in principio, neque in decurſu vitæ ſuæ moralis*. Dicito clarius: in decurſu totius qua late patet humanæ vitæ: numquid enim, moralem vitam excipiendo, Dei amatorem facies, quando naturali ſolum vivens vita aut ineptit infantulus, aut decrepitus jam delirat? *Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum fidei, ſpei, & caritatis ex vi præceptorum Divinorum*: explica, cur? forſitan quia mandatum diligendi non computatur inter præcepta Divina, eo quod primum & maximum in Lege ſit? Si ſaperes, intelligeres utique, quo ſpectent peculiares illæ loquendi formulæ Moyſi divinitus inſpiratæ, ubi primitus mandatum illud (*Deut. c. 6.*) evulgavit, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua: eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo: & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque conſurgens: & ligabis ea, quaſi ſignum in manu tua, eruntque, & movebuntur inter oculos tuos, ſcribeſque ea in limine, & oſtiis domus tuæ*. Nune nega, ſi potes, graviſſimum præceptum Divinum, quod *per ſe* unumquemque hominem obligat, etiam *extra* periculum mortis, ad elicien-

dos ſæpiſſime in vita, ac ſæpius infra annum, ſpeciales actus dilectionis, ideoque ſpei & fidei ſimul; ac propterea ad pœnitentiam in *multum tempus* non differendam, ſi lapſus in lethale peccatum contigerit. *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei ſemel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus:* heus tandem deſine, offuciis iſtis Moyſes minime flectitur. Neceſſe non eſt, ut tu condemnes, cum Tuba Gentium jamdiu intonuerit (1. *ad Cor. c.* 16.) *Si quis non amat Dominum noſtrum, Jeſum Chriſtum*, quando ſcilicet, & quo modo par eſt eum a nobis amari, *ſit anathema, maranatha*. Hiſce, inquam, aliiſque ſimilibus commentis refellendis peraccomoda Angelici doctrina.

*374. Additur tertium Corollarium oſtendens, opinionem Adverſariorum duplici ex capite deſtitutam Angelici ſuffragio.*

374. Sequitur 3. eamdem doctrinam ne hilum prodeſſe ſyſtemati noſtrorum Adverſariorum, ſed magis obeſſe multiplici nomine. Nam ſi Angelicus in Textibus præcitatis relationem operum continuatam ſentiret præceptam eſſe, non qua habitualis vere eſt, ſed præciſe qua *virtualis*, atque etiam ratione *ſui*, ſeu independenter a præviis dilectionis actibus, quibus homo ſæpius tenetur ſe totum explicite Deo devovere; tunc hujuſmodi relatio virtualis prodire deberet, non ex imperfecto amore benevolo, ſed omnino ex proprie dicta caritate. Quandoquidem (ut palam eruitur tum ex *c.* 5. *opuſc.* 18. *n.* 352. tum ex integro *ar.* 11. *qu. un. de car. n.* 270.) S. Doctor caritatem nominat abſolute, eamque conſiderat, prout cenſetur omnibus neceſſaria ad ſatisfaciendum Evangelico præcepto dilectionis, ab Apoſtolo Fidelibus ſollicite commendato. Unde ſubdit, meritoria evadere poſſe omnia opera, quæ ab homine habitualiter juſto deinceps fiunt virtute ſuperſtite illius prævii actus, quo Deum ex tali caritate dilexit, atque ad Deum omnia ſua ordinavit. Certum autem eſt, caritatem vere theologicam in Evangelio præcipi, qua Deus, & propter ſe, & ſuper omnia diligendus, atque hujuſce caritatis influxum requiri ad opera meritoria cæleſtis gloriæ. Præterea, quod ex mox dictis conſectarium, ſub mortali prorſus peccato eadem virtualis relatio foret neceſſaria; cum graviter obliget præceptum illius caritatis, a cujus virtute illam relationem S. Doctor derivat, in ſingulis locis antea memoratis.

*375. Eamdem opinionem ex alio itidem capite ab Angelici doctrinis diſcrepare conſtituitur. Præterea ſolide vindicatur varia interpretatio Apoſtolici præcepti ab eodem Angelico tradita.*

375. Tandem, admiſſa neceſſitate jugis relationis explicitæ ſeu formalis, quæ ſcilicet vel actu vel virtute opera ad Deum ordinat, ſola relatio habitualis implicita, fundata in morali bonitate operum, impar plane foret implendo Apoſtolico præcepto de cunctis actionibus ad Dei gloriam faciendis, extra determinata illa tempora, in quibus oportet diligere Deum ſuper omnia. Atqui S. Doctor id pernegat variis in locis (*n.* 339. 352. & 353.) ubi idem præceptum cumulate a nobis ſervari teſtatur, ſi *vel actu, vel habitu omnia ad Deum referamus*, ſi *Deum ultimum finem habeamus*, ſi *recte cuncta faciendo Deum laudemus*, ſi *nihil contra Dei gloriam, & præcepta ejus faciamus*. Quare ſuppoſita ſufficientia ejuſdem relationis habitualis talibus modis explicatæ, hoc ratiocinio demonſtrat, abſque peccato mortali non poſſe accuſatum veritatem negare, ubi ſecundum juris formam a legitimo judice interrogatur (2. 2. *q.* 69. *ar.* 1.) *Omne, quod eſt contrarium divinæ gloriæ eſt peccatum mortale, quia ex præcepto tenemur omnia in gloriam Dei facere: 1. ad Corint. 10. Sed quod reus id quod contra ſe eſt, confiteatur, pertinet ad gloriam Dei, ut patet per illud, quod Joſue dixit ad Acham: fili mi, da gloriam Deo Iſrael, & confitere, atque indica mihi, quid feceris? Joſ. 7. ergo mentiri ad excuſandum peccatum eſt peccatum mortale*. Satis igitur in aperto eſt genuina mens Angelici Magiſtri, cujus variæ doctrinæ pro varietate argumentorum, quæ ipſi diſcutienda offerebantur, exaratæ, nec rite unquam intelligentur, nec inter ſe apte cohærentes detegentur, niſi ratum ſit, ipſum retuliſſe Paulinum præceptum nunc ad ſpeciale Divinum mandatum dilectionis, nunc ad reliqua Divinæ legis mandata, quibus jubemur in quovis rerum genere declinare a malo, & facere bonum, ſicque Deum jugiter glorificare. Nec inſolens, aut impropria hæc interpretandi ratio, ut unus idemque Textus diverſis ſenſibus litteraliter exponatur. Etenim apud ſacros interpretes in confeſſo eſt, unico Textui perſæpe ſubeſſe poſſe, juxta primariam Spiritus Sancti intentionem, plures ſenſus, nedum accommodatitios, ſed etiam litterales ut patet ex. ca. de ea Moyſis ſententia (*Gen. c.* 1.) *in principio creavit Deus cælum, & terram*, quæ D. Auguſtino interprete hæc duo dogmata ſimul indicat: nempe nullam materiam ante mundum extitiſſe, & ipſum mundum temporariam habuiſſe originem. Quæ quidem animadverſio ipſum Angelicum minime latuit, cum ſcribat (*par.* 1. *Sum. q.* 1. *ar.* 10.) *Quia ſenſus litteralis eſt, quem auctor intendit; auctor autem Sacræ Scripturæ Deus eſt, qui omnia ſimul ſuo intellectu comprehendit: non eſt inconveniens, ut dicit Auguſtinus, ſi etiam ſecundum litteralem ſenſum in una littera Scripturæ plures ſint ſenſus.*

376. Re-



*376. Objectio ultima, ad abſurdum maximum nos pertrahens, retunditur; ſicque Controverſiæ finis imponitur.*

376. Reliquum jam eſt, ut ampliſſimæ hujus Controverſiæ vela contrahamus; & quæ ad iſtum Articulum V. adhuc pertinent ſcitu digna, perſequamur, non amplius ſubtiliter diſputando, & quaſi cum hoſtibus digladiando (quod hic facere vel invitos nos compulit neceſſitas) ſed magis pro more noſtro blande enarrando. At numquid nos negantes hactenus *neceſſitatem* jugis relationis operum in Deum, a tot præſtantibus, & pro Domino zelantibus Theologis propugnatam, Evangelicam Legem deſtruximus, quæ ex D. Bonaventura (*in* 4. *Sent. diſt.* 40. *ar.* 1. *q.* 1.) *principaliter habet oculum ad amorem, & ex amore potiſſimum obſervatur?* Abſit, ſed legem ſtatuimus. Quare? quia quod germanæ benignitatis, adeoque cordati etiam Theologi proprium eſſe indicat idem Bonaventura (*n.* 83.) *nihil, quam quod conſtitutum eſt ſecundum Divinam legem, edocuimus, nec addendo ad Dei verbum, nec auferendo*. Ceterum, quoniam opinionem eorumdem Theologorum non hoc uno nomine, ut nonnulli faciunt, repudiavimus, quod præceptum imponat nimis moleſtum, & obſervatu impoſſibile; quippe ex laudato Seraphico (*in* 3. *Sen. q. ult.*) novimus, *potius alleviare, quam gravare, quæ faciunt ad caritatis profectum, cujus eſt nos ſurſum levare ad modum pennæ*: idcirco Chriſtianos omnes, eoſque præſertim, quibus cura eſt ſalutem ſuam operandi, & ſedulitas coram Deo ſemper ambulandi, etiam atque etiam hortamur, ut quantum poſſunt, in dies etiam ſingulos, crebris caritatis affectibus cunctas actiones ſuas ad Deum dirigant. Nam ex eodem Doctore (*in* 2. *Sent. diſt.* 31. *ar.* 1. *q.* 3.) *diſtributive & diviſim nullum eſt opus deliberativum, quod a nobis fiat, quod quidem non poſſimus facere propter Deum, & ſi hoc faceremus, melius faceremus, quam quando non referimus*. Tum quia æternæ retributionis præmium (*n.* 325.) non rependitur niſi operationibus, quas amor caritatis informat; unde caritatis ſumma præſtantia, atque utilitas elucet.

## S E C T I O V.

### *De Subjecto Moralitatis.*

*377. In hac ſectione quinta pateſit, quo modo, & ordine actibus voluntatis, ſeu elicitis, ſeu imperatis conveniat bonitas, vel malitia tum objectiva, tum formalis. Nonnulla hic in anteceſſum obſervanda ponuntur.*

377. SEgregandos eſſe actus vere *humanos* ab iis, qui dumtaxat *hominis* vocantur, palam eſt (*n.* 91.); poſteriores namque ſunt per ſe omnis moralitatis expertes. Exploratum quoque (*n.* 98.) humanos actus univerſe acceptos, aut interiores eſſe, aut exteriores. Nomine *interiorum* eos intelligimus, qui ſolius ſunt voluntatis, quoniam ab ipſa immediate producti. Quare *exteriores* dicuntur univerſi alii, qui ortum trahunt a qualibet potentia a voluntate diſtincta; adeoque etiam intellectuales: etſi enim hi extra animum non ſint, neque inter ſenſibiles computentur: *externi* tamen voluntati ſunt eo ipſo, quod a voluntate proxime non producuntur. Actus humani exteriores, cum ad nutum voluntatis fiant, ſemper conjunguntur cum aliquo voluntatis actu, nempe cum illius ſaltem imperio. Hinc bifariam conſiderari, ac denominari ſolent, puta ſub ratione *objecti*, & *actus*. Quatenus voluntas eos appetit, & imperat, dicuntur ejus *objecta*: quatenus a propriis potentiis producuntur juxta voluntatis imperium, ſe habent ut *actus* illarum; etſi voluntati pariter attribui ſoleant, & affectus voluntatis appellari, quoniam fuerunt imperati a voluntate, quæ principatum obtinet in regno animæ. Sic ex. ca. ſacra peregrinatio eſt *objectum* voluntatis, quia a voluntate præſcripta, ac ſimul *actus* virtutis exterioris motricis, quia per hanc perficitur.

*378. Perſpicua ratione, firmaque auctoritate oſtenditur, tam internos, quam externos actus eſſe capaces alterutrius moralitatis oppoſitæ.*

378. His prænotatis dico, moralitatem ineſſe poſſe tum interioribus voluntatis actibus, tum exterioribus reliquarum facultatum, quæ voluntati parent. Ratio eſt manifeſta: nam hi omnes pendent a voluntate, cujus præcipuæ ſunt partes in moralitatis negotio juxta doctrinam Articuli II., atque ideo eos vel bonos, vel malos eſſe oportet, prout voluntas in ipſis eliciendis, & imperandis rectæ rationis regulam ſequitur, aut deſerit. Appoſite Scotus (*in* 2. *Sent. diſt.* 42. *q.* 4.) *ſecundum Anſelmum voluntas eſt motor in toto regno animæ, & omnia obediunt ſibi: ſicut ergo voluntas tenetur habere in actu ſuo rectitudinem, ſic tenetur habere illam in aliis actibus exterioribus, ad quos cooperatur, ut motor: ſicut igitur movendo recte potentias inferiores, actus earum ſunt recti rectitudine participata; ita etiam per oppoſitum, movendo non recte, ſunt actus earum non recti*. Ex qua quidem doctrina idem Subtilis Magiſter eruit duo hæc principia Theologica: primum, *peccatum non poſſe eſſe formaliter, niſi in voluntate, vel in actu ejus materialiter*; ſecundum *nullum actum poſſe eſſe malum etiam materialiter, niſi qui poteſt imperari ab actu voluntatis formaliter malo*. Allatæ rationi accedit auctoritas inconcuſſa. Diviſio namque

pec-

peccati, ſive modi peccandi *aut cogitatione*, *aut ſermone*, *aut opere*, quam ibidem Scotus propugnat, paſſim a Sanctis Patribus traditur; habetque fundamentum in Divina Scriptura, maxime ubi præcepta Decalogi recenſet. Nam octo priora partim ad actiones, partim ad locutiones referuntur; duo vero poſteriora, cum latentem in corde concupiſcentiam alienarum rerum damnent, ſolas moderantur animi cogitationes.

379. *Occaſione ſuperioris doctrinæ de moralitate actuum qua interiorum quave exteriorum, convellitur falſum præjudicium hominum parvipendentium interna animi peccata.*

379. Exinde craſſus detegitur error, quo plerique Judæorum olim detinebantur. Cum enim dicente lege, *non concupiſces*, perſuadere ſibi debuiſſent, concupiſcentiam cordis ad illicita tendentem eſſe peccatum: nihilominus ſenſum legis corrumpentes non reputabant ſe peccare, niſi per opera externa, unde ipſis, quantumvis ſub lege conſtitutis, minime quadrabat, quod Paulus (*ad Rom. cap. 5.*) protulit in perſona idonei auditoris legis: *peccatum non cognovi, niſi per legem: nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret, non concupiſces*. Eodem exitiali præjudicio illigari videntur haud pauci chriſtiani nominis homines, qui ubi Confeſſarium adeunt, eumque *inter decem in eadem parochia ſedentes ſimpliciorem*, ut notavit Seraphicus (*Serm. 3. de diebus Rogat.*) exoneraturi merces plurium menſium, aut etiam annorum, ſolent plerumque ſermone ſuo diſcurrere per ſolas operum inhoneſtorum cathegorias, nihil ſolliciti de deliberatis cogitationibus, moroſis delectationibus, repetitis deſideriis, ceteriſque perverſis affectibus cordis, quaſi & ipſi nunquam audiſſent Chriſtum in nova lege clamantem (*Matth. c. 15.*) *de corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ, quæ coinquinant hominem*. Fruſtra vero hac in re obtenditur praxis Fori humani, in quo Prætor nec judicat de internis, nec de minimis curat. Nam ex Angelico (*opuſc. de decem Præceptis, paragr. penult.*) *hæc eſt differentia inter legem Divinam, & mundanam, quia lex mundana judicat facta & dicta; Divina autem non hæc tantum, ſed etiam cogitata; & ratio hujus, quia illa eſt per homines, qui judicant ea, quæ apparent exterius; ſed iſta eſt a Deo qui exterius interiuſque conſpicit*.

380. *Tria occurrunt expendenda circa internos, externoſque actus, prout moralitatis capaces ſpectantur. Primo manifeſtatur, quonam ordine continget utroſque bonos, vel malos evadere.*

380. Cum ex dictis conſtet, tum interiores, tum exteriores voluntatis actus eſſe poſſe bonos, aut malos, etſi non ſemper ſinguli eorum ſint reapſe tales, ob defectum ſcilicet alicujus conditionis ad moralitatem neceſſariæ, uti cernere eſt in motibus, qui primo-primi vocantur, tria nunc remanent exploranda: nimirum 1. *ordo*, *moduſque*, quo utriuſque generis actus moralitatem ſolent participare. 2. *diverſitas* moralitatis, quæ iiſdem ineſſe poteſt, ubi inter ſe invicem conferuntur. 3. *incrementum* moralitatis, quod poſſunt ſuſcipere interiores actus ratione exteriorum. Quod fuit *primo* loco propoſitum, facile expedietur, modo præ oculis habeatur tum diviſio bonitatis, ac malitiæ *objectivæ*, aut *formalis*, (*n.* 379.) tum duplex adſpectus *objecti*, & *actus* (*n.* 377.) ſub quo concipere licet operationes exteriores facultatum ſubjectarum voluntatis arbitrio. Si fingamus actum externum ſpecie ſua *indifferentem* ex. ca. ambulationem, fieri nequit, quin bonitas vel malitia ſit prius in interno, quam in externo actu, puta in propoſito ambulandi, quam in deambulatione; nam actus natura indifferens ſortitur moralem ſpeciem a fine extrinſeco operantis (*nu.* 301.) adeoque deambulatio judicanda erit bona vel mala, prout voluntas eam decrevit ex honeſto vel inhoneſto fine. Sin autem externum actum ponamus jam ex propria ſpecie *bonum*, aut *malum*, uti ſunt ex. ca. oratio, & blaſphemia; tunc externus, qua *objectum* interni, prius habet bonitatem aut malitiam, quæ in hoc caſu dicitur *objectiva* ſeu fundamentalis; hæc namque convenit actui ſecundum ejus convenientiam aut repugnantiam cum regula rectæ rationis, adeoque in ipſo apprehenditur, antequam voluntas illum appetat. Qua *actus* vero ſive effectus interni dum ſpectatur, ſic ipſi interno prius ineſt bonitas aut malitia, quæ in eo caſu *formalis* ſeu actualis vocatur: iſta enim derivatur proxime a voluntate, cum actus evadat formaliter bonus, aut malus, quatenus *voluntarie* ac *libere* fit.

381. Modus *item aperitur, quo boni, aut mali fieri poſſint interni, externique actus.*

381. Stabilito tali *ordine*, quo bonitatem, aut malitiam interioribus, exterioribuſque actibus advenire nunc diximus, extemplo innoteſcit *modus*, quo iidem hanc ipſam ſpecificam moralitatem induunt. Communis eſt utriſque tum objectiva, tum formalis bonitas, ac malitia; at cum hoc diſcrimine. *Objectiva* convenit *primario*, ac *per ſe* actui *exteriori*, ex. gr. recitationi orali precum, contumelioſæ locutioni adverſus Deum; cum ſpectata recta ratione, unde objectiva moralitas ſumenda, illa hominem a Deo conditum maxime deceat, iſta vero ſummopere dedeceat, ante quamlibet voluntatis determinationem. *Formalis* autem *primario*, ac *per ſe* competit *interiori* actui ex. ca. deliberato propoſito fundendi preces, evomendi contumelias; cum



cum a ſola voluntate pendeat, ut actus voluntarie ac libere exiſtat, quod formalis moralitas ſolet reſpicere. Itaque objectiva, & formalis ſeu bonitas ſeu malitia inter ſe quidem diſtinguuntur; ſed ſunt ſibi invicem cauſſæ, ſive mutuam præſeferunt dependentiam ratione actuum, quos ambæ per ſeſe efficiunt: internus actus imperans participat bonitatem ac malitiam externi, in quem tendit tamquam in ſuum objectum: externus actus imperatus mutuatur bonitatem ac malitiam interni, cujus eſt effectus. Ex his facile conſtabit, quo ſenſu dicant Theologi Catholici cum S. Auguſtino (*l. de vera Relig. c.* 14. *& lib.* 1. *Retract. c.* 9.) *peccatum uſque adeo eſſe voluntarium malum, ut nullo modo ſit peccatum, niſi ſit voluntarium: voluntatem eſſe qua peccatur, & recte vivitur &c.* Iſta enim intelligenda dumtaxat de malitia *formali*, quæ ſecum fert imputabilitatem ad pœnam & reprehenſionem: & hoc pacto de bonitate ac malitia actuum Scotus (*nu.* 378.) ratiocinatur. Ceterum malitiam *objectivam* non excludunt ſed præſupponunt; cum ea ſit fundamentum & radix, cur *formaliter* malus evadat actus ipſius voluntatis imperantis exteriorem actum, juxta illud Oſee (*c.* 9.) *facti ſunt abominabiles ſicut ea quæ dilexerunt*; & S. Auguſtini (*Epiſt.* 52. *ad Macedonium*) *ex eo, quod quiſque diligit, mores hominum dijudicari ſolent*.

382. Secundo *propugnatur, unicam numero eſſe formalem malitiam, adeoque etiam bonitatem actus interni, & externi; modo abs ſe invicem tempore non disjungantur.*

382. *Secundo* loco ſuboritur dubitatio, num interioris, atque exterioris actus bonitas, aut malitia ſit una & eadem, vel potius diverſa; adeoque, ſi contingat inhoneſtum eſſe actum utrumque, num ſit reputandum unicum peccatum, aut potius multiplex, illudque in Sacramentali Confeſſione diſtincte aperiendum? Seraphicus Doctor hanc expendens quæſtionem (*in* 2. *Sent. diſt.* 42. *art.* 1. *q.* 1.) ad amovendam omnem æquivocationem advertit, dupliciter poſſe invicem comparari malitiam ſeu peccatum operis exterioris, atque interioris voluntatis. *Uno modo, prout iſta duo conjuncta ſunt, & ordinata, ita quod unum eſt ex altero. Altero modo, prout ſunt ſeparata, ita quod unus peccet voluntate tantum, poſtea voluntate, & opere*. Tum reſolvit, *non eſſe dubium, quod diverſis peccatis peccet quis, ſi una vice tantum velit malum, alia vice velit & perficiat*; quia nempe *actus voluntatis, in quo conſiſtit prima ratio deordinandi, eſt alius & alius*, hoc eſt multiplex numero. Priori autem conſiderato modo docet, *voluntatem interiorem cum actu exteriori non facere diverſa peccata, ſed unum formaliter peccatum*: rationem dat; quia *peccatum dicit deordinationem a fine, & ibi eſt una ratio deordinandi, & una deordinatio: voluntas enim eſt, quæ inordinate avertitur ab incommutabili bono, & convertitur ad commutabile bonum, non ſolum quantum ad actum proprium, ſed etiam quantum ad actum inferioris potentiæ, qui ei ſubjicitur, unde unus eſt ibi actus voluntatis, nec alter eſt culpabilis, niſi propter alium, quod patet, quia ſi procederet ab alio principio, quam a voluntate, jam non eſſet culpabilis*. Ex quo concludit, quod (*cum aliquid proprie loquendo non numeretur, niſi quia cum numeratione ex parte principii materialis concurrit numeratio ex parte principii formalis, ſicut albedo numeratur in duobus hominibus albis*) in eo caſu *peccatum unum ſit formaliter, licet plura ſint materialiter*, hoc eſt *plura deordinata & culpabilia opera*, quæ ſubſunt *uni rationi deordinandi*.

383. *Ex malo actu interno & externo, reſultat unum peccatum unitate convenientiæ, ſeu integritatis, quare in Confeſſione non eſt ſeorſim manifeſtandus uterque actus.*

383. Hoc *unum formaliter* peccatum, ex eodem Seraphico Doctore eſt, *unum convenientia ordinis*, qui poteſt eſſe in pluribus *ad invicem relatis, & ordinatis, quorum unum eſt ab altero*. Angelicus quoque (1. 2. *q.* 17. *ar.* 4.) interiorem, exterioremque actum cenſet unum eſſe formaliter ejuſmodi unitate: *nihil prohibet aliqua eſſe ſecundum quid multa, & ſecundum quid unum.... Actus inferioris potentiæ materialiter ſe habet ad actum ſuperioris, in quantum inferior potentia agit in virtute ſuperioris moventis ipſum. Unde patet, quod imperium, & actus imperatus ſunt unus actus humanus, ſicut quoddam totum eſt unum, ſed eſt ſecundum partes multas*. Hinc porro ſequitur, utrumque actum ob ejuſmodi unitatem haberi pro unico peccato etiam in Sacramentali judicio, ita quidem, ut cenſeatur integre confiteri quiſquis enuntiat exteriorem actum inhoneſtum, non indicando deordinatam voluntatem tamquam illius principium. Non perinde tamen integra foret Confeſſio, ſi quis ad fornicationes, vel odia proximi propenſus eumdem interiorem actum concupiſcendi mulierem, appetendi vindictam, diverſo tempore iteraſſet, nullo exteriori actu producto; ac poſtea in Confeſſione reum ſe diceret *unius* interni actus oppoſiti temperantiæ, vel caritati. Nam duæ voluntates interiores, quantumvis ſimillimæ ſicut ovum ovo, ſunt duo diverſa peccata numero & *materialiter*, & *formaliter*, quia *interruptæ* ſupponuntur morali æſtimatione; adeoque, ut concludit idem Seraphicus, *ſunt duæ principales deordinationes, & per hoc duo peccata*.

384. Ter-

*384. Tertio famigerata incidit quæſtio de incremento moralitatis ſeu bonæ, ſeu malæ, quod actus interni recipiunt ratione externorum. Hunc in finem tria ſtatim præmittuntur.*

384. *Tertio* loco, jamdiu diſputari ſolet, utrum actus exterior ſuperaddat interiori ullam bonitatem, aut malitiam? Quiſquis de re iſta vult ſcite pronuntiare, mente ſua prius teneat neceſſe eſt, quæ nunc ſumus obſervaturi. Dum præſens diſquiſitio ſuſcipitur, 1. interior exteriorque actus ſupponuntur *ſimul juncti*, ac etiam *convenientes* circa objectum, finem, & circumſtantias: ſecus enim utriuſque malitia, ſeu bonitas, foret vel numero diſcreta, vel ſpecie quoque diverſa; proindeque actus exterior citra dubium augeret bonitatem, aut malitiam interioris tum in primo, tum in altero caſu. 2. Non hic attenditur bonitas vel malitia *objectiva*; nam cum hanc actus interior participet ratione exterioris (*n.* 384) fieri nequit, quin exterior actus ſic quidpiam addat interiori: quare de ſola *formali* ſermo eſt, quæ propria eſt interioris, ab eoque in exteriorem redundat. 3. Siquidem duplex ſecerni poteſt voluntas operis exterioris faciendi, videlicet efficax, & inefficax, quæſtio movetur de ſola *efficaci*: quid ſibi velit diſtinctio iſta, explicat Seraphicus (*in* 2. *ſent. diſt.* 42. *ar.* 1. *q.* 2.) *Cum quæritur, utrum opus addat aliquid ad malitiam voluntatis, hoc dupliciter poteſt intelligi. Uno modo reſpectu voluntatis quæ poteſt in opus non procedere, ſed tamen non procedit, quia non omnino plene vult: & reſpectu talis voluntatis abſque dubio malitiam operis addit: cum enim peccatum conſummatur in opere, tunc eſt plenior conſenſus, & ideo peccatum tunc majus, & gravius eſt. Alio modo poteſt intelligi reſpectu voluntatis, quæ quidem in opus non procedit, non quia non velit, ſed quia non poteſt: & tunc movetur iſta quæſtio: cum utrobique ſit plena voluntas, utrum gravius peccet, qui vult & non poteſt, aut qui vult & facit, eſto quod uterque moveatur ex æquali amore.*

*385. Aliud quid præterea adjicitur, quod inter prænotanda præcipui momenti eſt.*

385. Denique 4. in diſceptationem nunc cadit illud ſolum augmentum bonitatis, aut malitiæ; quod actus exterior interiori addere concipitur *per ſeſe*, & non *caſualiter* ſeu *occaſionaliter* tantummodo. Etenim tale augmentum in ſenſu poſteriori facile quiſquis admittet, ubi hæc animo advertet, quæ Angelicus Doctor ſcribit (1. 2. *q.* 10. *ar.* 4.) triplicem aſſignans modum, quo illud evenire poteſt. *Voluntatem ſecundum ſe fieri meliorem in bonis vel pejorem in malis, videtur poſſe contingere tripliciter. Uno modo ſecundum numerum, puta cum aliquis vult aliquid facere bono fine vel malo, & tunc quidem non facit, poſtmodum autem vult, & facit: duplicatus actus voluntatis, & ſic fit duplex bonum, vel duplex malum. Alio modo quantum ad extenſionem: puta cum aliquis vult facere aliquid bono fine vel malo, & propter aliquod impedimentum deſiſtit: alius autem continuat motum voluntatis, quouſque opus perficiat; manifeſtum eſt, quod hujuſmodi voluntas eſt diuturnior in bono vel malo, & ſecundum hoc eſt pejor, vel melior. Tertio ſecundum intenſionem: ſunt enim quidam actus exteriores, qui in quantum ſunt delectabiles, vel pœnoſi, nati ſunt voluntatem intendere, vel remittere: conſtat autem, quod quanto voluntas intenſius tendit in bonum, vel malum, tanto eſt melior, vel pejor.*

*386. Status quæſtionis delineatur: atque variantes circa illam Doctorum opiniones indicantur.*

386. His omnibus accurate obſervatis, propoſitæ quæſtionis ſtatus huc devolvitur: an voluntas, quando perfecta eſt, ita ut nullam ab actu externo patiatur mutationem in agendo, vel quoad intenſionem, vel quoad durationem; quando item adeo efficax eſt, ut idcirco dumtaxat non prorumpat in opus externum, quia ejuſdem faciendi vel facultate, vel occaſione caret: an, inquam, talis voluntas proprie ac per ſe loquendo ſit æque bona, vel mala ſine actu exteriori, ac eſſet eodem actu producto, ideoque actus exterior ex. ca. jejunandi, vel furandi, nullam addat ipſi voluntati formalem bonitatem, vel malitiam, ſi produceretur oblata opportunitate, ſemotiſque impedimentis? Plures Theologi ſentiunt, parem omnino eſſe bonitatem, vel malitiam voluntatis ſive conjunctæ cum actu exteriori, ſive ab illo ſejunctæ, hac potiſſimum de cauſſa; quia actus humanus non eſt *formaliter* bonus, vel malus, niſi quatenus procedit a libera voluntate, proinde non videtur poſſe voluntati quidpiam ejus addere, quod totum ab ipſa obtinet quaſi precario. Ex adverſo decertat cum ſuis aſſeclis Scotus, qui ejuſmodi quæſtionem ſic preſſe ſumptam accuratius forſan pertractavit (*in* 2. *ſent. diſt.* 42. *q.* 4. atque in *Quodlib. q.* 18.) præ reliquis vetuſtioribus Magiſtris. Argumenta, quæ partim ab auctoritate, partim a ratione promit, ac nervoſe pro more ſuo urget, placet e veſtigio producere, ut quiſquis iiſdem ſentiet ſe convinci, haud dedignetur dare victas manus, quamvis Auctor ipſe undequaque non placeret.

*387. Actus externos* proprie ac per ſe *addere internis moralitatem aliquam, probat Scotus* auctoritate *Anteſignani ſui, nimirum S. Auguſtini.*

387. Primum argumentum repetitur ex D. Auguſtino (*lib.* 13. *de Trin. cap.* 5.) dicente: *Mala voluntate vel ſola quiſque miſer efficitur; ſed miſerior poteſtate, qua deſiderium malæ voluntatis impletur. Patens eſt ergo*, ſubdit Subtilis Doctor, *quod hoc*



*hoc non poteſt intelligi de miſeria pœnæ; quia deſiderans, & non potens habere quod deſiderat, plus habet de pœna quam ille, cujus deſiderium impletur; intelligitur igitur de miſeria culpæ. Actus ergo malus exterior addit ad miſeriam culpæ, quæ præfuit in actu interiori malo.* Et hoc quidem incrementum culpabilis miſeriæ non reſtringendum ad illos dumtaxat caſus, in quibus voluntas ratione exterioris actus fit pejor quantum ad multiplicationem, vel intenſionem actuum ſuorum; cum Auguſtinus univerſim, & indefinite loquatur, adeoque malam voluntatem ſpectet, etiam ubi nullam ab actu exteriori recipit mutationem. Nec obſtat, quod idem ſcribit Auguſtinus (*Lib.* 1. *de liber. Arbit. c.* 3.) *ſi cui etiam non contingat facultas concumbendi cum conjuge aliena, planum tamen aliquo modo fit, id cum cupere; &, ſi poteſtas daretur, facturum eſſe; non minus reus eſt, quam ſi ipſo facto deprehenderetur:* qui quidem textus conſonat tum Divinarum Scripturarum, tum aliorum SS. Patrum doctrinis, unde illud manavit adagium a D. Bernardo (*epiſt.* 77.) expreſſum: *voluntas pro facto reputatur, ubi factum excludit neceſſitas.* Nam locutiones hujuſmodi ſpectant retributionem operum, innuuntque voluntatem efficacem reputari pro facto, quantum ad præmium, vel ſupplicium *ſubſtantiale*; non vero quantum ad aliud *accidentale*, quod non niſi operi externo rependitur, quemadmodum Seraphicus Doctor (*in* 2. *ſent. diſt.* 40. *ar.* 2. *qu.* 1. & 3.) planum facit.

*388. Illud ipſum moralitatis augmentum ex actibus externis in internos redundans Scotus communit ratione ſat valida.*

388. Alterum argumentum rationi innixum ſic proponi poteſt ipſis ferme verbis prælaudati Subtilis Doctoris; illudque valet etiam ad elidendum principale momentum (*n.* 386) oppoſitæ ſententiæ: Ubi adeſt diverſa convenientia, vel diſconvenientia ad dictamen rectæ rationis, ibi alia & alia eſt bonitas, vel malitia moralis: quippe bonitas moralis eſt integritas eorum, quæ recta ratio dictat debere actui convenire, & malitia defectum hujuſce debitæ convenientiæ præſefert. Atqui recta ratio dictat, aliam integritatem conditionum convenire actui interiori, aliam exteriori: etenim ſumendo utrumque actum in ſuo eſſe reali, & quidem tali ac tali, impoſſibile eſt convenire interiori actui, quod convenit exteriori, cum ille intrinſecam cogitationem ſeu affectionem, iſte locutionem, & operationem importet extrinſecam: quæ tria diverſis propterea diriguntur præceptis Divinæ Legis. Ergo bonitas, vel malitia moralis eſt alia in interiori, alia in exteriori actu, adeoque poſterior aliquid addit priori. Nec refert, quod realis convenientia, vel diſconvenientia cum ratione recta, quam actus exterior importat diverſimode ab interiori, ſit ſolum objectiva ſeu *materialis*; & ideo *formaliter* bonus, aut malus non poſſit evadere, niſi mediante actu interiori voluntatis liberæ imperantis. Nam hoc totum fatetur etiam Scotus, quin loco moveatur: ſemel ac enim exterior actus ſermonis, aut operis a voluntate imperatur potentiis aliis, confeſtim producitur *modo humano*, & *directioni* legum ſubjacet: igitur bonus vel malus evadit bonitate, vel malitia etiam *formali* ſibi propria ac diſtincta, quantumvis dependente ab interiori illo imperio. Quare diſcrimen utriuſque actus in hoc ſolum ſtat, quod in interiori *formalis* moralitas ſit primaria & independens, in exteriori vero ſecundaria & partecipata. Immo, quia exterior dicitur habere formalem moralitatem *mediante* interiori, conſequens eſſe monet Subtilis Doctor (*Quodl. q.* 18.) quod *aliam* habeat ab ea, quam habet interior actus; *quia idem non eſt cauſſa, nec etiam medium reſpectu ſui ipſius, nec etiam eſt cauſſa vel ratio meditandi reſpectu ſui ipſius.*

*389. Utra in iſto Scholaſtico diſſidio prævaleat ſententia, nemini modo dubium, quin in Sacramentali judicio aperiendus ſit externus actus, ubi peccatum fuerit opere conſummatum.*

389. Ceterum, quidquid in hac quæſtione adiaphora de moralitate externorum operum lubeat theoretice ſentire, ad praxim quod attinet, certum eſt in Sacramentali Confeſſione aperiendas eſſe non ſolas illicitas cogitationes volitioneſque, ſed externas quoque actiones inhoneſtas; ſive hæ aggravent per *ſeſe* malitiam improbæ voluntatis, ſive minime aggravent. Unde legimus proſcriptam ab Alexand. VII. Papa hanc propoſitionem (*ord.* 25.) *Qui habuit copulam cum ſoluta, ſatisfacit confeſſionis præcepto dicens: commiſi cum ſoluta grave peccatum contra caſtitatem, non explicando copulam.* Hujus autem rei multiplex adferri poteſt cauſſa. 1. Quia quoties conceptum animo peccatum etiam exteriori opere completum fuit, illud debet integre ac totaliter manifeſtari in Confeſſione: integratur autem juxta Seraphicum (*n.* 383.) ex interno ſimul & externo actu, & fit unum formaliter peccatum, unitate convenientiæ. 2. Quia actus internus prohibetur in Divina Lege ſpecialibus præceptis tamquam malus ex objecto, aut ex circumſtantiis, ut Scotus (*in* 2. *diſt.* 42. *q.* 2. & 3.) adnotavit. 3. Quia exterior actus poteſt eſſe occaſio, cur interna voluntatis malitia valde notabiliter augeatur, ſeu extenſive ſeu intenſive, uti cum Angelico (*n.* 385.) obſervatum. 4. Denique quia perſæpe actus



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

aſtus externus eſt direſta, & proxima cauſſa plurium impedimentorum, pœnarum, damnorum, quæ vel ipſum peccantem, vel alios etiam afficiunt; quemadmodum declarare ſolent Theologi Morales in Tract. de Caſibus reſervatis, Cenſuris, Irregularitatibus, ac de Reſtitutione. Hæc porro omnia neceſſum eſt prænoſcantur a Sacris Pœnitentiæ Adminiſtris, quo rite poſſint efformare terreſtre illud judicium, quod teſte D. Hilario (*com. in cap. 16. Matth.*) *præjudicata auctoritas in cælo eſt.*

## SECTIO VI.

### *De Moralitatis Effectibus.*

390. *In hac ſexta ſectione explicatur duplex moralitatis effectus conſiſtens in geminis actionum* imputabilitate, *ſcilicet ad* laudem, *vel* reprehenſionem; ad præmium, *vel* ſupplicium.

390. ACtu *humano* in genere *moris* conſiderato quidam attribuntur *effectus*, qui eumdem actum ratione moralitatis conſequuntur inſtar proprietatum inſeparabilium, atque in ipſum hominem agentem, prout eſt cauſſa moralis actus, judicio ſeu imputatione quadam refunduntur. Senſu, ſermoneque communi duo ſunt ejuſmodi conſectarii effectus: videlicet, juxta geminas oppoſitas bonæ, vel *malæ* moralitatis ſpecies, numeratur primo *Laus*, vel *Vituperium*, ſecundo *Præmium*, vel *Pœna*: exinde actus boni *laudabiles*, & *præmiabiles*, mali vero *reprehenſibiles*, & *punibiles*, ſicque homo ipſe, quia *moraliter*, hoc eſt, ex voluntate libere agente bonos aut malos actus produxit, vel laude & præmio, vel vituperio & ſupplicio dignus judicatur. *Laudabile & vituperabile, præmiabile & punibile, continentur ſub hoc communi, quod eſt imputabile: & illius communis eſt una ratio hæc; ſcilicet actum eſſe in libera poteſtate agentis*, inquit Scotus (*in Quodl. q. 18. §.* de ſecundo principali). Itaque ad humanum & moralem actum quaquaverſus ſpectatum tria referri poſſunt, nempe *entitas phyſica* actus, quæ eſt veluti ipſius *materiale* ſive ſubjectum; *moralitas*, quæ eſt quaſi *formale* ſeu forma conſtitutiva; & *imputabilitas* jam deſcripta, quæ moralitate ceu radice fluit. Quare minus apte Puffendorfius (*l. 1. de Jur. Nat. & Gent. c. 5.*) dum aſſumere voluit ſcholaſticas loquendi formulas, quarum alioqui barbariem ſpinoſam, implexaſque tenebras ſe averſari ſæpius monuit, *imputabilitatem* ait eſſe *formale* actionis moralis. De morali imputabilitate actionum humanarum, præter nominatum Scriptorem, Vvolphius, aliique recentes Heterodoxi prolixe tractant in ſuis ſive ad Ethicam, ſive ad Naturalem Juriſprudentiam commentariis: aſt non ſine nævis, & erroribus, quos minime patitur ſincera morum doctrina, ſoli Romanæ Eccleſiæ a Chriſto Domino per Beatos Apoſtolos commendata. Ea propter dormitare fas non erit Catholicis illis Profeſſoribus, quibus demandata provincia hujuſcemodi libros prælegendi ſtudioſæ Juventuti, ne forſan hæc prætextu capeſſendæ politioris litteraturæ blando inficiatur veneno perverſæ doctrinæ, ſicque lolium magis, quam triticum domum reportet, qua de re ſatis jam præfati ſumus in I. Articulo, nihil aliunde detrahentes promeritis, quæ alias ob cauſſas iidem Scriptores poſſunt ſibi vindicare in litteraria Republica.

391. *Evolvuntur abſtractæ notiones harum trium vocum*, imputabile, imputabilitas, imputatio; *item monetur, quidnam ſignificent nomina* laudis, vituperii, præmii, pœnæ.

391. Multa ad præſens graviſſimum argumentum ſpectantia jam a nobis diſcuſſa Art. III. & IV. ubi de *Voluntario*, & *Libero*, ac de *Impedimentis Voluntarii*; idcirco reliqua dumtaxat, ibidem prætermiſſa, nunc perſequemur, ordiendo ab univerſali *imputabilis* notione. *Imputabile* abſtracte ſumptum eſt attributum proprium humani actus, quo deſignatur, efficientem illius cauſſam, quæ non eſt niſi natura intelligentiæ compos, poſſe adſtringi ad reddendam de illo rationem, iiſque effectibus ſubdi, qui conſequuntur ipſum actum in genere moris conſideratum. *Imputabilitas* eſt ipſa ratio, cur agenti intellectuali tribuantur iidem effectus, ſcilicet laudis aut vituperii, præmii vel pœnæ; eaque eſt moralis bonitas vel malitia, quam actus ex ſuo genere complectitur. *Imputatio* eſt judicium, quo actus humanus declaratur potens producere hoſce effectus, iiſque ſubeundis homo agens addicitur a Legiſlatore ſeu Superiore legitimo, cujuſmodi eſt primario Deus, & ſecundario inter homines illa Communitas, vel Rector illius Communitatis, ad quam agens refertur tamquam pars. Subtilis Doctor indicans rationem, cur aliquid ſit imputabile, nominavit *liberam poteſtatem, quam habet agens ſuper actum ſuum*, non quod putarit libertatem agendi eſſe intrinſecam & eſſentialem moralitatis formam; ſed quia libertas eſt proxima ratio fundandi in actionibus moralibus imputabilitatem ad laudem & præmium, vel ad vituperium & pœnam. Unde (*in 2. ſent. diſt. 7. q. 1.*) poſtquam eſſentiam *boni*, & *mali moralis* conſtituit *in convenientia, & diſconvenientia cum regula agendi* (quod & nos propugnavimus *n. 252.*) ſtatim infert: *ex hoc pa-*



*tet, quod non ab eodem formaliter eſt actus bonus bonitate morali, & imputabilis: ſed primum habet ex convenientia ad regulam, juxta quam debet elici; ſecundum vero ex eo, quod eſt in libera poteſtate agentis.* Porro quod ſpectat ad nomina Effectuum, disjunctive conſequentium quodvis imputabile, ea per ſeſe facile intelliguntur. *Laus*, & *Vituperium* denotant cognitionem, atque approbationem bonitatis, & improbationem malitiæ actuum oppoſitorum, cum utriuſque imputatione facta agenti bonum, & malum. *Præmium* & *Pœna* indicant remunerationem, & vindicationem, quibus ſubjiciuntur voluntate ac decreto Superioris bene & male agentes.

392. Immediati, ac mediati imputabilis diviſio diſtincte deſcribitur verbis *Magiſtri ſubtilis.*

392. *Imputabilis*, quod eſſentiam, & effectus ſatis jam declarati, unica reſtat diviſio obſervanda, qua diſpeſcitur in *immediatum*, & *mediatum*: eam Scotus accurate deſcribit (*Quodl. q. 18.*) hiſce verbis: *De imputabili diſtingui poteſt, quod uno modo propriiſſime accipiendo illud poteſt dici imputabile, quod eſt immediate in poteſtate voluntatis: & ſic ſolum velle eſt imputabile, quia ipſum ſolum eſt immediate in poteſtate libera voluntatis. Alio modo imputabile poteſt dici quidquid eſt ſimpliciter in poteſtate voluntatis, licet non immediate, & ſic actus alterius potentiæ, quem voluntas mediante actu ſuo volendi poteſt imperare, ut eliciatur, vel impedire ne eliciatur, eſt imputabile voluntati; quia tota coordinatio uſque ad illum actum eſt in poteſtate, etiam includendo iſtum actum.* Hinc vero duplicem elicit differentiam utriuſque imputabilis. Prima, quia ad immediatum *non requiritur niſi ipſa potentia voluntatis, & illud quod requiritur propter actum ejus, cujuſmodi eſt intelligere: & ratio eſt, quia illud eſt immediate effectus voluntatis: & de hoc poteſt accipi illud Auguſtini* 1. Retr. 9. *nihil eſt tam in poteſtate voluntatis, quam ipſa voluntas, intellige, quantum ad actum ſuum proprium.* Ad mediatum vero *requiritur potentia alia a voluntate, exequens illum actum.* Secunda, *quia eſt major contingentia ſive indifferentia reſpectu imputabilis* immediati; *quoniam non requiritur ad illum actum niſi voluntas, ſuppoſita oſtenſione ſufficienti intellectus: unde per alia poſteriora quæcumque impediri non poteſt, ne eliciatur. Sed ad imputabile* mediatum *requiritur alia potentia, per cujus impotentiam impeditur potentia ad actum illum: unde non ex ſola indifferentia voluntatis eſt contingentia ejus, ſicut contingentia primi actus.*

393. *Determinantur actus* capaces *imputabilitatis; ſimulque exhibentur communes* regulæ *ad eamdem detegendam.*

393. Ex dictis intelligimus, omnes, & ſolos voluntatis actus poſſe imputari ad laudem vel vituperium, ad præmium vel ſupplicium. *Omnes* dico, ut comprehendantur tam *interni*, quam *externi*, quibus voluntas, tamquam regina in regno animæ, debet rectitudinem dare rationis regulæ convenientem. *Solos* pariter nomino, ut inter externos ii excipiantur actus, qui nec deſpotico, nec politico voluntatis imperio ſubjacent; & ideo non *humani*, ſed *hominis* dumtaxat appellantur. Exinde pariter regulas haurire poſſumus ad dignoſcendam imputabilitatem cujuſvis individuæ actionis. Præcipuæ, & univerſales erunt hæ duæ. Prima, *ubi moralitas actionum, ibi imputabilitas illarum*; & *tanta imputabilitas, quanta moralitas*: imputabilitas enim eſt proprietas ſive effectus conſequens moralitatem. Secunda, *tanta imputabilitas actionum, quanta in agente advertentia, & libertas*: ſiquidem libertas agentis eſt proxima ratio fundandi imputabilitatem actionum (*n. 391.*) quatenus nempe ipſa libertas, juxta varia Scholaſticorum placita, aut eſt forma conſtitutiva moralitatis, ex quo fluit imputabilitas, aut certe conditio prorſus neceſſaria ad illam. Idcirco vero *advertentia* nominatur, quoniam Doctores cum Magiſtro Sententiarum (*in 2. diſt. 25.*) tradunt *liberum arbitrium eſſe facultatem voluntatis, & rationis*: adeoque ad humanæ libertatis uſum requirunt utriuſque potentiæ operationem. Itaque juxta intellectus cognitionem perfectam vel imperfectam, ac voluntatis conſenſum plenum, vel ſemiplenum, arguenda gravis aut levis culpa agentis, ſimulque moralis imputabilitas actionum ejus. Ex generalibus iſtis regulis deducere oportebit alias particulares, quæ reſpiciunt ſingulos eos modos, quibus voluntariæ aut involuntariæ dici poſſunt (*n. 146.*) hominum actiones.

## SECTIO VII.

### *De Dotibus meritorii operis.*

394. *Præſens* Sectio ſeptima com

394. MEritum *præmii*, quod in explicanda Morali Imputabilitate nominavimus, non ſumitur ſpeciatim pro merito illius gloriæ, quam fide indubia credimus in cæleſtibus tabernaculis paratam diligentibus Deum; ſed univerſim accipitur



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*plectitur conditiones ſingulas ad opus* meritorium vitæ æternæ *neceſſarias. Hic præmiſſa trita* diviſione *meriti, loco fundamenti ponitur* catholica *doctrina de meritis.*

tur pro convenienti retributione, quæ humanos actus honeſtos neceſſario conſequitur. Cum tamen *finis ultimus*, ad quem præceptionibus ſuis Moralis Theologia nos dirigit (*n. 10.*) alius reapſe non ſit, quam ſupereminens illa gloria æternum duratura: idcirco placet nobis ſupremo loco (tametſi Morales plerique Tractatores curam ejuſmodi ſoleant Dogmaticis relinquere) ſingulas indicare conditiones, quas humanis actibus ineſſe oportet, ut peculiare meritum induant tanti præmii: ſic enim labor iſte noſter *homini* ſimul, & *chriſtiano* rite formando inſerviet, quod hucuſque ſemper in oculis habuimus. Porro ex D. Bonav. (*in 2. Sent. diſt. 27. art. 1. qu. 2.*) *contingit aliquid mereri ex congruo, & ex condigno. Tunc eſt meritum ex condigno, quando ratio meriti reperitur ibi perfecte & plene; & tunc eſt ibi quædam commenſuratio, & adæquatio meriti ad præmium. Meritum autem congrui dicitur, in quo eſt aliqua diſpoſitio congruitatis reſpectu ejus, ad quod illa diſpoſitio ordinatur: quæ tamen deficit a ratione congruitatis*. Juxta decretum Synodi Tridentinæ (*Seſſ. 6. can. 32.*) *homo juſtificatus poteſt bonis operibus, quæ per Dei gratiam facit*, tria hæc *vere mereri*, nempe *augmentum gratiæ*, *vitam æternam*, *atque etiam gloriæ augmentum*. Utrum autem meritum iſtud dicendum ſit *condigni* nec ne, Synodus tacuit, ut pro more ſuo (*num. 296.*) illæſas relinqueret variantes ea de re Scholaſticorum opiniones. Nihilo tamen minus, cum ſolum meritum de condigno videatur eſſe *vere meritum*, quoniam *æqualitatem* præſefert cum præmio, illudque propterea tamquam *ex juſtitia* debitum repoſcit, inde eſt, ut ſpectato Oecumenico illo Decreto, adverſus Hæreticos meritorum oſores publicato, Noſtrates Theologi unanimi conſenſu nunc propugnent, bona opera juſtorum hominum promereri *de condigno* cæleſtis vitæ præmium; ſimulque perſuadeant ſibi, hujuſmodi nomen, quamvis in Scriptura & Patribus haud expreſſum, minime amandandum ad *profanas vocum novitates* (*1. ad Tim. c. 6.*) ab Apoſtolo reprobatas, utpote nova dumtaxat dictione enuntians avitam Catholicæ Eccleſiæ doctrinam. Nam ex Seraphico (*in 1. Sent. diſt. 26. dup. 1.*) *novitas uno modo ſonat in vitium, alio modo non: quando eſt talis adjunctio, quod ſententiam etiam facit, quæ non habet ortum ex veritate antiqua, tunc eſt vere novellum; & ſic dicit Apoſtolus eſſe fugiendum, unde addit, profanas*: ſecus vero, *quando, quantum ad intellectum ſanum, non eſt nova*. Plura de hoc (*in Oper. de Beatiſ. Serv. Dei t. 2. l. 2. c. 28. n. 7.*) Benedictus XIV.

*395. Inter ſex conditiones, conſenſu Theologorum quaſi communi requiſitas ad meritum de condigno, duæ ſunt ex parte* hominis merentis: *nempe, ut ſit* viator & juſtus.

395. Jam vero ad prædictum meritum *de condigno* juxta communiorem, ac veroſimiliorem Theologorum ſententiam, *ſex* requiruntur conditiones. Duæ hominem *merentem* ſpectant, tres ad *opus* ipſum meritorium referuntur, una retribuentem *Deum* reſpicit. Primo igitur, ex parte *hominis*, neceſſarius eſt ſtatus *viæ*, & *gratiæ ſanctificantis*. Status quidem *viæ*, ut ſcilicet homo degat in hoc ſæculo, ſitque in corpore mortali, & conditione mortali, indigens cibo, potu, ſomno, ceteriſque vitæ præſentis adminiculis: quæ nunc eſt ipſa conditio noſtra, non Henochi, & Eliæ. Ratio eſt, quia Sacra Scriptura ſignificat, Deum determinaſſe hujus mortalis vitæ ſpatium, ut homo ad ſupremam felicitatem tendat per bona opera tamquam media ejuſdem aſſequendæ. *Ante obitum operare juſtitiam* (*Eccl. c. 14*) *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis* (*2. ad Cor. c. 6.*) Quare Sancti in cælis degentes quæcunque a Deo nobis obtinent beneficia, per modum *impetrationis* obtinent, minime per modum *meriti*, de quo nunc ſermo. Quæ enim in publicis Eccleſiæ precibus nominantur illorum *merita*, non habent niſi vim impetrationis relate ad *nos*, quamvis reſpectu *ipſorum* fuerint olim veri nominis merita. Præterea viatori homini neceſſarius ſtatus *Gratiæ ſanctificantis*, cujus formalis effectus eſt ex Trid. Syn. (*ſeſſ. 6. c. 7. & 16.*) hominem, *in cujus corde per Spiritum Sanctum diffunditur, juſtificare, ſanctificare, renovare*, ſicque conſtituere *Dei amicum & filium adoptivum, & heredem ſecundum ſpem vitæ æternæ*. Ratio eſt, quia ad comparandum condignum meritum vitæ æternæ (quæ ex Seraphico *in 2. ſent. diſt. 29. ar. 1. qu. 1. conſiſtit in habendo eum, qui eſt omne, & ſummum bonum, & qui eſt ſuper omnem naturam exaltatus, & lucem inhabitat inacceſſibilem*) neceſſum eſt, ut cum ejuſmodi gloria proportionem habeat, non opus tantum, ſed ipſa maxime perſona operantis adeo quidem, ut ſicut gloria eſt ſupernaturalis & divina, ſic ad ſtatum ſupernaturalem & divinum tum opus, tum perſona transferantur. Hoc enim eſt inter Deum, & hominem diſcrimen, eodem Seraphico teſte (*diſt. cit. & diſt. 40. ar. 2. q. 3.*) *quod homo non reputat opus dignum retributione propter bonitatem operantis, ſed potius operantem propter bonitatem operis; homo enim indiget alieno ſervitio. Deum autem, qui bonorum noſtrorum non indiget, non operantem propter opera, ſed opera propter operantem acceptat, & remunerat: ſicut innuitur Gen. 4. reſpexit Deus ad Abel, & ad munera ejus: prius dicit, ad Abel, & poſtea dicit, ad munera*. Porro autem ea mira-



bilis transformatio hominis perfici nequit, niſi per ſupernaturale donum gratiæ ſanctificantis: quia ex eodem Seraphico (*diſt. 27. ar. 2. qu. ult.*) ipſa eſt *quid divinum, & ad hoc eſt ordinata, ut ducat ad Deum*: ſicque *ratione ſuæ dignitatis totum hominem reddit Deo acceptum, & carum*.

396. Rationes iſtæ, quibus idem Seraphicus pariter utitur (*diſt. 29. ar. 1. q. 1.*) ad probandum, *neque in ſtatu innocentiæ potuiſſe hominem acceptari a Deo acceptione ſpeciali, qua in filium adoptatur, & dignus reputatur æterna beatitudine, abſque munere ejuſdem gratiæ ſuperadditæ naturæ*, ſatis elidunt palmarem Baii errorem, qui multis propoſitionibus (*Ord. 2. & ſeq. uſque ad 20.*) jam a Pio V. Papa damnatis contendit ad condignum meritum cæleſtis vitæ haud neceſſariam homini gratiam adoptionis per Spiritum Sanctum in ejus corde habitantem; ſed ſufficere veram legis obſervantiam, id eſt, opera bona, quibus homo actualibus Dei auxiliis ſuffultus legem adimplet: quia nimirum Scriptura cælorum regnum promittit abſolute obedientiæ legis: *ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata* (Matth. c. 6.) *gloria & honor omni operanti bonum* (*ad Rom. c. 2.*) Præterquam enim quod plura ex iſto commento conſequuntur abſurda, cuivis vel leviter intelligenti obvia, nihilominus eidem favet, quam Sacra Scriptura. Hæc namque ideo in citatis Textibus commendat ſolam Legis obſervantiam, quia homines *fideles* alloquitur, quibus utpote a peccato ad ſtatum gratiæ ſanctificantis jam translatis, acceptoque Spiritus Sancti pignore decoratis, non remanent inculcanda niſi bona opera, ne forte deſidia ac torpore gratiam deperdant, acquiſito ad cæleſte regnum jure excidant, & veluti aridi palmites a vite Chriſto præciſi in ignem mittantur, æternum arſuri. Unde idem Seraphicus (*diſt. 30. art. 1. qu. 1.*) appoſite notat, fideles, & juſtos homines haud fruſtra bonis operibus jugiter incumbere in præſenti ſæculo, quamquam multiplicatione bonorum operum non augeatur futura merces præmii *ſubſtantialis*, conſiſtentis in viſione, amore, & fruitione Dei: quia ſcilicet *caritas non poteſt in homine vigere, quin exeat in bonos actus, cum poteſt, & debet: ideo ſequens opus fruſtra non ſit, quia quamvis non addat ad præmii excellentiam, addit tamen ad meriti efficaciam: & etiam diſponit ad profectum, & facit ad incrementum meriti reſpectu accidentalis præmii*.

*396. Superiore doctrina D. Bonaventuræ deſtruitur error Baii, cui* ſtatus gratiæ ſanctificantis *non videtur neceſſarius ad meritum æternæ gloriæ aſſequendum.*

397. Secundo, ex parte *operis* meritorii, requiritur 1. ut opus in genere moris ſit *adæquate bonum*, id eſt ex Scoto (*n. 357.*) *habens aggregationem omnium convenientium actui ſecundum rectam rationem*; cujuſmodi ſunt objectum vel ex proprio genere bonum, vel ſaltem ordinabile ad finem honeſtum, ſi ſit indifferens; circumſtantiæ omnes neceſſariæ ac legitimæ; & finis præſertim honeſtus: de quibus accurate jam egimus in ſect. IV. Ratio in promptu eſt. Nam meritum in concreto ſolet definiri: eſt opus bonum in obſequium alterius factum, de ſe aptum ad aliquid obtinendum per modum retributionis, ſeu mercedis. At vero opus, quod non eſt adæquate bonum, & cujuſvis malitiæ expers, nequit præſeferre obſequium Deo gratum, dignumque cæleſti mercede; quippe ex S. Auguſtino (*Lib. de Grat. & lib. Arb. c. 6.*) *quæ mala ſunt, non coronat Deus*. Unde ſi *domos ædificaſſe*, ſeu copioſam ſobolem donaſſe legitur (*Exod. c. 1.*) Ægyptiacis obſtetricibus, quæ mendacio a perditione liberarant infantes Hebræorum, ſubdit Seraphicus (*Expoſ. in c. 1. Sap.*) *dicendum ſecundum Gloſſam, quod non mendacium, ſed pietas earum remunerata fuit . . . quæ duo unum fuerunt connexione, non indiviſibilitate*. Porro etſi ad eliciendum actum præciſe bonum in *ſolo* genere moris, ſaltem ubi arduus ac præcellens non eſt, juxta Seraphicum (*in 2. Sent. diſt. 28. qu. ult.*) ſufficiat *gratuita Dei influentia, per quam cetera conſervat, & adjuvat, ut compleant operationes ſuas*, hoc eſt, concurſus Dei generalis; attamen idem actus moraliter bonus, ſi referatur ad promerendam gloriam, quæ finis ultimus ſupernaturalis eſt, talis meriti ſubſtratum eſſe nequit, niſi fiat cum ſupernaturalis gratiæ adjutorio, quam Chriſtus paſſione ſua nobis obtinuit, ut enim Trid. Syn. (*ſeſſ. 6. c. 56.*) inquit: *Chriſtus Jeſus, tamquam caput in membra, & tamquam vitis in palmites, in juſtificatos jugiter virtutem influit, quæ virtus bona eorum opera ſemper antecedit, & comitatur, & ſubſequitur, & ſine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria eſſe poſſunt*. Itaque ſub *prima* operis conditione nunc explicata intelligere oportet auxilium *ſupernaturalis* iſtius gratiæ, quæ eſt veluti circumſtantia neceſſaria ad opus *bonum*, qua *meritorium* vitæ æternæ: & hoc ſenſu Angelicus (*Quodl. ar. 5.*) dixit, *merita eſſe ſupra naturam*.

397. Prima *conditio ex parte* operis *meritorii fert, ut opus polleat* adæquata bonitate *morali*, & ſupernaturalis gratiæ *adjutorio producatur*.

398. Requiritur 2. ut opus ſit vere *liberum*, ſive immune (*n. 154. & ſeq.*) tum a coactione, tum a neceſſitate: cujuſmodi fuit ex. gr. cuſtodia pudicitiæ in Joſepho Hebræorum Patriarcha (*Gen. c. 29.*) qui inter maxima illicita, dum ſcilicet *Putiphares*

398. Secunda *conditio ex parte*

*ejuſdem operis meritorii exigit, ut peragatur ex proprie dicta libertate; quidquid ex adverſo dictitent Janſeniſtæ heretici.*

ris uxor ejus domina quadam die intravit ejus domum abſque arbitris, & apprehenſa lacinia veſtimenti ejus dixit: dormi mecum*, urgentiſſimum evaſit periculum, *relicto in manus illius pallio, fugiendo*. Iſtius conditionis neceſſitas perſpicue conſtat 1. ex Sacra Scriptura, quæ ubi hominem juſtum commendavit (*n.* 160.) *qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus; facere mala, & non fecit*, mox ſubdit: *ideo ſtabilita ſunt bona illius in Domino*. 2. ex Catholica Eccleſia, quæ hanc propoſitionem (*Ord.* 3.) in Iprenſi Janſenio damnavit: *ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas a neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coactione*: 3. ex S. Auguſt. (*lib.* 2. *de Lib. Arb. c.* 1.) ſcribente: *illud bonum, quo commendatur ipſa juſtitia in damnandis peccatis, recteque factis honorandis, quomodo eſſet, ſi homo careret libero voluntatis arbitrio? non enim aut peccatum eſſet, aut recte factum, quod non fieret voluntate; ac per hoc & pœna injuſta eſſet, & præmium, ſi homo voluntatem non haberet liberam*. 4. ex ratione. Nam ſi libertas utroque gradu completa juxta communem Moralium ſenſum, cui nititur recitatus Auguſtini textus, eſt perneceſſaria ad imputabilitatem actionum abſolute & univerſe ſpectatam, quia nempe fundamentum eſt omnis moralitatis, quam imputabilitas conſequitur (148. & 391.), multo magis neceſſaria erit ad ſingulare meritum de condigno excelſæ gloriæ.

399. *Series actionum* Chriſti *minime elevat præſtabilitam neceſſitatem* libertatis *ad merendum*.

399. Aſt ingens hic occurrit difficultas de Chriſto humani generis Reparatore, quem ſcimus meruiſſe per actiones quantumvis neceſſarias, & a coactione dumtaxat immunes. Reſpondeo: quid, ſi Chriſti exemplum doctrinæ mox ſtatutæ magis opitularetur? audi. Ex Seraphico (*in* 3. *Sent. diſt.* 18. *ar.* 1. *q.* 2. & *ar.* 2. *q.* 2.) *Quia Chriſtus Dei, & hominum fuit mediator, debuit eſſe comprehenſor, & viator; comprehenſor propter ſuam dignitatem, & viator propter noſtram neceſſitatem; & ideo partim debuit eſſe in ſtatu gloriæ, partim in ſtatu miſeriæ... & ſic habuit gloriam ad comprehendendum, & gratiam ad merendum*. Hoc poſito, dico Chriſtum fuiſſe præditum libero arbitrio, quod eſt una ex naturalibus proprietatibus perfectæ humanitatis ab ipſo aſſumptæ, adeoque libertatem habuiſſe non ſolum a coactione, ſed etiam a neceſſitate: quod ſatis indicatur eo vaticinio (*Iſa. c.* 7.): *butyrum, & mel comedet, ut ſciat reprobare malum, & eligere bonum*: adnotante quippe Angelico ad hunc ipſum locum (3. *Part. q.* 18. *art.* 4.) *electio actus eſt liberi arbitrii*. Exinde vero complector, Chriſtum non ex diſpenſatione tantum, ſed ex lege ordinaria requirente ad meritum has ipſas conditiones, de quibus nunc a nobis fit ſermo, multa tum patiendo, tum agendo & ſibi, & nobis vere meruiſſe. Fateor tamen non ad omne actionum genus Chriſtum habuiſſe libertatem indifferentiæ: & idcirco nec omnes ejus operationes proprie meritorias fuiſſe, ob defectum iſtius, ſeu aliarum etiam conditionum. Sic ex. gr. non meruit per viſionem beatificam, per actum caritatis erga Deum, per actum gaudii beatifici, cum ejuſmodi actus non fuerunt liberi, ſed neceſſarii; non viatoris, ſed comprehenſoris; propterea nec ullum fuit iiſdem a Deo promiſſum præmium aut retributio. Sed per actus orationis, jejunii, obedientiæ, dilectionis proximi, & conſimiles, quoniam perfecte liberi fuerunt, vere promeruit toto vitæ ſuæ tempore, atque ratione iſtorum, poſtquam ſomnum cepit & exſurrexit, adſecutus eſt ampliſſimum præmium: quod ſolent explicare Theologi in Tractatu de Divini Verbi incarnatione. Itaque exemplum a Chriſto petitum nobis favet.

400. Tertia *conditio ex parte* operis *meritorii adſtruit neceſſarium influxum* caritatis actualis *in idem opus.*

400. Requiritur 3. ex parte *operis*, ut opus moraliter bonum, ac liberum, quod ab homine juſto viatore prodit ope ſupernaturalis gratiæ, ex proprie dicta *caritate* aut eliciatur, aut imperetur. Non hoc ceu Fide Catholica exploratum propugnamus; ſed tamquam veroſimillimum juxta communiorem gravium Doctorum ſententiam, quam alibi jam propoſuimus (*n.* 284. 325. & paſſim in tota Controverſia de operum relatione in Deum *n.* 328. & *ſeq.*). Unde Seraphicus inter alios ſcripſit (*in* 2. *Sent. diſt.* 29. *art.* 1. *q.* 2.) *Magnitudo caritatis eſt principalior inter omnia, quæ faciunt ad meritum, quia ſecundum illius quantitatem attenditur remuneratio præmii ſubſtantialis; pondus enim amoris eſt, quod dat valorem operibus meritoriis*: quibus ſimilia Angelicus item (*Suppl.* 3. *part. q.* 96. *ar.* 1. & 13.) profert. Huic ſententiæ ſuffragantur Scripturarum, Patrumque auctoritas, nec non ratio manifeſta. *Ratio* ex hactenus dictis ſic elicitur. Cum enim meritum in concreto denotet opus, quod fit in obſequium alicujus perſonæ, a qua merces illi ſubinde retribuitur; & aliunde, ubi de gloriæ retributione agitur, Deus utpote non egens ſervitio noſtro (*n.* 395.) opera magis propter operantem acceptet, quam operantem propter opera: hinc ſequitur, quemlibet hominem intuitu ſupernæ mercedis agentem debere operari animo obſequendi & placendi Deo, atque ad Deum ſe ſuaque omnia formali relatione ordinare: quæ utique fieri nequeunt ſine aliquo caritatis affectu. *Auctoritas* vero eſt hujuſmodi.

Nimi-



Nimirum Sacra Scriptura frequenter teſtatur, bona inviſibilia æternæ vitæ a Deo præparata, ac promiſſa *diligentibus Deum, in Dei gloriam operantibus, propter Chriſtum, aut in nomine Chriſti ærumnas patientibus &c.* S. Auguſtinus paſſim radicem meriti caritatem eſſe declarat, qua in Deum finem ultimum opera noſtra referuntur; hinc ita ratiocinatur (*lib. de Morib. Eccleſ. c.* 15.) *Si virtus ad beatam vitam nos ducit, nihil omnino virtutum eſſe affirmaverim, niſi ſummum amorem;* cur? quia licet quævis virtus ſuam habeat ſpecialem honeſtatem, & cujuſvis virtutis actus poſſint ordinari ad merendam vitam beatam; reipſa tamen nullus actus virtuoſus illam meretur, niſi in eum influat caritas, qua Deus ſuper omnia diligitur. Hoc unum docuiſſe putandus S. Doctor in ea ſententia toties repetita, ſed præſertim (*lib. de Grat. & Lib. Arb. c.* 18.) *quidquid putaverit homo facere bene, ſi fiat ſine caritate nullo modo fit bene*; id eſt non eſt verum abſolutumque bonum: *non quia ſit vitium*; ex Seraphico alibi laudato (*num.* 273.) *ſed quia deficit a vera virtutis perfectione; quia virtus vera dicitur, quæ veraciter ducit ad vitam*. Quapropter ſi ad rectum iſtum ſenſum oculos intendiſſent Bajani, Janſeniſtæ, Queſnelliani, nunquam tam peſſime in caritatis negotio ſcripſiſſent, plane errantes, & non intelligentes Auguſtinum ob cordis tumorem; ſicuti Paulum non intellexerunt olim *Pelagiani, manifeſto errore, & ſuperbia ſe contra Divinam gratiam erigentes*, ut ait Seraphicus (*in* 2. *Sent. diſt.* 28. *in fine*). Porro autem ex Seraphico (*nu.* 337.) ſat eſt, ſi prædicta operum relatio in Deum ex caritate facienda ſit *virtualis*.

401. Tertio tandem, ex parte *Dei* retribuentis, requiritur *pactum* ſeu promiſſio de mercede gloriæ æternæ bonis operibus reddenda, ita nimirum, ut non ſufficiat ad vindicandam iiſdem rationem meriti de condigno (quemadmodum nonnulli de Schola Theologi contendunt) ſi prodeant ab homine per ſupernaturale gratiæ donum ſanctificato, & ad divinam veluti dignitatem evecto. Quamquam & hæc poſtrema conditio non pertineat ad Chriſtianam Fidem, graviorum tamen Doctorum ſuffragio roboratur, atque tum ex Divinis Litteris, tum ex Concilio Tridentino facile eruitur. Nam 1. ut ex illis unicum afferamus teſtimonium, Seraphicus ſic ait (*in* 2. *Sent. diſt.* 27. *q. ult.*) *Gloriam non tantum contingit mereri merito congrui, ſed etiam merito condigni, pro eo quod gratiæ, & gloriæ quædam eſt commenſuratio, & in Deo quædam cadit obligatio, non ex neceſſitate, ſed ex ſua mera benignitate; quia voluit promittere, & pactum firmare cum his, qui eum diligunt, quod ſeipſum mercedem eis retribueret: ſicut in Abraham apparet, Gen.* 24. *ego ero merces tua magna nimis*. 2. Nihil familiarius Scripturæ Sacræ, quam *promiſſionum* vocabulo exprimere bona inviſibilia æternæ vitæ. *Pietas ad omnia utilis, promiſſionem habens vitæ* (1. *ad Tim. c.* 4.) *repromiſſionem accipiant, qui vocati ſunt, æternæ hereditatis* (*ad Hebr. c.* 9.) *accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe* (*Jac. c.* 1.) 3. Concilium Tridentinum (*Seſſ.* 6. *cap.* 16.) inquit: *bene operantibus uſque in finem, & in Deo ſperantibus proponenda eſt vita æterna, tamquam merces ex ipſius Dei promiſſione bonis ipſorum operibus, & meritis fideliter reddenda*. Hinc Eccleſia Catholica ſolet Deum orare (*in Dom. v. poſt Pent.*) *ut promiſſiones Dei, quæ omne deſiderium ſuperant, conſequamur*. Sane Theologica quoque ratio idipſum perſuadet. Quantacumque enim ſit dignitas operis in ſtatu gratiæ peracti, illud tamen nunquam habere poteſt *æqualitatem perfectam*, quæ ad meritum *de condigno* requiritur, cum cæleſti præmio, conſiſtente *in habendo eum, qui eſt omne & ſummum bonum, & ſuper omnem naturam exaltatus* ex Seraphico (*n.* 395.) neque ſic Deum permovere poteſt, ut ei reddere teneatur *coronam juſtitiæ tamquam juſtus judex*. Si igitur hujus generis merita revera dantur, nullum prorſus dubium de antecedente Divina promiſſione, qua fit, teſte D. Auguſtino (*lib.* 1. *Confeſſ. c.* 4.) *ut Deus reddat debita, nulli debens*.

401. *Ex parte* Dei *remunerantis unica deſideratur conditio, ſcilicet* pactum Divinum *dandæ mercedis æternæ intuitu bonorum operum.*

402. Ad metam jam perducta eſt prœmialis hæc Diſſertatio de humanis actibus, deque præcipuis aliis Moralis Diſciplinæ materiis, non alterius certe favore, quam Clementiſſimi Numinis: quem quidem ſicuti initio ſuppliciter poſtulavi, ita conſtanter etiam mihi præſentiſſimum hactenus perſenſi; ac propterea nunc omni qua poſſum animi gratitudine extollo, atque deprædico. Lectores vero humanos, benignos, prudentes, quos opella iſta deinceps nanciſcetur, enixe rogo verbis Seraphici mei Magiſtri, ac Patroni S. Bonaventuræ (*in fin. lib.* 2. *ſent.*) *ut ſi quis aliquid in hoc opuſculo invenerit approbatione dignum, agat gratias Deo largitori bonorum; in aliis vero locis ſi invenerint vel falſum, vel dubium, vel obſcurum, ſcribentis inſufficientiæ benigne indulgeant, qui abſque dubio* (*teſte conſcientia*) *vera, aperta, & communia dicere concupivit*. Porro quandoquidem ſumma univerſorum, quæ huc uſque differui, eo tandem redigitur, ut intelligatur, *omnem noſtram actionem potiſſime*

402. *Sincera* proteſtatio, *qua Diſſertationis hujus Scriptor ſua explet officia, primo erga* Deum O. M. *tum erga* Lectores *benevolos*, Approbatores *eximios ac ſtrenuos* Typographos.

*tiſſime ordinatam eſſe ad* Finem Ultimum, *qui eſt* α *&* ω, *principium & finis*, uti Vener. Dunſius Scotus loquitur (*in fin. lib. 1. ſent.*), idcirco cunctis Theologiæ Moralis ſtudioſis, ſi vere ſapere cupiunt, ſummopere enitendum eſt, ut uſum propriæ diſciplinæ nullo modo aberrare faciant a Fine tam præſtantiſſimo, *ad quem*, medullitus opto verbis Piiſſimi Richardi de Mediavilla (*in fin lib. 4. ſent.*) *me, & omnes ſcriptorum meorum pios interpretes, & benevolos correctores, ac etiam impreſſionis hujus operarios & auctores, perducat ſuaviſſimus Jeſus Chriſtus, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.*

FINIS PARTIS I. TOMI I.

# THEOLOGIA
## MORALIS UNIVERSA
## R. P. GABRIELIS ANTOINE

*A REVERENDO PATRE*

## PHILIPPO DE CARBONEANO

PRIDEM NOTIS, ET APPENDICIBUS AD USUM MISSIONARIORUM, POTISSIME AD SACROS CHRISTIANORUM RITUS, ET ECCLESIÆ ORIENTALIS DISCIPLINAM SPECTANTIBUS AMPLIFICATA,

*Dein novis acceſſionibus ex geminis ſcholarum & Eccleſiæ Doctoribus* S. THOMA AQUINATE *&* S. BONAVENTURA CARD. *depromptis ad* PAROCHOS, CONFESSARIOS, *præſertim vero ad* STUDIOSAM JUVENTUTEM *informandam aucta, & illuſtrata*

## A R. P. BONAVENT. STAIDEL M. C.

ACCEDUNT

TRIA OPUSCULA EX AUREO MELCHIORIS CANI DE LOCIS THEOLOGICIS LIBRO DESUMPTA, ET DISCEPTATIO PROOEMIALIS DE LEGE DIVINA.

## EDITIO X. ABSOLUTISSIMA
## A JO. DOMINICO MANSI

ARCHIEPISCOPO LUCENSI

MEDULLITUS INSPECTA, PERMULTIS ALIIS ADDITIONIBUS EX OPERIBUS

BENEDICTI XIV. ET CLEMENTIS XIII. & XIV.

*Litteris apoſtolicis excerptis locupletata, correcta, nonnullis figuris æneis in fronte quorumdam Tractatuum ornata,*

ET IN SEX TOMOS DISTRIBUTA.

*TOMI PRIMI PARS SECUNDA.*

VENETIIS MDCCLXXXII.
APUD ANTONIUM ZATTA
*SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*tiſſime ordinatam eſſe ad Finem Ultimum, qui eſt* αλ & ω, *principium & finis*, uti Vener. Dunſius Scotus loquitur (*in fin. lib. 1. ſent.*), idcirco cunctis Theologiæ Moralis ſtudioſis, ſi vere ſapere cupiunt, ſummopere enitendum eſt, ut uſum propriæ diſciplinæ nullo modo aberrare faciant a Fine tam præſtantiſſimo, *ad quem*, medullitus opto verbis Piiſſimi Richardi de Mediavilla (*in fin lib. 4. ſent.*) *me, & omnes ſcriptorum meorum pios interpretes, & benevolos correctores, ac etiam impreſſionis hujus operarios & auctores, perducat ſuaviſſimus Jeſus Chriſtus, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.*

FINIS PARTIS I. TOMI I.

# THEOLOGIA
## MORALIS UNIVERSA
## R. P. GABRIELIS ANTOINE

*A REVERENDO PATRE*

## *PHILIPPO DE CARBONEANO*

PRIDEM NOTIS, ET APPENDICIBUS AD USUM MISSIONARIORUM, POTISSIME AD SACROS CHRISTIANORUM RITUS, ET ECCLESIÆ ORIENTALIS DISCIPLINAM SPECTANTIBUS AMPLIFICATA,

*Dein novis acceſſionibus ex geminis ſcholarum & Eccleſiæ Doctoribus* S. THOMA AQUINATE *&* S. BONAVENTURA CARD. *depromptis ad* PAROCHOS, CONFESSARIOS, *præſertim vero ad* STUDIOSAM JUVENTUTEM *informandam aucta, & illuſtrata*

## *A R. P. BONAVENT. STAIDEL M. C.*

ACCEDUNT

TRIA OPUSCULA EX AUREO MELCHIORIS CANI DE LOCIS THEOLOGICIS LIBRO DESUMPTA, ET DISCEPTATIO PROOEMIALIS DE LEGE DIVINA.

## EDITIO X. ABSOLUTISSIMA
## A JO. DOMINICO MANSI

ARCHIEPISCOPO LUCENSI

MEDULLITUS INSPECTA, PERMULTIS ALIIS ADDITIONIBUS EX OPERIBUS

BENEDICTI XIV. ET CLEMENTIS XIII. & XIV.

*Litteris apoſtolicis excerptis locupletata, correcta, nonnullis figuris æneis in fronte quorumdam Tractatuum ornata,*

ET IN SEX TOMOS DISTRIBUTA.

*TOMI PRIMI PARS SECUNDA.*

VENETIIS MDCCLXXXII.
APUD ANTONIUM ZATTA
*SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del *P. F. Filippo Roſa Lanzi* Inquiſitor Generale del Santo Officio di *Venezia* nel Libro intitolato: *Theologia Moralis univerſa a R. P. Paulo Gabriele Antoine primum concinnata &c.*, non v' eſſer cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per atteſtato del Segretario noſtro niente contro Principi, e buoni coſtumi; concediamo Licenza ad *Antonio Zatta* Stampator di *Venezia* che poſſi eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Data li 4. Novembre 1768.

( Angelo Contarini Proc. Riform.

( Alvise Vallaresso Riform.

( Francesco Morosini 2. Cav. Proc. Riform.

Regiſtrato in Libro a carte 364. al Num. 2601.

*Davidde Marcheſini Segr.*

Regiſtrato al Magiſtrato della Beſtemmia in libro a carte 5.

*Andrea Grattarol Segr.*

---

# NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

COncediamo Licenza ad *Antonio Zatta* Stampator di *Venezia* di poter riſtampare il Libro intitolato: *Theologia Moralis Univerſa P. Gabrielis Antoine &c.*, *a P. Dominico Manſi Archiepiſc. Lucenſi Medullitus inſpecta &c.*, oſſervando gli ordini ſoliti in materia di Stampe, e preſentando le Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Data li 27. Ottobre 1774.

( Andrea Querini Riform.

( Girolamo Grimani Riform.

( Sebastian Foscarini Cav. Riform.

Regiſtrato in Libro a Carte 171. al Num. 142.

*Davidde Marcheſini Segr.*



# INDEX.

## TOMI PRIMI PARS SECUNDA.

### TRACTATUS

De Actibus Humanis.


Cap. I. *DE voluntario, & involuntario.* Pag. 2
Art. I. *Quid ſit voluntarium, & quotuplex?* ibid.
Art. II. *Quid & quotuplex ſit involuntarium?* 3
Art. III. *Utrum ea quæ fiunt ex metu, ſint voluntaria?* ibid.
Art. IV. *Utrum ea, quæ fiunt ex concupiſcentia, ſint voluntaria?* 4
Cap. II. *De libero, ſeu libertate.* 5
Art. I. *In quo conſiſtat eſſentia liberi arbitrii, ſeu libertas ſtricte ſumpta?* ibid.
Art. II. *Utrum ad merendum, & demerendum in præſenti ſtatu requiritur libertas ab omni neceſſitate ſimplici?* 9
Art. III. *Utrum homo in ſtatu naturæ lapſæ habeat libertatem ab omni ſimplici neceſſitate intrinſeca?* 11
*Solvuntur Objectiones.* 12
Art. IV. *Exponitur mens & doctrina S. Auguſtini circa liberum arbitrium in ſtatu naturæ lapſæ.* 14
*Solvuntur Objectiones.* 16
*Solvuntur Objectiones.* 17
Art. V. *De ſubjecto, objecto, & exercitio libertatis.* 20
Cap. III. *De bonitate & malitia actuum humanorum.* ibid.
Art. I. *Quid requiratur, ut actus ſit bonus?* ibid.
Art. II. *Utrum actus internus ſumat bonitatem a fine extrinſeco, & circumſtantiis?* 23
Art. III. *Unde actus internus ſumat malitiam, & quid ad hoc requiratur?* 24
Art. IV. *Utrum idem actus voluntatis poſſit eſſe ſimul bonus & malus?* 25
Art. V. *Utrum dentur actus indifferentes in individuo, hoc eſt, qui neque boni, neque mali ſint, ſpectatis omnibus circumſtantiis, & præſertim fine?* 26
*Solvuntur objectiones.* 27
Art. VI. *Utrum actus externi habeant bonitatem vel malitiam objectivam?* 29
Art. VII. *Utrum actus internus augeat bonitatem, vel malitiam formalem actus interni?* ibid.


### TRACTATUS

De Conſcientia.


Cap. I. *DE Conſcientia vera ſeu recta, erronea, & perplexa.* 32
Cap. II. *De Conſcientia certa, & dubia.* 35
Nota *Diſſertatoria de Conſcientia certa, & dubia.* 36
Cap. III. *De Conſcientia ſcrupuloſa.* 40
Cap. IV. *De Conſcientia, & opinione probabili.* 41


### TRACTATUS

De Legibus.


Sect. I. *DE lege in communi.* 48
Sect. II. *De Lege Divina.* 50
Sect. III. *De Lege humana.* 53
Cap. I. *De cauſſa efficiente, & materia Legis humanæ.* ibid.
Cap. II. *De obligatione Legis humanæ.* 56
Cap. III. *De modo, quo obſervandæ ſunt Leges.* 62
Cap. IV. *De ſubjecto Legum.* 66
Cap. V. *De Interpretatione, & Epikiia.* 70
Cap. VI. *De Diſpenſatione.* 73
Cap. VII. *De Abrogatione & Ceſſatione Legis.* 78




UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CAP. VIII. *De Lege pœnali, & irritante.* 78
CAP. IX. *De Privilegio & Conſuetudine.* 83
Nota *Diſſertatoria: de Conſuetudine.* 85

APPENDIX.

*Ad uſum Miſſionariorum.* 92

TRATACTUS

De Peccatis.

CAP. I. *De Peccati natura, diviſione, diſtinctione, & gravitate.* 96
CAP. II. *De Peccato mortali, & veniali.* 103
CAP. III. *De Peccatis commiſſionis & omiſſionis.* 110
CAP. IV. *De Ignorantia, & ejus peccatis.* 112
CAP. V. *De Concupiſcentia, & peccatis infirmitatis, malitiæ, habitus.* 116
CAP. VI. *De Peccatis mere internis, quæ ſcilicet conſiſtunt in ſolis actibus internis, abſque ullo opere & ſigno externo.* 117
CAP. VII. *De Peccatis Capitalibus.* 123
ART. I. *De Superbia.* ibid.
ART. II. *De Avaritia.* 125
ART. III. *De Gula.* ibid.
ART. IV. *De Luxuria.* 127
ART. V. *De Ira.* 138
ART. VI. *De Invidia.* ibid.
ART. VII. *De Acedia.* 139





# TRACTATUS
## DE ACTIBUS HUMANIS. (1)

ACtus, qui ab homine fiunt, alii dicuntur actus hominis, alii actus naturales, & alii actus humani. Actus hominis dicuntur ii, qui procedunt ab homine, ſine deliberatione, advertentia, & libertate, ut motus indeliberati concupiſcentiæ ſeu motus primo primi. Actus naturales ſunt actus mere corporei, qui neceſſario fiunt, nec ad mores pertinent, ut reſpiratio, circulatio ſanguinis &c. (Vid. N. 88. 89. 90.)

Actus vero humani, de quibus hic agitur, dicuntur ii, qui fiunt ab homine humano modo agente, nempe libere & cum aliqua ad morem advertentia vel formali, vel virtuali: nam hic modus agendi eſt hominis proprius, nec brutis convenit. Proprie enim loquendo, ea omnis & ſola actio dicitur humana, quæ procedit ab homine, in quantum homo eſt, id eſt, in quantum differt ab aliis creaturis irrationalibus: ab his autem differt in quantum eſt dominus ſuorum actuum, ita ut poſſit illos pro arbitrio ponere vel non ponere ex electione. Ita docet S. Th. 1. 2. q. 1. ar. 1. *Actionum*, inquit, *quæ ab homine aguntur, illæ ſolæ proprie dicuntur humanæ, quæ ſunt propriæ hominis in quantum eſt homo: differt autem homo ab aliis irrationalibus creaturis in hoc, quod eſt ſuorum actuum dominus. Unde illæ ſolæ actiones vocantur proprie humanæ, quarum homo eſt dominus. Eſt autem homo dominus ſuorum actuum per rationem & voluntatem: unde & liberum arbitrium eſſe dicitur facultas voluntatis & rationis. Illæ ergo actiones proprie humanæ dicuntur, quæ ex voluntate deliberata procedunt.* (Vid. N. 91. & ſeq. uſque ad 98.)

Igitur actus humani ſunt actus ab homine libere facti cum advertentia ad regulam morum vel formali, vel virtuali, aut interpretativa, ſeu debita & poſſibili. Quare actus humanus idem eſt realiter, ac actus moralis, ſeu actus pertinens ad mores, (Vid. N. 252.)

(1) *Tractatus iſte, primitus a Cl. Auctore evulgatus pro Polemicæ magis, quam pro Moralis Theologiæ ſtudioſis, in tria ſuprema Capita fuit ab ipſo diviſus, ut patet inſpicienti. Horum Secundum Dogmatico-Scholaſticas materias complectitur, quibus aliqua ſaltem ex parte elucidandis inſerviunt dicta a nobis in Diſſert. Procem. Art. II. Sect. II. Primum ac Tertium quæſtiones quidem, ac præceptiones continent Moralis Facultatis proprias, ſed compendioſe admodum propoſitas. Quare uberius penitiuſque illas percipere cupientibus erit crebro recurrendum ad eamdem noſtram Diſſertationem, hanc præſertim ob finem elaboratam: quod quidem quando, & ubinam ipſos facere oporteat, ſuis locis nos attente indicabimus. Interim hic Lectores monemus ſemel pro ſemper, nos deinceps ſuppreſſo Diſſertationis nomine ſolos ut ajunt Numeros, ſive Paragraphos numeris Arabicis notatos & diſtinctos, unica littera majuſcula N citaturos: ne ſcilicet chartæ ſpatium, quod gravioribus animadverſionibus deſtinatum conſtrictius eſt, fruſtra impendamus.*



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

N. 252.) ideoque (Vid. N. 390. & ſeq.) laude vel vituperio dignus. Nam actus moralis eſt actus liber, bonus vel malus moraliter: omnis autem actus, qui ſit ab homine libere & cum advertentia ſupradicta, eſt bonus vel malus moraliter, cum nullus actus liber, in individuo ſpectatus, ſit indifferens (1).

## CAPUT PRIMUM

*De voluntario, & involuntario.*

### ARTICULUS I.

*Quid ſit voluntarium, & quotuplex?*

DIco 1. Voluntarium (2) proprie eſt id, quod ſit, vel quaſi ſit, ſeu omittitur a voluntate ex prævia cognitione intellectuali, ſupple vel actuali, vel virtuali, aut interpretativa, quæ ſcilicet potuit & debuit haberi. Unde duo ad voluntarium requiruntur. 1. Ut ſiat vel omittatur a voluntate ejus, reſpectu cujus dicitur voluntarium. 2. Ut ſiat vel omittatur ex prævia cognitione intellectuali eorum, quæ dicuntur voluntaria. Non tamen ad quodlibet voluntarium requiritur cognitio actualis. Nam ad voluntarium indirectum & interpretativum, quod eſt verum voluntarium in ordine ad mores, utpote imputabile ad culpam & pœnam, ſi ſit liberum, ſufficit cognitio virtualis, & interpretativa, hoc eſt, cognitio, quæ quidem non exiſtit, ſed quæ potuit & debuit haberi (3).

Porro voluntas definitur appetitus rationalis, ſive potentia volendi & nolendi ex prævia cognitione ſpirituali.

Aliquid autem fieri poteſt tripliciter (Vid. N. 98.) a voluntate. 1. Ut actus elicitus: ſic ſiunt a voluntate omnes actus ejus immediati, qui dicuntur eliciti, ut volitio, nolitio, amor, odium, &c. 2. Ut actus imperatus: hoc modo ſiunt a voluntate actus aliarum potentiarum ei ſubjectarum, quoties ſcilicet ex ejus imperio ſeu impulſu & applicatione agunt. Cum autem voluntas ſibi ipſi per unum actum poſſit imperare alium, idem actus voluntatis poteſt ſimul eſſe elicitus, quatenus nempe immediate ſiat a voluntate; & imperatus, quatenus ſit ex impulſu per alium priorem actum facto (4). 3. Aliquid ſit a voluntate ut effectus ſecutus ex aliquo actu voluntatis elicito vel imperato. Sic ſit a voluntate homicidium, quod ſequitur ex percuſſione imperata a voluntate.

Dico 2. Voluntarium multiplex eſt (5), nam dividitur: 1. In elicitum ſeu immediatum, & imperatum ſeu mediatum. (6)

2. In neceſſarium, quod ſcilicet ſit a voluntate ad unum antecedenter determinata, & in liberum, quod ſit a voluntate ſine antecedenti & intrinſeca ad unum determinatione. (7)

3. In perfectum, & imperfectum. Voluntarium perfectum eſt illud, quod eſt a voluntate cum perfecta cognitione, hoc eſt, cum cognitione, qua rationes boni & mali cognoſcuntur ſufficienter ad perfectum uſum libertatis, cognitione, inquam, quæ vel actu habeatur, vel haberi poſſit & debeat. Unde voluntarium perfectum eſt illud, quod eſt a voluntate cum ſufficienti uſu rationis & libertatis ad hoc, ut ad laudem vel vituperium, ad meritum vel demeritum imputentur, integre ſcilicet. Voluntarium vero imperfectum eſt illud, quod eſt a voluntate cum imperfecta tantum cognitione, hoc eſt, cum cogni-

(1) *Dum Auctor univerſim actus morales duplici dumtaxat bonorum & malorum claſſe concludit, non incaute, & Moralium omnium judicio certam proponit doctrinam, ſed adversum loquitur illorum tantummodo Theologorum, qui duce Angelico inficiantur individualem indifferentiam humanarum actionum. Qua de re redibit ſermo in tertio Capite.*

(2) *Vid. N. 121. 122. item 117. 118. ubi accurata analyſi oſtenditur, quaſnam partes tum intellectus, tum voluntas habeant in producendis actionibus vere moralibus.*

(3) *Vid. N. 207. 208. 209. Et hæc quidem vera ac ſolida doctrina, quæ cognitionem ad voluntarium ſufficientem declarat eſſe disjunctive, vel* actualem, *vel* virtualem *ſeu interpretativam, præ oculis conſtanter habenda, ne quis incaute contrarium errorem imbibat diſſeminatum in plurium Auctorum libris, qui nimia libertate de rebus moralibus ſcripſere poſtremis hiſce temporibus. Profecto ſi, ut ipſi volunt, actio mala non imputatur homini tanquam voluntaria, niſi in actu cognoſcat talem eſſe, aut ſaltem dubitet: jam præter ignorantiam* affectatam, *qua quis ſtudioſe vult neſcire, vix dabitur altera craſſa vel ſupina; qua quis ſolummodo negligit ſcire (N. 296. 297.) & ob quam in peccata prolabitur, etiam ubi nihil ei ſubolet, uti cum D. Auguſtino (N. 199.) docent omnes veri nominis Theologi. Sicque viri probi, ſemel ac ita ſunt animo comparati, ut caute cuſtodiant vias ſuas, nolintque unquam facere, quæ actu cognoſcunt aut dubitant eſſe mala, non deberent tantopere angi, ac Deum jugiter deprecari pro occultis ignorantiæ delictis. Quippe ſi inviti aliqua ignorant, nil ipſis deputabitur ad culpam, eſto prius neglexerint quærere, quæ ignorant: quidquid contra ſcripſerit Auguſtinus novæ hujus doctrinæ adhuc ignarus.*

(4) *De imperio voluntatis relate ſive ad ſeipſum, ſive ad quaslibet alias potentias, plurima reperies N. 101. & ſeq. usque ad 117. quæ niſi fuerint explorata, quomodo ſeipſum (juxta Sapientum monita) quis noſcet, etiamſi noverit quid toto ſiat in orbe?*

(5) *Univerſas voluntarii diviſiones ſex numero arbitramur N. 126. Brevi contextu unius ſermonis vere magiſtralis eas quaſi minio pinxit D. Bonav. N. 46.*

(6) *De hac diviſione voluntarii vid. N. 98. & 137.*

(7) *Vide diviſionem iſtam N. 136. Hinc vero clarius percipies, cur voluntarium ſeorſim a libero conſiderandum duxerimus, & notionem voluntarii, quæ cum notione liberi nil commune habet, tradiderimus N. 119. & ſeq. Si enim contingentis liberique lineamenta neceſſario apparere debent in deſcriptione voluntarii abſtracte, & univerſe ſpectati, quomodo ſubſiſtet præſens Theologorum Moralium diviſio, qua voluntarium diſſecatur in neceſſarium, & in* contingens, *tamquam in duo membra vere oppoſita?*



cognitione qua non cognoſcuntur, nec cognoſci poſſunt rationes boni & mali ſufficienter ad uſum perfectum rationis & libertatis. (1)

4. Involuntarium in ſe, & voluntarium in alio. Voluntarium in ſe eſt tum actus elicitus voluntatis, tum id quod immediate & ſecundum ſe intendit voluntas. Voluntarium in alio eſt illud, quod virtualiter ſeu moraliter continetur in alio immediate, & ſecundum ſe intento a voluntate, velut effectus in cauſſa. Sic, v. g. cum quis ob ſolam voluptatem nimium bibit, & nimium bibendo ſe inebriat, actus elicitus quo vult bibere, & ipſa actio bibendi ſunt voluntaria in ſe; ebrietas vero, quæ ex nimia potatione ſequitur, eſt tantum voluntaria in alio, nempe in ipſa nimia potatione; quia voluntas bibendi non fertur directe & immediate in ebrietatem, ſed in nimiam potationem, in qua virtualiter continetur ebrietas velut effectus in cauſſa. (2)

5. Denique in formale, & virtuale ac interpretativum. (3)

Voluntarium formale eſt illud quod eſt a voluntate poſitive volente & agente. Quod ſi voluntas poſitive vult illud immediate ac in ſe, eſt formale voluntarium in ſe; ſi vero voluntas poſitive illud intendit mediate tantum & in alio, eſt formale voluntarium in alio.

Voluntarium virtuale & interpretativum eſt illud, quod eſt a voluntate libere non volente & omittente agere, ac proinde virtualiter & interpretative nolente agere. Sic ſi quis libere non velit facere eleemoſynam, nec faciat, unde alii merito ſcandalizentur: libera omiſſio poſitivæ volitionis faciendi eleemoſynam, & libera omiſſio dationis ſunt ei virtualiter & interpretative voluntariæ in ſe: ſcandalum vero ex illa omiſſione ſecutum, quod prævisum eſt vel prævideri potuit, eſt ei virtualiter & interpretative voluntarium in alio, nempe in libera omiſſione eleemoſynæ.

*Nota*. Ut aliquid ſit voluntarium in alio, duo requiruntur; nempe, 1. Ut ſit aliquo modo ſaltem confuſe cognitum, ut ſecuturum ex alio, quocum connexionem habet, vel quod eſt immediate ac in ſe volitum: vel ut ſic cognoſci potuerit ac debuerit, hoc enim ſufficit: nam tunc perinde ſe habet in ordine ad imputabilitatem, licet fortaſſe non tantam, ac ſi re ipſa actu cognoſceretur. 2. Ut ſit vel per ſe connexum cum illo alio directe & immediate volito: eſt autem per ſe connexum cum illo alio, ſi ponitur ipſa hoc ipſo, quod illud aliud ponitur; ſic ebrietas cum nimia potatione connexa eſt. Vel ſi ſit tantum per accidens cum illo alio connexum, ita ut vi illius non ſequatur, ſed propter alia adjuncta, requiritur in voluntate obligatio illud impediendi, & ad illud impediendum abſtinendi ab actione; nam alioqui non cenſetur voluntarium. (4)

### ARTICULUS II.

*Quid & quotuplex involuntarium.*

DIco. Involuntarium proprie eſt illud quod eſt contra actualem inclinationem voluntatis; ita ut ſit aliquo actu voluntatis nolitum. (5)

Duplex eſt autem (6): nempe involuntarium ſimpliciter, & involuntarium ſecundum quid. Involuntarium ſimpliciter eſt illud, quod eſt contra inclinationem voluntatis, quantum eſt ex ſe, efficacem ad illud impediendum, ut mors, quæ homini plane invito & pro viribus reluctanti infertur: item motus concupiſcentiæ, qui voluntate toto affectu renitente inſurgit.

Involuntarium ſecundum quid eſt illud, quod diſplicet quidem ſecundum aliquam conſiderationem, ſed magis & efficaciter placet ſecundum aliam: unde eſt aliquo actu inefficaci nolitum, & ſimul alio actu efficaciter volitum. Sic cum viator metu mortis dat latroni crumenam, quam retinere vellet, datio illa eſt ſecundum quid involuntaria, nam ſecundum ſe diſplicet; ſed ſpectata ut neceſſaria ad vitam ſervandam, magis & efficaciter placet; unde ſub hac conſideratione re ipſa acceptatur, & adhibetur ut medium ad hunc finem neceſſarium.

Hinc involuntarium ſecundum quid non eſt involuntarium niſi cum addito diminuente, immo deſtruente rationem involuntarii: nam eſt ſimpliciter & abſolute voluntarium, cum voluntas illud efficaciter velit & agat. Quare melius vocatur voluntarium mixtum cum involuntario; quia voluntas illud vult, ſed cum aliqua repugnantia.

### ARTICULUS III. (7)

*Utrum ea quæ ſunt ex metu, ſint voluntaria?*

NOta (Vid. N. 180.) Fieri aliquid ex metu non idem eſt ac fieri cum metu. Nam aliquid ſit ex

(1) *Vid. N. 138. de hac diviſione: nec prætermitte animadverſionem N. 95. quæ huc pariter collimat.*

(2) *Ejuſmodi diviſio occurrit N. 139. 140. aliis tamen vocibus expreſſa juxta Doctorem Angelicum.* Voluntarium *in* alio, *ſive (ut nos dicimus)* ſecundum ſuam cauſſam, *&* virtuale, *quod in ſecundo illius membro ponitur, conditiones aliquas requirit, de quibus Auctor in nota, ſeu paragrapho ultimo præſentis Articuli: nos vero N. 143.*

(3) *Quod in hac poſtrema diviſione ab Auctore dicitur voluntarium* formale, *&* virtuale *ſive* interpretativum, *nobis Angelici ſermonem ſectantibus eſt* directum *&* indirectum, *de quo N. 141. 142.*

(4) *De tempore, quo effectus malus imputatur homini tamquam* virtualiter, *aut* indirecte *voluntarius, quæſtionem movent Scholaſtici, quam Auctor hic prætermittit; nos autem paucis expedivimus N. 144. 145.*

(5) Involuntarii, *prout hoc loco ſolet ab Ethicis conſiderari, ideam ingerunt, quæ diximus N. 171. 172. 177. atque hinc etiam ſingulas ejuſdem involuntarii cauſſas deprehendere licet.*

(6) *Vid. N. 173. & ſeq. tres alios, ubi declaratur hæc involuntarii diviſio, ſcitu perquam utilis.*

(7) *Cum univerſim quatuor impedimenta voluntarii, ſive cauſſa involuntarii recenſeantur, nimirum* violentia, metus, ignorantia, concupiſcentia, *Auctor hoc loco non niſi de metu, & concupiſcentia diſſerit, & quidem ſtrictim: ignorantiam infra (Tract. de peccatis c. 4.) accuratius expendit: de violentia ſeu vi nuſquam, quantum ſcio, ſpeciatim agit. Quare, quæ ad hanc poſtremam pertinent, ſumantur ex N. 178. 179.*



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

ex metu, quando metus eſt cauſſa illud faciendi. Sic datio crumenæ facta latroni ad mortem vitandam fit ex metu: nam mortis metus viatorem movet ad dandam crumenam, & ſic eſt cauſſa dationis crumenæ. Aliquid fit cum metu tantum, quando metus non eſt cauſſa actionis, nec ad illam movet, ſed ſolum eam comitatur. Clare autem patet, ea quæ fiunt dumtaxat cum metu, voluntaria eſſe. Sic latro cum furatur timens ne deprehendatur, agit cum metu, non ex metu; quia non metus, ſed divitiarum cupiditas eum ad furandum movet: quod furtum eſt ei maxime voluntarium.

Dico 1. Ea quæ fiunt ex metu, ſunt abſolute ſimpliciter voluntaria. (Vid. N. 181. 182.)

*Prob.* Illud eſt ſimpliciter voluntarium, quod eſt a voluntate agente ex perfecta cognitione; ſed quod fit ex metu, eſt a voluntate agente ex perfecta cognitione: ergo eſt ſimpliciter voluntarium.

Dico 2. Ea quæ fiunt ex metu, aliquando ſunt involuntaria ſecundum quid, aliquando non.

*Prob.* Quæ fiunt ex metu, aliquando fiunt cum aliqua repugnantia; aliquando non: nam aliquando fiunt contra aliquem affectum voluntatis, aliquando non. Atqui quando fiunt cum repugnantia, ſunt involuntaria ſecundum quid: quando vero fiunt abſque omni repugnantia, nullo modo ſunt involuntaria. Ergo &c. (1)

ARTICULUS IV.

*Utrum ea quæ fiunt ex concupiſcentia, ſint voluntaria.*

NOta (Vid. N. 226.) Concupiſcentia hic ſumitur pro quolibet motu appetitus ſenſitivi in bonum ſenſibile. Alia eſt antecedens, alia conſequens (Vid. N. 227.) Concupiſcentia antecedens eſt ea, quæ a voluntate non imperatur, ſed ab objecto ſenſibili excitatur, voluntate nil plane conferente. Conſequens eſt ea, quæ a voluntate imperatur ſeu excitatur. Unde patet ea eſſe voluntaria, quæ fiunt ex concupiſcentia conſequente.

Dico 1. Quæ fiunt ex concupiſcentia antecedente (Vid. N. 229. 230.) & a fortiori conſequente (Vid. N. 238.) ſunt voluntaria.

*Prob.* Illud eſt voluntarium, quod fit a voluntate ex prævia cognitione intellectuali. Sed quod fit ex concupiſcentia etiam antecedente, fit a voluntate, ex prævia cognitione intellectuali: nam intellectus apprehendit bonum ſenſibile, a quo eſt commotio ſenſus interni; illudque ut bonum ſenſibile voluntati proponit. Ergo.

Dico 2. Concupiſcentia etiam antecedens non minuit voluntarium.

*Prob.* Nihil poteſt immminuere voluntarium, niſi vel ex parte intellectus, vel ex parte voluntatis. Sed concupiſcentia non minuit voluntarium, 1. ex parte intellectus; nam concupiſcentia non impedit claram perceptionem intellectus circa objectum ſenſibile. 2. Non etiam minuit ex parte voluntatis, ſiquidem inclinat voluntatem ad volendum: unde voluntas agens ex concupiſcentia, ardentius fertur in objectum ſenſibile.

Immo concupiſcentia etiam antecedens auget voluntarium. Nam quod fit ex illa, fit cum majore inclinatione voluntatis, & ex clariore apprehenſione ac propenſione objecti ſaltem ut boni ſenſibilis.

*Obj.* Concupiſcentia antecedens tollit aut minuit liberum: ergo & voluntarium.

*Reſp.* 1. Concupiſcentia antecedens ſolum tollit liberum, quando ita vehemens eſt, ut totaliter auferat uſum rationis (Vid. N. 235. 236.), ita ut intellectus nequeat conſiderare rationes boni & mali. Quando autem concupiſcentia antecedens non eſt adeo vehemens, minuit dumtaxat liberum (Vid. N. 233. 234.); quia minuit cognitionem requiſitam ad libertatem, nempe conſiderationem finis & eorum quæ ſunt ad finem.

*Reſp.* 2. (Vid. N. 237.) Nego conſeq. Quia voluntarium ſtricte ſumptum differt a libero & poteſt eſſe

(1) *Aſſertio noſtra (N. 183.) quæ videtur abſolute indicare, involuntarium ſecundum quid cenſendum eſſe, quidquid ex metu gravi peragitur, re ipſa non diſcrepat ab hac 2. theſi Auctoris ſtatuentis, nunc eſſe, nunc non eſſe eo modo involuntarias actiones metus cauſſa productas. In primis namque diximus ibidem,* plerumque *diminui voluntarii rationem, adeoque non* ſemper. *Dein motivum hujuſce diminutionis derivavimus ex primaria, & habituali voluntatis* inclinatione, *cui adverſari contingit actiones ex metu factas, unde quotieſcunque actiones ejuſmodi ſunt juxta eamdem inclinationem, ex noſtra doctrina pariter ſequitur, ipſas non eſſe involuntarias ſecundum quid. Sicut e converſo ob illud ipſum motivum faſſi ſumus (N. 231.) involuntaria ſecundum quid evadere poſſe, quæ fiunt ex concupiſcentia antecedente, tametſi hæc ſoleat plerumque augere voluntarium. Itaque ex. ca. ſiquis puellam conſtcere cupiens, indole ac voluntate fallaciſſimam, quam tamen falſo putat æmulam caſtæ Lucretiæ, minas terroreſque adhibeat; quidquid exinde eveniet, non erit puellæ involuntarium neque ſecundum quid, quoniam hæc nil avidius excipit, quam terrificam illam aggreſſionem. Rebus ſic explicatis patet, nil roboris decedere argumento, quod nos retulimus (n. 284. & ſeq. tribus) ex ore graviſſimorum Doctorum, Ethicam de metu doctrinam aſſumentium ad demonſtrandam ſterilitatem pœnitentialis doloris ex ſola gehennæ apprehenſione concepti a peccatore vitiorum laqueis conſtricto. Enimvero ſpectata hujus peccatoris habituali ad malum propenſione, palam eſt, ejuſdem genio contrarium eſſe dolorem de peccatis, quem purus putuſque gehennæ pavor elicit e petra cordis ejus; proindeque in tali caſu locum habere doctrinam ſuperius ſtatutam, quod nempe actiones ex metu factæ ſint involuntariæ ſecundum quid, quotieſcunque adverſantur inclinationi ac genio agentis. Immo, (ut perſpecte notavit ad mentem Scoti, aliorumque ejus Interpretum P. Franc. Hennus, ſolidæ ſimul, ac placidæ doctrinæ Theologus) ſi* involuntarium *ſumatur, quatenus* lubentiæ *ſeu* voluntario lubenti *opponitur, quemadmodum hactenus illud ſumpſimus more ſat vulgato; tum preſſe loquendo dicendus eſt metus inducere involuntarium* ſimpliciter, *quoties perurget hominem ad ea facienda, quæ minime conformia ſunt inclinationi ipſius primariæ, ſive* abſolute voluntati, *ut loquitur Innocentius III. Papa N. 175.*



eſſe neceſſarium, & re vera eſt in amore beatifico, qui eſt maxime voluntarius & ſimul neceſſarius. (1)

CAPUT II.

*De libero ſeu de libertate.* (2)

*In qua conſiſtat eſſentia liberi arbitrii, ſeu libertas ſtricte ſumpta.*

§. I. *Prænotanda.*

I. LIberum, voluntarium, & ſpontaneum licet aliquando confundantur, tamen ſi ſtricte ſumantur, inter ſe differunt. Nam ſpontaneum ſtricte eſt id, quod eſt a principio intrinſeco juxta inclinationem agentis cum cognitione materiali ſeu pure ſenſitiva: ac proinde ſolis brutis convenit. Si minus ſtricte ſumatur, præſcindit a cognitione ſpirituali & materiali, & tunc convenit hominibus ac brutis; nam eſt id quod eſt a principio intrinſeco cum aliqua cognitione ſive ſpirituali, ſive materiali.

Liberum eſt id, quod eſt a principio intrinſeco, ſeipſum per electionem determinante, & valente non agere. Unde liberum minus late patet quam voluntarium. Nam omne liberum eſt voluntarium, quia omne liberum eſt a voluntate agente ex prævia cognitione ſpirituali: at non omne voluntarium eſt liberum, quia non omne voluntarium eſt a voluntate, ſe ipſam per electionem determinante, & valente non agere. Sic amor beatificus eſt maxime voluntarius, quatenus a Beatis maxima cum inclinatione voluntatis elicitur ex prævia cognitione ſpirituali: ſed ſimul eſt neceſſarius, quatenus eorum voluntas ex viſione beatifica ſummi boni clare cogniti omni ex parte ſumme amabilis determinatur neceſſario ad amorem Dei eliciendum, ita ut ab illo amore nequeat abſtinere. Igitur liberum ſuperaddit voluntario immunitatem ab omni neceſſitate antecedente intrinſeca, ſeu potentiam ſe determinandi per electionem ad utrumlibet ex oppoſitis; ideoque potentiam omittendi id quod fit, & potentiam agendi id quod omittitur.

Porro morale dicitur illud, quod eſt conforme vel difforme regulæ morum, vel quod conſideratur relate ad regulam eorum: ſive quod eſt laude vel vituperio dignum. Naturale vero dicitur id, quod eſt a principio intrinſeco ſine cognitione.

II. Neceſſarium, violentum, & coactum licet ſæpe confundantur, tamen ſtricte & proprie ſumpta differunt inter ſe. Nam neceſſarium eſt id, quod eſt a principio ſive intrinſeco, ſive extrinſeco ad unum determinante. Violentum proprie eſt illud, quod eſt a principio extrinſeco contra inclinationem patientis, carentis omni cognitione, ut aſcenſus lapidis: unde ſoli naturali directe opponitur, ſæpe tamen pro coacto ſumitur. Coactum dicitur illud, quod eſt a principio extrinſeco contra inclinationem patientis cognoſcitivi. Quare coactio eſt motus ab extrinſeco procedens contra inclinationem patientis, ſive eſt vis illata ab agente extrinſeco determinante ad unum contra inclinationem patientis cognoſcitivi. Violentia vero late ſumpta eſt vis illata ab agente extrinſeco ad unum determinante contra inclinationem patientis ſive cognoſcitivi, ſive non cognoſcitivi.

III. Libertas generatim idem eſt ac immunitas. Quare totuplex eſt libertas, quotuplex immunitas. Sextuplex autem aſſignatur immunitas, ſcilicet immunitas a ſervitute, ab impedimento, a miſeria, a peccato, a coactione, & a neceſſitate. Agitur hic ſolum de duobus ultimis, quæ dicuntur libertas naturæ, importans potentiam agendi.

IV. Neceſſitas eſt determinatio ad unum. Duplex eſt, nempe violenta, & non violenta. Neceſſitas violenta eſt determinatio ad unum cum violentia; brevius, eſt coactio. Neceſſitas non violenta eſt determinatio ad unum abſque violentia, & dicitur neceſſitas ſimplex. Neceſſitas autem ſimplex ſeu voluntaria, non violenta, duplex eſt, intrinſeca ſcilicet, & extrinſeca. Neceſſitas extrinſeca eſt determinatio ad unum orta a principio extrinſeco. Intrinſeca eſt determinatio ad unum orta a principio intrinſeco.

Neceſſitas intrinſeca ſubdividitur in antecedentem, & conſequentem. Neceſſitas antecedens intrinſeca, eſt intrinſeca ad unum determinatio antecedens omnem liberam voluntatis determinationem, & ab illa independens. Neceſſitas intrinſeca conſequens, eſt intrinſeca ad unum determinatio orta ex libera voluntatis electione.

Porro libertas a neceſſitate, de qua hic agitur, eſt libertas a neceſſitate ſimplici intrinſeca antecedente, quæ vocatur liberum arbitrium, libertas indifferentiæ, & indifferentia activa. Dicitur indifferentia, quia ſecundum ſe eſt expers determinationis ad unum: & activa, quia eſt potentia ſe ipſam determinandi.

V. Libertas a neceſſitate ſimplici ſeu libertas indifferentiæ activæ, quæ eſt libertas ſimpliciter & proprie dicta, definitur a S. Th. vis electiva, hoc eſt, potentia eligendi. Eligere autem eſt, unum e pluribus oppoſitis, quæ ſint in poteſtate eligentis, aſſumere ſeu ponere, altero recuſato. Unde libertas, ſeu vis electiva eſt potentia e pluribus oppoſitis, quæ ſint in poteſtate unum aſſumendi, alio recuſato.

Libertas proprie dicta recte etiam definitur, facultas ſuorum actuum domina, potentia ſuorum actuum per electionem determinativa, potentia completa & expedita ſe determinandi per electionem ad utrumlibet ex oppoſitis ſeu incompoſſibilibus, potentia agendi, & non agendi, poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis.

VI. Cum

(1) *Porro autem multa, eaque non infime frugi, quæ ſunt animadvertenda circa ambas concupiſcentiæ ſpecies, videri poſſunt N. 239. & ſeq. uſque ad finem illius §. IV.*

(2) *Nullas deinceps ad prolixum iſtud Caput apponemus notas, cum Dogmatico-Scholaſticas perſequatur doctrinas, quas diſſertare non pertinet ad Moralium Theologorum inſtitutum. Plura tamen in eo ſparſim contenta magis clareſcent legentibus noſtram Sectionem II.* de libero *Articuli III. N. 147. & ſeq. uſque ad 171. Hanc quippe duas ob cauſſas putavi adjiciendam tractationi* de voluntario. *1. quoniam materiam reſpicit valde gravem, nobiſque cunctis intimam, quam idcirco expediens eſt ut Moralis Facultatis ſtudioſi non ſolum teneant loco fundamenti a Dogmaticis jam prælati, ſed etiam mente propria utcumque exploratam habeant. 2. quia plurimum confert ad exactam intelligentiam multarum Propoſitionum, quas Apoſtolica Sedes in Novatoribus proſcripſit hac poſtrema ætate.*

VI. Cum libertas ſit completa & expedita potentia agendi & non agendi, ad libertatem requiritur duplex potentia, nempe potentia agendi, & potentia non agendi, vel ponendi aliud incompoſſibile; quamvis non requiratur potentia ponendi ſimul duo oppoſita, quod repugnat. Hinc ad libertatem dicitur requiri ſimultas poteſtatis, non autem poteſtas ſimultatis, id eſt, Poteſtas ponendi ſimul duo oppoſita. Per oppoſita intelliguntur incompoſſibilia, quæ ſcilicet non poſſunt ſimul poni.

VII. Libertas proprie dicta, ſeu libertas a neceſſitate ſimplici antecedente, dividitur in libertatem contradictionis, contrarietatis, & ſpecificationis. Libertas contradictionis, ſeu exercitii eſt potentia ſe determinandi per electionem ad utrumlibet ex duobus contradictoriis, qualia ſunt amor, & non amor. Libertas contrarietatis eſt potentia ſe determinandi per electionem ad utrumlibet ex duobus contrariis, qualia ſunt amor & odium. Libertas ſpecificationis eſt potentia ſe determinandi per electionem ad utrumlibet ex ſpecie diverſis incompoſſibilibus, qualia ſunt oratio & ſtudium. Libertas vero generice ſumpta, quæ in has tres ſpecies dividitur, eſt potentia ſe determinandi per electionem ad utrumlibet ex duobus oppoſitis ſeu incompoſſibilibus, quorum alia ſunt contradictoria, alia contraria, alia ſpecie tantum diverſa, unde oritur diviſio in tres ſupradictas ſpecies libertatis.

VIII. Duplex potentia, & impotentia diſtinguitur, nempe phyſica, & moralis. Potentia phyſica eſt facultas ſeu virtus agendi proportionata operi faciendo. Potentia moralis eſt facultas agendi, nullis gravibus difficultatibus implicata, quæ ab agendo avocent. Impotentia phyſica eſt carentia facultatis agendi. Impotentia moralis conſiſtit in maxima difficultate agendi vel omittendi.

IX. Bocerus, Bajus, Janſenius docuerunt ad eſſentiam liberi arbitrii ſufficere libertatem a coactione, quæ etiam libertas ſpontaneitatis & voluntarietatis dicitur, conſiſtitque in carentia abſolutæ & inevitabilis ad unum determinationis ab extrinſeco ortæ contra inclinationem voluntatis: e contra omnes Catholici contendunt ad liberum arbitrium eſſentialiter requiri libertatem ab omni neceſſitate ſimplici intrinſeca antecedente, etiam voluntaria ſeu non violenta. Cum quibus

§. II.

Dico. Eſſentia liberi arbitrii conſiſtit in potentia agendi vel non agendi, immuni ab omni neceſſitate ſimplici antecedente & intrinſeca. Unde ad liberum arbitrium non ſufficit libertas a coactione; ſed eſſentialiter requiritur libertas ab omni neceſſitate ſimplici antecedente & intrinſeca.

*Prob.* 1. Conſtitutionibus S. Pii V. & Gregorii XIII. ab Eccleſia Catholica receptis, quibus damnatæ ſunt hæ Baji propoſitiones, 39. *quod voluntarie fit, etiamſi neceſſario fiat, libere tamen fit*. 66. *ſola violentia repugnat libertati hominis naturali*.

*Prob.* 2. Ex Patribus. Pro omnibus ſint Gregor. Naz. in apolog. ubi ait; *arbitrii libertas parem in utramque partem motum habet*. S. Ambroſ. l. 2. de Fide, c. 4. *pro voluntatis arbitrio, non pro neceſſitatis obſequio*. Ubi liberum arbitrium opponitur neceſſitati. S. Auguſt. infra citand. & S. Damaſcenus, l. 2. orthod. Fidei c. 26. *arbitraria ac nobis libera ſunt quæ in utramque partem æque contingere poſſunt, velut moveri & non moveri, appetere & non appetere &c.* His adde S. Th. l. 1. contra Gentes c. 68. *dominium quod habet voluntas ſupra ſuos actus, per quod in ejus eſt poteſtate velle, vel non velle, excludit determinationem virtutis ad unum, & violentiam cauſſæ exterius agentis*.

*Prob.* 3. Ratione duplici. 1. Si quod datur liberum arbitrium, eſt illud, quod requiritur ad meritum & demeritum. Atqui liberum arbitrium requiſitum ad meritum & demeritum, eſt libertas ab omni neceſſitate ſimplici intrinſeca antecedente, ut fide conſtat, & mox oſtendetur. Ergo. 2. Liberum arbitrium ex S. Th. eſt vis electiva. Sed vis electiva, ſeu potentia ſe determinandi per electionem excludit omnem neceſſitatem intrinſecam antecedentem, ut ex communi hominum intelligentia conſtat, ſecundum quam non dicitur proprie eligi, niſi quod poteſt fieri & poteſt omitti. Ergo liberum arbitrium excludit omnem neceſſitatem &c.

*Confirm.* Ex eo, quod ante Boceri, Baji & Janſenii tempora, omnes omnino non ſolum Catholici, ſed etiam Hæretici, & Ethnici per liberum arbitrium intellexerunt libertatem ab omni neceſſitate ſimplici. Et vero omnes Hæretici, qui negarunt in homine liberum arbitrium, ideo negarunt, quia cum Catholicis per illud intelligebant facultatem agendi & non agendi abſque omni neceſſitate antecedente, etiam non violenta. Nam nemo, niſi prorſus inſaniat, negare ſerio poteſt contra evidentem rationem & experientiam, voluntatem eſſe liberam a coactione.

Præterea liberum arbitrium & voluntarium ſtricte differunt. Sed non differunt, niſi quod liberum ſuperaddat voluntario immunitatem ab omni neceſſitate ſimplici. Ergo.

§. III. *Solvuntur objectiones petitæ ab auctoritate*.

*Obj.* 1. S. Damaſcenus, l. 2. orthodoxæ Fidei multa docet, ex quibus colligitur ad eſſentiam liberi arbitrii ſufficere immunitatem a coactione. Nam

1. Cor. 22. dicit: *neque virtutis nomen obtinere poteſt, quod quis per vim atque invitus facit*.

*Reſp.* Ibi vim & invitum late ſumit, per vim intelligendo quamcumque neceſſitatem, & per vocem *invitus* intelligendo neceſſitatum quacunque neceſſitate. Unde non opponit libero ſolum coactum ſtricte dictum, ſed coactum late ſumptum, nempe pro neceſſitate quacunque, neceſſitate antecedente. Nam ibi loquitur de libertate arbitrii, quacum Adam conditus fuit, & quam proinde in ſtatu innocentiæ habuit: quæ ſane libertas erat immunis ab omni neceſſitate antecedente intrinſeca, etiam non violenta.

2. Ibidem docet hominem liberum eſſe eo quod rationalis eſt.

*Reſp.* Hoc dicit, quia libertas neceſſario ſupponit rationem, & radix libertatis reſidet in intellectu, & quia natura rationalis exigit libertatem naturalem.

3. Idem, c. 26. dicit id eſſe in noſtra poteſtate quod ultro & ſponte fit.

*Reſp.* Per to *ſponte* intelligit libere. Nam (ut ex c. 24. conſtat) ſpontaneum duplex admittit: unum imperfectum: quod nullam ſupponit deliberationem, nec proinde eſt ex electione: vocatur tamen ſpontaneum, quia voluntatem affert: & alterum perfectum, quod ſupponit deliberationem, & eſt ex electione,



ac proinde a principio ſe determinante per electionem, & conſequente quod eſt liberum libertate ab omni neceſſitate antecedente.

4. Cap. 27. dicit libertatem nil aliud eſſe quam voluntatem.

*Reſp.* Voluntatem ibi ſumit pro facultate agendi & non agendi, ſeu pro potentia ſui ipſius per electionem determinativa. Voluntas quippe apud Patres & Theologos ſumitur dupliciter: nempe prout natura eſt, ideoque eſt facultas ſui ipſius per electionem determinativa. Et ipſe S. Thomas voluntatis nomen in hoc duplici ſenſu accepit, nam, q. 2. de potentia, art. 3. ſic ait: *voluntas in quantum voluntas, cum ſit libera, ad utrumlibet ſe habet: poteſt enim voluntas agere vel non agere, ſic vel ſic non facere, velle & non velle. Et ſi reſpectu alicujus hoc voluntati non conveniat, hoc accidit voluntati, non in quantum voluntas eſt, ſed ex inclinatione naturali*, ideoque in quantum natura eſt.

Confirmantur hæ noſtræ reſponſiones ex eo, quod S. Damaſcenus doctrinam noſtram clare tradat in eodem libro objecto, nam poſtquam c. 25. probavit hominem habere in ſuo arbitrio & in ſua poteſtate actiones ſuas, explicat c. 26. quid ſit hominem habere aliquid in poteſtate & arbitrio ſuo. *In noſtra poteſtate*, inquit, *ſunt ea, quæ liberum eſt nobis vel facere vel non facere*. Et infra: *Proprie autem in noſtra poteſtate conſiſtunt omnia ea, de quibus deliberamus. Conſilium porro ac deliberatio de iis rebus ſuſcipitur, quæ peræque in utramque partem contingere poſſunt. Peræque autem contingens id eſt, quod & ipſum poſſumus & quod ipſi adverſatur. Hujus vero electio penes mentem noſtram eſt*.

*Obj.* S. Anſelmus, l. 2. *cur Deus homo*, c. 10. ſic ait, *improprie dicitur neceſſitas, ubi nec coactio ulla eſt, nec prohibitio*. Ergo ex S. Doctore neceſſitas ſimplex ſeu non violenta non eſt proprie neceſſitas, nec proinde tollit libertatem arbitrii.

*Reſp.* Nego conſeq. Quia per coactionem & prohibitionem intelligit omnem neceſſitatem antecedentem, ut patet ex lib. de concordia q. 1. ubi dicit actus imperatos voluntatis eſſe neceſſarios, quia voluntas cogit potentias, a quibus eliciuntur. Sane per to *cogere* intelligit neceſſitare neceſſitate non violenta. Præterea S. Anſelm. eadem qu. hæc ait: *poteſt* (voluntas) *non velle antequam velit, quia libera eſt, & cum vult, non poteſt non velle, ſed eam velle neceſſe eſt, quoniam impoſſibile illi eſt idipſum ſimul & velle & non velle. Opus vero voluntatis, cui datum eſt, ut, quod vult, fit, & quod non vult, non fit, voluntarium ſive ſpontaneum eſt, quoniam ſpontanea voluntate fit, & bifariam eſt neceſſarium, quia & voluntate cogitur fieri, & quod fit, non poteſt ſimul non fieri. Sed has neceſſitates facit voluntatis libertas, quæ prius quam ſint, eas cavere poteſt*.

*Inſt.* S. Anſelmus ibidem dicit Chriſtum viatorem, Angelos beatos, & Deum ipſum libere juſtos eſſe, quamvis peccare non poſſint.

*Reſp.* Dicit eos libere eſſe juſtos, quatenus, quamvis impeccabiles ſint, poſſunt hoc opus bonum in particulari facere vel non facere, & ex pluribus actibus bonis ſeorſum ſumptis poſſunt hoc vel illud eligere.

*Obj.* 3. S. Bernard. l. de gratia & libero arbitrio.

*Reſp.* S. Doctor eodem libro aperte nobiſcum ſentit. Nam poſtquam triplicem diſtinxit libertatem, ulmirum a peccato, a miſeria, & a neceſſitate, quam aſſerit eſſe libertatem arbitrii, hæc ſubjicit: *ſola remanſit ad pœnam libertas arbitrii, per quam utique cæteras amiſit, ipſam tamen amittere non potuit ... de tribus ergo libertatibus quas acceperat, abutendo illa, quæ dicitur arbitrii, reliquis ſe privavit*. Ergo ex S. Bernar. libertas, qua Adamus in ſtatu innocentiæ abuſus eſt, & qua abutendo ſe ipſum & poſteros ſuos privavit duabus libertatibus, nempe a peccato & a miſeria, eſt libertas arbitrii. Secundum autem omnes etiam hæreticos ejuſmodi libertas eſt libertas ab omni neceſſitate ſimplici.

Jam reſpondo ad ea, quæ ex S. Bernardo objiciuntur.

Cum de libertate loquens ait, *eſt enim habitus animi liber ſui, ſiquidem non cogitur, non extorquetur: eſt quippe voluntatis, non neceſſitatis*. Per has voces (*non cogitur, non extorquetur*) intelligit; non neceſſitatur ulla neceſſitate etiam non violenta. Nam etiam ſecundum communem loquendi modum, cum aliquid dicitur non cogi, non extorqueri, ſignificatur nulla neceſſitate fieri. Et quod hic ſit ejus ſenſus, patet etiam ex his verbis immediate præcedentibus verba objecta: *aliud eſt*, inquit, *voluntarius conſenſus, aliud naturalis appetitus ... hunc communem habentes cum beſtiis, conſenſus voluntarius nos diſcernit: eſt enim habitus animi liber ſui, &c.* Ergo ex S. Bernardo ſolus voluntarius conſenſus nos diſcernit a beſtiis per libertatem ſibi propriam, & quam non habet appetitus naturalis, ſeu ſenſitivus. Atqui libertas illa non eſt libertas a coactione, quam beſtiæ etiam habent; ergo eſt libertas a ſimplici neceſſitate.

Cum autem dicit voluntatem hoc ipſo, quod voluntas eſt, liberam eſſe libertate arbitrii; per voluntatem intelligit facultatem ſui ipſius determinativam per electionem, facultatem active indifferentem ad oppoſita.

*Nota*. Multi Patres, atque etiam Theologi, qui ante exortos Baji & Janſenii errores ſcripſere, has voces (*neceſſitatem & coactionem, voluntarium ac ſpontaneum & liberum, cogi, & neceſſitari, liberum & non coactum*) ſæpe confundunt, & pro eodem ſumunt; quia eas in ſenſu latiore & etiam vulgari ſumunt. Sed tunc per coactionem intelligunt quamcumque neceſſitatem etiam non violentam: per to *cogi* intelligunt neceſſitari ſive violente ſive non violente: per voluntarium & ſpontaneum intelligunt liberum, ſeu id quod eſt a voluntate ſui ipſius determinativa per electionem. Item per voluntatem intelligunt potentiam ſui ipſius determinativam per electionem, proindeque libertatem indifferentiæ. Unde has voces non acceperunt in ſignificatione ſtricta, quam nunc in ſcholis habent, ſed in ſignificatione latiori & quam etiam habent in uſu communi. Immo interdum ſumunt liberum late, nempe pro voluntario neceſſario. Quare voces illæ pro ſubjecta materia ad illorum mentem exponendæ ſunt. Nunc autem Theologi eaſdem voces accuratius diſtinxerunt, & ſtrictius ſumunt, ut recentiorum novatorum cavillationes confutent.

*Obj.* 4. S. Thom. variis in locis. Nam

1. q. 10. de potentia, art. 2. & 5. ſic ait. *Naturalis neceſſitas, ſecundum quam voluntas aliquid ex neceſſitate velle dicitur, ut felicitatem, libertati voluntatis non repugnat. Libertas enim voluntatis violentiæ vel coactioni opponitur*.

Reſp.

*Reſp.* S. Doctor hic loquitur de libertate ſpontaneitatis & late dicta, quæ eſt facultas agendi juxta inclinationem: non autem de libertate arbitrii & proprie dicta, quam clare multis locis docet eſſe immunem ab omni neceſſitate etiam non violenta. Nam, p. 1. qu. 9. art. 10. ait: *Liberum arbitrium habemus reſpectu eorum, quæ non neceſſario volumus: vel naturali inſtinctu. Non enim ad liberum arbitrium pertinet quod volumus eſſe felices, ſed ad naturalem inſtinctum. Unde & alia animalia, quæ naturali inſtinctu moventur ad aliquid, non dicuntur libero arbitrio moveri. Cum igitur Deus ex neceſſitate ſuam bonitatem velit, alia vero non ex neceſſitate, reſpectu illorum, quæ non ex neceſſitate vult, liberum arbitrium habet.*

2. S. Th. in 2. diſt. 25. qu. un. art. 4. ait: *Liberum arbitrium dicitur ex eo, quod cogi non poteſt.*

*Reſp.* Pro tô *cogi* intelligit neceſſitari quacunque neceſſitate antecedente intrinſeca tum voluntaria, tum involuntaria. Sic art. 2. dicit quod *intellectus demonſtrationis vi cogitur*. Et vero S. Doctor, 1. p. q. 83. ar. 4. ait: *Liberum arbitrium nihil aliud eſt quam vis electiva.* Et art. 3. *Proprium liberi arbitrii eſt electio. Ex hoc enim liberi arbitrii eſſe dicimur, quod unum poſſumus recipere, alio recuſato, quod eſt eligere.* Per verbum *recipere* intelligit aſſumere.

3. S. Th. eadem diſt. art. 1. ad 4. dicit: *Quædam ordinata ſunt ad finem ultimum beatitudinis, quæ ipſi fini conjunguntur, ut videre, amare, & hujuſmodi: & reſpectu horum erit* (in beatis) *ſempiterna & libera electio.*

*Reſp.* Solum vult, beatos ſemper habituros eſſe liberum arbitrium circa aliquos actus; quales ſunt actus viſionis & amoris circa multa objecta alia a Deo, quæ videndi & amandi nullam neceſſitatem habent. Et vero, l. 2. q. 13. art. 2. ſic ait: *Cum electio ſit præacceptio unius reſpectu alterius, neceſſe eſt quod electio ſit reſpectu plurium quæ eligi poſſunt, & ideo in his quæ ſunt penitus determinata ad unum, electio locum non habet.*

§. IV. *Solvuntur objectiones ex ratione petitæ.*

*Obj.* 1. Voluntarium omne quamvis neceſſarium, eſt liberum. Ergo ad eſſentiam liberi arbitrii non requiritur libertas ab omni neceſſitate ſimplici. *Nego antecedens. Probabis.* Illud eſt liberum, quod eſt in noſtra poteſtate. Sed omne voluntarium, etſi neceſſarium, eſt in noſtra poteſtate: ergo eſt liberum.

*Reſp.* 1. Nego min. Nam (ut lumine naturali conſtat) illud ſolum eſt in noſtra poteſtate, de quo poſſumus pro arbitrio diſponere: ac proinde illi ſoli actus ſunt in noſtra poteſtate, quos poſſumus pro arbitrio elicere vel non elicere.

*Reſp.* 2. Diſting. maj. Illud eſt liberum quod eſt in noſtra poteſtate electiva, ſeu active indifferente, *conc. maj.* In noſtra poteſtate non electiva, *nego maj.* Poteſtas electiva eſt potentia ſe determinandi per electionem: quæ potentia includit ſimul potentiam ponendi actum, & potentiam illum non ponendi. Poteſtas non electiva eſt potentia producendi actum antecedenter ad illum determinata, ideoque excludens potentiam illum omittendi.

*Inſt.* 1. Illud eſt liberum, quod fit cum volumus, quod non fit cum nolumus, nec fit niſi quia volumus: at quod eſt in noſtra poteſtate non electiva fit cum volumus, non fit cum nolumus, nec fit niſi quia volumus: ergo illud eſt liberum.

*Reſp.* Diſting. maj. Quod fit cum volumus ſine neceſſitate antecedente intrinſeca volendi, & non fit cum nolumus ſine antecedente neceſſitate non volendi, *con. maj.* Secus, *nego maj.*, & *diſtincta ſimiliter minore*, *nego conſeq.* Ut aliquid ſit liberum, non ſufficit, ut illud fiat cum volumus, nec fiat niſi quia volumus, nec fieret ſi nollemus; alioqui Deo amor beatificus eſſet proprie liber; ſed inſuper requiritur, ut habeamus potentiam illud non volendi cum volumus, & potentiam volendi cum nolumus.

*Inſt.* 2. Amor Dei beatificus eſt liber beatis, quia fit ex eo, quod voluntas velit amare: ergo: *Nego anteced. Probabis.* Si beatus non vellet amare Deum, revera non amaret: ergo Deum libere amat.

*Reſp.* Nego antec. Nam ex communi uſu ad veritatem hujus & cujuſvis ſimilis propoſitionis non ſufficit connexio conſequentis cum antecedente, ſed inſuper requiritur poſſibilitas antecedentis, alioqui propoſitio eſt falſa & nugatoria. Nam ejuſmodi propoſitiones juxta communem uſum enunciant non ſolum antecedentis cum conſequente connexionem, ſed etiam antecedentis poſſibilitatem: beatus autem non poteſt non velle Deum amare. Et vero eodem argumento probaretur beatum poſſe odiſſe Deum, & libere non odiſſe; ſi enim vellet Deum odiſſe, Deum odiſſet. Item probaretur Deum poſſe peccare, quia, ſi vellet peccare, re vera peccaret: ergo libere non peccat, ergo poteſt peccare.

*Inſt.* 3. Voluntas beati, Deum amando, ſeipſam movet; ergo amat ex propria determinatione.

*Reſp.* Nego anteced. Nam (ut docet S. Thomas) voluntas, proprie ac ſtricte loquendo, non movet ſeipſam, niſi cum eſt actus ſui domina; non eſt autem actus ſui domina, niſi cum poteſt pro arbitrio illum elicere vel omittere.

*Obj.* 2. Si libertas arbitrii conſiſteret in indifferentia agendi, habitus boni vel mali tollerent libertatem, nam tollunt indifferentiam. Falſum conſeq. Ergo.

*Reſp.* Diſting. maj. Si libertas arbitrii conſiſteret in indifferentia propenſionis, *conc. maj.* Si libertas conſiſtit in indifferentia activa, quæ eſt facultas ſe determinandi per electionem ad utrumlibet ex duobus oppoſitis, ut re ipſa conſiſtit, habitus tollerent libertatem, *neg. ſequel. maj.* Nam habitus ita voluntatem in alterutram partem impellunt, ut eam non neceſſitent, ſeu determinent ad unum.

*Nota.* Triplex diſtinguitur indifferentia; nimirum activa, paſſiva, & propenſionis. Indifferentia activa eſt facultas ſe determinandi per electionem ad utrumlibet ex duobus oppoſitis, ſeu incompoſſibilibus. Indifferentia paſſiva eſt capacitas recipiendi vel non recipiendi aliquid quod nondum habetur. Hæc duplex eſt; alia mere paſſiva, quæ eſt capacitas recipiendi vel non recipiendi aliquid neceſſario, non ex propria determinatione; & alia non mere paſſiva, quæ eſt capacitas recipiendi vel non recipiendi aliquid, ſed ex propria determinatione; ſic homo neque amans, neque odio habens Deum, eſt indifferens ad amandum vel odio habendum Deum, quia poteſt ex propria determinatione in ſe recipere amorem vel odium Dei. Quare indifferentia non mere paſſiva eſt indifferentia ſimul activa & paſſiva. Indifferentia propenſionis eſt æqualitas propenſionis ad plura; ut ſi quis



ſi quis æqualiter propendat ad amorem & odium: ſive conſiſtit in æquilibrio voluntatis non magis in unam partem quam in aliam propendentis; quia indifferentia non requiritur ad eſſentiam liberi arbitrii, ſed illi accidentalis eſt.

*Obj.* 3. Si eſſentia libertatis conſiſtit in immunitate ab omni neceſſitate ſimplici, tota eſſentia libertatis eſt in libertate contradictionis. Falſum conſeq. Ergo.

*Reſp.* Nego min. Revera tota eſſentia liberi arbitrii eſt in libertate contradictionis. Nam tota eſſentia liberi arbitrii conſiſtit in eo præciſe, quod ſit facultas eligendi hoc vel illud, aut neutrum volendi, quod ſit facultas agendi vel non agendi, quod ſit facultas, quæ poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, poteſt agere, & poteſt non agere.

Porro libertas contrarietatis includit libertatem contradictionis, & ei ſuperaddit potentiam faciendi actum poſitivum contrarium. Nam actus malus eſt tum negatio actus boni, tum actus poſitivus ei contrarius.

*Quæres, utrum potentia peccandi ſit de ratione liberi arbitrii?*

*Reſp.* Nego. *Prob.* 1. ex S. Auguſt. l. de correptione & gratia, c. 11. ubi ait: *Quid erit liberius libero arbitrio, quando non poterit ſervire peccato, quæ futura erat & homini, ſicut facta eſt & Angelis ſanctis, merces meriti ... Prima libertas voluntatis erat, poſſe non peccare: noviſſima erit multo major, non poſſe peccare.*

2. Ex aliis Patribus docentibus liberum arbitrium eſſe eximiam illam perfectionem, ſecundum quam homo ad imaginem Dei conditus eſt. Sed homo non eſt ſecundum potentiam peccandi conditus ad imaginem Dei. Ergo.

3. Quia Deus habet totam eſſentiam liberi arbitrii, cum liberum arbitrium perfectiſſimum habeat, & tamen peccandi poteſtate caret.

4. Quia tota eſſentia liberi arbitrii conſiſtit in completa & expedita facultate agendi & non agendi.

*Obj.* 1. Patres aliquando deſcribunt liberum arbitrium per indifferentiam activam ad bonum vel malum.

*Reſp.* Tunc liberum arbitrium deſcribunt, non per id quod ei eſſentiale eſt, ſed per merum ſtatum ei accidentarium, quem habet in hominibus viatoribus.

*Obj.* 2. Potentia peccandi eſt aliqua perfectio, nam eſt aliqua virtus.

*Reſp.* Nego. Itaque potentia peccandi neque eſt perfectio, neque virtus aliqua; ſed eſt ſolum defectibilitas alicujus virtutis, nempe liberi arbitrii, ejus perfectioni eſſentiali accidentalis. Quæ quidem defectibilitas eſt aliquid pure negativum: unde ea poſita vel ſublata, liberum arbitrium ſemper manet idem quoad totum poſitivum quo conſtituitur; nec augetur, aut minuitur ſecundum ſuum conſtitutivum eſſentiale. Igitur potentia peccandi non competit libero arbitrio, niſi accidentaliter ratione ſtatus contingentis, quem habet in puris viatoribus.

Poteſt etiam dici potentia peccandi eſſe virtus aliqua, non præciſe ſumpta, ſed quatenus defectibilis, nempe liberum arbitrium quatenus defectibile: unde ſupra liberum arbitrium dicit aliquid mere negativum.

ARTICULUS II.

*Utrum ad merendum & demerendum in præſenti ſtatu requiratur libertas ab omni neceſſitate ſimplici?*

NOta. Libertas a coactione eſt immunitas a violentia extrinſecus illata: ſive eſt potentia agendi ſecundum propriam inclinationem. Coactio autem eſt determinatio ad unum, orta a principio intrinſeco contra inclinationem coacti.

§. I.

Dico. Ad merendum & demerendum in præſenti ſtatu naturæ lapſæ non ſufficit libertas a coactione, ſed requiritur libertas ab omni neceſſitate intrinſeca antecedente, etiam voluntaria & variabili. Eſt de fide contra Janſenium & ejus Sectatores.

*Prob.* 1. Ex Script. Eccl. c. 31. *Beatus ... qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus: facere mala, & non fecit: ideo ſtabilita ſunt bona illius in Domino, &c.* Ergo laudabilitas & ratio meriti repetitur ex eo quod quis non violet mandata cum poſſit violare, ideoque quod mandata ſervet ſine ulla neceſſitate antecedenti.

*Prob.* 2. Ex tertia Janſenii propoſitione damnata ab Eccleſia ut hæretica, quæ ſic habet: *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas a neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coactione.* Ergo noſtra aſſertio huic propoſitioni in ſenſu doctrinæ Janſenii, in quo damnata eſt, contradictoria, eſt de fide. Adde quod Pius V. & Gregorius XIII. & Urbanus VIII. hanc Baji propoſitionem damnarunt: *Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod neceſſario facit.*

*Prob.* 3. Ex Patribus. Pro omnibus ſint 1. S. Irænæus, l. 4. contra hæreſes, c. 71. *Dedit Deus bonum ... & qui operantur quidem illud, gloriam & honorem percipient, quoniam operati ſunt bonum, cum poſſint non operari illud. Hi autem qui illud non operantur, judicium juſtum recipient Dei, quoniam non ſunt operati bonum, cum poſſent operari illud.*

2. S. Juſtinus in apologia ad Senatum. *Nihil eſſet in illis laude dignum, niſi facultatem haberent, qua ſe in utramque partem converterent.*

3. Clemens Alexandrinus, l. 1. Stromatum. *Quoniam libera ei electio peccata primum inchoat, ſunt infliguntur ſupplicia.*

4. S. Chryſoſtomus, Homil. 22. in Geneſ. *Nonne manifeſtum eſt, ſua quemvis voluntate vel malitiam vel virtutem eligere? Nam niſi ita eſſet, & naturæ noſtræ poteſtas inſita eſſet, neque illos puniri, neque hos virtutum retributionem accipere oportebat. Verum quia in noſtra voluntate totum poſt gratiam Dei relictum eſt, ideo & peccantibus ſupplicia propoſita ſunt, & bene operantibus retributiones.*

5. S. Hieronymus, l. 2. contra Jovinianum. *Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutem nec ad vitia neceſſitate trahimur, alioquin ubi neceſſitas eſt, nec damnatio, nec corona eſt.*

6. S. Damaſcenus, l. 2. de Fide c. 26. *In nobis ſunt ea, quarum liberam adepti poteſtatem ſumus & facere & non facere ... quæ ſequitur laus aut vituperatio.*

Patribus addo S. Thom. qui, q. 6. de malo, art. un. ſic ait; *Quidam poſuerunt, quod voluntas hominis*



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*minis ex neceſſitate movetur ad aliquid eligendum, nec tamen ponebant quod voluntas cogeretur; non enim omne neceſſarium eſt violentum, ſed ſolum id, cujus principium eſt extra... Hæc autem opinio eſt hæretica; tollit enim rationem meriti & demeriti in humanis actibus. Non enim videtur eſſe meritorium, vel demeritorium, quod aliquis ex neceſſitate agit, quod vitare non poſſit, &c.*

*Prob.* Denique ratione. 1. Pro merito. Ut actio ſit meritoria, debet eſſe noſtra, ſic ut illam dare poſſimus velut pretium pro præmio. Atqui ut actio ſit noſtra, & illam dare poſſimus velut pretium pro præmio, requiritur libertas ab omni neceſſitate ſimplici antecedente: nam ad hoc requiritur, ut actio ſit in dominio noſtro, ita ut poſſimus de illa pro arbitrio diſponere, & illam dare vel non dare pro arbitrio. Ergo ut actio ſit meritoria, requiritur libertas ab omni neceſſitate ſimplici.

2. Pro demerito. Omne demeritum eſt eſſentialiter peccatum imputabile, ad culpam ſcilicet & pœnam. Sed ad peccatum imputabile requiritur libertas a neceſſitate; ergo, & ad demeritum. *Prob. min.* Omne peccatum debet poſſe vitari: ergo ad peccatum imputabile requiritur libertas a neceſſitate. *Prob. ant.* Obligamur ad vitandum peccatum: Ergo peccatum poteſt vitari; alioquin obligaremur ad impoſſibile, nam obligaremur ad vitandum id quod non poſſet a nobis vitari. Nemo autem obligari poteſt ad impoſſibile, ut lumine naturali patet, & Deus impoſſibilia non jubet, ut docet Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 11.

*Confirmatur* ex communi omnium hominum, partium ſtudiis non excæcatorum, aſſenſu, & ſolo lumine naturali patet, neminem laudem ac præmium, vel vituperium & pœnam mereri, quod egerit id quod non potuit omittere, vel omiſerit id quod non potuit facere.

### §. II. *Solvuntur objectiones.*

*Obj.* 1. S. Th. in 3. diſt. 18. q. un. art. 3. ad 5. ait: *Vel dicendum, quod etiamſi* (liberum arbitrium Chriſti) *eſſet determinatum ad unum numero, ſicut ad diligendum Deum, quod non facere poteſt: tamen ex hoc non amittit libertatem, neque rationem laudis ſive meriti, quia in illud non coacte, ſed ſponte tendit: & ita eſt actus ſui dominus.* Ergo ex S. Th. ad meritum ſufficit libertas a coactione.

*Reſp.* Neg. conſeq. Quia ibi S. Doctor per voces (*non coacte, ſed ſponte*) intelligit non neceſſario quacumque neceſſitate, ſed libere libertate a quavis neceſſitate ſimplici, ut patet ex his verbis: *& ita eſt actus ſui dominus.* Nam ad dominium actuum requirit multis in locis libertatem a neceſſitate ſimplici, ut eodem art. in corp. ubi poſtquam dixit tria ad merendum requiri, ſic proſequitur: *ſecundum: ut ſit dominus ſuæ actionis... & ideo ea, quæ agunt per neceſſitatem naturæ, non merentur.* Item, 1. p. q. 82. art. 1. ad 3. ait: *ſumus domini noſtrorum actuum, ſecundum quod poſſumus hoc vel illud eligere. Electio autem non eſt de fine, ſed de his quæ ſunt ad finem. Unde appetitus ultimi finis non eſt de his, quorum domini ſumus.* Item 3. p. q. 18. art. 4. ad 3. *voluntas Chriſti licet ſit determinata ad bonum, non tamen eſt determinata ad hoc vel illud bonum. Et ideo pertinet ad Chriſtum eligere per liberum arbitrium.*

*Dices.* S. Th. 1. 2. q. 6. art. 2. ad 3. ſic ait: *laus & vituperium conſequuntur actum voluntarium ſecundum perfectam voluntarii rationem.*

*Reſp.* Nego conſeq. Quia ex S. Thoma voluntarium quod ſit ſecundum perfectam rationem voluntarii, eſt illud, quod fit a voluntate ſine antecedenti neceſſitate. Nam juxta illum voluntarium ſecundum perfectam rationem voluntarii eſt illud, quod fit ex prævia deliberatione; ſic enim eodem articulo ait: *perfectam cognitionem finis ſequitur voluntarium ſecundum rationem perfectam, prout ſcilicet appreheno fine, aliquis poteſt deliberans de fine, de his quæ ſunt ad finem, moveri in finem vel non moveri.* Sed ex S. Th. quod fit ex prævia deliberatione, fit ſine antecedenti neceſſitate etiam voluntaria, nam, ad 2. ita loquitur: *ex hoc contingit, quod homo eſt dominus ſui actus, quod habet deliberationem de ſuis actibus: ex hoc enim quod ratio deliberans ſe habet ad oppoſita, voluntas in utrumque poteſt.* Enimvero cum ratio deliberans ſe habet ad oppoſita, voluntas agens ex prævia deliberatione, agit cum activa indifferentia ad oppoſita, & ſic agit ſine ulla neceſſitate antecedenti.

*Obj.* 2. Qui agit voluntarie licet neceſſario, habet potentiam faciendi oppoſitum: nam voluntas eſt facultas volendi & nolendi, quæ ſemper remanet. Ergo.

*Reſp.* Diſting. antec. Habet potentiam faciendi oppoſitum ligatam & impeditam, *eſto.* Completam & expeditam, *neg. ant.* Ad meritum autem & demeritum requiritur potentia completa & expedita agendi id quod omittitur, & omittendi id quod fit. Sic militi ſano, ac robuſto, ſed manus pedeſque vinculis conſtricto imputari non poteſt ad culpam quod non pugnet, quia habet quidem potentiam pugnandi, ſed ligatam & impeditam.

Jam vero ſi (ut docet Janſenius) voluntas noſtra bonum & malum neceſſario agit prout determinatur a gratia vel a concupiſcentia intenſiore, certe cum vult bonum, non habet potentiam illud non volendi niſi ligatam per gratiam, ſiquidem ſtante majore gratiæ delectatione non poteſt non velle bonum. Similiter quando vult malum, etiamſi tunc habeat aliquam gratiam ad oppoſitum, ſed minus intenſam, non habet potentiam omittendi malum niſi ligatam & impeditam per majorem concupiſcentiæ delectationem neceſſitantem voluntatem ad malum. Ergo in ſyſtemate Janſenij voluntati neque actus bonus ad meritum, neque malus ad demeritum imputari poteſt.

*Inſt.* Voluntas etiam cum neceſſario agit, poneret oppoſitum, ſi vellet. Ergo ei imputari poteſt actus ejus bonus vel malus.

*Reſp.* Nego antecedens, quod falſum ſupponit; nam cum dicitur, voluntas poneret oppoſitum ſi vellet, ſupponitur ex communi hominum intelligentia quod poſſit velle oppoſitum. Sic dici non poteſt: Deus peccaret ſi vellet, quia Deus non habet peccandi potentiam, quum voluntas peccandi ſit peccatum. Voluntas autem non poteſt ſupponi poſſe velle oppoſitum illius, quod neceſſario vult.

*Obj.* Belluæ pœna & præmio afficiuntur, tamen non habent libertatem a neceſſitate ſimplici. Ergo hæc libertas non requiritur ad merendum & demerendum.

*Reſp.* Nego 1. partem antecedentis. Nam belluæ proprie loquendo, nec pœna, nec præmio afficiuntur; ſed bonis vel malis quibuſdam afficiuntur, ut ad aliquas actiones alliciantur, vel ab iis deterreantur.



Dolores autem belluarum non ſunt pœnæ proprie dictæ, ſed dumtaxat mala ipſis connaturalia; pœna enim proprie dicta eſt malum ſeu incommodum aliquod naturæ vel voluntati contrarium ad culpam aliquam vindicandam inflictum. Neque canes proprie loquendo fuſte percutiuntur ob carnem comeſtam, niſi ut abſterreantur a comedenda in poſterum, alioqui irrationabiliter percuterentur.

*Obj.* 4. Ad meritum & demeritum requiritur quidem libertas a neceſſitate etiam voluntaria, ſed abſoluta & invariabili, non autem a neceſſitate relativa & variabili, quæ nempe modo ad bonum, modo ad malum fit, prout motus indeliberatus gratiæ vel concupiſcentiæ intenſior eſt.

*Reſp.* Nego. Et dico eſſe de fide requiri libertatem ab omni neceſſitate etiam voluntaria tum abſoluta & invariabili, tum etiam relativa & variabili. Nam 1. Scriptura & Patres ad meritum & demeritum exigunt immunitatem a qualibet neceſſitate etiam voluntaria ſine ulla reſtrictione, & completam ac expeditam potentiam agendi id quod omittitur, & omittendi id quod fit. 2. Tertia propoſitio Janſenii damnata eſt ab Eccleſia ut hæretica in ſenſu doctrinæ Libri Janſenii, ut conſtat ex Bullis Alexandri VII. & Clementis XI. ab Eccleſia receptis. Senſus autem hujus propoſitionis Janſenii (*ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas a neceſſitate*) eſt quod non requiratur libertas a neceſſitate relativa & variabili voluntaria, ut patet cuilibet librum Janſenii legenti; & ipſe Janſenius admittit in præſenti ſtatu naturæ lapſæ immunitatem a neceſſitate abſoluta & invariabili, nam diſerte docet eumdem hominem modo ad bonum a gratia intenſiore, modo ad malum a concupiſcentia intenſiore phyſice determinari. 3. Omnia argumenta allata militant pro libertate a qualibet neceſſitate etiam voluntaria tam relativa & variabili, quam abſoluta & invariabili. Nam utraque neceſſitas tam inſuperabilis eſt, & æque tollit potentiam ad oppoſitum eo inſtanti quo fit bonum vel malum.

*Obj.* 5. Licet homo neceſſitetur a concupiſcentia, tamen vere imputabiliter peccat, quia id quod fit a concupiſcentia neceſſitante eſt ſufficienter liberum in peccato Adami.

*Reſp.* Nego. Quia 1. Alexander VIII. damnavit hanc propoſitionem: *in ſtatu naturæ lapſæ ad peccatum mortale & demeritum ſufficit illa libertas, qua voluntarium fuit in cauſſa ſua, peccato originali & voluntate Adami peccantis.* 2. Quia peccata perſonalia debent procedere a libertate propria voluntatis, quæ ſit phyſice noſtra. Nam cum omne peccatum ſit eſſentialiter liberum, peccatum perſonale eſt eſſentialiter liberum libertate perſonali. 3. Quia ſi ea quæ contra legem fiunt, non ſunt libera niſi libertate peccati originalis, ſublato peccato originali jam non ſunt libera, nec proinde peccata imputabilia. Unde baptizati jam non poſſunt peccare imputabiliter.

## ARTICULUS III.

### *Utrum homo in ſtatu naturæ lapſæ habeat libertatem ab omni neceſſitate ſimplici intrinſeca?*

### §. I.

OLim Manichæi negarunt, & nunc Lutherani & Calviniſtæ negant ineſſe homini in præſenti ſtatu liberum arbitrium ſeu libertatem ab omni neceſſitate intrinſeca antecedente, quamvis in eo admittant libertatem a coactione. Idem docet Janſenius in ſuo opere, quod inſcribitur *Auguſtinus*, ab Eccleſia damnato, ex quo quinque famoſæ hæreſes quoad ſenſum excerptæ ſunt, ut videre eſt to. 2. l. 6. de gratia, c. 6. & to. 3. l. 6. c. 38. & alibi. Idem etiam nunc docent Janſeniſtæ, qui idem quoad hoc cum Luthero & Calvino ſentientes, ut errorem ſuum a Concil. Trident. jam damnatum occultent, dicunt dari etiam in hoc ſtatu naturæ lapſæ liberum arbitrium, per illud intelligentes ſolam libertatem a coactione vel neceſſitate invariabili. Sed pertinaciter negant nunc homini ineſſe libertatem ab omni neceſſitate antecedente intrinſeca voluntaria etiam relativa & variabili, quam aſſerunt amiſſam eſſe per Adami peccatum quoad actus virtutis & vitii. Hinc quod a nobis fit ſive bonum ſive malum, cenſent fieri ex neceſſitate intrinſeca, antecedente, inſuperabili; quia gratiæ delectatio major ſeu intenſior voluntatem ad bonum, concupiſcentiæ vero delectatio major ad malum inſuperabiliter determinat.

Equidem eorum plerique jam non ita dure loquuntur, licet non minus hæretice ſentiant; ſed ſuam hæreſim, mutatis antiquis liberi arbitrii notionibus & uſitatis vocum ſignificationibus, ſub verbis in ſpeciem Catholicis velant. Quare ut ſimpliciores decipiant, ac fucum faciant, admittunt nomen indifferentiæ ad bonum & malum, ſed per illud intelligunt indifferentiam paſſivam, quæ juxta illos eſt capacitas quam habet voluntas, ut a gratia intenſiore ad bonum, vel a motu concupiſcentiæ intenſiore ad malum inſuperabiliter determinetur. Quin etiam quidam eorum hanc indifferentiam vocant activam, quia voluntas licet antecedenter & inſuperabiliter determinata a gratia vel a concupiſcentia, vere agit, quamvis non ex propria determinatione & electione, & in hoc ſenſu dicunt ſe admittere libertatem indifferentiæ activæ.

Sed omnes illi Novatores conſtanter negant voluntatem noſtram immunem eſſe ab omni neceſſitate intrinſeca antecedente etiam voluntaria, & variabili, hoc eſt, quæ modo eſt ad bonum, modo ad malum, prout gratiæ vel concupiſcentiæ motus eſt intenſior; ſed volunt voluntatem noſtram ſemper neceſſario agere id quod agit.

### §. II.

Dico. Ineſt homini etiam in præſenti ſtatu naturæ lapſæ libertas a qualibet neceſſitate intrinſeca antecedente, etiam voluntaria & variabili ad bonum & peccatum. Eſt de fide.

*Prob.* 1. Ex Script. Deuter. c. 30. ſic Moyſes Iſraelitas, homines exiſtentes in ſtatu naturæ lapſæ, alloquitur: *teſtes invoco hodie cœlum & terram, quod propoſuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam, ut & tu vi-*

*vas & ſemen tuum, & diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci ejus, & illi adhæreas.* Et lib. Joſue c. 24. ſic eoſdem Iſraelitas exhortatur Joſue Spir. Sancto afflatus: *nunc ergo timete Dominum, & ſervite eum perfecto corde atque veriſſimo ... ſin autem malum vobis videtur ut Domino ſerviatis, optio vobis datur: eligite hodie quod placet, cui ſervire potiſſimum debeatis, utrum Diis, quibus ſervierunt Patres veſtri in Meſopotamia, an Diis Ammorrhæorum. Ego autem & domus mea ſerviemus Domino.* Ergo Iſraelitæ habebant optionem & poteſtatem eligendi bonum vel malum, cultum veri Dei vel idololatriam. Ergo habebant libertatem ab omni neceſſitate etiam voluntaria. Enimvero ſi hac libertate caruiſſent, exhortatio illis facta inſtinctu Spiritus Sancti, fuiſſet inanis & plane nugatoria. Nam inutilis eſt exhortatio ad aliquid, ad quod faciendum quis neceſſitetur; & nugatoria ac jocoſa eſt, ſi ſit ad faciendum id, ad quod omittendum quis inſuperabiliter neceſſitatur.

Item, Eccleſ. c. 15. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui. Adjecit mandata & præcepta ſua: ſi volueris mandata ſervare, conſervabunt te ... appoſuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi.* Quæ verba evidenter diriguntur ad homines præſentes, ideoque lapſos.

*Prob.* 2. Ex Patribus apud Bellarminum & alios. Hinc ſufficiant Patres art. 1. citati, & hi pauci. S. Irenæus, lib. 4. c. 9. *homo rationalis, & ſecundum hoc ſimilis Deo, liber in arbitrio factus & ſuæ poteſtatis, ipſe ſibi cauſſa eſt, ut aliquando quidem frumentum, aliquando autem palea fiat.* Si homo ſuæ poteſtatis eſt, & ubi ipſi cauſſa eſt, ut frumentum vel palea fiat, certe bonum vel malum agit ſine ulla antecedenti neceſſitate. S. Athanaſius, in orat. contra idola; *Anima libera eſt & ſui arbitrii, poteſt enim ut ad bona ſe inclinare, ita bona quoque averſari.*

*Prob.* 3. Ex Conc. Trid. quod ſeſſ. 6. c. 1. declarat in hominibus lapſis *liberum arbitrium minime extinctum fuiſſe, viribus licet attenuatum & inclinatum.* Et can. 5. ſic habet: *ſi quis liberum hominis arbitrium poſt Adæ peccatum amiſſum & extinctum eſſe dixerit ... anathema ſit.* Ex quo ſic argum. Liberum illud hominis arbitrium, quod Concilium definit non eſſe amiſſum, eſt libertas ab omni neceſſitate ſimplici antecedente, intrinſeca, etiam voluntaria, non autem ſola libertas a coactione. Ergo Concilium definit libertatem ab omni neceſſitate ſimplici remanere in homine poſt Adæ peccatum. *Prob. ant.* Illud liberum arbitrium, quod Concilium definit non eſſe amiſſum, eſt illa libertas, quam amiſſam eſſe aſſerebant Hæretici hoc canone damnati, nempe Lutherus & Calvinus, non autem illa libertas quam fatebatur non eſſe amiſſam, ut nemo ſanæ mentis dubitat: alioqui Concilium nil ageret, & inutilis prorſus eſſet illius definitio. Atqui liberum arbitrium, quod amiſſum eſſe aſſerebant Lutherus & Calvinus, eſt libertas ab omni neceſſitate ſimplici, ſeu voluntaria & variabili, non autem libertas a coactione. Ergo liberum arbitrium, quod Concilium definit non eſſe amiſſum poſt Adæ peccatum, eſt libertas ab omni neceſſitate ſimplici et iam voluntaria & variabili. Minor conſtat: nam illi hæretici aſſerebant amiſſam eſſe libertatem a neceſſitate ſimplici, nec unquam negarunt ineſſe homini lapſo libertatem a coactione, ut patet ex illorum ſcriptis. Lutherus, in libro de ſervo arbitrio, fol. 434. Vittemb. an. 1562. de voluntate noſtra ait: *mera lubentia, bonitate ac ſponte ſua vult & facit:* Calvinus vero, lib. 2. Inſt. c. 3. immo Calvinus expreſſe admitit liberum arbitrium intellectum in ſenſu Janſenii, nempe de ſola libertate a coactione, ſic enim, lib. 2. contra Pighium ait: *ſi coactioni opponitur libertas, liberum eſſe arbitrium & fateor, & conſtanter aſſevero, ac pro hæretico habeo, quiſquis ſecus ſentiat. Si hoc, inquam, ſenſu liberum vocetur, quia non cogatur, & violenter trahatur externo motu, ſed ſponte agat ſua, nihil moror.* Et vero dari libertatem a coactione, nemo unquam negavit, nec negare quis poteſt niſi inſaniat. Nam per ſe patet voluntatem cogi non poſſe quoad actus ſuos: cum omnis actus voluntatis ſit ipſa inclinatio voluntatis, & evidenter repugnet voluntatem poſſe velle nolendo, & nolle volendo: quod tamen fieret, ſi cogeretur quoad ſuos actus.

Accedit Conc. Arauſicanum II. can. 25. ubi ait: *Hoc ſecundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per Baptiſmum gratia, omnes quæ ad ſalutem pertinent, poſſint & debeant, ſi fideliter laborare voluerint, implere.* Et Concil. Conſtantienſe, quod ſeſſ. 18. damnavit articulum Wicleffi, quo aſſerebat omnia de neceſſitate evenire. Per neceſſitatem intelligebat ſimplicem ſeu voluntariam, quam a præſcientia Dei repetebat, in quo ſolo a Janſenio & Calvino diſcrepat.

*Prob.* 4. Ratione Theologica. Homo in ſtatu naturæ lapſæ meretur, & demeretur, ut fide conſtat: ac proinde habet id omne, quod requiritur ad merendum & demerendum. Atqui ad merendum & demerendum requiritur libertas ab omni neceſſitate intrinſeca antecedente, nec ſufficit libertas a coactione, ut etiam fide conſtat, & oſtenſum eſt, art. 2. Ergo homo in ſtatu naturæ lapſæ habet libertatem a neceſſitate ſimplici, & non tantum a coactione.

*Prob.* 5. Alia duplici ratione. Prima ſi homo lapſus careret libertate ab omni neceſſitate etiam voluntaria, teneretur ad impoſſibile; nam teneretur obſervare præcepta divina, quæ tamen neceſſario violaret, quoties ea non ſervaret.

Secunda ratio. Si non daretur libertas ab omni neceſſitate ſimplici, homines ſcelerati juſtam haberent excuſationem ſuorum criminum, nempe neceſſitatem antecedentem inſuperabilem peccandi. Falſum conſequens: alioqui injuſte ſive a Deo ſive ab hominibus punirentur: ergo & antecedens. Item viri probi fruſtra curam ac conatum adhiberent ad virtutem colendam, ſiquidem ad illam exercendam neceſſitarentur, & quidem ex majore delectatione: nec magis laude ac præmio digni forent quam improbi, ſiquidem utrique facerent, quod non poſſent non facere; quare hæreſis illa negans libertatem ab omni neceſſitate ſimplici eſt principium omnis morum corruptelæ: ſceleribus ac vitiis omnibus fræna laxat, & omnem virtutis curam ac ſtudium penitus tollit.

§. III. *Solvuntur objectiones.*

*Obj.* 1. Multos textus Scripturæ.

1. Chri-



1. Chriſtus. Matth. c. 7. dicit: *non poteſt arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere.*

*Reſp.* Per arborem hic intelligitur voluntas efficax, ut docet S. Auguſt. & ſenſus eſt: homo habens bonam voluntatem efficacem, quamdiu illam habet, non poteſt malum agere; ſed bonam illam voluntatem libere habuit ex auxilio Gratiæ, & poteſt illam amittere diſſentiendo Gratiæ. Similiter habens malam voluntatem, quamdiu illam habet, non poteſt bonum agere: ſed illam libere habet, & poteſt cum auxilio Gratiæ habere aliam bonam, & haberet ſi conſentiret Gratiæ. Præterea ſi per arborem intelligitur homo ipſe, ſenſus eſt: homo bonus quatenus bonus non poteſt malum agere, neque homo malus quatenus malus poteſt bonum agere. Sed homo bonus poteſt fieri malus diſſentiendo Gratiæ, & homo malus poteſt fieri bonus conſentiendo Gratiæ.

2. Illud Joan. c. 8. *omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati.*

*Reſp.* Senſus eſt; quod peccator neceſſario ſubjectus ſit pœnis peccati, nec poſſit ſe ſine Gratia a peccato & pœnis peccati liberare, & juſtificationem concipei.

3. Illud Rom. c. 7. *non quod volo bonum, hoc ago; ſed quod odi malum, illud facio.*

*Reſp.* Apoſtolus loquitur de indeliberatis concupiſcentiæ motibus ad peccatum inclinantibus, quos quidem neceſſario experimur, ſed quibus poſſumus ex auxilio Gratiæ non conſentire, & qui diſſentientibus non imputantur ad culpam. Quare ſubjicit: *ſi autem quod nolo, illud facio, conſentio legi, quoniam bona eſt. Nunc autem jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum,* ideſt concupiſcentia. Senſus igitur textus objecti eſt: non ſentio inclinationem ad bonum, quam vellem habere: ſed e contra experior inclinationem ſeu propenſionem indeliberatam ad malum, quam nollem ſentire.

4. Eodem c. dicitur: *video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis.*

*Reſp.* Homo captivatur in lege peccati improprie dicti, non autem proprie dicti. Peccatum proprie dictum eſt actus libere factus vel omiſſus contra legem Dei. Peccatum improprie dictum eſt concupiſcentia, quæ ideo dicitur peccatum, quia oritur a peccato (Adami ſcilicet) & ad peccatum inclinat. Per peccatum autem, in cujus lege captivamur, intelligit Apoſtolus concupiſcentiam, quæ eſt habitualis propenſio ad malum: cujus quidem motus neceſſario experimur, & ſic ea captivamur, ſed iis non neceſſario obſequimur: & ſic non neceſſario peccamus. Unde quamvis non ſimus liberi circa motus concupiſcentiæ quoad ſenſum, ſumus tamen quoad conſenſum.

5. Illud Tim. c. 2. de impiis & incredulis; *Ut reſipiſcant diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipſius voluntatem.*

*Reſp.* Impii & increduli dicuntur captivi teneri ad voluntatem diaboli, non quia ab illo neceſſitantur ad peccatum, ſed quia propter voluntariam ſuam cæcitatem & pravos habitus poſſunt difficilius reſipiſcere & ejus tentationibus reſiſtere, & dæmoni a Deo permittitur in illos magis ſævire quam in pios & fideles.

6. Illud Prov. c. 21. *Cor Regis in manu Domini; quocumque voluerit, inclinabit illud.*

*Reſp.* Deus inclinat & movet voluntates hominum quocumque vult efficaciter, non eas neceſſitando, ſed (ut ait S. Auguſt.) eas vocando & movendo quomodo ſcit congruere ut vocantem non reſpuant, ſed Deo plane conſentiant.

7. Illud Iſaiæ c. 26. *Domine .... omnia opera noſtra operatus es nobis.*

*Reſp.* Deus operatur quidem opera noſtra nobis, ſed non niſi nobis ex propria determinatione & electione operantibus.

8. Illud Jer. c. 10. *Scio, Domine, quia non eſt hominis via ejus, nec viri ut ambulet, & dirigat greſſus ſuos.*

*Reſp.* Hic agitur de ſucceſſu conſiliorum & actionum hominis, non de productione ſuarum volitionum. Et ſenſus eſt, quod ſucceſſus ſeu executio eorum, quæ homo libere vult, non ſit ſemper in poteſtate hominis, ſed ſemper pendeat a divina Providentia. Quod ſi ageretur de actibus voluntatis humanæ, ſenſus eſſet, quod homo ex ſuis ſolis naturæ viribus & ſine auxilio divino non poteſt recte vitam ſuam inſtituere, & actus ſalutares elicere.

*Obj.* 2. Ex Cæleſtino Papa I. Naturalis poſſibilitas Adami amiſſa eſt per peccatum.

*Reſp.* Per poſſibilitatem intelligit, non potentiam agendi ex propria determinatione & electione, ſed potentiam agendi ſalutariter: quæ quidem per peccatum Adami amiſſa eſt, ſed per Chriſtum reparata fuit. Hanc autem potentiam vocat naturalem, quia Adamus eam ſimul cum natura accepit, eamque, ſi non peccaſſet, cum natura ad poſteros tranſmiſiſſet.

*Obj.* 3. Conc. Arauſicanum II. can. 15. ait: *Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, niſi per gratiam Baptiſmi non poteſt reparari. Quod amiſſum, niſi a quo potuit dari, non poteſt reddi.*

*Reſp.* Loquitur de libero arbitrio tantum, ut eſt potentia inſtructa habitibus ſupernaturalibus, qui neceſſarii ſunt ad merendam & conſequendam vitam æternam. Quæ quidem potentia per peccatum originale amiſſa eſt, nec reparari poteſt, niſi per Baptiſmum in re vel in voto ſuſceptum. At Concilium non loquitur de libero arbitrio præciſe ut eſt facultas naturalis, quæ poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis poteſt agere & ſimul poteſt non agere: quod quidem liberum arbitrium per peccatum originale infirmatum & extenuatum eſt, non tamen amiſſum.

*Obj.* 4. Si voluntas eſt indifferens, debet determinari ab alia cauſſa. Ergo non eſt libera.

*Reſp.* Nego ſequel. anteced. Quia voluntas noſtra eſt indifferens indifferentia activa; & ſic poteſt ſe ipſam determinare, & revera ſe ipſam determinat efficienter ſeu active per ſe ipſam, ſeu per ſuam virtutem agendi; formaliter vero per ſuam actionem quæ eſt formaliter ejus determinatio. Cum autem voluntas agit, non poteſt non agere, ſed impotentia conſequente ejus liberam determinationem.

*Obj.* 5. Voluntas non poteſt habere potentiam ad oppoſita: nam non poteſt oppoſita ponere. Ergo non eſt libera.

*Reſp.* Voluntas noſtra habet potentiam ad oppoſita, non ſimul, ſed diviſim ponenda. Nam non

habet

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

habet potentiam ponendi ſimul duo oppoſita, cum illorum poſitio repugnet; ſed habet ſimul potentiam agendi & potentiam non agendi reducibilem ad actum diviſim tantum. Unde voluntas cum amat; poteſt producere odium, vel non amare, non conjunctim cum amore, ſed diviſim ab amore, ideſt, loco amoris poteſt producere odium.

*Obj.* 5. Voluntas non poteſt eligere minus bonum; ergo a fortiori non poteſt eligere malum.

*Reſp.* Nego anteced. Itaque voluntas poteſt eligere minus bonum, non quidem ut minus bonum, ſed ut bonum ſufficiens, vel comparatu facilius, & reſpuere majus bonum ut non neceſſarium, vel ut difficilius comparabile, vel ut ſenſibus minus gratum.

*Nota.* Per Adami peccatum liberum hominis arbitrium non fuit quidem extinctum; ſed tamen læſum, & viribus attenuatum fuit, non ſolum quia per hoc peccatum voluntas hominis ſpoliata eſt juſtitiæ originalis dono, & ſpeciali illa Providentia, quæ ſic regebat hominem, ut in poteſtate ſua haberet omnes corporis & animi motus; ſed maxime quia propter ignorantiam, vitiatum corporis temperamentum, & effrænatam concupiſcentiam continuo ad malum impellentem, voluntas noſtra bonum honeſtum adeo faſtidit, & ita propendet in malum, ut nihil ſalutare velle & agere poſſit ſine auxilio gratiæ potentioris, qua indiguerit Adamus in ſtatu innocentiæ, immo ſine gratia non poſſit actus honeſtos mere naturales arduos exercere, quos tamen cum ordinario Dei concurſu actuali potuiſſet in ſtatu innocentiæ, vel etiam in ſtatu naturæ puræ elicere.

## ARTICULUS IV.

*Exponitur mens & doctrina Sancti Auguſt. circa liberum arbitrium in ſtatu naturæ lapſæ.*

### §. I.

SAnctus Auguſtinus per liberum arbitrium hominis etiam lapſi intellexit libertatem ab omni neceſſitate intrinſeca etiam voluntaria. Eſt contra Janſenium.

*Prob.* Nam 1. l. 2. contra Fauſtum c. 5. ſic ait: *Et nos quidem ſub fato ſtellarum nullius hominis geneſim ponimus, ut liberum arbitrium voluntatis, quo bene vel male vivitur, præter juſtum judicium Dei ab omni neceſſitatis vinculo vindicemus.* 2. Lib. de Gratia & libero arbitrio, c. 2. poſtquam retulit verba Eccleſiaſtici, c. 15. quibus deſcribitur liberum arbitrium hominis lapſi ut immune ab omni neceſſitate, nempe hæc: *Ipſe ab initio fecit hominem, & reliquit eum in manu conſilii ſui. Si volueris, conſervabis mandata, & fidem bonam placiti. Apponit tibi ignem & aquam, ad quodcumque volueris, extende manum tuam. In conſpectu hominis vita & mors, & quodcumque placuerit, dabitur ei:* ſic proſequitur S. Doctor: *Ecce apertiſſime videmus expreſſum liberum humanæ voluntatis arbitrium.* Ergo S. Auguſt. per liberum arbitrium intellexit eam facultatem, quam Eccleſiaſticus attribuit homini viatori lapſo: atqui Eccleſiaſticus attribuit homini lapſo facultatem agendi bonum vel malum pro arbitrio, & abſque ulla neceſſitate antecedenti intrinſeca, ut patet ex ejus verbis, quæ diriguntur ad hominem qui ea legit, ideoque ad hominem lapſum. Ergo Sanct. Auguſt. per liberum arbitrium intellexit facultatem agendi bonum vel malum pro arbitrio, & ſine ulla neceſſitate antecedenti intrinſeca. 3. l. 2. de nuptiis & concupiſcentia, c. 3. infra citando, teſtatur ſe admittere ſecundum fidem Catholicam liberum arbitrium in hominibus lapſis, ſicut ipſi Pelagiani, idque eſſe commune Catholicis & Pelagianis dogma. Atqui Pelagiani per liberum arbitrium intelligebant facultatem agendi completam & expeditam, ac immunem ab omni neceſſitate ſimplici, ut conſtat apud omnes. Ergo. cap. 4. lib. De ſpiritu & littera, n. 54. ait: *Cum poteſtas datur, non neceſſitas utique imponitur.*

*Obj.* 1. S. Auguſt. l. 5. de civit. Dei c. 10. ait: *Si autem illa definitur eſſe neceſſitas, ſecundum quam dicimus neceſſe eſſe ut ita ſit aliquid, vel ita fiat; neſcio cur eam timeamus, ne nobis libertatem auferat voluntatis.* Ergo ex S. Doctore libertas non excludit omnem neceſſitatem.

*Reſp.* Nego conſeq. Quia S. Auguſt. ibi loquitur de neceſſitate non intrinſeca, ſed extrinſeca & reſultante ex aliqua hypotheſi, quæ ſit aliquo modo in noſtra poteſtate. Nam ibi agit contra Stoicos, qui ut libertatem humanam tuerentur, omnem indiſcriminatim neceſſitatem ab ea removebant: & idcirco in Deo negabant præſcientiam omnium libere futurorum, ex eo quod inde ſequeretur neceſſe eſſe ut illa futura eveniant. Contra hoc S. Doctor docet libertati non officere neceſſitatem extrinſecam, reſultantem ex hypotheſi, quæ ſit aliquo modo in noſtra poteſtate, ut fuerit vel non fuerit: qualis eſt neceſſitas ſecundum quam dicimus neceſſe eſſe, ut actus a Deo abſolute præſciti & futuri, re vera futuri ſint. Nam hypotheſis præſcientiæ divinæ eſt aliquo modo in noſtra poteſtate, ut fuerit vel non fuerit; quia Deus non præſcit actus noſtros eſſe futuros, niſi quia futuri ſunt, ut docet S. Aug. c. citato, ac proinde non eſſet præſcientia Dei circa actus noſtros futuros, ſi illi futuri non eſſent: ut autem ſint futuri, pendent a voluntate noſtra. Immo vero neceſſitas reſolvitur ex aliqua hypotheſi, quæ in poteſtate noſtra eſt, ut fuerit vel non fuerit; eſt etiam in noſtra poteſtate, ut fuerit vel non fuerit, ac proinde non tollit libertatem, immo ſupponit aliquod ejus exercitium ut quid ratione prius.

Igitur neceſſitas, ſecundum quam dicimus neceſſe eſſe, ut actus quibus bene vel male vivimus, aliquando ſint, quia Deus eos præſcivit, non officit libertati noſtræ, cum hæc neceſſitas ut fuerit vel non fuerit, ſit in noſtra poteſtate perinde ac hypotheſis ex qua reſultat. Quare S. Doctor non ibi loquitur de neceſſitate antecedente, quæ nullatenus ſit in noſtra poteſtate, immo talem neceſſitatem expreſſe removet a voluntate, eod. c. *Si neceſſitas,* inquit, *illa dicenda eſt, quæ non eſt in noſtra poteſtate, ſed etiamſi nolumus efficit quod poteſt, ſicut eſt neceſſitas mortis, manifeſtum eſt voluntates noſtras, quibus recte vel perperam vivitur, ſub tali neceſſitate non eſſe.* Ergo ex S. Auguſt. actus voluntatis noſtræ boni & mali non ſubjacent neceſſitati, quæ non eſt in noſtra poteſtate, nec proinde neceſſitati intrinſecæ antecedenti.

*Inſt.* S. Auguſt. in exemplum neceſſitatis, quam dicit non nocere libertati, adducit neceſſitatem, qua neceſſe eſt Deum ſemper vivere, ſic enim cap. cit. ait; *Neque enim & vitam Dei & præſcientiam*





*Dei ſub neceſſitate ponimus, ſi dicamus neceſſe eſſe, Deum ſemper vivere & cuncta præſcire.* Sed talis neceſſitas eſt abſoluta. Ergo.

*Reſp.* Diſting. maj. Adducit neceſſitatem, qua neceſſe eſt Deum ſemper vivere vita contingenti, hoc eſt, ſemper habere actus liberos & contingentes voluntatis & intellectus *conc. maj.* Vivere vita neceſſaria, hoc eſt, habere actus neceſſarios voluntatis & intellectus, *nego maj. & diſtincta pariter minore, nego conſ.* S. Doctor in exemplum neceſſitatis non tollentis libertatem adducit neceſſitatem, qua neceſſe eſt Deum ſemper vivere vita contingenti, id eſt, ſemper habere actus liberos ac contingentes voluntatis & intellectus, quibus vivit Deus in actu ſecundo; nam velle & intelligere eſt vivere; cum ſit agere immanenter. Hæc autem neceſſitas eſt hypothetica, quatenus ex hypotheſi quod Deus libere aliquid extra ſe velit, aliquid contingens cognoſcat neceſſe eſt, ut illud ſemper & incommutabiliter velit & præſciat neceſſitate antecedente & independente a libertate Dei vel creaturæ.

Quare ſenſus loci objecti eſt: quamvis dicamus neceſſe eſſe, ut Deus ſemper & immutabiliter velit quidquid vult extra ſe; non idcirco tamen dicimus Deum neceſſario velle id quod vult extra ſe. Sic ex hypotheſi quod Deus velit mundum, neceſſe eſt ut ſemper, nempe ab æterno & pro æterno illum velit, licet non neceſſario velit mundum. Similiter licet dicamus neceſſe eſſe, ut Deus præſciat omnia futura quæ futura ſunt, non idcirco dicimus præſcientiam illam divinam eſſe abſolute neceſſariam; quia nempe quamvis ex hypotheſi quod ſint aliqua futura, Deus non poſſit non illa præſcire; Deus tamen ſic illa neceſſario præſcit ex hypotheſi, ut potuerit non præſcire, quia illa ſic futura ſunt, ut potuerint non eſſe futura, & ſic potuerint præſciri ut futura, cum repugnet Deum præſcire ut futura, quæ non ſunt futura.

*Confirmatur* Reſponſio noſtra. Quia S. Auguſt. in exemplum neceſſitatis quam dicit non nocere libertati voluntatis noſtræ, ibidem immediate poſt verba inſtantiæ adducit aliam neceſſitatem hypotheticam, & quæ eſt in noſtra poteſtate; ſic enim poſt verba objecta proſequitur: *Sicut etiam cum dicimus neceſſe eſſe ut, cum volumus, libero velimus arbitrio; & verum procul dubio dicimus, & non ideo ipſum arbitrium neceſſitati ſubjicimus, quæ adimit libertatem.* Deinde ſic caput illud conficit: *Neque enim ideo peccat homo quia Deus illum peccaturum præſcit.... Qui ſi nolit, omnino non peccat: ſed ſi peccare noluerit, etiam hoc ille præſcivit.*

*Obj.* 2. Ex S. Auguſt. l. 3. de libero arbitrio, c. 3. Illud eſt in noſtra poteſtate, quod fit cum volumus. Sed actus voluntatis neceſſarius fit cum volumus: ergo eſt in noſtra poteſtate, ideoque eſt liber.

*Reſp.* Ibi per poteſtatem intelligit poteſtatem electivam: & ſenſus eſt illud eſſe in noſtra poteſtate electiva, quod fit cum volumus pro arbitrio noſtro & ex electione, ita ut poſſimus illud non velle. Præterea minor eſt falſa: nam ex communi ſenſu & uſitato loquendi modo, illud ſolum dicitur fieri cum volumus, quod poſſumus velle & non velle, agere & non agere pro arbitrio, & abſque ulla neceſſitate antecedenti. Sic Deus non dicitur ſe ipſum amare quia vult: e contra dicitur Deus nos amare, nos conſervare, quia vult.

*Obj.* 3. S. Auguſt. ib. nempe l. 3. de lib. arb. c. 3. ait; *Voluntas noſtra nec voluntas eſſet, niſi eſſet in noſtra poteſtate. Porro quia eſt in poteſtate, libera eſt nobis.* Ergo ex S. Auguſt. volitio hoc ipſo eſt libera, quod volitio eſt, & ſic volitio neceſſaria eſt libera.

*Reſp.* Nego conſeq. Quia ibi ſumit volitionem in ſenſu ſtrictiore, & per eam intelligit, non quamlibet volitionem, ſed eam tantum volitionem, quæ eſt a voluntate, ut eſt facultas ſui ipſius determinativa per electionem, & immunis ab omni neceſſitate antecedenti. Nam eodem c. volitionem opponit neceſſitati antecedenti etiam voluntariæ, ſic enim ait; *Miraris quomodo non ſint contraria & repugnantia, ut Deus præſcius ſit omnium futurorum, & nos non neceſſitate ſed voluntate peccemus. Si enim præſcius eſt Deus, inquis, peccaturum eſſe hominem, neceſſe eſt ut peccet. ſi autem neceſſe eſt, non ergo eſt in peccando voluntatis arbitrium, ſed potius inevitabilis & fixa neceſſitas. Qua ratiocinatione hoc videlicet ne conficiatur, times ne aut Deus futurorum omnium præſcius impie negetur, aut ſi hoc negare non poſſumus, fateamur non voluntate, ſed neceſſitate peccare.*

*Obj.* 4. S. Auguſt. l. 1. operis imperfecti n. 100. ait: *Si liberum non eſt, niſi quod Deus poteſt velle, id eſt, & bonum & malum, liber Deus non eſt, qui malum non poteſt velle, de quo etiam ipſe dixiſti. Deus eſſe niſi juſtus non poteſt. Siccine Deum laudas, ut ei auferas libertatem?*

*Reſp.* Hic ſolum reprehendit Julianum, quod libertatem arbitrii generaliter ſumptam diceret eſſe facultatem agendi bonum & malum pro arbitrio. Quod falſum eſt, nam hæc eſt tantum ſpecies libertatis propria hominis viatoris, quæ poteſt mereri & demereri. At libertas generatim & ſecundum eſſentiam ſuam ſumpta, eſt præciſe facultas agendi & non agendi pro arbitrio, & abſque ulla neceſſitate intrinſeca antecedenti; eſt facultas eligendi hoc vel illud; eſt completa & expedita facultas ſe determinandi per electionem ad utrumlibet ex duobus incompoſſibilibus, ſeu oppoſitis, ſive illa ſint oppoſita contradictorie, ſive contrarie.

S. Auguſt. ſenſit ad merendum & demerendum in hoc ſtatu naturæ lapſæ requiri libertatem ab omni neceſſitate antecedente intrinſeca, nec ſufficere libertatem a coactione. Eſt contra Janſenium.

*Prob.* Nam 1. Lib. De duabus animabus, c. 11. ſic ait; *Etiamne hi libri obſcuri mihi ſcrutandi erant unde diſcerem, neminem vituperatione ſuppliciove dignum, qui aut id velit quod juſtitia velle non prohibet, aut id non faciat quod facere non poteſt? Nonne iſta cantant & in montibus paſtores, & in theatris poetæ, & indocti in circulis, & docti in bibliothecis, & magiſtri in ſcholis, & Antiſtites in ſacratis locis, & in orbe terrarum genus humanum? Quod ſi nemo vituperatione vel damnatione dignus eſt, aut non contra vetitum juſtitiæ faciens, aut quod non poteſt non faciens: quis dubitet tunc eſſe peccatum, cum & velle injuſtum eſt, & liberum nolle: & ideo definitionem illam veram eſſe; Peccatum eſt voluntas retinendi vel conſequendi quod juſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere?* Et c. 12. *Peccati enim tenere quemquam, quia non fecit quod facere non potuit, ſummæ iniquitatis eſt & inſaniæ. Quamobrem illæ animæ quidquid faciunt,*

*ſi natura, non voluntate faciunt, ideſt, ſi libero & ad faciendum & ad non faciendum motu animi carent, ſi denique his abſtinendi ab opere ſuo poteſtas nulla conceditur, peccatum tantum tenere non poſſumus*. 2. l. 3. de libero arb. c. 13. *Hoc breviſſimum tene, quæcumque iſta cauſſa eſt voluntatis* (malæ) *ſi ei non poteſt reſiſti, ſine peccato ei ceditur. Si autem poteſt, non ei cedatur, & non peccabitur. An forte fallit incautum? Ergo caveat, ne fallatur. An tota fallacia eſt, ut cavere omnino non poſſit? Si ita eſt, nulla peccata ſunt; quis enim peccat in eo, quod nullo modo cavere poteſt?* 3. L. de natura & gratia, c. 65. poſtquam hæc S. Hieron. verba retulit, (*liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutem nec ad vitia neceſſitate trahimur: alioquin ubi neceſſitas eſt, nec corona eſt.*) ſic reſpondet: *Quis non agnoſcat? Quis non toto corde ſuſcipiat?* Ubi agitur de omni neceſſitate antecedenti etiam voluntaria, nempe de neceſſitate qua trahamur, 4. L. de gratia & libero arb. c. 2. *Ubi ad aliquid faciendum vel non faciendum opus voluntatis exigitur, ſatis liberum demonſtratur arbitrium. Nemo ergo Deum cauſetur in corde ſuo, ſed ſibi imputet quiſque, cum peccat.*

*Nota*. S. Aug. lib. 1. Retractationum refert textus pro libertate expreſſos, quos contra Manichæos tradiderat, & illos confirmat, nedum retractat: volens tantum intelligi illam libertatem quoad opus ſalutare ſupponere gratiam Chriſti, & illos textus non adverſari peccato originali.

*Solvuntur objectiones.*

*Obj.* 1. S. Aug. l. 1. Contra duas epiſtolas Pelagianorum, c. 3. ait: *Voluntas* (peccatorum) *libera eſt in malis, quia delectatur malis*. Ergo ad demerendum ſufficit libertas a coactione.

*Reſp.* Neg. conſeq. Quia per τὸ *delectatur* intelligit deliberatam ac liberam delectationem, quæ in amore libero conſiſtit. Unde ſenſus eſt, quod peccatores libere malum agunt, quia libere illud amant, & amando libere illo delectantur: nam omnis amor eſt delectatio, ut docet S. Thom. & experientia patet.

*Obj.* 2. S. Auguſt. eod. l. c. 2. ait; *Liberum arbitrium uſque adeo in peccatore non periit, ut per illud peccent, maxime omnes, qui cum delectatione peccant, & amore peccati hoc, eis placet, quod eis libet.*

*Reſp.* Ita loquitur, ut ſignificet peccatores ultro & libere ſeu ex propria determinatione peccare; loquitur enim juxta communem & ordinarium loquendi modum, ſecundum quem ex eo quod quis non cogitur ad aliquid faciendum, illud abſque omni antecedenti neceſſitate atque ex propria electione ab eo fieri infertur.

*Obj.* 3. S. Auguſt. l. 1. Operis imperfecti, n. 105. ait: *Cogitare te exiſtimo, quid appetendum, quid vitandum ſit in agenda vita, quanto labore diſcatur. Qui autem hoc neſciunt, ipſa boni appetendi malique vitandi ignorantia patiuntur peccandi neceſſitatem. Neceſſe eſt enim ut peccet, qui neſciendo quid facere debeat, quod non debet, facit. De quo genere malorum Deus rogatur, ubi dicitur, Delicta juventutis & ignorantiæ meæ ne memineris. Quod genus delictorum ſi non imputaret Deus juſtus, non ea ſibi dimitti poſceret homo fidelis?* Ergo homo neceſſario peccando demeretur.

*Reſp.* Nego conſeq. Quia hic agitur de neceſſitate conſequenti, non antecedenti. Libertas autem non excludit neceſſitatem conſequentem, quæ ſupponit libertatis exercitium, & ex eo oritur. Nam ibi S. Doctor loquitur de peccatis ignorantiæ, hoc eſt, de peccatis, quæ fiunt ex ignorantia culpabili, quæ ſcilicet potuit ac debuit depelli, nec tamen depulſa eſt, quia homo neglexit diſcere quantum poterat & debebat. Hæc autem ignorantia eſt libera in cauſſa, nempe in libera negligentia addiſcendi; ac proinde ipſa peccatum eſt, & ea, quæ ex illa male fiunt, ſunt peccata imputabilia, quæ vitari potuerunt.

*Inſt.* 1. S. Auguſt. ibi agit de ignorantia invincibili. Ergo.

*Reſp.* Nego anteced. Nam agit de ignorantia; qua ex magna difficultate addiſcendi laborat homo, qui ad illam depellendam non adhibet tantam diligentiam, quantam poſſet & deberet. Non obſtat, quod loquatur de ignorantia, quæ eſt pœna peccati originalis: nam juxta illum ignorantia vincibilis eſt etiam pœna peccati, quamvis ſit ſimul peccatum & cauſſa peccati.

*Inſt.* 2. S. Auguſt. ib. n. 106. ſic concludit; *non eſt igitur impunitatis ſecuritas in neceſſitate peccandi. Sed ut non obſit iſta neceſſitas, donat ille, cui dicitur: De neceſſitatibus meis erue me. Donat autem duobus modis, & præteritam dimittendo iniquitatem, & opitulando ne intremus in tentationem. Unuſquiſque vero tentatur a concupiſcentia ſua.*

*Reſp.* Ibi loquitur de morali neceſſitate peccandi orta tum ex ignorantia culpabili eorum, quæ ad recte vivendum pertinent, tum ex concupiſcentia. Sed cum morali illa neceſſitate peccandi, quæ nil aliud eſt quam magna difficultas vitandi peccatum, remanet in peccatore indifferentia activa, & potentia non peccandi. Vel loquitur de neceſſitate conſequente, non antecedente.

*Obj.* 4. S. Auguſt. docet hominem lapſum habere neceſſitatem ignorandi aliqua præcepta juris naturalis, quæ ſcire tenetur, & quorum tamen ignorantia ei imputatur. Ergo ſenſit neceſſitatem non impedire imputabilitatem peccati. Ergo, &c.

*Reſp.* Loquitur de neceſſitate morali, non phyſica. Nam hæc neceſſitas ignorandi aliqua præcepta, quorum tamen ignorantia ad culpam imputatur, non oritur ex abſoluta impoſſibilitate, ſed ſolum ex magna difficultate addiſcendi omnia, quæ fieri vel vitari debent ad bene vivendum. Quæ magna difficultas poteſt & debet ſuperari ab homine.

§. III.

S. Auguſt. ſenſit ineſſe homini etiam in præſenti ſtatu naturæ lapſæ libertatem ab omni neceſſitate ſimplici antecedente. Eſt contra Lutherum, Calvinum, & Janſenium.

*Prob.* 1. Ex ejus teſtibus in duobus prioribus paragraphis allatis.

*Prob.* 2. Ex l. 1. De nuptiis & concupiſcentia, c. 3. ubi ſic Julianum Pelagianum alloquens ait: *Non itaque ſicut te atque alios fallens loqueris, ſi quis aut liberum in hominibus arbitrium, aut Deum eſſe naſcentium conditorem dixerit, Cæleſtinus & Pelagianus vocatur, iſta quippe Catholica Fides dicit.... liberum itaque in hominibus eſſe arbitrium, & Deum eſſe naſcentium conditorem utrique dicimus, non hinc eſtis Cæleſtiani & Pelagiani. Liberum autem quemquam eſſe ad agendum bonum ſine adjutorio Dei, & non erui a poteſtate tenebrarum, & ſic transferri in regnum Dei, hoc vos dicitis, hinc eſtis Cæleſtiani & Pelagiani. Quid obtendis, ad fallendum, communis dogmatis nomen, ut operias proprium crimen?* Ubi S. Doctor teſtatur ſe ſecundum Fidem Catholicam admittere liberum arbitrium in hominibus lapſis, ſicut ipſi Pelagiani admittebant, hocque eſſe commune Catholicis & Pelagianis dogma, & Pelagianos ſolum arguit, quod dicerent illud liberum arbitrium ſine gratia valere ad bonum ſalutare agendum: non autem eos arguit quod per liberum arbitrium intellexerint libertatem a neceſſitate. Atqui S. Doctor liberum arbitrium in homine lapſo admittere non potuit cum Pelagianis, & aſſerere dogma liberi arbitrii, quale nunc ineſt homini lapſo, eſſe Catholicis & Pelagianis commune, nec illud in Pelagianis circa libertatem reprehendere, quam quod gratiæ neceſſitatem negarent, niſi idem nomine liberi arbitrii cum Pelagianis intellexiſſet, nempe libertatem ab omni neceſſitate ſimplici, illudque ſic intellectum admiſiſſet. Ergo S. Auguſt. admiſit in homine lapſo libertatem ab omni neceſſitate ſimplici.

Porro probe ſciebat Pelagianos conſtituere libertatem hominis lapſi in indifferentia activa, & immunitate ab omni neceſſitate ſimplici. Nam l. 2. de peccatorum meritis & remiſſione, c. 18. dicit liberum arbitrium quale nunc habemus, tale eſſe ſecundum Pelagium, *quod huc atque illuc liberum flectitur*. Et l. de gratia Chriſti, c. 31. refert hæc Pelagii verba ex ejus ad Innocentium epiſtola: *Ecce ad beatitudinem tuam epiſtola iſta me purget, in qua pure atque ſimpliciter ad peccandum & ad non peccandum integrum liberum arbitrium habere nos dicimus, quod in omnibus bonis operibus divino ſemper adjuvatur auxilio*. In quo Pelagii textu nihil reprehendit, ſed tantum quærit ſenſum hujus vocis auxilii divini. Nam hæc ſubjicit S. Doctor: *cernitis itaque pro intellectu, quem vobis Dominus dedit, hæc ejus verba ſolvendæ non ſufficere quæſtioni. Quærimus enim adhuc quo auxilio liberum adjuvari dicat arbitrium, ne forte, ſicut ſolet, velit intelligi legem atque doctrinam.*

*Prob.* 3. Ex l. 1. operis imperfecti, n. 98. ubi ait: *ex quo homo incipit uti voluntatis arbitrio, & peccare & non peccare poteſt, ſed alterum horum non facit, niſi adjutus ab eo, qui dixit, ſine me nihil poteſtis facere: alterum vero propria voluntate*. Ergo ex S. Auguſt. homo lapſus poteſt peccare & non peccare, bene & male agere, cum hoc tamen diſcrimine, quod cum bonum ſalutare agit, illud non agat nec agere poſſit ſine gratia; peccet vero propria voluntate, hoc eſt, ſolis viribus naturalibus liberi arbitrii, & ex ſola propria determinatione, Deo nullatenus impellente.

*Prob.* 4. Ex l. 2. contra Felicem Manichæum, c. 4. *habet unuſquiſque in voluntate aut eligere quæ bona ſunt & eſſe arbor bona: aut eligere quæ mala ſunt, & eſſe arbor mala.*

Denique S. Auguſt. docet nos habere eamdem ſpecie libertatem, quam Adamus habuit in ſtatu innocentiæ, cum hoc ſolo diſcrimine accidentali, quod libertas ſtatus innocentiæ eſſet immunis ab ignorantia & concupiſcentia, & facilitatem ad bonum complecteretur: noſtra autem difficultatem adjunctam habeat propter reluctationem concupiſcentiæ, & nobis per gratiam Chriſti reſtituatur quoad bonum ſalutare. Nam l. 6. operis imperfecti, n. 11. aſſerit libertatem per gratiam in priſtinum ſtatum reſtitui. Poſtquam enim citavit textum Innocentii I. ſic ait: *Audis reſtitui libertatem & non periiſſe contendis, atque humana voluntate contentus, divinam non petis gratiam, quam libertas noſtra, etiam in ſtatum priſtinum reſtituta, ſibi eſſe intelligit neceſſariam*. Item docet l. 3. n. 114.

*Solvuntur objectiones.*

*Obj.* 1. S. Auguſt. Enchirid. c. 30. ait: *Libero arbitrio male utens homo, & ſe perdidit & ipſum... cum libero peccaretur arbitrio victore peccato, amiſſum eſt liberum arbitrium*. Ergo amiſſum eſt liberum arbitrium.

*Reſp.* Diſtin. conſ. Amiſſum eſt liberum arbitrium quale erat in ſtatu innocentiæ, *conc. conſ.* Amiſſum liberum arbitrium ſumptum præciſe pro facultate, quæ poſitis omnibus ad agendum requiſitis poteſt agere & non agere, *nego conſ.* Per peccatum originale amiſimus liberum arbitrium ſumptum quoad potentiam agendi utiliter ad ſalutem, ſed illud per Chriſtum recuperavimus. Item amiſimus irrecuperabiliter liberum arbitrium quoad potentiam bonum agendi prompte, facile, & ſine reluctatione concupiſcentiæ. At ex S. Auguſtino per peccatum originale minime amiſſum eſt liberum arbitrium quoad eſſentiam ſumptum, nempe per facultatem agendi & non agendi, poſitis omnibus ad agendum requiſitis, nam l. 1. contra duas ep. Pelagian. c. 2. ſic ait; *Quis noſtrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, ſed illa, quæ in Paradiſo fuit, habendi plenam cum immortalitate juſtitiam*. Illa autem plena juſtitia conſiſtebat in habitibus ſupernaturalibus, in dono integritatis, in immunitate a concupiſcentia inordinata, & ignorantia, & in magna facilitate agendi bonum ſalutare. Porro per merita Chriſti nobis applicata recuperamus habitus ſupernaturales cum auxiliis eis annexis, non tamen donum integritatis, & immunitatem a concupiſcentia, quæ nobis relicta eſt ad humilitatis ceterarumque virtutum exercitium; ita ut ad bonum ſalutare agendum, & peccatum vitandum indigeamus gratiæ auxilio potentiore, quam fuerit auxilium neceſſarium in ſtatu innocentiæ.

*Obj.* 2. S. Auguſt. lib. contra Fortunatum, diſp. 2. ait: *Liberum voluntatis arbitrium in illo homine fuiſſe dico, qui primum formatus eſt. Ille ſic factus eſt, ut nihil omnino voluntati ejus reſiſteret, ſi vellet Dei præcepta ſervare. Poſtquam autem libera ipſe voluntate peccavit, nos in neceſſitatem præcipitati ſumus, qui ab ejus ſtirpe deſcendimus.*

*Reſp.* Hinc per liberum arbitrium intelligi libertatem ſanam ac robuſtam, ſive facultatem ſe ad bonum determinandi prompte, facile, hilariter, qua cum primus homo conditus fuit, & quam dicit nos amiſiſſe per ejus peccatum. Per neceſſitatem vero, in quam præcipitati ſumus, intelligit neceſſitatem moralem peccandi, propter concupiſcentiæ motus vehe-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

vehementes fere continuo nos in malum impellentes. Nam neceſſitatem illam opponit facilitati, & comparat cum neceſſitate quam affert inveterata conſuetudo peccandi, ac proinde non eſt niſi neceſſitas moralis, quæ conſiſtit in magna quadam difficultate agendi vel omittendi aliquid. Poteſt etiam per neceſſitatem illam intelligi neceſſitas patiendi motus inordinatos concupiſcentiæ ad peccatum inclinantes, item neceſſitas naſcendi in peccato, & manendi ſub captivitatem dæmonis, donec per Baptiſmum in re vel in voto ſuſceptum juſtificemur.

*Obj.* 3. S. Doctor l. 8. Confeſſionum, c. 8. ait: *dum ſervitur libidini, facta eſt conſuetudo: dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas.*

*Reſp.* Loquitur de neceſſitate morali peccandi, quæ eſt magna difficultas vitandi peccatum: prava quippe conſuetudo non affert neceſſitatem phyſicam & inſuperabilem: nam gratiæ auxilio emendari ipſa poteſt; & non ſemper fit id ad quod inclinat.

*Obj.* 4. S. Auguſt. l. 83. quæſtionum, q. 66. ait: *Ante Legem actio eſt, cum peccatum ignoramus, & ſequimur carnales concupiſcentias. Sub Lege eſt actio, cum jam prohibemur a peccato, & tamen conſuetudine ejus victi peccamus, quoniam nos nondum adjuvat Fides.*

*Reſp.* Loquitur de fide viva & per caritatem formata; & diſtinguit plures ſtatus, in quorum primo homo ſine pugna vincitur a concupiſcentia, ideſt, obſequitur ejus motibus, quia non habet boni & mali cognitionem niſi valde imperfectam & confuſam: in ſecundo vero ſtatu non vincitur ſine pugna, id eſt, non obſequitur concupiſcentiæ ſine repugnantia aliqua propter diſtinctam ac perfectam boni & mali notitiam, quam habet. Homo autem in hoc duplici ſtatu ſic libere peccat, qui tamen non peccaret ſi adjuvaretur per fidem vivam & caritate formatam, & acciperet majora illa & frequentiora auxilia, quæ ſolis juſtis & amicis Dei reſervantur, & quibus coercetur concupiſcentia.

*Obj.* 5. S. Auguſt. l. 1. operis imperfecti, n. 47. ad ſolum Adami peccatum reſtringit definitionem hanc peccati, quam l. de duabus animabus tradiderat, videlicet peccatum eſſe voluntatem retinendi vel conſequendi quod juſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere. Ergo poſtea agnovit libertatem ſtatus naturæ lapſæ non eſſe immunem a neceſſitate ſimplici.

*Reſp.* Nego conſeq. Nam ibid. ſic ait: *multa ſunt quæ agunt homines mala, a quibus eis liberum eſt abſtinere; ſed nulli tam liberum eſt, quam illi fuit, qui Deo ſuo, a quo erat conditus rectus, nullo prorſus vitio depravatus adſtabat.* Ubi manifeſte docet homines etiam nunc mala agere, a quibus poſſent abſtinere, ideoque peccare ſine ulla neceſſitate, quamvis non habeant libertatem tam expeditam quam habuit Adamus, quia agitantur inordinatis concupiſcentiæ motibus ad malum impellentibus, quibus caruit Adamus in ſtatu innocentiæ.

Itaque S. Aug. (ut ex eodem loco objecto patet) definitionem ſuam reſtringit ad peccatum Adami, quod tantummodo peccatum fuit, non etiam pœna peccati, quia in ſtatu naturæ lapſæ liberum nobis non eſt aliquibus carere, quæ ſunt peccata & ſimul pœna peccati ab Adamo commiſſi, a quo ei liberrimum fuit abſtinere. Peccatorum autem, quæ ſimul peccata & pœna peccati ſunt, exemplum affert S. Doctor. 1. In motibus inordinatis concupiſcentiæ, quibus carere nobis liberum non eſt, quique peccata dicuntur, quamvis improprie, quia ſunt effectus peccati & ad peccatum inclinant, immo vere & proprie peccata ſunt, ſi accedat voluntatis conſenſus, quamvis iis carere non potuerimus. 2. In iis, quæ contra Legem fiunt ex ignorantia vincibili etiam non affectata: nam ea peccata ſunt etiam proprie, quamvis licita & bona putentur, quia ignorantia vincibilis non excuſat a peccato proprie dicto; & ſunt pœna peccati quia ſunt effectus ignorantiæ, quæ eſt pœna peccati originalis; & ab iis non eſt liberum abſtinere ob neceſſitatem etiam phyſicam ſed conſequentem peccandi, quia impoſſibile eſt agentem non peccare ex hypotheſi quod aliquid malum libere agat, quamvis licitum & bonum eſſe putes ex ignorantia vincibili. 3. In peccato originali, quo infantes naſcuntur infecti, & quo nobis liberum non eſt carere, & tamen vere ac proprie peccatum eſt; & ſimul juxta S. Aug. eſt pœna peccati; nam S. Doctor conſtituit peccatum originale in concupiſcentia velut materiali, & in ipſomet actu Adami moraliter perſeverante velut formali: unde ſequitur peccatum originale eſſe etiam pœnam peccati ſecundum ſuum materiale conſtitutivum, cum concupiſcentia ſit pœna peccati originalis.

Hæc autem omnia dicit contra Pelagianos abutentes definitione illa, & docentes involuntarios concupiſcentiæ motus nullo ſenſu peccata dici poſſe, nulla dari peccata ignorantiæ, ſed ſolum ignorantiam affectatam eſſe culpabilem, & infantes ſine ullo peccato naſci.

Hic referre juvat ipſa Auguſt. verba in loco objecto: *Si tria iſta diſcernas, & ſcias aliud eſſe peccatum, aliud pœnam peccati, aliud utrumque, ideſt, ita peccatum, ut ipſum ſit etiam pœna peccati; intelligis quid horum trium pertineat ad illam definitionem, ubi voluntas eſt agendi quod juſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere. Peccatum namque iſto modo definitum eſt, non peccati pœna, non utrumque. Habent autem tria iſta genera etiam ſpecies ſuas ... Tertium genus, ubi peccatum ipſum eſt & pœna peccati, poteſt intelligi in eo qui dicit, quod nolo malum, hoc ago. Ad hoc pertinent etiam omnia, quæ per ignorantiam cum aguntur mala, non putantur mala, vel etiam putantur bona ... Pertinet originale peccatum ad hoc genus tertium, ubi ſic peccatum eſt, ut ipſum ſit & pœna peccati.*

*Inſt.* Eod. lib. n. 104. ſic de eadem definitione loquitur: *Iſta definitio peccati ejus eſt, quod peccatum tantummodo eſt, non quod etiam pœna peccati, qua periit libertas non peccandi, a quo malo non liberat niſi ille, cui non tantum dicimus, dimitte nobis debita noſtra; verum etiam, & ne nos inferas in tentationem, ſed libera nos a malo. Multum erras, qui vel neceſſitatem nullam putas eſſe peccandi, vel eam non intelligis illius peccati eſſe pœnam, quod nulla neceſſitate commiſſum eſt.*

*Reſp.* S. Doctor per libertatem non peccandi quæ periit, intelligit, non libertatem ſimpliciter, ſed libertatem non peccandi qualis fuit in ſtatu innocentiæ, quæ fuit facultas abſtinendi ab omni peccato cum ſumma facilitate. Et per neceſſitatem peccandi ex peccato Adami ortam non intelligit phyſicam & antecedentem neceſſitatem peccandi proprie, ſed intelligit tum neceſſitatem peccandi improprie per indeliberatos concupiſcentiæ motus, tum neceſſitatem phyſicam ſed conſequentem peccandi proprie per ignorantiam culpabilem, tum etiam neceſſitatem moralem peccandi ortam ex concupiſcentia effrænata, donec ab ejus motuum vehementia liberemur per juſtificationem & auxilia ei annexa, quæ majora & frequentiora ſunt iis quæ injuſtis dantur. Hæc autem triplex neceſſitas eſt effectus & pœna peccati originalis, & ea carebat Adamus in ſtatu innocentiæ ob integritatis donum, quo caro ſpiritui perfecte ſubjecta erat.



*Obj.* 6. Ex S. Auguſt. epiſt. 107. Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus.

*Reſp.* Per peccatum originale amiſimus quidem liberum arbitrium ad amandum Deum perfecte & ſuper omnia, ſed illud per Chriſtum recuperavimus.

*Obj.* 7. S. Auguſt. l. de perfectione juſtitiæ dixit ex libero Adami peccato ſubſecutam eſſe pœnalem vitioſitatem, quæ ex libertate fecit neceſſitatem.

*Reſp.* Hic per neceſſitatem intelligit, non neceſſitatem peccandi phyſicam & antecedentem, ſed neceſſitatem etiam phyſicam patiendi motus inordinatos concupiſcentiæ, ignorantiam, mortem, aliaſve miſerias, & neceſſitatem moralem peccandi ortam ex concupiſcentia.

*Obj.* 8. Ex S. Auguſt. homo in præſenti ſtatu non eſt liber niſi per gratiam Chriſti.

*Reſp.* Senſus eſt, hominem ſine gratia Chriſti non eſſe liberum a peccato, ſeu juſtificatum, non etiam liberum ad agendum ſalutariter, ſeu faciendum actus utiles ad ſalutem, neque ad agendum ullum bonum actum etiam ordinis naturalis, neque poſſe ſuperare gravem tentationem.

*Obj.* 9. Ex S. Auguſt. homo non fit liber ad vitandum peccatum niſi per gratiam liberantem. Ergo peccatores carent libertate ad non peccandum.

*Reſp.* Per gratiam liberantem vel intelligit gratiam actualem Chriſti Redemptoris corroborantem voluntatem adverſus concupiſcentiam; vel per eam intelligit gratiam habitualem juſtificantem, & ſolum vult hominem non eſſe niſi per gratiam juſtificantem liberum ad vitandum peccatum libertate quadam majore & potentiore, quacum facile concupiſcentiam vincit. At non loquitur de libertate mere ſufficiente ad vincendam concupiſcentiam, & ſic vitandum peccatum. Nam ſine gratia juſtificante homo habet libertatem per alia minora auxilia, quibuſcum concupiſcentiam vincere poteſt, & vinceret ſi vellet, quamvis cum tali libertate id non poſſit niſi difficile.

*Obj.* 10. Ex S. Auguſt. homines peccatores ſunt ſub ſervitute dæmonis, ſub dominatu concupiſcentiæ.

*Reſp.* Ex S. Doctore peccator eſt ſub ſervitute & tyrannide dæmonis, quatenus peccator privatur ſpeciali Dei protectione, qua dæmon cohibetur, graviores, & crebriores patitur tentationes, eiſque ſaltem ut plurimum cedit, & a dæmone regi ſe ſinit, utpote deſtitutus majoribus illis gratiæ auxiliis, quæ juſtis & amicis Dei reſervantur.

Item ex S. Auguſt. peccator ſubjicitur dominatui concupiſcentiæ, quatenus homo quamdiu eſt in ſtatu peccati, vehementiores & frequentiores concupiſcentiæ motus experitur, eiſque ut plurimum obſequitur utpote deſtitutus auxiliis illis gratiæ potentioribus & frequentioribus, quæ ſolis juſtis & amicis Dei conferuntur. Homo tamen ſub illa dæmonis & concupiſcentiæ ſervitute non habet neceſſitatem peccandi niſi moralem, quæ liberum arbitrium non adimit, nec caret gratia ſaltem remote ſufficiente ad vitandum peccatum.

*Obj.* 11. S. Auguſt. pluries aſſerit liberum arbitrium per peccatum Adami factum eſſe ſervum & captivum peccati.

*Reſp.* Per ſervitutem illam & captivitatem intelligit magnam propenſionem ad malum propter concupiſcentiam effrænatam, ex peccato Adami ortam, vi cujus homo in peccata ſæpiſſime labitur, donec liberetur per gratiam ſanctificantem & adjuvetur per auxilia gratiæ ſanctificanti annexa. Sed hæc magna propenſio ad malum facit tantum moralem peccandi neceſſitatem, ſeu magnam difficultatem abſtinendi a peccato, quæ nunquam ſuperatur ſine ſpeciali gratiæ auxilio, ſed tamen ſuperari poteſt cum gratiis ordinariis.

*Ceteræ objectiones diluuntur in Tractatu de Gratia.*

*Nota.* 1. Cum libertas generatim ſit immunitas, per libertatem S. Auguſt. in variis locis intelligit immunitatem vel a peccato, vel a ſervitute dæmonis, vel a concupiſcentia, vel a miſeriis ſive corporalibus ſive ſpiritualibus, vel a difficultate in bono agendo & malo vitando, vel etiam a coactione ſive perfecta ſive imperfecta, nam utramque pati poſſunt homines a concupiſcentia. Duplex quippe eſt coactio, nempe perfecta, & imperfecta. Coactio perfecta eſt ea, qua aliquid patimur omnino inviti & reluctantes, ut cum quis plane invitus & reluctans detruditur in carcerem. Coactio imperfecta & ſecundum quid eſt ea, qua aliquid facimus vel patimur conſentientes quidem, ſed cum aliqua repugnantia; ſic naufragii metus mercatorem cogit ad projiciendas merces. Itaque homines poſſunt utramque coactionem pati a concupiſcentia. Sic quando homo voluntate nil omnino conferente, ſed quantum poteſt reluctante patitur inordinatos concupiſcentiæ motus, coactione perfecta cogitur ad ſentiendam motionem ad malum, & dicitur captivari a concupiſcentia. E contra cum concupiſcentia ad conſenſum pertrahit hominem, qui conſentit cum aliqua repugnantia, tunc is a concupiſcentia cogi dicitur coactione imperfecta & ſecundum quid. At præter has libertates, aliam nempe libertatem ab omni neceſſitate phyſica antecedente & intrinſeca pluribus locis admittit S. Auguſt.

*Nota* 2. A S. Auguſt. *coactio* & *cogo* ſæpe ſumuntur pro verbo *neceſſito* quacumque neceſſitate ſive violenta ſive non violenta, immo pro minis, vel vehementi ſuaſione, ut conſtat ex variis locis, ut lib. 1. retract. c. 15. ubi de primis parentibus loquens ait: *Qui primi in Paradiſo fuerunt humano generi origo mali, nullo cogente, peccando, hoc eſt libera voluntate peccando; quia & ſcientes contra præceptum fecerunt, & ille tentator ſuaſit, ut hoc fieret, non coegit.* Ubi verbum *cogo* ſumitur late pro inferre quamcumque neceſſitatem etiam voluntariam. Nam adverſarii in Adamo innocente admittunt libertatem non ſolum a coactione proprie dicta; ſed etiam ab omni neceſſitate ſimplici. Et vero verbum *cogo* latine ſignificat idem ac gallice vox *preſſer*; ſic Horatius ep. 9. ait *Cum rogat, & prece cogit.* Sic etiam extra ſcholas quotidiano uſu

dicimus, tu me coegiſti ad hoc faciendum, id eſt vehementer impuliſti.

*Nota* 3. Ex S. Auguſt. duplex eſt libertatis ſpecies; alia immutabilis, remanens in cælo, cujus objectum eſt bonum & beatitudo ipſa, quæ libertas eſt ipſamet voluntas ſeu volendi facultas, & ipſa libertas ſpontaneitatis voluntari eſſentialis & identificata. Altera conſiſtit in potentia eligendi, ſeu volendi & non volendi, requiſita ad meritum & demeritum, viatorum propria, cujus objectum ſunt media.

Item juxta S. Doctorem duplex eſt virtutis ſpecies: prima eſt virtus propria libertatis ſpontaneitatis & beatorum, nempe impeccabilitas, & immobilitas in bono; alia eſt propria hujus ſtatus, & ſola meritoria.

*Nota* 4. Cum S. Auguſt. tribuit laudem actibus neceſſariis, v. g. amori beatifico Angelorum, ſumit laudem in ſenſu latiori, nempe pro honore; non autem proprie & ſtricte, nempe pro teſtificatione ad excellentiam alicujus propter actum virtutis quem omittere poterat, & qui per ſe dignus eſt præmio, ſi ſubjectum ſit illius capax.

### ARTICULUS V.

*De ſubjecto, objecto, & exercitio libertatis.*

Quæres 1. *Quodnam ſit ſubjectum libertatis.*

*Nota*. Subjectum libertatis aliud eſt immediatum, & eſt facultas illa quæ dicitur libera; aliud immediatum ſeu denominationis, & eſt natura ſeu ſuppoſitum, cui libertas convenit.

*Reſp.* 1. Subjectum libertatis immediatum eſt ſola voluntas: quia in ſola voluntate reſidet formaliter libertas. Nam libertas eſt vis electiva. Sed vis electiva eſt in ſola voluntate; nam ſola voluntas poteſt eligere; eligere enim eſt unum velle præ alio, vel unum & idem potius velle, quam non velle. Ergo.

Libertas tamen arbitrii eſt formaliter in ſola voluntate, cum ſola ſit facultas electiva, facultas ſui ipſius determinativa, & actuum ſuorum domina, ut tamen ſit etiam aliquo modo in intellectu nempe radicaliter, quatenus voluntas non eſt libera niſi dependenter ab intellectu: nam voluntas non poteſt unum præ alio eligere, niſi dependenter ab intellectu proponente objectum partim ſub ratione boni, partim ſub ratione mali, vel boni limitati aut ardui.

Porro ad rationem libertatis ſufficit apprehenſio compoſita, repræſentans objectum partim ut bonum, partim ut malum, vel ut bonum limitatum aut arduum.

*Reſp.* 2. Subjectum denominationis libertatis eſt omnis & ſola natura intellectualis; nam omnis & ſola natura intellectualis cognoſcit finem, & media, ut media, & ſic omnis & ſola poteſt unum præ alio eligere.

*Quæres* 2. *Quodnam ſit objectum libertatis, ſive quodnam ſit illud circa quod voluntas verſari poteſt per ſuam electionem, illud volendo, vel reſpuendo.*

*Reſp.* 1. Finis ultimus conſideratus ſecundum communem beatitudinis rationem, ſeu beatitudo generatim & indeterminate ſumpta, hoc eſt, non determinata ad aliquod objectum particulare, item bonum in communi non poteſt eſſe objectum libertatis.

*Prob.* Quia ad utrumque voluntas neceſſariam habet inclinationem a natura inſitam. Nam non ex propria electione, ſed ex inſtinctu naturali volumus eſſe felices; nec quiſquam vere velle poteſt eſſe infelix. Unde nemo unquam vere deliberavit utrum beatus eſſe vellet, ſed dumtaxat de mediis quibus beatus eſſe vellet.

Hinc ſummum bonum clare & in ſe viſum non eſt objectum libertatis. Hinc etiam voluntas non poteſt non appetere beatitudinem actu cogitatam, licet poſſit de illa non cogitare.

Liberum tamen arbitrium, quale eſt in homine viatore, verſari poteſt circa finem ultimum ſumptum materialiter; ut aiunt, hoc eſt, circa objectum, quod eſt re ipſa finis ultimus & beatitudo objectiva, nempe Deum. Nam ſæpe homines deliberant, utrum beatitudinem ſuam in Deo, aut in creaturis conſtituere ac quærere debeant ſeu velint; & re ipſa cum ſumma Dei injuria & ſummo ſuo malo in creaturis conſtituunt & quærunt. Sed hoc eſt per accidens reſpectu libertatis noſtræ: quatenus in hac vita Deus obſcure cognoſcitur.

*Reſp.* 2. Objectum libertatis noſtræ ſunt omnia bona particularia ſive vera, ſive apparentia tantum. Nam cum iſta nobis exhibeantur cum admixtione alicujus mali veri vel apparentis tantum, aut ſaltem ut finita, inſufficientia & defectibilia, poſſunt a nobis eligi vel reſpui pro arbitrio.

*Quæres* 3. *Utrum poſſit dari omiſſio pura libera?*

*Reſp.* Hæc quæſtio eſt mere philoſophica. Id unum ad Theologum pertinet, ſcilicet quod ex hypotheſi quod detur reſpectu actus præcepti, ſit verum peccatum imputabile. Quia omiſſio illa eſt virtuale & interpretativum libertatis exercitium. Nam ſi poſitis omnibus ad agendum requiſitis voluntas abſtinet ab omni actu, tunc libere non vult, libere non agit, & perinde ſe habet in æſtimatione prudenti, & in ordine ad imputabilitatem, ac ſi poſitive nollet, poſitive vellet non agere; ac proinde tunc virtualiter & interpretative libertatem ſuam exercet, virtualiter & interpretative volendo non agere, ideoque peccat.

## CAPUT III.

*De bonitate & malitia Actuum humanorum.*

### ARTICULUS I.

*Quid requiritur, ut actus ſit bonus.*

*Nota* 1. Actio humana tum interna tum externa conſiderari poteſt dupliciter, nempe in genere naturæ, & in genere moris (1). Spectatur in genere naturæ, cum ſpectatur ſecundum ſuum eſſe phyſicum ſeu entitatem ſuam. Spectatur in genere moris, cum ſpectatur ſecundum libertatem, & honeſtatem vel malitiam moralem, & capacitatem laudis vel vituperii, meriti vel demeriti. Hic autem ſpectatur tantum hoc ultimo modo (1).

(1) *De hac duplici actionum eſſentia Vid.* N. 147. 148. *Cum eo priore loco a nobis dictum fuerit* 1. *inter prædicata eſſentialia actus humani* phyſice *conſiderati ea duo computari, quæ conceptu* voluntarii *concluduntur, ſcilicet quod actus fiat ex voluntatis inclinatione, & intellectus cognitione:* 2. *ejuſdem actus* phyſice *ſpectati* accidentalem *dumtaxat perfectionem eſſe, quod* libere *producatur: duplex exinde in quorumdam animis ſuboriri poteſt difficultas. Nam ex priore aſſertione conſequens videtur, quemlibet actum eſſe neceſſario fœtum deliberatæ voluntatis, adeoque nullum dari* involuntarium naturale, & hominis *tantum: quod repugnat N.* 91. 96. *& aliis paſſim; poſteriore vero labefactari videtur libertas humanarum actionum a Catholicis propugnata. Ut huic ſecundæ difficultati ſtatim occurramus, non eſt cur piæ aures offendantur, quoties* actum *liberum a* potentia *libere operandi lubeat diſtinguere. Utrum actui libertas ſit neceſſario intrinſeca, aut potius extrinſeca, eſt quæſtio adiaphora, in qua Scholaſtici Doctores diverſa pronuntiant incolumi Chriſtiana Fide; adeoque nobis quoque fas eſt alterutri diſputantium parti pro libitu accedere. Sed an potentia agendi, quæ ineſt homini ipſo, prædita ſit libertate indifferentiæ in aliquo ſaltem rerum genere* (n. 103.) *concors aſſirmantium Catholicorum vox eſt: & hanc potentiæ intrinſecam libertatem conſtanter in homine perdurare, etiam ubi in actus ipſe erumpit minime liberos, duce Angelico* (n. 236.) *demonſtravimus. Primam autem difficultatem ſic amovemus. Loco indicato perpenditur ſpeciatim actus reipſa* humanus *ſeu* moralis, *cujus idea compoſita uſitato apud Morales ſermone dicitur complecti* eſſentialiter *plura attributa, ſive proprietates*, voluntarietatis, libertatis, imputabilitatis, &c. *Facta ſubinde hujuſce actus quadam veluti analyſi, diſtinctaque duplici ejuſdem eſſentia (phyſica ſcilicet & morali) declaratur, qualis neceſſitatis ſit attributum* liberi, *ſtatuendo, illud actui convenire* accidentario (*opinione noſtra, itemque aliorum*) *ſecundum genus* naturæ; *ſed* eſſentialiter *ſecundum genus moris, quia nempe ex univerſorum Theologorum ſenſu libertas aut eſt forma conſtitutiva moralitatis, aut proprietas maxime neceſſaria, & proxime inducens moralitatem. Tum quaſi comparando liberum cum alio attributo* voluntarii, *ad actum humanum pariter concurrente, eam aſſertionem, quæ præſentis dubii occaſio eſt, protulimus, hoc unum ſignificare volentes: attributum voluntarii* (quatenus *ab Auctoribus ſolet una cum libero recenſeri inter* eſſentialia *humani actus*) *e converſo referendum magis ad phyſicum quam ad morale genus actionis: quia nimirum etſi omnes voluntarium requirant ad actum moralem, nullus tamen moralitatis formam, aut radicem proximam in eo recognoſcit. Porro ex hoc genuino illius noſtræ aſſertionis ſenſu quiſque intelliget, nos voluntarietatem vocaſſe eſſentialem actui humano phyſice conſiderato, non* univerſim & abſolute, *quaſi quilibet actus præciſe ſpectatus quoad ſuam naturam & entitatem debeat prodire a voluntate deliberata: ſed dumtaxat* hypothetice, *quando aliquis particularis actus eſt reipſa productus humano modo, &* comparative *in ſenſu jam explicato. Hæc autem animadverſio, ut reor, ſufficiet ad propulſandam a noſtra doctrina omnem ſeu abſurditatis ſeu antilogiæ notam.*



*Nota* 2. Actus humani duplex diſtinguitur bonitas, nempe traſcendentalis, & moralis. Bonitas moralis, de qua ſola agitur, eſt bonitas in ordine ad mores, & ſubdividitur in materialem & formalem. (Vid. N. 280. 281.) Bonitas materialis conſiſtit in ſpeciali conformitate ſeu convenientia actus cum natura rationali ſeu intellectuali ut intellectuali; malitia vero materialis conſiſtit in difformitate & diſconvenientia cum natura intellectuali ut intellectuali. Ideo enim actus aliquis eſt bonus moraliter, quia convenit naturæ intellectuali. Ita ut hanc dedeceat illum facere. Quare bonitas moralis idem eſt ac honeſtas, & malitia moralis eſt inhoneſtas ſeu turpitudo. (2)

Bonitas formalis eſt materialis bonitatis imputabilitas ad laudem & meritum, quæ adeſt, cum actus honeſtus, ſed conformis naturæ intellectuali ut intellectuali, fit libere. Tunc enim bonitas ejus in laudem & meritum imputabilis eſt, & ipſe actus eſt complete ac ſimpliciter moralis, ſeu formaliter moralis. Hæc autem imputabilitas nihil aliud eſt, quam denominatio extrinſeca, petita a voluntate ſcienter ac libere actum ſuum exercente modo decenti naturam rationalem.

Porro bonitas actus dicitur moralis, quia pertinet ad virtutes, a quibus homines denominantur boni

(1) *Quamquam morales Theologi pro ſuo inſtituto ſolum genus* moris *in humanis actionibus conſiderent; nihilominus, ut de iiſdem hoc modo ſpectatis ſcite pronuntiare poſſint, debent &* phyſicum *illarum genus ex Pſycologia* (n. 83.) *aliiſve Facultatibus cognatis perſpectum habere: alioquin periculum erit, ne actiones, quæ in primo ſiſtunt naturæ genere, ad genus alterum moris minus recto judicio* (n. 95.) *transferant. Oportet hoc ſolerter obſervare, ubi ſingulares actus, cujuſvis quidem potentiæ a voluntate diſtinctæ, ſed præſertim* exteriorum *ſenſuum, atque* motricis (*n.* 104. *uſque ad* 111.) *dijudicandi ſunt. Interdum namque contingere poteſt, ut ex. gr. quis ſui ipſius, ſuorumque membrorum pervigil cuſtos gerat animo fixas turpes ac nefandas perceptiones rerum, quæ antea vel* fortuito *ſenſibus extrinſecus oblatæ, vel dæmonis* arte *intus repræſentatæ fuerunt: inde vividum voluptatis ſenſum in ſe ipſo experiatur: præterea appetitum ſeu propenſionem erga eaſdem vehementem ſentiat. Et tamen nihil horum trium ad genus moris pertinebit, quoniam ex una parte juxta Pſycologos naturaliter ac neceſſario ea eveniunt in anima, ſemel ac objectum ſenſuum organa percellens certas motiones ope nervorum in cerebro produxit: ex alia vero nullus adhuc voluntatis aſſenſus acceſſit, a quo moralitas maxime pendet, juxta illud Seraphici* (n. 135.) ibi genus moris primo incipit, ubi dominium voluntatis invenitur. *Immo & aſſenſus ipſe perverſæ inclinationi præſtitus poteſt quandoque morali culpa vacare, utpote non liber ob vehementiam prævii ſenſus, qui nullum menti locum reliquit ad animadvertendam turpitudinem ipſius inclinationis.*

(2) *Vid. N.* 256. *uſque ad* 260. *ubi momentoſam invenies doctrinam de* bono, *ac* malo *morali: quam omnes quidem facile mente apprehendunt, ſed pauci opere ſectantur, quia nimirum prudentia carnis dominatum habet in mundo ampliſſimum.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

boni moraliter : & quia imputabilis eſt (1) ad laudem & meritum, ſi actus libere fiat. (2)

*Nota* 3. Præter moralem bonitatem actus interni tum materialem tum formalem, datur bonitas objectiva moralis (Vid. N. 279.), quæ eſt id, vi cujus res aliqua appeti poteſt modo decenti naturam intellectualem, & conſiſtit in ſpeciali conformitate ac convenientia, quam objectum habet cum natura intellectuali ut intellectuali: nihilque aliud eſt realiter, quam objectum ipſum conforme ſeu conveniens naturæ intellectuali ut intellectuali. Bonitas autem moralis ratione prior eſt, quam moralis bonitas actus; nam objectum aliquod non habet ſpecialem conformitatem ac convenientiam cum natura intellectuali quia appetitur modo decenti naturam rationalem; ſed e contra appetitur modo decenti naturam rationalem, quia ſpecialem habet conformitatem cum natura rationali quatenus rationalis eſt. Hæc bonitas dicitur objectiva, quia apta eſt eſſe objectum tum terminativum tum motivum actus interni. Dicitur etiam moralis, quia pertinet ad mores, & per modum objecti facit actum internum bonum moraliter.

*Nota* 4. Objectum voluntatis (3) duplex eſt, nempe materiale, & formale. Objectum materiale eſt id quod voluntas appetit vel refugit. Objectum formale eſt id propter quod voluntas appetit vel refugit aliquid, unde dicitur etiam motivum & finis actus. Actus autem internus bonus ſpeciem ſumit non ab objecto materiali, ſed a formali, a quo ſolo accipit ultimam ſuam differentiam eſſentialem. Hinc actus habentes idem objectum formale, licet habeant diverſa objecta materialia, ſunt ejuſdem ſpeciei: ſic actus, quo amatur Deus propter ſuam bonitatem abſolutam, & actus quo amatur proximus propter eamdem bonitatem divinam, ſunt ejuſdem ſpeciei, nempe ſunt actus caritatis. E contra actus habentes diverſa objecta formalia, licet habeant idem objectum materiale, ſunt diverſæ ſpeciei, ut actus quo amatur Deus quia in ſe bonus eſt, & actus quo amatur Deus quia eſt ſummum noſtrum bonum: nam prior eſt actus caritatis, alter vero actus amoris concupiſcentiæ ſeu ſpei.

*Nota* 5. Agitur hic ſolum de bonitate materiali, nam ſupponitur actus libere fieri, ideoque habere bonitatem formalem, ſi habeat materialem.

Dico 1. Ut actus ſit bonus bonitate ſcilicet materiali, neceſſe eſt, ut habeat tum objectum bonum, vel de ſe indifferens, ſed conducibile ad finem bonum ſeu honeſtum, tum finem honeſtum, tum circumſtantias objecto debitas. (4)

*Prob.* Quia ſi unum ex his deſit, actus hoc ipſo non habet ſpecialem conformitatem ſeu convenientiam cum natura intellectuali ut intellectuali; nam non tendit decenter & conformiter naturæ intellectuali in objectum, finem, & circumſtantias: unde non approbatur a recta ratione, ſed improbatur. Enimvero recta ratio dictat, eum ſolum actum eſſe dignum & laudabilem, qui habet objectum legitimum, finem honeſtum, & circumſtantias objecto debitas. Hinc illud axioma ab omnibus receptum: *Bonum ex integra cauſſa, malum ex quolibet defectu.*

Dico 2. Ut actus internus proſecutivus ſumat bonitatem ab objecto habente bonitatem objectivam, non ſufficit quod hæc bonitas ſit cognita, ſed debet eſſe formaliter, directe, & ſecundum ſe volita, & eſſe aliqua ratione motivum proſequendi objectum. (5)

*Prob.* 1. Ex S. Aug. in Pſ. 41. *Bonum opus intentio facit: Non valde attendas quid homo faciat, ſed quid cum facit, aſpiciat.*

2. Ex S. Th. 1. 2. q. 19. art. 7. ad 3. *Malum contingit ex ſingularibus defectibus, bonum autem ex tota & integra cauſſa. Unde ſive voluntas ſit ejus quod eſt ſecundum ſe malum, & ſub ratione boni: ſive ſit boni ſub ratione mali, ſemper voluntas erit mala. Sed ad hoc quod ſit voluntas bona, requiritur quod ſit boni ſub ratione boni, id eſt, quod velit bonum & propter bonum.*

3. Ex Ariſtot. 2. Ethic. c. 4. *Ut aliquis ſit temperans & juſtus, temperateque ac juſte agere dicatur, non ſatis eſt ut juſta agat & temperata; ſed oportet ut ſit eligens propter ipſa*, hoc eſt, ut eligat juſta quia juſta, & temperata quia temperata.

4. Ratione. Quia ut actus proſecutivus ſit bonus, debet appetere objectum modo decenti naturam rationalem; alioqui actus non convenit naturæ rationali nec illam decet. Atqui actus non appetit objectum modo decenti naturam rationalem, niſi illud appetat propter motivum conveniens naturæ rationali ut rationali, ideoque propter honeſtatem: nam ſi appetat propter motivum inferius, jam non appetit modo decenti naturam rationalem. Ergo ut actus proſecutivus ſit bonus, debet appetere objectum propter honeſtatem ſeu bonitatem moralem.

*Obj.* Ut actus ſit malus ſufficit quod malitia objecti ſit indirecte volita, id eſt: ut cognoſcatur conjuncta cum eo quod appetitur, licet ipſa ſecundum ſe diſpliceat. Ergo ut actus ſit bonus, ſufficit ut cognoſcatur bonitas moralis.

*Reſp.* Nego conſeq. (Vid. N. 313.) Diſparitas eſt, quod bonitas moralis ſeu honeſtas ſit appetibilis propter ſe directe & ſecundum ſe, exigatque ſic appeti; Quare ut quis ſecundum rectam rationem agat, debet velle bonitatem directe ac ſecundum ſe. At malitia actus exigit quovis modo fugi. Quare contra rectam rationem agit, qui eam quovis modo etiam indirecto & interpretativo appetit. Hinc qui ſe inebriat, quamvis non velit directe privationem uſus rationis & malitiam ebrietatis, ſed ſolum delectationem quæ in potando percipitur, turpiter agit & peccat.

(1) *De imputabilitate actionum moralium Vid. integram Sect. VI. Art. V. nempe N.* 390. *uſq; ad* 306.

(2) *Auctor tum hic, tum in Nota* 1. & 5. *videtur ſtare pro illa ſententia, quæ moralitatis eſſentiam in libertate reponit, ſecus ac Subtili Magiſtro, nobiſque (n.* 251. 391.*) perſuaſum ſit.*

(3) *De objecto voluntatis, ejuſque actionum nonnulla delibata N.* 283. 284. 320.

(4) *Hæc prima theſis accipienda de bonitate ac malitiæ, ut nos loquimur*, objectiva, *quare ad eam illuſtrandam, ac firmandam quadrant, quæ de objecto, fine & circumſtantiis reliquis, diſtincte tradidimus* n. 282. uſque ad 318.

(5) *Iſta theſis ſecunda ſumenda de* formali, *ut nos dicimus*, bonitate: *de qua Vid. N.* 318. 319. *Quod ſpectat ad* formalem *itidem* malitiam *actuum, ea ſpecialem ac diverſam poſtulat theſim, quam Auctor omittit, nos autem n.* 311. *poſuimus ſeorſim a priore.*



Dico 3. Ut actus internus averſativus objecti mali ſit bonus, debet illud averſari propter finem honeſtum.

*Prob.* Ut actus averſativus objecti mali ſit bonus, debet illud averſari modo decenti naturam rationalem ut rationalem. Atqui non averſatur illud tali modo, niſi averſetur illud propter motivum aliquod honeſtum. Ergo ut ejuſmodi actus ſit bonus, debet averſari objectum malum propter motivum aliquod honeſtum. Minor patet; nam averſari objectum malum modo decenti naturam rationalem, eſt illud averſari propter motivum decens naturam rationalem; ideoque illi conveniens & conforme, proindeque honeſtum.

*Obj.* Actus quo voluntas averſatur objectum malum propter ſolam ejus malitiam, & nullatenus propter bonitatem aliquam, eſt bonus moraliter. Ergo.

*Reſp.* Antecedens ſupponit falſum. Nam voluntas averſari non poteſt objectum malum propter ſolam ejus malitiam tamquam unicum motivum; quia odium malitiæ vitii neceſſario fundatur in amore objectivæ bonitatis virtutis oppoſitæ, illumque neceſſario ſupponit. Unde nemo odit malitiam alicujus vitii propter ſe, niſi amet, & quia amat bonitatem ac pulcritudinem virtutis oppoſitæ. (1)

Porro objectiva bonitas ſeu pulcritudo virtutis eſt ejus conformitas ac convenientia ſpecialis cum natura rationali ut rationali: ſicut malitia ſeu turpitudo objectiva vitii eſt ejus diſformitas & diſconvenientia ſpecialis cum natura rationali ut rationali.

## ARTICULUS II.

### *Utrum actus interni ſumant bonitatem a fine extrinſeco & circumſtantiis.*

NOta 1. (2) Agitur hic de fine extrinſeco (3) ex ſe bono: nam actus internus nullam poteſt ſumere bonitatem ab objecto indifferenti. Objectum enim eatenus bonitatem actui interno dare poteſt, quatenus ex ſe habet id, vi cujus voluntas in illud tendere poteſt decenter ac conformiter naturæ rationali: ſiquidem materialis bonitas actus nil aliud eſt, quam actus conformitas cum natura rationali. Objectum autem de ſe indifferens non habet id, vi cujus voluntas in illud tendere poteſt decenter naturæ rationali: alioqui jam eſſet bonum, non indifferens.

*Nota* 2. Circumſtantia moralis (4) eſt affectio accidentalis actui ſpectato in genere moris, aliquid tamen ad bonitatem vel malitiam illius conferens. Circumſtantiæ aliæ augent vel minuunt tantum bonitatem, aut malitiam moralem infra eamdem ſpeciem; aliæ vero mutant ſpeciem, hoc eſt, novam ſpeciem bonitatis, vel malitiæ dant vel addunt ſpeciei actus humani. (5)

Porro circumſtantia ſpeciem mutans eſt quidem eſſentialis actui humano adæquate ſumpto ſecundum omnes bonitates, vel malitias ſpecie diverſas, quas habet: at eſt accidentalis eidem actui inadæquate ſumpto, nempe ſecundum ſpeciem bonitatis vel malitiæ; cui altera bonitatis vel malitiæ ſpecies ſupervenit.

*Nota* 3. Circumſtantiæ ſeptem vulgo aſſignantur (Vid. N. 289. & tribus ſeq.) hoc verſu contentæ, *quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.*

Tamen motivum actus ſignificatum voce *cur*, non eſt proprie circumſtantia, quia finis ſeu motivum dat ſpeciem actui humano.

*Nota* 4. Agitur hic ſolum de circumſtantiis ſe tenentibus ex parte objecti, & aliquam bonitatem moralem habentibus, non vero de circumſtantiis ſe tenentibus ex parte actus, ut ſunt intenſio, duratio &c. Nam certum eſt, actum ab his aliquam bonitatem moralem ſumere.

*Notæ* 5. Actus alio melior eſſe poteſt tripliciter, nempe eſſentialiter, intenſive, & extenſive. Melior eſt eſſentialiter, dum ſit ex perfectiore motivo. Melior eſt intenſive, dum ſit cum majore conatu potentiæ, ſeu ardore & vehementia. Denique eſt melior extenſive, cum ſe extendit ad plura objecta bona, ſeu honeſta quatenus honeſta.

Dico 1. (6) Actus voluntatis ſumit bonitatem in aliqua ſpecie virtutis a fine extrinſeco, quando voluntas propter ejus bonitatem tamquam motivum proſe-

(1) Odium cauſſari ex amore, *ſic probat Doctor Angelicus* (1. 2. q. 29. art. 2.) Sicut dictum eſt, ar. 1. amor conſiſtit in quadam convenientia amantis ad amatum; odium vero conſiſtit in quadam repugnantia vel diſſonantia. Oportet autem in quolibet prius conſiderare, quid ei conveniat, quam quid ei repugnet. Per hoc enim aliquid eſt repugnans alteri, quia eſt corruptivum, vel impeditivum ejus, quod eſt conveniens. Unde neceſſe eſt, quod amor ſit prior odio, & quod nihil odio habeatur, niſi per hoc quod contrariatur convenienti, quod amatur, & ſecundum hoc omne odium ex amore cauſſatur.

(2) *Quæcumque Auctor tradit ſeu in præſenti Art. ſeu in præcedenti, ac ſubſequente, univerſa referuntur partim ad originem, partim ad ſubjectum moralitatis. Aſt in exponenda tali doctrina, earum quæ ad iſtum Tractatum pertinent ferme præcipua, nec claritati, & diſtinctioni idearum ſatis conſuluiſſe, nec germanæ methodi leges accurate ſervaſſe, nec omnia ſcitu neceſſaria attigiſſe videtur, ni mea me fallit apprehenſio. Quare ſi cui placuerit noſtra ad utrumque argumentum illuſtrandum exarata in* IV. & V. *Sect. Art.* V. *ex toto perlegere, is forſitan operam minime perdet. De origine ſeu fontibus moralitatis Vid. N.* 270. *uſque ad* 310. *item N.* 318. *uſque ad* 322. *De ſubjecto Vid. N.* 377. *uſque ad* 384. *Recuſanti vero hunc laborem grave non ſit ſaltem adire loca indicata in notis ſequentibus.*

(3) *Vid. definitionem, ac diviſionem* Finis *N.* 199.

(4) *An, & quænam* Circumſtantiæ *attendendæ in moralitatis negotio Vid.* 286. 287. 288.

(5) *De vario Circumſtantiarum effectu, ac multiplici* diviſione *Vid. N.* 293. *uſque ad* 299.

(6) *Diverſum hunc finis extrinſeci, ac reliquarum Circumſtantiarum influxum in humanas actiones, quem Auctor tribus concluſionibus adſtruit, nos de fine ſeorſim loquentes declaravimus* quatuor *diſtinctis theſibus* N. 302. *uſque ad* 310.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

proſequitur objectum aliquod de ſe indifferens, vel etiam bonum.

*Prob.* Quia tunc actus eſt moraliter bonus in aliqua ſpecie virtutis propter bonitatem finis extrinſeci. Nam in objectum ſuum tendit modo naturam rationalem ſpecialiter decenti: objectum enim illud ſeu finis extrinſecus ſpecialem habet conformitatem & convenientiam cum natura rationali, ideoque ſpecialem bonitatem objectivam.

Quod ſi objectum materiale, ſeu objectum quod voluntas propter finem extrinſecum appetit, ſit bonum, & voluntas illud non ſolum propter bonitatem objectivam finis extrinſeci, ſed etiam propter ſpecialem illius objectivam bonitatem appetat; tunc actus voluntatis moraliter bonus eſt in duplici ſpecie virtutis, nempe in ſpecie virtutis ad quam pertinet bonitas finis, & in ſpecie alterius virtutis ad quam pertinet bonitas objecti materialis, ſicque actus voluntatis eſt duplicis virtutis. Si vero voluntas non appetat objectum bonum niſi propter bonitatem finis extrinſeci, tunc actus voluntatis eſt tantum in unica ſpecie virtutis, illius nempe cujus eſt bonitas finis extrinſeci, ſicque eſt actus unius tantum virtutis. Ratio eſt, quia in primo caſu actus duplicem habet modum tendendi in objectum ſpecialiter naturam rationalem decens, in ſecundo vero unicum habet.

Hinc qui vult eſſe temperans ut ſit caſtus, ſi tum temperantiæ, tum caſtitatis bonitate objectiva afficitur, actus ille eſt ſimul actus internus temperantiæ & caſtitatis. Si autem ſola bonitate objectiva caſtitatis afficitur, actus ille eſt ſolius caſtitatis actus.

Dico 2. Actus voluntatis ſumit etiam bonitatem a fine extrinſeco bono, quando voluntas propter bonitatem illius averſatur objectum aliquod ex ſe malum, vel indifferens.

*Prob.* Quia voluntatis actus tendit in objectum ſuum modo naturam rationalem ſpecialiter decenti propter ſpecialem conformitatem & convenientiam, quam finis extrinſecus habet cum natura rationali ut rationali: ac proinde ſpecialem habet bonitatem propter illam ſpecialem conformitatem, & conſequenter eſt in aliqua ſpecie virtutis, cum omnis ſpecialis bonitas ſeu honeſtas ſit aliqua ſpecies virtutis.

Dico 3. Actus voluntatis a circumſtantiis bonis ſeu convenientibus bonitatem ſumit, etiam ſpecie diverſam a bonitate objecti, ſi illarum bonitas ſit ſpecie diverſa a bonitate objecti, & propter ſe appetatur.

*Prob.* Quia tunc actus voluntatis tendit in objectum modo naturam rationalem ſpecialiter decenti, non ſolum propter bonitatem objecti propriam, ſed etiam ob bonitatem circumſtantiarum propriam. Ergo actus voluntatis præter bonitatem objecti propriam, habet etiam bonitatem circumſtantiarum propriam, cum voluntas utramque propter ſe velit. Hinc volitio ſublevandi miſeriam patris pauperis, & quia pauper, & quia pater eſt, duplicem habet bonitatem ſeu honeſtatem in duplici ſpecie virtutis, nempe miſericordiæ & pietatis.

Quod ſi circumſtantia habet bonitatem eadem ſpecie cum bonitate objecti, tunc auget ſolum bonitatem actus interni intra eandem ſpeciem, & actus melior eſt extenſive.

### ARTICULUS III. (1)

*Unde actus internus ſumat malitiam, & quid ad hoc requiratur.*

NOta 1. Moralis malitia actus duplex eſt, nempe materialis & formalis. Malitia materialis conſiſtit in difformitate & diſconvenientia actus cum natura rationali ut rationali. Nam hoc ipſo actus intelligitur malus, quod diſconvenit naturæ rationali ut rationali, ſeu illam dedecet. Malum enim relativum eſt aliquid diſconveniens. Hæc autem difformitas ſeu diſconvenientia cum natura rationali, proindeque cum Lege divina, dicitur malitia moralis, quia facit malos mores, & repugnat regulæ morum.

Malitia formalis eſt materialis malitiæ imputabilitas ad vituperium & pœnam. Nam ſi actus diſconveniens naturæ rationali fiat libere, & cum cognitione, vel cum ignorantia aut inadvertentia culpabili malitiæ, hoc ipſo malitia actus interni imputabilis eſt, & imputatur ad vituperium, culpam, & pœnam, atque ita actus internus eſt complete & ſimpliciter moralis. Si autem non ſic fiat, malitia materialis imputari non poteſt ad culpam & pœnam, & ſic actus non eſt niſi inchoate & ſecundum quid moralis.

Itaque actus malus adæquate moralis eſt actus diſconveniens naturæ rationali imputabilis ad vituperium, culpam, & pœnam: Hæc autem malitiæ imputabilitas eſt denominatio extrinſeca petita a voluntate decenter ac diſconvenienter naturæ rationali agente libere, & ſcienter, vel ſaltem cum ignorantia aut inadvertentia vincibili diſconvenientiæ actus cum natura rationali & Lege divina.

*Nota* 2. Præter actus interni malitiam materialem & formalem, eſt etiam malitia objectiva moralis, quæ eſt ſpecialis difformitas ac diſconvenientia, quam habet objectum cum natura rationali ut rationali. Hæc autem ratione prior eſt malitia actus interni. Nam res non habet malitiam objectivam, quia appetitur dedecenter ac diſconvenienter naturæ rationali; ſed e contra appetitur dedecenter & diſconvenienter naturæ rationali, quia habet malitiam objectivam.

(1) *Ad evitandam confuſionem duplex obſerva diſcrimen inter methodum Auctoris, & noſtram. Primo nos tum de* origine, *tum de* ſubjecto *moralitatis tractantes* (in IV. & V. *Sect. Art.* V.) *exemplo aliorum Scriptorum, præſertimque Angelici* (1.2.q.18. & 19.) *moralitatem univerſim ſpectavimus prout ambas ſupremas ſpecies,* bonitatem *ſcilicet ac* malitiam, *ambitu ſuo complectitur, dicendo ex ca. actum ſumere* bonitatem, *vel* malitiam *ex objecto, & circumſtantiis:* bonitatem, *vel* malitiam *internis, externiſque actibus convenire &c. Auctor vero doctrinas eaſdem* ſeorſim *accommodat* bonitati *in I. & II. Art. &* malitiæ *in III. iſto Art. Secundo, cum moralitas ſeu bona, ſeu mala, bifariam ſumatur, quatenus nempe* objectiva *&* formalis (*n.* 279.) *nos theſes omnes ſpectantes ad moralitatem* objectivam *prius expedivimus* (n. 282. & ſeq.) *poſtea reliquas pertinentes ad* formalem (n. 318. & ſeq.) *utrobique intelligentes ſimul &* bonam *&* malam. *Auctor autem primum de moralitate* bona *partim* objectiva, *partim* formali *theſes ſtatuit in I. & II. Art. deinde de* mala *partim* objectiva, *partim* formali *in præſenti Art. Quare ex. ca. poſtrema* 3. *theſis hujus Art. quæ de* malitia formali *ſtatuitur, legatur quaſi adjuncta* 2. *theſi Art. I. quæ eſt de* bonitate formali. *Similiter* 1. *theſis hujus Art. quæ profertur de* objectiva malitia, *ſpectetur veluti adnexa* 1. *theſi Art.* 1. *ac* 2. *quæ de* objectiva bonitate eſt.



Dico 1. Actus internus ſumit malitiam ab objecto, fine, & circumſtantiis moralibus: ita ut ſit malus hoc ipſo, quod habet objectum malum, ſeu diſconveniens naturæ rationali, vel finem malum, vel circumſtantiam malam ſeu diſconvenientem naturæ rationali.

*Prob.* Quia actus, quo quis vult objectum malum, vel vult objectum bonum propter finem malum, vel vult objectum bonum propter finem bonum, ſed in circumſtantia mala ſeu diſconvenienti; hoc ipſo malus eſt moraliter. Nam hoc ipſo actus dedecet naturam rationalem, ei diſconvenit, & improbatur a recta ratione, & ſi libere fiat, imputatur ad vituperium & pœnam. Unde illud axioma theologicum; *Bonum ex integra cauſſa, malum ex quolibet defectu.*

Sic 1. Volitio furandi ad ſolvenda debita eſt mala, quia habet objectum malum. 2. Volitio dandi eleemoſynam propter vanam gloriam eſt mala, quia habet finem malum. 3. Volitio celebrandi ſacrum propter fines bonos, ſed in loco indecenti vel interdicto, aut tempore vetito, eſt mala ob circumſtantiam malam.

Dico 2. Actus voluntatis ſumit malitiam materialem ab objecto, fine, & circumſtantiis, quamvis malitia ignoretur etiam invincibiliter.

*Prob.* Quia actus voluntatis hoc ipſo habet malitiam materialem, quod dedecet naturam rationalem ut rationalem; ſed actus naturam rationalem dedecet hoc ipſo, quod vult objectum de ſe malum, vel objectum bonum ob finem malum, vel vult objectum bonum ob finem bonum, ſed in circumſtantia mala. Ergo.

Dico 3. Ut malitia objectiva tribuat actui voluntatis malitiam formalem, ſufficit quod ſit cognita; nec requiritur ut ſit ſecundum ſe volita.

*Prob.* Nam hoc ipſo actus voluntatis habet malitiam formalem quod habet malitiam materialem imputabilem ad vituperium & pœnam. Sed hoc ipſo habet malitiam materialem imputabilem ad vituperium & pœnam, quod voluntas objectum malum, vel objectum bonum propter malum finem, vel objectum bonum propter finem bonum, ſed in circumſtantia mala vult cum libertate & cognitione malitiæ objecti, vel finis, vel circumſtantiæ: nam hoc ipſo malitia objectiva imputatur ad vituperium & pœnam. Ergo.

Immo ad malitiam formalem non requiritur actualis cognitio malitiæ objectivæ, ſed ſufficit quod hæc potuerit & debuerit cognoſci. Quia ignorantia vel inadvertentia vincibilis non excuſat ab imputabilitate malitiæ actus; & in æſtimatione prudenti æquivalet actuali cognitioni in ordine ad imputabilitatem actus ad vituperium & pœnam, licet non tantam, ſi ignorantia non ſit affectata.

Ex dictis inferes unum & eumdem actum poſſe habere triplicem malitiam ſpecie diverſam, non ſolum objectivam, ſed etiam formalem. Quia objectum finis, & circumſtantia actus habere poſſunt malitiam ſubjectivam ſpecie inter ſe diverſam cognitam, vel nonniſi culpabiliter ignoratam. Talis eſt actus, quo quis furari vult in loco ſacro ad fornicandum, nam hic actus tres malitias ſpecie diverſas habet, ſcilicet injuſtitiæ, ſacrilegii, & luxuriæ.

### ARTICULUS IV.

*Utrum idem actus voluntatis poſſit eſſe ſimul bonus & malus?* (1)

DIco. Idem actus voluntatis non poteſt eſſe ſimul bonus & malus.

*Prob.* Quia actus eſt ſimpliciter malus, non bonus, hoc ipſo quod habet vel objectum malum, vel finem malum, vel circumſtantiam malam: nam hoc ipſo tendit in objectum modo dedecenti naturam rationalem, ideoque ſimpliciter dedecet naturam rationalem, eique diſconvenit. At vero actus, qui ſub aliqua ratione naturam rationalem dedecet, hoc ipſo malus eſt, minime bonus, & ſolus actus, qui ſic naturam rationalem decet, ut ſub nulla ratione illa dedeceat, bonus eſt.

*Obj.* 1. Actus, quo quis vult idem objectum ob duo motiva non ſubordinata, unum bonum, & alterum malum, ut actus, quo quis vult dare eleemoſynam propter motivum miſericordiæ, & ſimul propter vanam gloriam, eſt bonus ex parte boni motivi, & malus ex parte mali. Ergo.

*Reſp.* Nego anteced. Nam hic actus eſt ſimpliciter malus, & nullatenus bonus, quamvis malitiam ſuam ex unico motivo ſumat. Quia per talem actum voluntas tendit in objectum modo naturam rationalem dedecenti, & actus ille ſimpliciter dedecet naturam rationalem; nam ſimpliciter dedecet naturam rationalem appetere bonum propter malum, & ſic velle malum.

*Inſt.* Per hujuſmodi actum voluntas vult objectum bonum in circumſtantiis debitis propter finem bonum. Ergo actus ille bonus eſt.

*Reſp.* Nego conſeq. Quia voluntas per hunc actum vult ſimul & indiviſibiliter bonum objectum propter aliud motivum malum, & ſic malus eſt ſimpliciter: nam bonum ex integra cauſſa, malum vero ex quolibet defectu.

*Obj.* 2. Actus, quo quis celebrare vult ſacrum in loco indecenti vel tempore vetito, bonus eſt ex objecto, & malus ex circumſtantia.

*Reſp.* Nullatenus bonus eſt, ſed eſt ſimpliciter malus. Nam ut actus ſit bonus ex objecto, neceſſe eſt ut reipſa hic & nunc objectum poſſit honeſte appeti propter bonitatem ſuam objectivam: unde voluntas celebrandi ſacrum non poteſt ſumere bonitatem ab objecto ſuo, niſi hic & nunc honeſtum ſit velle celebrare ſacrum. At hic & nunc non eſt honeſtum velle celebrare, quia non eſt honeſtum hic & nunc celebrare. Ergo.

*Obj.* 3. Actus, quo quis eligit medium malum ad finem bonum, v. gr. furatur ad dandam eleemoſynam, eſt partim bonus, & partim malus.

*Reſp.*

(1) *Adæquata hujuſce Quæſtionis ſolutio ex duplici loco petenda, nimirum ex N.* 261. *uſque ad* 266. *& ex N.* 309. *uſque ad* 311.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*Reſp.* Nego. Nam eſt ſimpliciter malus, & nullatenus bonus, quia volitio finis honeſti per medium illicitum obtinendi eſt mala: nam tendit in objectum modo naturam rationalem dedecenti; naturam enim rationalem dedecet verſari circa malum, illud appetendo.

*Quæres, in quo conſiſtat malitia materialis, an ſcilicet in poſitivo, an in negativo, ſeu privatione rectitudinis debitæ?*

*Reſp.* Hæc quæſtio eſt mere philoſophica, & in qualibet ſententia recte explicantur omnia quæ ad Theologiam pertinent. (1)

### ARTICULUS V. (2).

*Utrum dentur actus indifferentes in individuo, hoc eſt, qui neque boni, neque mali ſint, ſpectatis omnibus circumſtantiis, & præſertim fine?*

#### §. I.

DIco. Nullus eſt actus indifferens in individuo, ſive nullus datur actus deliberatus, qui neque bonus, neque malus ſit ex objecto, circumſtantiis, & fine. Ita Suarez, Bellarminus, & alii Theologi communius contra Scotum & alios. (3)

*Prob.* 1. Ex Script. Matt. c. 12. *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* Ex quo ſic argumentor. Omne verbum otioſum eſt peccatum; ſiquidem de eo reddetur ratio in die judicii, utique tamquam de peccato. Ergo actio otioſa eſt etiam peccatum, cum par ſit utriuſque ratio. Atqui actio, quæ honeſto fine caret, ſeu quæ non eſt bona moraliter, eſt otioſa moraliter, nam nihil confert ad bonos mores; ergo eſt peccatum. Ergo &c.

*Prob.* 2. Ex S. Aug. l. 4. contra Jud. c. 3. ubi ait: *Cum facit homo aliquid ubi peccare non videtur, ſi non propter hoc facit propter quod facere debet, peccare convincitur.* Et infra: *Quidquid boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera ſapientia præcipit, etſi officio* (id eſt, ex objecto materiali) *videatur bonum, ipſo non recto fine peccatum eſt.*

*Prob.* 3. Auctoritate & ratione S. Th. 1. 2. q. 18. art. 9. *Oportet quod quilibet individualis actus habeat aliquam circumſtantiam, per quam trahatur ad bonum vel malum, ad minus ex parte intentionis finis. Cum enim rationis ſit ordinare, actus a ratione deliberativa procedens, ſi non ſit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipſo repugnat rationi, & habet rationem mali. Si vero ordinetur ad debitum finem, convenit cum ordine rationis, unde habet rationem boni: neceſſe eſt autem quod vel ordinetur vel non ordinetur ad debitum finem. Unde neceſſe eſt omnem actum hominis a deliberativa ratione procedentem in individuo conſideratum, bonum eſſe vel malum.*

Hæc eſt igitur ratio S. Thomæ. Quilibet actus deliberatus vel ordinatur in finem debitum rationis, vel non ordinatur. Si ordinatur, congruit cum ordine rationis, & a recta ratione approbatur: ergo bonus eſt. Si non ordinatur, repugnat ordini debito rationis, & a recta ratione improbatur; ergo malus eſt. Et conſequenter omnis actus deliberatus bonus vel malus eſt.

*Prob.* 4. Ratione. Omnis actus deliberatus vel fit propter finem honeſtum, vel non fit. Si fit propter finem honeſtum, bonus eſt, modo aliunde non vitietur: tunc enim naturam rationalem decet; Si non fit propter finem honeſtum, eo ipſo malus eſt. Ergo omnis actus deliberatus eſt bonus vel malus, proindeque nullus eſt indifferens. *Prob. 2. pars min.* Homo deliberate agens tenetur ſemper agere propter finem honeſtum. Ergo actus deliberatus, qui non fit propter finem honeſtum, eo ipſo malus eſt. *Prob. ant.* Homo deliberate agens tenetur ſemper agere propter finem proportionatum ſeu conſentaneum naturæ ſuæ rationali quatenus rationalis eſt. Atqui finis conſentaneus naturæ rationali ut rationali eſt finis honeſtus: nam honeſtum eſt id quod eſt conſentaneum naturæ rationali & rectæ rationi. Ergo homo deliberate agens tenetur ſemper agere propter finem honeſtum. Major ſatis per ſe patet. Enimvero homo deliberate agens agit modo humano & hominis proprio. Atqui homo agens humano modo & hominis proprio debet agere ut homo, ideoque ut rationalis; & non agit ut homo & ut rationalis niſi agendo propter finem naturæ rationali ut rationali conſentaneum. Ergo.

*Dices.* Homo licite agit propter finem conformem legi permittenti.

*Reſp.*

(1) *Rationi illuminatæ, regulisque Theologicis magis conformis opinio aſſerens, peccatum ſeu malitiam moralem conſiſtere in mera privatione. Vid. N. 259. & duos ſeq.*

(2) *Rectus disciplinæ ordo poſtulat, ut præſens Articulus de individuali actionum indifferentia ſubjiciatur alteri Articulo VI. de* ſpecifica *actionum indifferentia: quippe, Stagyrita ſæpius monente, cognitio univerſalium præcedere debet cognitionem ſingularium.*

(3) *Hujus quæſtionis* ſtatum, *atque utriuſque contrariæ opinionis tum* Fautores, *tum* momenta *præcipua cognoſces legendo noſtra N. 271. uſque ad 279. Petes forſitan, quanta ſit connexio inter præſentem quæſtionem, & aliam apud Theologos valde agitatam de* relatione omnium operum in Deum? *Reſp. Cum finis* ſupernaturalis *peragendi omnia ad Dei gloriam, ſive in nomine Jeſu Chriſti (quem Fidelibus ſaltem hominibus Divino & Apoſtolico mandato præſtitutum arbitrantur nonnulli Theologi) finem ſimpliciter* honeſtum *in genere moris ſub ſe contineat, palam eſt, actus in individuo indifferentes admitti non poſſe a Theologis propugnantibus neceſſitatem prædictæ relationis operum: tametſi ad evadendam graviſſimam difficultatem (de qua* n. 357. & duobus ſeq.) *ipſorum aliqui callide admoneant, in præſenti quæſtione omittendam eſſe rationem illam, qua multi ex neceſſitate ejuſdem relationis ſolent inferre nullum poſſe dari actum indifferentem. At ex adverſo conſequens minime eſt, quiſquis individualem actuum indifferentiam negat, fateri quoque debeat neceſſariam illam operum relationem, ut patet de ipſo auctore* (Tract. de Caritate c. 2. art. 2. q. 4.) *ac de Angelico Magiſtro* (n. 351. & ſeq.) *aliiſque pluribus Theologis.*



*Reſp.* Contra eſt. Nam 1. ſine fundamento aſſeritur lex permittens finem non honeſtum. Immo vidimus in omni agente ſive naturali, ſive artificiali exigi bonitatem ſibi propriam. Ergo etiam natura rationalis exigit, ut agens rationale agat propter bonitatem ſibi propriam, nempe honeſtatem. 2. Lex permittens non poteſt eſſe motivum actionis; ſed eſt dumtaxat conditio removens impedimentum agendi: nam motivum ſeu finis actionis debet eſſe aliquod bonum. Sed id quod eſt præciſe conforme legi permittenti, non eſt bonum; ergo non poteſt eſſe finis actionis.

*Reſp.* Adhuc alia ratione. Actus ſpectatus in individuo eſt actus conſideratus præſertim ſecundum finem. At nullus actus ſpectatus ſecundum finem eſt indifferens. Ergo nullus actus in individuo ſpectatus eſt indifferens. *Prob. min.* Finis cujuslibet actus deliberati vel eſt bonum honeſtum, vel jucundum: nam bonum utile nunquam appetitur propter ſe, ſed ſolum propter aliud ad quod conducit, proindeque non poteſt eſſe finis. At ſi finis actus ſit bonum honeſtum, actus eſt bonus, modo aliunde non vitietur: ſi finis ſit bonum jucundum, actus eſt malus. Ergo quilibet actus conſideratus ſecundum finem eſt bonus vel malus; ac proinde nullus eſt indifferens. *Prob. 2. pars min.* Qui agit dumtaxat propter bonum jucundum ſeu propter delectationes, agit inordinate. Ergo actus factus propter bonum jucundum eſt inordinatus, ideoque malus. *Prob. ant.* Ille inordinate agit, qui rerum ordinem ab auctore naturæ inſtitutum pervertit; ſed homo propter ſolam delectationem agens pervertit rerum ordinem ab auctore naturæ inſtitutum. Ergo homo agens propter ſolam delectationem agit inordinate. *Prob. min.* Nam juxta rerum ordinem ab auctore naturæ inſtitutum delectatio eſt propter operationem, non autem operatio propter delectationem; ſed homo propter ſolam delectationem agens pervertit hunc ordinem, faciendo operationem propter delectationem: ergo pervertit ordinem ab auctore naturæ inſtitutum. Major conſtat, & expreſſe traditur a S. Th. 2. 2. q. 4. art. 2. ad 2. ubi ait: *Divinus intellectus, qui eſt inſtitutor naturæ, delectationes appoſuit propter operationes.* Et (ut docet Ariſtoteles) bonum delectabile, cum ſit inferius honeſto, ordinatur per ſe ad illud.

*Confirm.* Ex hac propoſitione ab Innocentio XI. damnata: *Comedere & bibere uſque ad ſatietatem ob ſolam voluptatem non eſt peccatum, modo non obſit valetudini, quia licite poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui*, id eſt, conquieſcere in actibus ſuis, non illos referendo ad finem honeſtum.

Hinc collige delectationem a natura rebus inſperſam eſſe veluti ſal & condimentum quoddam quod non propter ſe quæreretur ab agente rationali, ſed quo dumtaxat alliceretur ad actiones quaſdam, conſervationi ac perfectioni neceſſarias, & utiles, quas faceret ex fine naturæ rationali ut rationali conſentaneo, ideoque honeſto. Igitur delectatio per ſe eſt dumtaxat medium ad actiones facilius, melius, & conſtantius efficiendas, non autem finis actionis. Hinc lex bene agendi non vetat moderatum uſum delectabilium in certis circumſtantiis, ſed eum regulat jubendo, ut ad finem honeſtum referatur.

#### §. II. *Solvuntur objectiones.*

*Obj.* 1. S. Hieron. ep. 89. ait; *Bonum eſt continentia, malum eſt luxuria, inter utrumque indifferens ambulare &c.*

*Reſp.* Solum vult dari actus indifferentes in ſpecie, hoc eſt, actus qui neque ſunt boni neque mali ratione objecti materialis. Eodem ſenſu intelligi debent alii Patres, qui objici poſſunt, nempe ſolum intendunt dari actus indifferentes ex objecto.

*Inſt.* S. Hier. addit: *Sive enim feceris, ſive non feceris, nec juſtitiam habebis, nec injuſtitiam.*

*Reſp.* Loquitur tantum de actu ſecundum objectum ſpectato. Nam agit de natura objecti, & dicit aliud eſſe bonum, ut continentia; aliud malum, ut luxuria; aliud indifferens, ut deambulatio. Quare ſenſus eſt: ſive feceris, ſive non feceris, nec juſtitiam nec injuſtitiam habebis ratione objecti. Quod non impedit, quominus actus ſit bonus vel malus ratione finis.

*Obj.* 2. Dantur actus indifferentes in ſpecie; ergo & in individuo.

*Reſp.* Nego conſeq. Ratio diſparitatis eſt, quia actus indifferentes in ſpecie ſunt actus, qui neque boni neque mali ſunt ex objecto: actus vero indifferentes in individuo ſunt actus, qui neque boni neque mali ſunt ex omni parte; nempe ratione objecti, circumſtantiarum, & finis. At ex eo quod aliqui actus neque boni neque mali ſint ex objecto, non ſequitur eos non eſſe bonos vel malos ex alia parte, nempe ratione finis. Immo omnis actus neceſſario bonus vel malus eſt ratione finis: nam vel fit ob finem honeſtum, & tunc bonus eſt, modo aliunde non vitietur: vel non fit ob finem honeſtum, & tunc malus eſt, quia homo ſemper tenetur agere propter finem honeſtum, utpote ſolum conſentaneum naturæ ſuæ rationali ut rationali.

*Inſt.* 1. Nulla eſt ſpecies ſine individuo: Ergo ſi dantur actus indifferentes in ſpecie, dantur etiam in individuo.

*Reſp.* Nego conſeq. Quia non datur ſpecies actuum indifferentium. Dantur quidem actus indifferentes in ſpecie, ſed inde non ſequitur dari ſpeciem actuum indifferentium, quia dari ſpeciem actuum indifferentium eſt dari naturam communem actuum liberorum, qui neque boni neque mali ſunt moraliter ſub ullo reſpectu, qualis nulla eſſe poteſt; at dari actus indifferentes in ſpecie eſt dari actus, qui neque boni neque mali ſunt præciſe ratione objecti, licet ſint boni vel mali ratione finis.

*Inſt.* 2. Deambulatio facta propter ſanitatem in circumſtantiis non vetitis, ex nullo capite eſt bona vel mala; nam ſanitas recuperanda eſt finis indifferens: ergo eſt indifferens.

*Reſp.* Nego antec. Nam ſi intendatur honeſtas elucens in procuranda ſanitate per media ordinata, deambulatio eſt bona moraliter. Si vero nulla intendatur honeſtas, deambulatio eſt mala, quia caret fine debito.

Porro honeſtum eſt procurare ſanitatem per media ordinata, nam eſt materia caritatis propriæ, ſicut honeſtum eſt procurare ſanitatem proximi per media ordinata, nam eſt materia caritatis alienæ. Caritas autem propria ordinata tam eſt virtus, quam caritas aliena.

*Inſt.* 3. Ambulare propter relaxationem moderatam eſt actus indifferens; nam illa relaxatio non eſt prohibita, nec honeſta. Ergo.

*Reſp.* Nego antec. Nam ſi per relaxationem intelligitur delectatio, finis ille malus eſt, utpote diſconveniens naturæ rationali, cujus finis proprius eſt bonum honeſtum. Si vero per relaxationem intelligatur levamen & intendatur honeſtas, quæ in levando corpore vel animo elucet, tunc bonus eſt ille finis; & actus pertinet ad caritatem propriam, vel virtutem, cujus eſt, propriam moderari curam corporis & animi. Quod ſi nulla intendatur honeſtas in relaxatione illa, tunc actus eſt malus, quia debito fine caret.

*Inſt.* 4. Saltem qui ambulat præciſe quia deambulatio non eſt prohibita, facit actionem indifferentem etiam ex fine. Ergo datur talis actio.

*Reſp.* Nego antec. Quia falſum ſupponit. Nam aſſignatur pro fine id quod revera non eſt finis; quod enim res non prohibeatur, ſed ſit licita non poteſt eſſe finis actionis, ſed dumtaxat conditio removens impedimentum agendi. Sic quando quis dicit: ego ambulo, quia vacant ſcholæ, vel quia habeo licentiam; vacatio & licentia non eſt finis, ſed tantum conditio removens impedimentum ambulandi. Ratio eſt; quia omnis finis eſt bonum honeſtum vel jucundum. Poteſt quidem quis agere quia lubet, quia placet; ſed illud motivum eſt delectatio, proindeque finis illicitus.

*Inſt.* 5. Actus, qui fiunt præciſe ob moderatam naturæ commoditatem: ut volitio accedendi ad ignem frigoris depellendi cauſſa, volitio deambulandi ad juvandam digeſtionem &c. ſunt actus nulla ex parte boni vel mali. Ergo.

*Reſp.* Nego antec. Nam illi actus ſunt mali, ſi non intendatur honeſtas aliqua, ſaltem illa, quæ relucet in moderata corporis cura; quia alioqui carent fine debito. Nam homo ſemper tenetur agere modo naturam ſuam rationalem ut rationalem decenti, & hoc modo non agit, niſi agat ob finem decentem naturam rationalem ut rationalem, ideoque ob finem honeſtum: honeſtum enim nil aliud eſt quam conſentaneum naturæ rationali ut rationali.

*Inſt.* 6. Delectatio moderata corporis vel animi non eſt mala moraliter. Ergo poteſt eſſe finis licitus.

*Reſp.* Diſting. antec. Delectatio moderata & licita non eſt mala ut objectum, quod appetatur, *conc. ant.* Ut finis, qui propter ſe appetatur, *nego ant.* Delectatio licita ac moderata non eſt quidem mala ut objectum, quatenus licite appeti & percipi poteſt: at eſt mala ut finis, quatenus licite ab agente rationali appeti non poteſt propter ſe, ſed tantum propter finem honeſtum. Enimvero qui agit ſolum propter delectationem, inordinate agit: nam rerum ordinem ab auctore naturæ inſtitutum pervertit, ordinando operationem ad delectationem, cum tamen delectatio ex natura ſua ſit propter operationem.

*Inſt.* 7. Naturæ auctor inſperſit rebus multis ſuavitatem & delectabilitatem, v. gr. floribus ſuavem odorem, alimentis ſaporem &c. Ergo homo non pervertit rerum ordinem, agendo propter ſolam delectationem de ſe licitam.

*Reſp.* Diſting. antec. Auctor naturæ rebus multis inſperſit delectabilitatem, quam homo percipiat ut medium, & referat ad finem honeſtum, puta ad honeſtam recreationem, qua melius diſponatur ad munera ſua recte obeunda, *conc. antec.* Quam ſibi proponat ut finem, & in qua ſiſtat, *nego antec. & conſeq.* Suavitas & delectabilitas rebus inſperſa eſt quidem propter delectationem hominis, ſed qua utatur velut medio, non autem quam ſibi ut finem proponat.

*Obj.* 2. Si homo tenetur agere ſemper propter finem honeſtum, non datur lex permittens. Falſum conſeq. Ergo.

*Reſp.* Diſting. ſequel. maj. Non datur lex permittens circa finem non honeſtum, *conc. ſequel.* Circa objectum actus, *nego ſequel. maj.* Igitur extat lex permittens, ſed ſolum circa objecta quædam, quæ ex ſe neque bona, neque mala ſunt moraliter, & quæ ad finem honeſtum referri poſſunt. At non datur lex permittens finem non honeſtum, cum detur lex præcipiens naturæ rationali finem honeſtum in omnibus ſuis actibus deliberatis.

*Inſt.* 1. Si datur præceptum agendi ſemper propter finem honeſtum, illud eſt naturale, vel poſitivum. Neutrum dici poteſt. Ergo.

*Reſp.* Nego min. Et dico illud præceptum eſſe naturale. Nam lumen naturale dictat hominem teneri ſemper agere propter finem conſentaneum naturæ ſuæ rationali ut rationali, proindeque propter finem honeſtum, qui ſolus proprius eſt hominis ut homo eſt. Hoc præceptum eſt etiam poſitivum: nam Chriſtus vetat omnem actionem otioſam moraliter, ideoque non honeſtam, ſiquidem declaravit reddendam eſſe rationem de verbo otioſo, & a fortiori de opere otioſo moraliter.

*Inſt.* 2. Præceptum naturale eſt notum omnibus ſaltem piis & eruditis. Sed hoc præceptum non eſt notum omnibus viris piis & eruditis; nam S. Bonavent. Scotus, & alii multi illud negant. Ergo tale præceptum non eſt naturale.

*Reſp.* Diſting. maj. Præceptum naturale debet eſſe omnibus notum, ſi ſit unum ex primis principiis, vel evidenter aut facile deducibile ex illis, *conc. maj.* Si neque ſit unum e primis principiis, neque ita facile deducatur ex illis, *nego maj.* Præceptum agendi ſemper ob finem honeſtum, neque eſt unum e primis principiis, neque ex illis evidenter ſaltem reſpectu omnium deducitur, quamvis ſit ſufficienter certum.

*Inſt.* 3. Illud præceptum ſi datur, vel eſt affirmativum, vel negativum. Neutrum dici poteſt. Ergo non datur.

*Reſp.* Nego min. Et dico illud præceptum eſſe affirmativum, quia obligat ad actum poſitivum: & eſt etiam æquivalenter negativum, nam æquivalet præcepto vetanti finem non honeſtum.

*Inſt.* 4. Illud præceptum obligat ſemper & pro ſemper; ergo eſt negativum.

*Reſp.* Non obligat ſemper pro ſemper abſolute, ſed ſolum hypothetice, nempe obligat ſemper quoties in ejus materia agimus. Præceptum autem negativum obligat ſemper & pro ſemper abſolute. Præceptum vero affirmativum poteſt obligare ſemper & pro omni tempore quo in ejus materia agimus. Sic quoties cum parentibus agimus, cum illis debito cum amore & reverentia ſemper agere tenemur. Quare præceptum affirmativum agendi propter finem honeſtum obligat in ſingulis actibus deliberatis, cum illi actus ſint ejus materia propria. Non obligat tamen omni inſtanti actionis ad illam referendam in finem honeſtum, ſed ſolum initio actionis, modo in decurſu actionis non retractetur.



*Inſt.* 5. Præceptum agendi ſemper propter finem honeſtum eſt univerſaliſſimum: ergo eſt unum e primis principiis, ac proinde debet eſſe omnibus notum.

*Reſp.* Eſt univerſaliſſimum ratione objecti, quatenus habet pro objecto omnes actus deliberatos: non autem ratione principii, nam ab illo alia morum præcepta non derivantur.

*Obj.* 3. Qui ignorat invincibiliter præceptum agendi ſemper ob finem honeſtum, non peccat præciſe non agendo aliquid licitum propter finem honeſtum. Ergo dantur actus indifferentes.

*Reſp.* Diſting. Dantur actus indifferentes in individuo per accidens, *conc. conſeq.* Per ſe & ex natura ſua, *nego conſeq.* Qui invincibiliter ignorant præceptum agendi propter finem poſitive honeſtum, non peccant præciſe omiſſione finis honeſti, quia excuſantur propter ignorantiam invincibilem. Unde illorum actus eſt indifferens ſeu potius inculpabilis, ſed tantum per accidens, & ratione ignorantiæ invincibilis, modo aliunde non vitietur. Immo ejuſmodi actus vere malus eſt, quia caret fine debito, ejus tamen malitia non imputatur agenti propter ejus ignorantiam invincibilem.

Hic autem agitur de actibus deliberatis ſecundum ſe ſpectatis.

*Obj.* 4. Datur omiſſio deliberata indifferens in individuo, ergo & actio. *Nego antecedens: probabis.* Omiſſio conſilii ſeu rei, quæ tantum conſulitur, neque bona eſt, neque mala moraliter: ergo eſt indifferens.

*Reſp.* Diſting. antec. Omiſſio conſilii neque bona, neque mala eſt ex objecto, *conc. antec.* Ex fine, *nego antec. & conſeq.* Omiſſio conſilii eſt indifferens ex objecto, quia objectum non præcipitur. At eſt bona vel mala ex fine. Nam ſi ſit ex fine honeſto, eſt bona: ſi ex fine malo, mala eſt, non quatenus eſt omiſſio rei quæ præciſe conſulitur, ſed quatenus eſt omiſſio ex fine vetito, nempe non honeſto. Sic v. gr. qui ſacrum die non feſto omittit, non peccat præciſe quia omittit ſacrum, ſed quia illud omittit ex fine non honeſto, puta ex acedia, negligentia, & ut genio indulgeat: nam ſi ex fine honeſto omittat, puta ut ægro opituletur, tunc omiſſio ſacri bona eſt.

*Obj.* 5. Dantur actus aliqui, qui neque meritorii, neque demeritorii ſunt. Ergo dantur actus indifferentes.

*Reſp.* Nego conſeq. Quia ut actio ſit meritoria vitæ æternæ, non ſufficit quod ſit bona moraliter ſeu honeſta, ſed inſuper fieri debet ex motivo ſupernaturali & in ſtatu gratiæ.

*Obj.* 6. Conc. Conſtantienſe damnavit hanc propoſitionem Joannis Hus, nempe quod omnia humana opera ſint vel virtuoſa, vel vitioſa. Ergo dantur aliqua indifferentia.

*Reſp.* Damnavit, quod omnia opera ſint virtuoſa vel vitioſa ex parte ſubjecti ſeu agentis, non vero ex parte finis. Conc. Conſtantienſe hanc propoſitionem damnavit tantum in ſenſu illius Hæretici & propter rationem ab illo illatam, petitam ſcilicet ex parte ſubjecti & agentis: quia (inquiebat) quidquid agit peccator, peccatum eſt: & quidquid agit homo virtuoſus, virtutis opus eſt: ut patet ex ipſa integra propoſitione his verbis expreſſa: *Diviſio immediata humanorum operum eſt, quod ſint vel virtuoſa, vel vitioſa, quia ſi homo eſt vitioſus, & agat quidquam, tunc agit vitioſe; & ſi eſt virtuoſus, & agat quidquam, tunc agit virtuoſe. Quia ſicut vitium, quod crimen dicitur, ſive peccatum mortale, inficit univerſaliter actus hominis vitioſi: ſic virtus vivificat omnes actus hominis virtuoſi.*

## ARTICULUS VI. (1)

### *Utrum actus externi habeant bonitatem vel malitiam objectivam?*

DIco. Ex actibus externis alii habent bonitatem intrinſecam, alii malitiam intrinſecam, alii demum neutram habent.

*Prob.* Nam alii ex ſe habent conformitatem & convenientiam cum natura rationali, vi cujus poſſunt ab ea decenter appeti & imperari, ut ſolutio debiti: alii ex ſe habent difformitatem & diſconvenientiam cum natura rationali, vi cujus nec appeti, nec imperari poſſunt niſi dedecenter, ut furtum, blaſphemia: alii demum neutram ex ſe habent, ut deambulatio, unde dicuntur indifferentes ex objecto.

## ARTICULUS VII.

### *Utrum actus externus auget bonitatem vel malitiam formalem actus interni?*

DIco 1. (2) Actus externus per ſe non auget bonitatem vel malitiam formalem actus interni, a quo efficaciter imperatur.

*Prob.* 1. Ex Script. Gen. cap. 22. *Quia feciſti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi &c.* Et Matth. c. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, jam mœchatus eſt in corde ſuo.* Ubi voluntas efficax pro facto reputatur: ac proinde tantam per ſe habet imputabilitatem ad laudem & præmium, ſi ſit bona; vel ad vituperium, & penam, ſi ſit mala.

2. Ex S. Auguſt. in Pſalm 57. *Quidquid vis, & non potes, factum Deus computat.* Et lib. 1. de

(1) *Uti obſervatum in ſuperiore penultima nota, hic Articulus, utpote objectivam ſeu ſpecificam moralitatem actuum expendens, anteponi debet quinto præcedenti, in quo individualis moralitas ſpectatur. Porro præſentis Art. doctrinam latius expoſitam habes N. 266 uſque ad 271.*

(2) *Quandoquidem juxta leges methodi a notis & certis ad ignota & incerta progrediendum eſt, 2. hujus Articuli theſis, in qua Doctores conveniunt (n. 385.) rectius fuiſſet poſita ante iſtam, de qua maxime controvertitur. Statum controverſiæ clare deſcripſimus N. 384. & duob. ſeq. Sententiam itidem contrariam ſententiæ Auctoris locavimus ſuo in lumine N. 386. uſque ad 389. Lector utramque expendat, & quam maturo examine vero proximiorem deprehenderit, eam tueatur.*

de lib. arbit. cap. 3. *Si cui etiam non contingat facultas concumbendi cum conjuge aliena, planum tamen aliquo modo ſit id eum cupere, & ſi poteſtas detur, facturum eſſe, non minus eſt reus, quam ſi in ipſo facto deprehenderetur.*

3. Ratione duplici. Prima, quia actus externus nullam habet imputabilitatem ad meritum & demeritum ſibi propriam & diſtinctam ab imputabilitate actus interni: nam non habet libertatem nec rationem voluntarii diſtinctam a libertate actus interni a quo imperatur, cum a potentia neceſſaria immediate procedat, & non ſit liber, niſi quia imperatur ab actu interno.

Secunda ratio. Quia cum actus internus efficax eſt, ſi actus externus non ponitur, ideo non ponitur, quia deeſt poteſtas illum ponendi: ac proinde quod tunc non ponatur actus externus, eſt omnino involuntarium, non auget imputabilitatem ſive ad laudem & præmium, ſive ad vituperium & pœnam, ut docet S. Th. 1. 2. qu. 20. art. 4. & per ſe patet.

*Obj.* 1. Qui martyrium ſubit, plus apud Deum meretur, quam is, qui ſolum ſubire vult martyrium, quantum in ſe eſt.

*Reſp.* Nego. Si tam intenſe & perſeveranter velit quam ſi re ipſa ſubiret.

*Inſt.* Qui martyrium re ipſa ſubit, plus gratiæ ſanctificantis, ideoque plus gloriæ conſequitur, quam qui ſolum vult efficaciter illud ſubire, nec tamen ſubit. Ergo plus meretur.

*Reſp.* Nego conſeq. Quia exceſſum gratiæ & gloriæ Martyr conſequitur tantum ex opere operato martyrii: vel ſaltem ex ſpeciali privilegio actui externo martyrii conceſſo. Unde revera actus externus martyrii plus prodeſt quam ſola illius voluntas efficax; ſed hoc fit per accidens, ſeu ex privilegio, non ex natura rei.

*Obj.* 2. Actus internus & actus externus mali diverſis præceptis prohibentur, nempe externus prohibetur ſexto, *non mœchaberis*, & internus nono, *non concupiſces*.

*Reſp.* Illa præcepta non ſunt ſtricte ac proprie diverſa. Nam idem ex eodem motivo vetant, cum hoc ſolo diſcrimine, quod ſextum vetet explicite actum externum, & implicite internum: nonum vero vetet explicite actum internum, & implicite externum.

*Obj.* 3. Si actus internus per ſe non augeret malitiam actus interni, non eſſet obligatio confitendi actum externum. Falſum conſeq. ergo.

*Reſp.* (1) Neg. ſeq. maj. Tum quia actus externus facit cum actu interno unum actum moralem completum, & unum peccatum totale. Tum quia ſine confeſſione actus externi non ſatis declaratur actus interni efficacia, intenſio, extenſio & duratio, ac proinde tota ejus gravitas non ſatis innoteſcit. Præterea actus externus eſt obnoxius ſcandalo, cenſuris, irregularitati, reſtitutioni, & variis obligationibus, quibus immunis eſt actus mere internus. Unde ſine actus externi declaratione Confeſſarius non ſatis cognoſceret ſtatum pœnitentis, ejus obligationes, & qualitatem ſatisfactionum præſcribendarum: proindeque non poſſet, ut par eſt, officio ſuo fungi.

*Obj.* 4. Aſſertio noſtra tollit ſtudium ac curam bonorum operum exteriorum, & metum ac fugam malorum operum externorum.

*Reſp.* Neg. Quia ſi non exerceantur bona opera externa, cum facultas adeſt, tunc actus internus non eſt efficax, ſed eſt mera velleitas, quæ ſane non habet meritum, quod habet voluntas efficax. Præterea bonum opus externum plerumque auget per accidens meritum, & ſæpe præcipitur a Deo, ut eleemoſynæ largitio. Opus vero externum malum prohibetur a Deo, & plerumque auget per accidens malitiam actus interni.

His adde quod actus externus plura affert commoda, ſi bonus eſt: nam ædificationem parit, quandoque gratiam confert, ut ſacramentum & martyrium. Si vero malus eſt, plura affert incommoda: nam parit ſcandalum, infamiam, reſtituendi obligationem &c. ſubjicitque pœnis ac cenſuris.

Dico 2. Actus externus ſæpiſſime auget per accidens ſeu occaſionaliter bonitatem vel malitiam actus interni, a quo imperatur.

*Prob.* Quia ſæpiſſime eſt occaſio, cur augeatur bonitas vel malitia actus interni, vel diutius duret, aut multiplicetur actus internus. Nam actus internus in executione intenditur propter arduitatem aut delectationem ortam ex actu externo, vel diutius continuatur propter longiorem temporis moram neceſſariam ad opus externum perficiendum; vel ob utramque cauſſam ſæpius iteratur. (2)

(1) *Quidquid ſentiatur in ea Scholaſtica controverſia, fatentur nunc Theologi omnes, in Sacramentali judicio aperiendum eſſe externum actum, quoties opere quis peccarit: hujus rei quatuor aſſignavimus cauſſas N. 389.*

(2) *Tractatus de humanis actibus perfecte abſolvitur, ubi poſtquam declarata fuerunt cuncta, quæ ad moralem ipſorum honeſtatem pertinent, ſingulæ præterea dotes recenſentur, quibus oportet eos præditos eſſe, ut media evadant proportionata promerendæ ſupernaturali beatitudini, ſummo Dei beneficio nobis propoſitæ inſtar ultimi finis. Sicuti enim, D. Auguſt. monente* (tract. 45. in Joan.) ad hoc debet unicuique prodeſſe bene vivere, ut detur illi ſemper vivere; *ita quidnam facto opus ſit, ut & bene, & ſemper vivere poſſimus, exploratum nobis eſſe maxime decet. Porro ex duobus illis ſecundum nos præſtitimus N. 391. & ſeq. uſque ad finem Diſſertationis, quod quidem Auctor hoc loco idcirco omittit, quia in Tractatu Dogmatico de* Juſtificatione *id jam executus eſt.*

TRA-




# TRACTATUS
## DE CONSCIENTIA.

NOta. Conſcientia eſt judicium, dictans quid in particulari ſit licitum vel illicitum: agendum ut honeſtum, vel omittendum ut inhoneſtum. Sive eſt actus, quo intellectus judicat aliquid hic & nunc licitum eſſe vel illicitum; faciendum ut bonum, vel omittendum ut malum. Quare dicitur judicium practicum, ut diſtinguatur a judicio, quo intellectus judicat aliquid in genere, ſeu abſtrahendo a circumſtantiis particularibus, eſſet licitum vel illicitum v. gr. contractum uſurarium eſſe illicitum; nam conſcientia verſatur circa actionem in individuo, hoc eſt, cum omnibus ſuis circumſtantiis conſideratam.

Hinc conſcientia differt a ſyndereſi, ut actus ab habitu (1). Nam ſyndereſis eſt habitus, ſeu cognitio habitualis primorum Principiorum moralium, qualia ſunt: *Bonum faciendum: Peccatum fugiendum: Deus colendus, & amandus: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: Suum cuique reddendum, &c.* Conſcientia autem eſt judicium applicans principium morale alicui actioni particulari, v. gr. *Non debeo huic homini inferre hoc damnum, &c.*

Conſcientia dividitur (2) in veram ſeu rectam & erroneam; certam & incertam; probabilem & improbabilem

pro-

(1) *Finge hominem apprime doctum, ſimulque perturbatione aliqua mentis actum in tranſverſum, qui ſerio cenſeat neceſſariam ſuimet evirationem ad extinguendum noxiæ libidinis æſtum (ut fertur de Origene Adamantino) vel internecionem ad ſeſe exinaniendum coram Deo (ut nuper de Italo quodam accepimus, qui venarum inciſione eum in finem ſe confecit, ſicuti relicta ab ipſo ſchedula indicabat): ſubinde tamen neutrum pertentet ob metum domeſticorum, ſeu alias ob cauſſas. Jam is virilitatem, aut vitam ſervando aget contra con*ſcientiam, *hoc eſt, contra judicium paullo ante* actu *formatum: non autem contra* ſyndereſim, *quæ etiam juxta S. Aug.* (lib. 2. de Lib. Arb. cap. 15.) in naturali judicatorio regulas retinet & veras, & incommutabiles: *ſive habitu callet, ut ait Angelicus* (1. part. qu. 79. art. 12. & 1. 2. qu. 94. art. 1.) principia operabilium, ſeu præcepta legis naturalis, circa quæ non contingit errare. *Syndereſis igitur & conſcientia valde differunt inter ſe. Hinc veriſſime ſcriptum ab Henrico Gandav. 1.* (Quodl. 1. q. 18.) videmus ſæpius habentes majorem operandi notitiam, minorem habere operandi conſcientiam, *quia nempe ex eodem Angelico* (Quæſt. 17. de Conſcientia art. 2. ad 1.) conſcientia addit ſupra ſcientiam applicationem ſcientiæ ad actum particularem, & in ipſa applicatione poteſt eſſe error, quamvis in ſcientia error non ſit. *Hoc palam cernere eſt in Legis doctore, qui* abominatur idola, & ſacrilegium facit, *quemadmodum Apoſtolus* (ad Rom. cap. 2.) *arguit.*

(2) *Quotquot apud Morales nominantur* Conſcientiæ *ſpecies, perſpicuitatis gratia poſſent concludi* quadruplici *diverſa diviſione. Prima reſpicit* tempus *aut præcedens, aut ſubſequens actionem: adeoque complectitur conſcientiam* Antecedentem, *quæ dictat quid ſit agendum, priuſquam actio producatur:*

de lib. arbit. cap. 3. *Si cui etiam non contingat facultas concumbendi cum conjuge aliena, planum tamen aliquo modo ſit id eum cupere, & ſi poteſtas detur, facturum eſſe, non minus eſt reus, quam ſi in ipſo facto deprehenderetur.*

3. Ratione duplici. Prima, quia actus externus nullam habet imputabilitatem ad meritum & demeritum ſibi propriam & diſtinctam ab imputabilitate actus interni: nam non habet libertatem nec rationem voluntarii diſtinctam a libertate actus interni a quo imperatur, cum a potentia neceſſaria immediate procedat, & non ſit liber, niſi quia imperatur ab actu interno.

Secunda ratio. Quia cum actus internus efficax eſt, ſi actus externus non ponitur, ideo non ponitur, quia deeſt poteſtas illum ponendi: ac proinde quod tunc non ponatur actus externus, eſt omnino involuntarium, non auget imputabilitatem ſive ad laudem & præmium, ſive ad vituperium & pœnam, ut docet S. Th. 1. 2. qu. 20. art. 4. & per ſe patet.

*Obj.* 1. Qui martyrium ſubit, plus apud Deum meretur, quam is, qui ſolum ſubire vult martyrium, quantum in ſe eſt.

*Reſp.* Nego. Si tam intenſe & perſeveranter velit quam ſi re ipſa ſubiret.

*Inſt.* Qui martyrium re ipſa ſubit, plus gratiæ ſanctificantis, ideoque plus gloriæ conſequitur, quam qui ſolum vult efficaciter illud ſubire, nec tamen ſubit. Ergo plus meretur.

*Reſp.* Nego conſeq. Quia exceſſum gratiæ & gloriæ Martyr conſequitur tantum ex opere operato martyrii: vel ſaltem ex ſpeciali privilegio actui externo martyrii conceſſo. Unde revera actus externus martyrii plus prodeſt quam ſola illius voluntas efficax; ſed hoc ſit per accidens, ſeu ex privilegio, non ex natura rei.

*Obj.* 2. Actus internus & actus externus mali diverſis præceptis prohibentur, nempe externus prohibetur ſexto, *non mœchaberis*, & internus nono, *non concupiſces*.

*Reſp.* Illa præcepta non ſunt ſtricte ac proprie diverſa. Nam idem ex eodem motivo vetant, cum hoc ſolo diſcrimine, quod ſextum vetet explicite actum externum, & implicite internum: nonum vero vetet explicite actum internum, & implicite externum.

*Obj.* 3. Si actus internus per ſe non augeret malitiam actus interni, non eſſet obligatio confitendi actum externum. Falſum conſeq. ergo.

*Reſp.* (1) Neg. ſeq. maj. Tum quia actus externus facit cum actu interno unum actum moralem completum, & unum peccatum totale. Tum quia ſine confeſſione actus externi non ſatis declaratur actus interni efficacia, intenſio, extenſio & duratio, ac proinde tota ejus gravitas non ſatis innoteſcit. Præterea actus externus eſt obnoxius ſcandalo, cenſuris, irregularitati, reſtitutioni, & variis obligationibus, quibus immunis eſt actus mere internus. Unde ſine actus externi declaratione Confeſſarius non ſatis cognoſceret ſtatum pœnitentis, ejus obligationes, & qualitatem ſatisfactionum præſcribendarum: proindeque non poſſet, ut par eſt, officio ſuo fungi.

*Obj.* 4. Aſſertio noſtra tollit ſtudium ac curam bonorum operum exteriorum, & metum ac fugam malorum operum externorum.

*Reſp.* Neg. Quia ſi non exerceantur bona opera externa, cum facultas adeſt, tunc actus internus non eſt efficax, ſed eſt mera velleitas, quæ ſane non habet meritum, quod habet voluntas efficax. Præterea bonum opus externum plerumque auget per accidens meritum, & ſæpe præcipitur a Deo, ut eleemoſynæ largitio. Opus vero externum malum prohibetur a Deo, & plerumque auget per accidens malitiam actus interni.

His adde quod actus externus plura affert commoda, ſi bonus eſt: nam ædificationem parit, quandoque gratiam confert, ut ſacramentum & martyrium. Si vero malus eſt, plura affert incommoda: nam parit ſcandalum, infamiam, reſtituendi obligationem &c. ſubjicitque pœnis ac cenſuris.

Dico 2. Actus externus ſæpiſſime auget per accidens ſeu occaſionaliter bonitatem vel malitiam actus interni, a quo imperatur.

*Prob.* Quia ſæpiſſime eſt occaſio, cur augeatur bonitas vel malitia actus interni, vel diutius duret, aut multiplicetur actus internus. Nam actus internus in executione intenditur propter arduitatem aut delectationem ortam ex actu externo, vel diutius continuatur propter longiorem temporis moram neceſſariam ad opus externum perficiendum; vel ob utramque cauſſam ſæpius iteratur. (2)

(1) *Quidquid ſentiatur in ea Scholaſtica controverſia, fatentur nunc Theologi omnes, in Sacramentali judicio aperiendum eſſe* externum *actum, quoties opere quis peccarit: hujus rei quatuor aſſignavimus cauſſas, N. 389.*

(2) *Tractatus de humanis actibus perfecte abſolvitur, ubi poſtquam declarata fuerunt cuncta, quæ ad moralem ipſorum honeſtatem pertinent, ſingulæ præterea dotes recenſentur, quibus oportet eos præditos eſſe, ut media evadant proportionata promerendæ ſupernaturali beatitudini, ſummo Dei beneficio nobis propoſitæ inſtar ultimi finis. Sicuti enim, D. Auguſt. monente* (tract. 45. in Joan.) ad hoc debet unicuique prodeſſe bene vivere, ut detur illi ſemper vivere; *ita quidnam facto opus ſit, ut & bene, & ſemper vivere poſſimus, exploratum nobis eſſe maxime decet. Porro ex duobus illis ſecundum nos præſtitimus N. 391. & ſeq. uſque ad finem Diſſertationis, quod quidem Auctor hoc loco idcirco omittit, quia in Tractatu Dogmatico de* Juſtificatione *id jam executus eſt.*

TRA-




# TRACTATUS DE CONSCIENTIA.

NOta. Conſcientia eſt judicium, dictans quid in particulari ſit licitum vel illicitum: agendum ut honeſtum, vel omittendum ut inhoneſtum. Sive eſt actus, quo intellectus judicat aliquid hic & nunc licitum eſſe vel illicitum; faciendum ut bonum, vel omittendum ut malum. Quare dicitur judicium practicum, ut diſtinguatur a judicio, quo intellectus judicat aliquid in genere, ſeu abſtrahendo a circumſtantiis particularibus, eſſe licitum vel illicitum v. gr. contractum uſurarium eſſe illicitum; nam conſcientia verſatur circa actionem in individuo, hoc eſt, cum omnibus ſuis circumſtantiis conſideratam.

Hinc conſcientia differt a ſynderesi, ut actus ab habitu (1). Nam ſynderesis eſt habitus, ſeu cognitio habitualis primorum Principiorum moralium, qualia ſunt: *Bonum faciendum: Peccatum fugiendum: Deus colendus, & amandus: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: Suum cuique reddendum, &c.* Conſcientia autem eſt judicium applicans principium morale alicui actioni particulari, v. g. *Non debeo huic homini inferre hoc damnum, &c.*

Conſcientia dividitur (2) in veram ſeu rectam & erroneam; certam & incertam; probabilem & improbabilem

(1) *Finge hominem apprime doctum, ſimulque perturbatione aliqua mentis actum in tranſverſum, qui ſerio cenſeat neceſſariam ſumere evirationem ad extinguendum noxiæ libidinis æſtum (ut fertur de Origene Adamantino) vel internecionem ad ſeſe exinaniendum coram Deo (ut nuper de Italo quodam accepimus, qui venarum inciſione eum in finem ſe confecit, ſicuti relicta ab ipſo ſchedula indicabat): ſubinde tamen neutrum perentes ob metum domeſticorum, ſeu alias ob cauſſas. Jam is virilitatem, aut vitam ſervando aget contra conſcientiam, hoc eſt, contra judicium paullo ante* actu *formatum: non autem contra* ſynderesim, *quoniam juxta S. Aug.* (lib. 2. de Lib. Arb. cap. 16.) in naturali judicatorio regulas retinet & veras, & incommutabiles: *ſive* habitu *callet, ut ait Angelicus* (1. part. qu. 79. art. 12. & 1. 2. qu. 94. art. 1.) principia operabilium, ſeu præcepta legis naturalis, circa quæ non contingit errare. *Synderesis igitur & conſcientia valde differunt inter ſe. Hinc veriſſime ſcriptum ab Henrico Gandav. 1.* (Quodl. 1. q. 18.) videmus ſæpius habentes majorem operandi notitiam, minorem habere operandi conſcientiam, *quia nempe ex eodem Angelico* (Quæſt. 17. de Conſcientia art. 1. ad 1.) conſcientia addit ſupra ſcientiam applicationem ſcientiæ ad actum particularem, & in ipſa applicatione poteſt eſſe error, quamvis in ſcientia error non ſit. *Hoc palam cernere eſt in Legis doctore, qui* abominatur idola, & ſacrilegium facit, *quemadmodum Apoſtolus* (ad Rom. cap. 2.) *arguit.*

(2) *Quotquot apud Morales nominantur* Conſcientiæ *ſpecies, perſpicuitatis gratia poſſunt concludi* quadruplici *diverſa diviſione. Prima reſpicit* tempus *actis præcedens, aut ſubſequens actiones: adeoque complectitur conſcientiam* Antecedentem, *quæ dictat quid ſit agendum, priuſquam actio producatur:*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

probabilem ; ſcrupuloſam & laxam ; perplexam & dubiam , quamvis hæc non ſit proprie conſcientia.

## CAPUT PRIMUM.

### *De conſcientia vera ſeu recta, erronea, & perplexa.*

NOta. Conſcientia vera ſeu recta, eſt ea, quæ dictat aliquid in particulari eſſe licitum vel illicitum, bonum aut malum, quod re vera tale eſt in ſe. Erronea ſeu falſa eſt, quæ dictat eſſe hic & nunc licitum vel illicitum, bonum vel malum, quod reipſa tale non eſt. Hæc duplex eſt, alia erronea vincibiliter, ſeu ex errore, qui depelli potuit, aut debuit ; alia erronea invincibiliter, ſeu ex errore, qui depelli non potuit, aut non debuit.

Quæſt. I. *An tenemur ſequi conſcientiam veram ac rectam* (1), *dictantem aliquid præceptum vel vetitum eſſe.*

*Reſp.* Affirm. Quia dictat eſſe faciendum, vel omittendum id quod Lex æterna præſcribit faciendum vel omittendum eſſe hic & nunc, ſeu in talibus circumſtantiis. Quare qui contra conſcientiam rectam agit, peccat : quia agit contra Legem divinam intimatam per dictamen rectæ rationis.

Porro an conſcientia recta, ac vera dici debeat proxima regula actuum humanorum, an duntaxat intimatio talis regulæ, quæ ſit tantum lex, ſeu præceptum, non refert ad praxim. (2)

Quæſt. II. *An & quale peccatum eſt agere contra conſcientiam erroneam?*

*Reſp.* 1. Actio vel omiſſio contra conſcientiam ſive vincibiliter, ſive invincibiliter erroneam, dictantem eam eſſe illicitam, eſt ſemper peccatum (3), quamvis ex ſe ſit licita. *Ita omnes.* Conſtat 1. ex

Rom.

tur : & Conſequentem, *quæ dictat quid jam egimus, ſoletque pro qualitate aut bene, aut male factorum vocari nunc* remorſus conſcientiæ, *nunc* teſtimonium bonæ conſcientiæ. *Utramque accurate deſcribit Angelicus* (q. 17. de conſcientia art. 1. in C. prope fin.) *prior tamen ſola eſt, quæ ad præſentem ſcopum facit. Secunda* obligationem legis, *dirigentis actiones inſtar normæ : ſub quo reſpectu conſcientia vel eſt* Præcipiens *ſeu* Prohibens, *hoc eſt, dictans aliquid ex præcepto faciendum, ſeu omittendum, vel* Conſulens, *hoc eſt, dictans quidpiam agendum duntaxat ex conſilio : vel* Permittens, *hoc eſt dictans aliquid nec præceptum eſſe, nec prohibitum, ſed mere permiſſum. Duæ priores impræſentiarum maxime conſiderantur. Tertia* objectum actionum : *juxta quam conſcientia diſpeſcitur in* Rectam, *quæ dictat aliquid, prout revera eſt, honeſtum, vel inhoneſtum eſſe : &* Erroneam, *quæ dictat aliquid eſſe honeſtum, aut inhoneſtum, ſecus ac reapſe ſit. Quarta* diſpoſitionem agentis : *& ad hanc referuntur ſequentes conſcientiæ ſpecies paſſim a Scriptoribus deſignatæ, nempe* Certa, Opinativa, *ſeu* Probabilis, Dubia, Suſpicioſa, Perplexa, & Scrupuloſa.

(1) *Conſcientia, quam in diviſionibus mox aſſignatis diximus erroneam, eadem eſt ac* falſa. *Sed non e converſo conſcientia vera ſemper cenſenda eadem ac* recta *erroneæ oppoſita. Siquidem ut vocetur proprie recta, non ſatis eſt, ſi dictet faciendum, aut omittendum, quod eſt reapſe honeſtum, aut inhoneſtum : ſed requiritur præterea, ut hoc dictamen eliciatur juxta prudentiæ regulas. Sic ex. ca. conſcientia Prætoris neci adjudicantis hominem valde nefarium, ac necdum, uti ajunt, vel confeſſum, vel convictum, eſt quidem vera objective, ſed non formaliter ſeu ſubjective, adeoque non recta : quia nimirum formata præter juris ordinem inviolate ſervandum in hujuſmodi negotio. Hinc nec fruſtra, nec inutiliter diſquiritur, utrum qui in moralibus Probabiliſmum ceu fidam Cynoſuram ſectatur, poſſit ſibi blandiri de* recta conſcientia, *quando etiam ei obtingeret, ut veram haberet.*

(2) *Nil equidem ad praxim moralem refert, quavis nomenclatione donetur conſcientia : valde tamen præſtat ſcire, quonam modo conſcientia concurrat ad actionem humanam ſeu moralem. Nam ut ſeries integra iſtius Tractatus monſtrat, ex hujuſmodi prænotione pendent argumenta fere omnia, quibus firmari ſolent communes theſes de conſcientia recta, erronea, aut cujuſvis alterius ſpeciei. Ut paucis hoc aperiamus cum Seraph. Doctore* (in 2. ſent. diſt. 39. art. 1. q. 3.) conſcientia eſt ſicut præco Dei, & nuntius, & quod dicit non mandat ex ſe, ſed mandat quaſi ex Deo, ſicut præco, cum divulgat edictum Regis ; & hinc eſt, quod conſcientia habet virtutem ligandi. *Quare, ut hinc etiam ad ipſa nomina tranſeamus, preſſe loquendo, ſola Dei* lex æterna, *ſive* voluntas, *eſt norma morum, &* regula *honeſtatis. Sed hoc non impedit, quominus juxta communem loquendi conſuetudinem, a qua citra peculiarem cauſſam non ita facile recedendum, donetur regulæ nomine ipſa quoque conſcientia hominis, quatenus nempe homini proponit, & applicat ſupremam normam morum ipſius directivam. Unde invaluit vulgaris diviſio duplicis regulæ, quarum una dicitur* remota & principalis, *eaque in Deo : altera* proxima & inſtrumentalis, *eſque in homine : propriis vocabulis illa vocatur* Lex, *de qua in ſeq. Tract. iſta* Conſcientia, *de qua in præſenti. Satis jam clareſcit, quod N. 285. docuimus de lege æterna, & conſcientia loquentes.*

(3) *Ut quis agendo* contra *conſcientiam erroneam dicatur peccare, prout fert theſis iſta communis, multa debent concurrere, quæ ſi Confeſſarii præ oculis habeant, deprehendent Pœnitentes aliquos præſertim meticuloſos ſæpe ab ejuſmodi peccato immunes eſſe, ſecus ac ipſis videatur. Requiritur* 1. *ut in agente ſit vere* conſcientia, *non mera anxietas, ſcrupulus, ſuſpicio : hoc eſt ut determinate* judicet *apud ſemetipſum, ex. ca. piaculum eſſe accedere ad Euchariſtiam non repetita Confeſſione : conſcientia enim ex dictis eſt judicium intellectus, quo quis habitualem ſuam ſcientiam practicam applicat ad aliquem actum hic & nunc producendum.* 2. *ut conſcientia non ſit duntaxat* conſequens, *ſed* antecedens *actum, de qua in nota* 1. *hujus Tract. Nam ex Angelico* (Lect. 2. in cap. 14. ad Rom.) Si aliquis poſt factum habet conſcientiam erroneam, per quam credat id, quod eſt licitum, a ſe factum, fuiſſe peccatum, vel quod eſt veniale, fuiſſe mortale, non propter hoc efficitur quod eſt prius, vel peccatum, vel mortale ; quia voluntas, & actio non in-

for-



Rom. 14. *Qui autem diſcernit* (ſcilicet inter cibos, falſo putans aliquos præ aliis adhuc eſſe a Deo vetitos) *ſi manducaverit, damnatus eſt, quia non eſt ex fide. Omne autem, quod non eſt fide, peccatum eſt*, id eſt, (interpretantur Patres & Conc. Gener. Later. IV. patetque ex contextu) omnis actio vel omiſſio, quæ non eſt ex dictamine conſcientiæ, ſeu ex perſuaſione quod ſit licita, peccatum eſt. At omnis actio, vel omiſſio, quæ eſt contra conſcientiam, ſive rectam, ſive erroneam, non eſt ex perſuaſione quod ſit licita. Ergo peccatum eſt.

2. Ex c. 13. de Reſtit. ſpoliat. *Quidquid fit contra conſcientiam, ædificat ad gehennam.*

3. Quia agens contra conſcientiam erroneam vult peccatum, cum velit actionem vel omiſſionem, quam judicat eſſe peccatum. Nam eſto, tale objectum non ſit reipſa illicitum, ſed licitum : at voluntas illud amplectendo conſentit in objectum ſibi propoſitum ut malum, ideoque in objectum malum ; objectum enim voluntatis eſt bonum vel malum, non quomodocumque, ſed prout ab intellectu proponitur. item is reipſa, quantum in ſe eſt, ſectatur malum, faciendo id quod putat eſſe malum. Præterea qui facit aliquid de ſe bonum, putans eſſe malum, in æſtimatione prudenti cenſetur perinde velle malitiam, ac ſi actio illa eſſet reipſa de ſe mala ; cum nolit abſtinere, quamvis ei proponatur ut mala. Ergo peccat.

Hinc qui agit contra conſcientiam, peccat contra legem divinam naturalem, vetantem omnem conſenſum & affectum ad id quod putatur malum etiam ex errore. (1)

*Reſp.* 2. Peccatum, quod contra conſcientiam erroneam agendo admittitur, habet eam ſpeciem & gravitatem, quam quis ex errore judicat ineſſe actioni vel omiſſioni ſuæ. *Eſt communis ſententia* (2). Quia is vult objectum : in quo talem ſpeciem & gravitatem malitiæ apprehendit ; & ſic vult, ſaltem interpretative, talem ſpeciem & gravitatem malitiæ ſibi ab intellectu propoſitam ; habetque affectum ad peccatum talis ſpeciei & gravitatis ; cum voluntas feratur in malum prout concipitur. Brevius : is vult peccatum committere quale eſſe conſcientia dictat.

Hinc peccat mortaliter contra temperantiam, qui falſo putans tali die eſſe jejunium, non jejunat ; contra juſtitiam, qui non reſtituit id quod falſo putat non eſſe ſuum ; contra caritatem, qui falſo judicans ſe debere mentiri ad ſervandam vitam proximi, non mentitur. Supple ſemper, niſi deponat prudenter hanc conſcientiam erroneam.

*Nota.* Licet is qui contra conſcientiam erroneam agit, perinde peccet, ac alter qui contra rectam, non incurrit tamen eaſdem pœnas humanas, ac cenſuras ; quia hæ non imponuntur niſi tranſgreſſoribus legis veræ, non autem putatitiæ. Hinc non incurrit excommunicationem, qui facit actum, quem falſo putat eſſe prohibitum ſub tali cenſura, nec qui percutit laicum, putans eſſe clericum.

*Reſp.* 3. Qui facit quod falſo putat eſſe illicitum,

formantur ex apprehenſione ſequenti, ſed ex præcedenti. 3. *ut conſcientia, etiam antecedens actum, ſit* præcipiens, *aut* prohibens, *non tantum* conſulens. *Etenim ſicuti peccatum non eſt agere contra conſilium, ſecluſo contemptu ; ita nec peccatum eſt agere contra conſcientiam pure conſulentem.* 4. *ut actio vel omiſſio contra conſcientiam erroneam, ſit* libera ; *cum ex Patribus* (n. 149. 397.) *nequeat eſſe peccatum, quod non ſit libera voluntate : unde ex. ca. carceri mancipatus nullatenus peccat non audiendo Miſſam diebus feſtis, quidquid ſibi falſo perſuadeat.* 5. *demum ut actio, vel omiſſio contingat eo tempore, quo* nondum depoſitus *ſit conſcientiæ error : nam intellectu ab ignorantia expurgato, ſicuti tenemur errorem jam cognitum deſerere, ita & agere contra priſtinam erroneam conſcientiam. Hinc commendandus Apoſtolus, qui factus Paulus palam annuntiabat Chriſtum, ad cujus Eccleſiam perſequendam, antea Saulus cum eſſet, arbitrabatur ſe religionis lege teneri.*

(1) *Theſis ab Auctore hactenus ſtabilita debet intelligi indefinite de rebus cujuſvis generis : hoc eſt, ſive ſit bonum, aut indifferens id, quod erronea conſcientia dictat omittendum tamquam malum, ſive ſit malum, quod eadem dictat faciendum, ſeu bonum. Unde ex. ca. Paterfamilias peræque peccat peccato, de quo nunc loquimur, ſive non abſtinendo a ludo prorſus innoxio, aut a neceſſario juramento, ſive non occidendo uxorem in adulterio deprehenſam :* quoties *ipſe erronea conſcientia credit omittenda duo priora ceu mala vetita, & faciendum poſterius tamquam bonum ſibi divinitus præſcriptum : &* quamdiu *talis conſcientiæ error inſidet ejus menti. Perſpicuas firmaſque hujus generalis doctrinæ demonſtrationes aſſerunt S. Bonav.* (in 2. ſent. diſt. 39. art. 1. q. 3.) *Henr. Gandavenſis* (Quodl. 1. q. 18.) *S. Th.* (Lect. 2. in cap. 14. ad Roman. & q. 17. de Conſcientia art. 4.) *Quotquot autem obtendi poſſunt difficultates præſertim contra ligamen, ut dicitur, conſcientiæ erroneæ, dictantis eſſe neceſſaria ad ſalutem, quæ ſunt per ſe inhoneſta : eæ facile evaneſcent, ſi duo perpendas, quæ ad hanc ipſam rem notavit Doctiſſ. Cornelius Muſſus* (Com. in c. 14. ad Roman.) Primum, quod conſcientia errans, licet divinæ legi contraria dictet, illa tamen contraria legi Dei dicit eſſe divina lege præſcripta. Secundum, quod ille qui conſcientiam errantem habet, credit illam rectam eſſe, aliter enim non erraret, & ita illi inhæret, non quatenus erronea, ſed quatenus recta : per ſe conſcientiam ſequens, & per accidens conſcientiæ errorem, quia videlicet contingit conſcientiam, quam putat rectam eſſe, errore teneri. Ex his duobus videbis apertiſſime, quod qui contra conſcientiam errantem agit, quouſque illa manet, peccat : quoniam, quantum in ſe eſt, habet voluntatem Legem Dei tranſgrediendi, quam ſervandam eſſe conſcientia dictat, quæ ab illo recta, & non errans exiſtimatur. *Hactenus Franciſcanus Præſul.*

(2) *Hujus, & aliarum, quæ deinceps occurrunt, quæſtionum incidentium reſolutio radices agit in eo Angelici textu, qui eſt inſtar canonis in Morali Facultate recepti* (Lect. 2. in c. 14. ad Roman.) Actus judicantur ſecundum voluntatem agentium, voluntas autem movetur a re apprehenſa : unde in id voluntas tendit, quod ei vis apprehenſa repræſentat ; & ſecundum hoc qualificatur vel ſpecificatur actio.

tum, non diſtinguens an veniale, an mortale ſit, peccat mortaliter: tum quia vult objectum illud, etiamſi eſſet mortaliter malum, & ſic vult ſaltem interpretative peccatum mortale committere: tum quia ſe exponit morali periculo peccandi graviter, ſpectata ſua mente. *Ita Azor, Vaſquez, Sanchez,* (1) *&c.* Quod ſi apprehendat (2) peccatum in genere tantum & non in ulla ſpecie, peccat contra caritatem Dei, & propriam, vetantem quodlibet peccatum, utpote offenſam Dei, & malum peccantis.

Quæſt. III. *An licet agere ſecundum conſcientiam erroneam.*

*Reſp.* 1. Si ſit invincibiliter erronea, non ſolum licet huic obſequi, quia ignorantia invincibilis excuſat a peccato, cum tollat omne voluntarium circa malum: ſed etiam tenemur eam ſequi in iis, quæ dictat eſſe præcepta, vel prohibita. Quia alioquin, cum ipſa deponi nequeat, ageremus contra illam; quod non licet, uti dixi.

Non tamen eſt proprie regula morum, nec proprie obligat; cum non ſit legis veræ intimatio. Sed tenemur ſequi talem conſcientiam, quia non poſſumus aliter peccatum vitare: cum deponi nequeat, & non liceat contra illam agere.

*Dices*. (3) Hinc ſequitur quod aliquis poſſit neceſſario peccare, v. g. in hoc caſu: Mulier gerens curam infirmi die feſto, putat ex errore invincibili ſe peccare, ſi omittat ſacrum, & ſi deſerat infirmum, nec poteſt tunc errorem ſuum deponere: unde utrumvis agat, aget contra conſcientiam, & ſic neceſſario peccabit.

*Reſp.* 1. In hoc caſu non erit libera moraliter, ideoque non peccabit, modo eligat id quod minus malum eſſe judicat. Quamvis enim poſſit ex duobus illis alterutrum eligere, non eſt tamen libera ad non agendum contra conſcientiam, cum, utravis parte electa, culpam apprehendat. Ad culpam autem imputabilem requiritur libertas, qua culpa vitari potuerit.

*Reſp.* 2. Nunquam licet agere ſecundum conſcientiam vincibiliter erroneam, dictantem aliquid eſſe licitum; quia fieret culpabiliter aliquid illicitum: cum ignorantia vincibilis, utpote voluntaria, non excuſet a peccato, & id quod ex ea ſit, ſit ſaltem indirecte voluntarium. Neque etiam licet agere contra eam, ut modo dixi, ſed ipſa deponi debet. (4)

Hinc ſi quis ex errore vincibili judicet ſe debere furari, ut ſubveniat egeno non laboranti extrema neceſſitate, peccat contra juſtitiam, ſi furetur: quia furtum eſt vetitum, & ei voluntarium eſt ut malum in cauſſa, nempe in negligentia inquirendi veritatem. Si vero non furetur, peccat contra caritatem: quia non agit id quod lege caritatis præceptum eſſe exiſtimat. Quare talis conſcientia deponi debet prudenter, rem pro ejus gravitate diligenter perpendendo, pios & peritos conſulendo, praxim timoratorum attendendo &c. Quod ſi error jam deponi nequeat, & electio urgeat; v. g. ſi non poſſis veritatem per te invenire, nec adſit peritior quem conſulas, tunc debes orare, & elicere actum contritionis de priori peccato ignorantiæ, & eligere eam partem in qua putas eſſe minus mali: & ſic excuſaberis ab ulteriori culpa, quia tunc error a vincibili fiet invincibilis & involuntarius, cum ejus cauſſa fuerit retractata, & facias jam quod in te eſt ut non pecces. Teneris tamen reſarcire damnum illatum; nam retractatio culpæ non facit ut non fuerit libere poſita cauſſa damni, neque ut damnum ex ea non ſit ſecutum, & ſic non tollit obligationem illud reſtituendi, neceſſario annexam injuriæ damnoſæ.

Quæſt. IV. *Quid eſt conſcientia perplexa?*

Reſp.

---

(1) *Longe ante hos omnes D. Antoninus* (1. p. tit. 3. c. 10. §. 10.) *ex communi priſcorum Doctorum ſenſu ſcripſit*: B. Th. & alii dicunt, quod ille qui agit id, de quo eſt dubium, utrum ſit mortale vel non, peccat mortaliter, quia periculo ſe exponit mortalis.

(2) *Appendix iſta immediate ſubjicienda ſuperiori corollario ſecundæ Reſolutionis, cum ille ſit proprius ipſius locus. Porro peccatum, quod in tali hypotheſi confuſæ, & indefinitæ apprehenſionis Auctor docet eſſe contra virtutem caritatis, alii volunt eſſe ſpeciei* innominatæ, *oppoſitumque generali Divino præcepto*: Declina a malo.

(3) *Objectio accommodatius urgetur adverſus ſequentem alteram Reſolutionem præſentis Quæſtionis: quippe de conſcientia ſolum erronea* vincibiliter *ſtatuitur, non licere operari vel contra, vel juxta ipſam: ex quo videtur ſequi, hominem ea affectum neceſſario peccaturum, utramlibet eligat contradictionis partem. Solvitur autem iſthæc objectio dicendo, nutiquam hoc abſurdum emergere in caſu ſeu* vincibiliter *ſeu* invincibiliter *erroneæ conſcientiæ, ſed tantummodo conſequi, quod homo poſſit interdum fieri* perplexus. *Porro ex Angelico* (Lect. 1. in c. 4. ad Gal. & 1. in c. 14. ad Rom.) nihil prohibet aliquem eſſe perplexum aliquo ſuppoſito, ſeu ſecundum quid, licet nullus ſit perplexus ſimpliciter. Sicut ſacerdos fornicatius, ſive celebret Miſſam, ſive non celebret quando debet ex officio, peccat mortaliter; non tamen eſt perplexus ſimpliciter, quia poteſt peccatum dimittere, & celebrare. Et ſimpliciter poteſt aliquis conſcientiam erroneam dimittere, & a peccato abſtinere.

(4) *Legitima conſecutio. Si enim conſcientia* vincibiliter *erronea permanente, neque* contra, *neque* ſecundum *ipſam agere licet, omnino reliquum eſt, ut homo, cui neceſſaria aliqua proxima & intima regula agendi applicativa Legis æternæ, teneatur quoad poteſt illam deponere. Unde Seraphicus* (in 2. ſent. diſt. 19. art. 1. q. 3.) *dicit, talem conſcientiam* ligare ad ſe deponendum, *ad diſcrimen alterius conſcientiæ*, quæ ligat ad faciendum: *cujuſmodi eſt non ſolum recta, ſed etiam invincibiliter erronea. Hæc namque, cum nequeat ulla morali diligentia depelli, perinde ſe habet juxta prudentem operantis æſtimationem, ac ſi eſſet revera recta: adeoque ipſam, perinde ac rectam, operando ſequi debet. Quamvis autem utraque liget ad faciendum, duplici tamen ex capite altera ab altera ſecernitur ex Angelico* (q. 17. de Conſcientia art. 4.) *Primum quia recta* ligat abſolute, & in omnem eventum, ſed erronea non ligat, niſi ſecundum quid, & ſub conditione. *Secundum, quia recta* ligat per ſe, erronea autem per accidens. *Quæ duo diſcriminis capita S. Doctor ibidem pluribus declarat.*



*Reſp.* Eſt judicium practicum, dictans eſſe peccatum, ſive actus hic & nunc fiat, ſive omittatur; v. g. ſive mentiaris, ad impediendum homicidium, ſive non mentiaris. Cum hoc judicium ſit erroneum, deponi debet; nam quiſque tenetur adhibere medium neceſſarium ad vitandum illud, quo putat Deum offendi. Quod ſi deponi nequit, culpa vitabitur, eligendo minus malum, puta mendacium in allata hypotheſi, ex can. *Duo mala*, diſt. 13. Non enim peccat, qui facit quod in ſe eſt ad vitandum peccatum. Quod ſi eligas id quod apparet majus malum, peccas ſecundum quantitatem exceſſus apprehenſi; nam hunc exceſſum libere eligis. Si utraque pars appareat æque mala, non peccabis alterutram eligendo, quia cares libertate ſufficiente ad peccandum imputabiliter. Hinc non peccat, qui detentus in carcere, putat ſe peccare omiſſione ſacri, quod audire vellet, ſed non poteſt; quia hæc omiſſio non eſt ei voluntaria, nec libera. V. Diſſert. Prooemial. n. 313. item & ſuperius n. 235. 236.

## CAPUT II.

### *De Conſcientia certa & dubia.*

NOta. Conſcientia certa eſt actus, quo intellectus prudenter & firmiter, ſeu abſque dubio & formidine falſitatis ſaltem rationabili, judicat aliquid hic & nunc eſſe licitum vel illicitum. Incerta vero eſt actus, quo intellectus ſic judicat aliquid eſſe licitum vel illicitum, ut ſimul judicet rem forte aliter ſe habere. Dixi, *prudenter*: nam certitudo duo dicit, nempe prudentiam, & firmitatem adhæſionis; & firmitas ſine prudentia non eſt certitudo, ſed pertinacia. Quare conſcientia certa debet excludere omnem rationabilem dubitationem, & formidinem oppoſiti; alioqui non haberet firmitatem prudentem.

Quæſt. I. *An ad non peccandum requiratur judicium certum de honeſtate ſeu licitate actus vel omiſſionis?*

*Reſp.* Requiritur tale judicium certum ſaltem certitudine morali, qua prudenter excludatur dubitatio, & peccati formido ſaltem rationabilis. *Ita communiter, immo forte nullus quoad rem hanc diſſentit.* Prob. 1. Ex Eccl. 37. *Ante omnia opera tua verbum verax præcedat te, & ante omnem actum conſilium ſtabile*, hoc eſt firmum & prudens judicium de honeſtate actus, qui eligitur. Et ex Rom. 14. *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt*. Ubi per fidem intelligitur certa perſuaſio. 2. Quia conſcientia recta eſt actus prudentiæ, qui debet eſſe ſaltem moraliter certus de veritate, cum prudentia ſit virtus intellectualis, & ex Ariſtotele ſit habitus vera cum ratione activus circa ea, quæ ſunt homini bona atque mala, ut hæc ſcilicet reſpuantur, & illa eligantur. 3. Quia operans ſine tali judicio moraliter certo, actionem ſuam committit regulæ incertæ, habetque formidinem rationabilem peccandi; ac proinde ſpectato ſuo conceptu, ſe exponit morali periculo peccandi formaliter ſeu imputabiliter. 4. Sic probat Terillus. Omnis operans, ut excuſetur a peccato, debet operari ex bona fide, quia *quod non eſt ex fide, peccatum eſt*. Rom. 14. At nulla fides poteſt eſſe bona, ſeu ſufficiens ad excludendum peccatum, quæ non reddat operantem ſaltem moraliter certum ſe non peccare; nam ſi fides, ſeu perſuaſio quod non peccet, ſit ſolum probabilis, illa poteſt reipſa falſificari, & homo non ſolum reipſa, ſed etiam quantum ipſemet judicat, peccare poterit; quia quævis opinio probabilis de objecto contingenti, non ſolum reipſa, ſed etiam quantum ad exiſtimationem operantis, falſificari poteſt. Impoſſibile autem eſt hominem bona fide, ſeu fide ad honeſtatem actionis ſufficiente operantem, aut reipſa, aut ſecundum propriam exiſtimationem peccare poſſe. Ergo fieri nequit ut bona fides, ſeu perſuaſio ſufficiens ad honeſtatem actionis, ſit judicium tantum probabile. Ergo neceſſe eſt, ut ſaltem moraliter certo judicet actionem, quam regulat, non eſſe peccaminoſam.

Quæſt. II. *Quid eſt dubium & quotuplex?*

*Reſp.* Dubium eſt ſuſpenſio aſſenſus, & diſſenſus inter utramque partem ob motiva pro utraque parte æque probabilia. Dico *ob motiva &c.* Nam dubium quod vocant negativum, conſiſtens in ſuſpenſione mentis inter utramque partem contradictionis, ob carentiam motivorum pro utraque parte, non eſt proprie dubium, ſed neſcientia & ignorantia. Quod ſi mens in unam partem magis incliuet quam in alteram, abſque tamen aſſenſu, tum eſt ſuſpenſio. Hinc patet, 1. Dubium differre ab opinione; nam per hanc aſſentimur uni parti, in dubio vero mens ſuſpenſa manet inter aſſenſum & diſſenſum. 2. Conſcientiam dubiam non eſſe proprie conſcientiam, cum dubium non ſit dictamen ſeu judicium practicum, ſed ſuſpenſio judicii circa bonitatem, & malitiam actus.

*Reſp.* 2. Dubium aliud eſt juris, aliud facti. Dubium juris eſt dubium de lege, ſeu obligatione, aut legitima facultate agendi. Et hoc duplex eſt, nempe ſpeculativum ſeu generale, quo dubitatur in genere, num aliquid ſit licitum, an illicitum, & practicum ſeu particulare, quo dubitatur an actus aliquis hic & nunc cum omnibus ſuis circumſtantiis ſit licitus, necne: ut cum quis dubitat an contractus hic, quem nunc vult inire cum talibus conditionibus, ſit licitus.

Dubium facti eſt dubium circa aliquod factum, ut cum dubito an tale debitum perſolverim; item an hæc perſona ſit, v. gr. conſanguinea, an non, an cibi appoſiti ſint caro, necne &c. Ex dubio facti ſæpe oritur dubium juris, ut cum quis dubitans an aliquid voverit, præterea dubitat an id præſtare teneatur in tali dubio.

Quæſt. III. *An eſt peccatum agere vel omittere aliquid in dubio de malitia talis actus hic & nunc faciendi, vel ejus omiſſionis?*

*Reſp.* Eſt peccatum ejuſdem ſpeciei & gravitatis, cujus eſt peccatum, de quo dubitatur, quamvis id ſecundum ſe ſit licitum. *Ita omnes.* Conſtat 1. ex Rom. 14. *Omne quod non eſt ex fide*, hoc eſt, ex perſuaſione quod ſit licitum, *peccatum eſt*. At actio, (idem dic de omiſſione) quæ ſit in dubio de ejus malitia, non eſt ex fide, ſeu ex perſuaſione quod ſit licita; ut patet. Ergo peccatum eſt. 2. Agens in dubio, vult ſaltem interpretative malitiam peccati, de qua dubitat, eo ipſo enim æque vult actum, ſive ſit peccatum, ſive non. 3. Qui ſe exponit morali periculo peccandi, peccat, & quidem eadem ſpecie & gravitate peccati, cujus periculo ſe exponit, juxta illud Eccl. 3. *Qui*

*amat periculum, in illo peribit*. At agens in tali dubio, exponit ſe periculo faciendi peccatum, de quo dubitat, & tale periculum amat ac eligit; nam id agit, quod, ſpectato ſuo conceptu, tam poteſt eſſe illicitum quam licitum; nec habet determinatum judicium, quod operatio ſua ſit licita potius quam illicita. Idque Ethnici ſolo lumine naturali norunt. Sic enim Cic. l. 1. de Off. ait: *Bene præcipiunt qui vetant quidquam agere, quod dubites æquum ſit, an iniquum* (1).

Quæſt. IV. *Quomodo formanda eſt conſcientia in dubiis?*

*Reſp.* Tum quiſque tenetur 1. adhibere diligentiam in veritate inquirenda debitam, & poſſibilem pro rei gravitate, & loci ac perſonæ qualitate & conditione; Deum orando, cor mundando per contritionem, ne impediatur lumen veritatis; affectum omnem pravum deponendo; cupiditates quæ mentem obcæcant cohibendo; probos ac peritos conſulendo; praxim timoratorum ac proborum attendendo; rationes utrinque, & rem pro materiæ gravitate ex ſolo amore veritatis expendendo. Nam eodem præcepto, quo quiſque tenetur prudenter agere, & vitare peccatum, tenetur etiam veritatem diligenter inveſtigare, ne imprudenter agat, ſeque periculo peccandi exponat.

2. In dubio poſt diligentiam debitam adhibitam quiſque tenetur ſe prudenter reſolvere: ideoque non per ſolum affectum, ſed per motivum prudentiæ. Alioqui adhuc ſe exponet periculo peccandi; nam voluntas eſt potentia cæca, quæ debet dirigi per prudentiam intellectus.

3. Quod ſi pro utraque parte æqualis ſtet probabilitas, vel nullum grave motivum occurrat, tenetur ſequi partem tutiorem, hoc eſt, quam ſequendo nullum eſt periculum agendi contra ullam legem juxta regulam juris: *In dubio tutior pars eligenda eſt:* alioquin ſe exponit periculo peccandi. Licet tamen ſequi partem minus tutam, modo ſit longe probabilior altera, ut infra dicam. (2)

CA-

(1) *Quod de conſcientia erronea monuimus nota 3. qu. 1. præced. cap. id ipſum applicandum etiam dubiæ. Scilicet non ſtatim ac quævis ambiguitas, timor, anxietas agentem pulſant, locum habet præſens Auctoris reſolutio: ſed omnino* conſcientia *practice dubia requiritur eo modo, quo hæc poteſt dici conſcientia. Nimirum opus eſt, ut homo, antequam ſe comparet ad quidpiam hic & nunc agendum, rebus perpenſis ſentiat, ſuſpendendum eſſe actum erga utrumque extremum in æquilibrium contrariarum rationum, vel ſi agendi imminet neceſſitas, nonniſi tali aut tali modo agendum; & nihilominus temere & inconſulto actionem ſubinde aggrediatur, vel ſecus quam oportet, agat. Apposite Seraphicus* (Comp. Theol. Verit. lib. 2. c. 52.) Nota, quod aliud eſt conſcientia, aliud timor conſcientiæ: tunc enim eſt conſcientia, quando quis ſententialiter judicat aliquid eſſe faciendum, vel vitandum: & contra talem conſcientiam facere, etiamſi ſit erronea, peccatum eſt. Sed contra timorem conſcientiæ facere, non ſemper eſt peccatum; quia talis timor non eſt ſemper ex definitiva ſententia rationis, per quam judicat ſe teneri ad aliquid; ſed ex eo quod vacillat inter dubia, neſciens quid ſit melius, vel ad quid teneatur potius, cum tamen non omitteret quidquid ſciret eſſe placitum Divinæ voluntati. *Et hinc ergo ſolamen capere poſſunt multi Deum timentes, ubi coanguſtantur ejuſmodi conſcientiæ timoribus, mentiſque ambiguitatibus.*

(2) *Hæc porro ſunt, quæ accurate diſtinguenda, ac ſedulo obſervanda exiſtimo in propoſita graviſſima materia de Conſcientia* certa, *&* dubia. 1. *quid ſit proprie* dubium morale? 2. *quotuplex ſit* formido *adnexa opinioni, ſeu probabili aſſenſui?* 3. *quænam ſint ſpecies* certitudinis, *afficientis humanas cognitiones?* 4. *quæ ſit genuina definitio conſcientiæ* prudenter certæ, *ac dubiæ?* 5. *qualis conſcientia dicenda ſit ineſſe homini conſtituto in* æquilibrio *duarum opinionum contrariarum?* 6. *quomodo ſeſe gerere debeat juxta* prudentiæ *leges, quotieſcumque in eo rerum ſtatu prematur agendi neceſſitate?*

Reſp. *ad* 1. Dubium *ſeu* Dubitatio, *ut ſcribit Seraphicus* (in 3. ſent. diſt. 17. dub. 2.) proprie dicit indifferentiam judicii rationis reſpectu utriuſque partis contradictionis, ita quod neutrum præeligat alteri. *Hanc autem judicii indifferentiam, ſeu ſuſpenſionem aſſenſus intellectualis, oriri* ex eo, quod *in utramque partem ſe offerant intellectui rationes æque ponderantes, proindeque dubium omne proprie dictum eſſe* propter *æqualia momenta utrinque occurrentia, conſtans & minime diſcrepans fuit ſemper doctorum hominum ſenſus, a quo cordatus nemo nunc divortium facere tentabit. Conſtat hoc in primis ex* Philoſopho (lib. 1. Top. c. 9.) ſunt autem problemata, & de quibus contrarii ſunt ſyllogiſmi, dubitationem enim habent utrum ſic ſe habeant, an non; eo quod de utriſque ſunt rationes ſuaſibiles. *Dein ex* Juriſconſultis. *Baldus* (in l. *De ſtatu* §. De teſtam.) Dubitatio eſt æqualitas contrariarum rationum. *Bartolus* (in l. *Qui Romæ* §. de Verb. Oblig.) Dubitabile eſt, ubi ſunt conſilia, & diſcordes Doctorum opiniones. *Præterea ex* Canoniſtis, *&* Theologis, *S. Antoninus* (1. par. Sum. tit. 3. l. 10. §. 10.) Sumitur proprie & ſtricte dubitatio, prout rationes ſunt æque ponderantes ad utramque partem, nec magis declinat quis ad unam, quam ad aliam. *B. Angelus de Clavaſio* (in Sum. ver. *Dubium*) Dubium eſt æqualitas rationum contrariarum ſecundum Philoſophum. *Card. Paleottus* (de Sac. Conciſtor. Conſult. p. 4. q. 4.) Aliquando rationes utrinque æquales ſe offerunt, ita ut animus non magis in unam, quam in alteram inclinet partem, & tunc oritur proprie dubitatio. *Proſp. Fagnanus, qui in peculiari tractatu de* opinione Probabili *in c.* Ne innitaris *de Conſtit. hoc ipſum longe pluribus teſtimoniis, ac rationibus* (n. 125. uſque ad 131.) *ex profeſſo demonſtrat. Tandem* ex Jure Pontificio, *cui familiare eſt* dubiam *repu-tare materiam*, dubium *articulum & caſum, ubi rationes vel atteſtationes pro utraque ſimiliter parte militant. Id cernere eſt in triplici præſertim Decretali Innocentii III. nimirum* Fraternitatis tuæ. *tit. 15. de Frig. & Malef. lib. 4.* Significaſti nobis, *tit. 12. de Homicidio Volunt. & Caſual. lib. 5.* Illud Dominus, *tit. 27. de Clerico Excomm. miniſtr. l. 5. atque alibi paſſim. Jam vero ex his omnibus evidens ſit, plane operam ludere illos Theologos, qui cum ſentiant in concurſu contrariarum opinionum æque probabilium cuique licere alterutram pro arbitrio amplecti, poſtmodum, ne ita ſentiendo videantur convellere communem apud Morales doctrinam, qua ſtatuitur peccatum eſſe operari in dubio, vel cum conſcientia practice dubia, comminiſcuntur (facta diſtinctione dubii* negativi, *&* poſitivi) *hujuſmodi doctrinam accipiendam eſſe aut de negativo dumtaxat dubio, quod cenſetur abeſſe, ubi nullæ prorſus pro utroque extremo apparent rationes, aut de dubio poſitivo, quatenus leves dumtaxat præſefert rationes pro utroque extreme. Operam, inquam, plane ludunt, atque ex præjudicata dumtaxat opinione propria videntur aſſignare notionem dubii moralis, quæ cum unanimi apertaque totius antiquitatis doctrina minime cohæret. Sane ubi nulla utrinque occurrit ratio, proprie loquendo non tam dubium, quam mera ignorantia, ſive neſcientia eſt. Ubi autem leves dumtaxat occurrunt rationes, non eſt dubium vere* morale, *hoc eſt, rationabile & prudens: ſed potius vana & inconſulta hæſitatio, adeoque rejicienda: ut liquet ex Innoc. III.* (lib. 5. Decr. tit. 39. de Sent. Excomm. c. 44. *Inquiſitioni*) *ubi conſcientiam ſcrupuloſam docet explodendam eſſe, utpote* conſcientiam levis & temerariæ credulitatis, *& valde diſcretam a* probabili, & diſcreta credulitate, *ſive a rationali, & prudenti dubitatione. Verum, ut vitiligationes quæque evitentur, quocumque modo explicare lubeat* morale dubium, *ſemper inconcuſſum manet, quod facit ad præſentem ſcopum: ſcilicet dubitantem quovis dubio in tali verſari diſpoſitione, ut fluctuet æquilibris inter oppoſitam utramque partem, & quaſi ligatus neutri poſſit aſſenſum ſuum prudenter accommodare. Audiatur de hoc Angelicus* (de Veritate q. 14. art. 1.) Intellectus noſter reſpectu partium contradictionis ſe habet diverſimode; quandoque enim non magis inclinatur in unam, quam in aliam: vel propter defectum moventium, ſicuti in problematibus, de quibus rationes non habemus (*en dubium, quod dicunt negativum*) vel propter apertam æqualitatem earum, quæ movent ad utramque partem (*en dubium, quod nos vocamus poſitivum, proprieque morale*). Et ita eſt dubitantis diſpoſitio, quæ fluctuat inter duas partes contradictionis.

Reſp. *ad* 2. *Ex D. Bernardo* (lib. 5. de Conſid. c. 3.) opinio certi nihil habens, verum per veriſimilia quærit potius, quam apprehendit: *unde trita in Scholis definitione dici ſolet* aſſenſus præſtitus alicui rei cum formidine de oppoſito. *Porro duplex ſecernenda* Formido *opinionis, altera* Logica, Moralis *altera. Logica formido ſita eſt in cognitione, qua intellectus apprehendit rem, quam opinatur, & per opinionem determinate judicat, ita eſſe, ut poſſit etiam eſſe aliter, ac ipſe judicat; quia nimirum advertit, rationes illius partis, cujus habet aſſenſum, non eſſe evidentes & decretorias, ſed tantum probabiles. Moralis vero formido conſiſtit in animi anxietate, & fluctuatione, per quam ob grave aliquod motivum timetur, ut actio ſit mala, & prohibita. Prioris generis formido eſt* eſſentialis *opinioni abſolute ac ſecundum ſe conſideratæ: quippe opinio quatenus a fide, & ſcientia diſtinguitur*, ſola ſe veriſimilitudine tuetur *juxta prælaudatum Bernardum. Ea tamen non excludit ab opinantis animo determinatum aſſenſum unius partis, adeoque nec moralem certitudinem de honeſtate operationis. Contra vero formido poſterioris generis eſt* accidentalis *ipſimet opinioni præciſe in ſe ſpectatæ: immo, verius loquendo, impedimento eſt, ut ipſa opinio, quatenus determinatum denotat aſſenſum, poſſit* prudenter *efformari. Siquidem ex Angelico* (lib. 3. Metaph. cap. 1.) Dubitatio de aliqua re hoc modo ſe habet ad mentem, ſicut vinculum corporale ad corpus, & eumdem effectum demonſtrat ... Sicut enim qui habet pedes ligatos, non poteſt in anteriora procedere ſecundum viam corporalem; ita ille, qui dubitat, quaſi habens mentem ligatam, non poteſt ad anteriora procedere ſecundum viam ſpeculationis. *Idcirco moralem etiam certitudinem de honeſtate propoſitæ operationis in animum introire non patitur: nam juxta eumdem Angelicum* (in 3. ſent. diſt. 23. q. 2. art. 2. q. 3.) certitudo nihil aliud eſt, quam determinatio intellectus ad unum. *Perſpecta duplici iſta formidine, jam manifeſta evadet diſtinctio opinionis* perfectæ, *&* imperfectæ *a quibuſdam Scriptoribus memorata, videlicet imperfecta opinio non logicam tantum, ſed & moralem formidinem adjunctam habet; perfecta vero logicam dumtaxat formidinem comprehendit. Ac merito quidem poſteriori attribuitur nomen* perfectæ, *ſeu genuinæ; quoniam opinio ſimpliciter ſumpta determinatum importat aſſenſum erga rem aliquam, ut communis definitio oſtendit.*

Reſp. *ad* 3. *Prætermiſſa certitudine* Supernaturali, *quæ oritur ex Divina revelatione, & Chriſtianæ fidei propria eſt*, Naturalis *certitudo diſpeſcitur in* Metaphyſicam, Mathematicam, & Moralem. *Moralis ſubdividitur in* totalem *ſeu* omnimodam, *atque in* non totalem *ſeu* ſecundum quid: *aut, ſi mavis, duplici ſaltem gradu conſtare dicenda eſt. Certitudo, quæ totalis eſt, ſeu in gradu perfecto, omnem prorſus formidinem, tum logicam, tum moralem ſaltem rationabilem pellit: proindeque aſſenſum inducit non modo determinatum, ſed & imperturbabilem: quia nimirum medio nititur, quod prudenter cogitando infallibile cenſetur, etſi humanum ſit, ita ex. gr. novimus Hippocratem fuiſſe apud Græcos inſignem medicum, Conſtantinopolim in Thracia exiſtere. Certitudo autem, quæ eſt non totalis, ſeu in gradu imperfecto, formidinem propulſat, non quidem logicam, ſed moralem dumtaxat, ſumptam ſcilicet juxta mox dicta pro hæſitatione & dubitatione animi: adeoque aſſenſum parit determinatum, at non undequaque firmum & conſtantem: quia nempe non evidenti, aut inconcuſſo nititur fundamento, ſed tantum veroſimili, quantumvis gravi, & prudentiæ regulis conſono; ſic ex. gr. mihi certum, perficiendis Sacramentis imparem eſſe eam Miniſtri intentionem, quæ ad externum ritumque illorum ritum externum terminatur: habentes bona temporalia, tum naturæ tum ſtatui ſuperflua, divino præcepto conſtringi ad ea eroganda in pauperes vel ſoli neceſſitati communi obnoxios. Hinc porro patet, quonam ſenſu paſſim dicatur, hominem prudentem & cautum non vacare omni gravi formidine de inhoneſtate ſuarum actionum, quotieſcumque* probabili *tantum judicio ſe determinat ad agendum*

in

*in materia morum: Ea namque gravis formido eſt duntaxat* logica & ſpeculativa, *nihilque aliud præſefert, quam reflexam cognitionem de* non repugnantia *ad oppoſitum, quod agit, ac de* fallibilitate *mediorum, quibus ad opinandum movetur: quam utique concedunt omnes, inſeparabilem eſſe ab aſſenſu* opinativo, *prout a* ſcientifico *diſtinguitur. Ceterum* moralis & practica *minime eſt: quandoquidem ubi in individualibus agendi circumſtantiis metus vere gravis de inboneſtate actionis agentem pulſat, tunc fieri nequit, quin is in rationabilem dubitationem, & bæſitationem inducatur, quæ quemlibet determinatum aſſenſum impedit, quouſque non occurrat nova quadam ratio gravis, cujus vi poſſit diſpelli ipſa mentis bæſitatio.*

Reſp. *ad 4. Ex bactenus dictis promum erit baurire genuinam, & accuratam deſcriptionem conſcientiæ* certæ, ac dubiæ. Certa *conſcientia eſt intellectus, ſive rationis practicæ determinatum judicium, dictans quidpiam bic & nunc vel faciendum ut bonum, vel omittendum ut malum: ita quidem ut ab illo aut omnem penitus errandi, peccandive rationabilem formidinem excludat, aut ſaltem quamlibet moralem dubitationem, & bæſitationem ea ipſa de ſe amoveat. Et boc ſecundum pariter ſufficere ad ingerendam animo moralem illam certitudinem quæ boneſta operandi regula paſſim dicitur, neceſſe eſt fateatur quicumque Rigoriſtis renuit accenſeri. Nam ſcribente D. Antonino (1. part. tit. 3. c. 10. §. 101. in fin.)* non conſurgit certitudo moralis ex evidentia demonſtrationis, ſed ex probabilibus conjecturis groſſis & figuralibus, magis ad unam partem, quam ad aliam ſe habentibus: *uti pridem notavit Ariſtoteles ibidem citatus, qui ſpectata varietate humanorum agibilium, quæ ſunt Facultatis Ethicæ materia, idcirco inquit:* æque vitioſum eſt perſuadentem quærere mathematicum, & moralem demonſtrantem. *Exinde tamen cave, ne cum vulgo Moralium deceptus inferas nullam omnino rerum moralium dari demonſtrationem, nullam ſcientiam, nullas regulas apodicticas; ſed conſtare Ethicam totam meris conjecturis. Philoſophus enim ibi non loquitur de principiis Ethicis aut de concluſionibus, quæ proxime vel propinque ex iiſdem principiis manant, & ſæpe non minus neceſſariam, immo & evidentem obtinent veritatem; ſed de talibus boneſtis, quæ ſingularia cum ſint, atque circumſtantiarum varietate impedita, lege certa definiri nequeunt, ſed prudentum bominum judicii arbitranda permittuntur, quibus corrigi ſæpe res monet* legem ea parte, qua deficit ob univerſalitatem, *ut loquitur* (lib. 5. Eth. c. 14.) *idem Philoſophus. Quæ porro vocatur conſcientia* dubia, *ea proprie, atque in genere moris loquendo, non eſt ullum determinatum intellectus dictamen de re quapiam agenda, aut omittenda (adeoque nec veri nominis conſcientia:) ſed eſt potius mera ejuſdem intellectus fluctuatio, anxietas, bæſitatio, ob apprebenſas ſcilicet rationes probabiles, ad utramque contradictionis partem æqualiter, aut quaſi æqualiter moventes, quæ intellectum ſic ligant inſtar vinculi, ut nequeat procedere ad aſſenſum alterutri parti prudenter præſtandum, niſi aliunde determinetur ab aliquo diverſo motivo, ceu pondere lanci ſuſpenſæ injecto.* Dubitatio *enim juxta Angelicum* (in 3. ſent. diſt. 17. q. 2. art. 4.) primo & principaliter ſignat motum rationis ſupra utramque partem contradictionis, cum formidine determinandi alteram.

Reſp. *ad 5. Jam, bis præſtructis, baruſpice opus non erit, ut ſcias quali conſcientia ſit affectus homo, qui dum ad agendum ſe comparat, doctorum opiniones offendit utrinque pugnantes æqua ratione. Ut paucis ac vere dicatur, tunc conſcientiam prorſus* nullam *babet, ſi ſapit; quoniam contrariarum opinionum parilitas judicantem ejus vim ſic ligat, ut nequeat* prudenter *prodire in ullum actum aut aſſentiendi, aut diſſentiendi alterutri extremo. Nec enim intellectus bumanus libertatem babet opinandi, ut libet: ſed, potentia naturalis cum ſit, cogitur ſe conformare objecto ſibi propoſito, quemadmodum ex Ariſtotele docuerunt ſemper Scholæ omnes. Unde quando res in ſe dubia eſt, aut ſaltem tamquam dubia apprebenditur, neceſſe eſt dubium & æquilibrem manere & ipſum intellectum ſic apprebendentem; neque contingere ullatenus poteſt, ut in re dubia certus moraliter exiſtat. Quare huc ſpectant repetiti illi apud Gratianum Canones (c. Habuiſſe,* diſt. 33. &c. *Grave*, 11. q. 3. &c.) *atteſtantes*, in re dubia ſententiam certam ferri non poſſe. *At facta diſtinctione intellectus* ſpeculativi, & practici, *inquies, ex dubio ſpeculativo, ſeu in univerſali, quod ingerunt duæ contrariæ opiniones æque probabiles, non reſultare neceſſario dubium practicum, & in particulari: quia videlicet bomo* in praxi, *ſeu bic & nunc agendo, poteſt ob aliquam* rationem *ſibi prudenter perſuadere licitum eſſe, de quo antea in communi dubitabat, num tale foret. Exceptio iſta, Adverſariorum ceteroquin ore trita, non niſi deſperatiſſimum perfugium eſt: quod ſic oſtenditur: Ex Angelico* (1. par. q. 97. art. 11.) Intellectus practicus, & ſpeculativus non ſunt diverſæ potentiæ; quia, ut dicitur ab Ariſtotele in 3. de Anim. intellectus ſpeculativus per extenſionem fit practicus, una autem potentia non mutatur in aliam ... *ſolo* fine ſpeculativus differt a practico: *quia nempe* ſpeculativus quod apprehendit, ordinat ad ſolam veritatis conſiderationem; practicus vero quod apprehendit, ordinat ad opus. *Ergo, cum rationes univerſales non diſtinguantur a ſingularibus, ſed eas implicite in ſe contineant, omnino implicat in præſenti negotio intellectum practicum diſcordare a ſpeculativo. Idcirco ſi bomo ex. gr. ſpeculative conſiderans contractum aliquem, vere dubius exiſtit de illius boneſtate ob contraria Doctorum placita, neceſſe eſt ſimiliter dubius permaneat etiam practice, dum nibilominus ſtatuit illum bic & nunc inire. Tunc ſolum dubio ſpeculativo ſuccedere poteſt practica certitudo moralis, quoties in praxi* peculiaris *aliqua circumſtantia intervenit, rem extrabens ab illa ratione communi, ſub qua prius ſpeculative conſiderabatur: ut patet ex. gr. de milite theoretice dubitante de juſtitia belli, quem a ſtatu dubitationis practicæ eximit proprii Regis imperium ad bellandum perurgens: quia nempe Superiorum mandata, quibus ſubditos obtemperare Deus jubet, vel præceptæ novum affundunt probabilitatis gradum eo ipſo, quod certo non conſtat, eamdem morum boneſtati, aut Divinis legibus adverſari. Hinc S. Bernardinus Senenſis ex communi veterum Canoniſtarum, & Summiſtarum ſenſu ſcripſit* (Tom. 3. Dialogo de Obedientia §. *Primus limes*) in rebus

per



per ſe malis non eſt obediendum. Sciendum tamen, quod ubi ſubditus rationabiliter dubitat, an quod præcipitur, ſit peccatum necne, tunc profecto obedire debet, juxta Auguſtinum in cap. quid culpatur in bello: *de quo Gratianum* (can. 23. q. 1. c. 4.) *conſule. Jam vero, vir bone, da gloriam Deo, & manifeſta* peculiarem illam rationem, *quæ in caſu noſtro facit, ut bomo ſpeculative dubius in bivio opinionum æque probabilium poſſit in praxi* prudenter *ſe determinare ad alterutram amplectendam. Fundaturne iſta ratio in* probabilitate, *aut in* ſecuritate *opinionis eligendæ? At contrariarum* opinionum æqualis probabilitas *ipſum enaſcentis dubii caput eſt. Securitas autem, quam præſefert una earum opinionum, quæ dicitur* magis tuta, ſeu favens legi, *minime te attrahit; quippe mordicus inficiaris (reclamante licet Jure Canonico, & tota vetro Antiquitate) præceptum extare eligendi in dubiis opinionem tutiorem. Ubinam ergo latet ratio illa? In* judicio reflexo, *inquis, quo ſcilicet actioni proximus ſerio mibi perſuadeo, optionem meam eſſe alterutram ſequi opinionem: quodcumque ferveat ſpeculativum Doctorum diſſidium circa utramque. Capio. At quæ bæc inſolens philoſophandi methodus, ut poſtquam & evidenti ratione, & ineluctabili auctoritate inſtructus agnoviſti, aut ab utroque extremo abſtinendum, aut nonniſi tutiori adbærendum eſſe, adbuc tibi blandiaris, reflexi cujuſpiam judicii adminiculo poſſe te ad libitum eligere alterutrum promiſcue extremum? Quænam ſunt fulcra bujuſce judicii? An novæ prorſus rationes, quas in diſputationis decurſu ex induſtria ſubticuiſti; vel potius eædem ipſæ, quas abs te jam propoſitas, majori contrariarum pondere enervata ſubinde perſpexiſti? Ut ut ſit, magnopere mirandum, quod nec Romanis Pontificibus, Sacriſque Urbis Congregationibus, nec Canoniſtis aut Theologis ſuperiorum ætatum tale judicium unquam in mentem venerit. Rem igitur, quæſo, maturius expende: ſimulque memento ejus, quod olim Philonides Athenienſis apud Stobæum edixit:* quam valde pulcrum eſt vere vincere jure!

Reſp. *ad 6. Hæc cum ſint, jam nequit amplius in conſultationem venire, quidnam faciendum ſit bomini fluctuanti inter contrarias opiniones æque ponderantes.* In dubiis ſemitam debere nos eligere tutiorem, *paſſim clamant Sacri Canones, banc ipſam ad rem allegati, atque adverſus ſiniſtras interpretationes vindicati a Clar. Fagnano* (n. 171. & ſeq. Tract. ſuperius jam citat.) *Scite propterea eorumdem peritiſſimus Card. Brancatus de Laurea* (in 3. ſent. tom. 2. diſt. 21. n. 242.) *reſolvit:* Quando opinio eſt dubia, nempe cum eſt æqualis ponderis cum alia, prudentia dictat, vel neutram eligendam, vel tutiorem, ſi oportet operari. *Et bæc quidem ſemper fuit concors veterum Magiſtrorum aſſertio, uti patet ex Alexandro Alenſi, D. Bonaventura, Scoto, ut reliquos reticeam. Primus namque ſic ait* (par. 2. Summ. q. 112. memb. 8. cap. 5.) Quæritur de illo, qui dubitat de aliquo contractu, utrum ſit ſimoniacus nec ne, eo quod quidam Juriſperiti dicunt eſſe ſimoniacum, quidam non. Quid ergo faciendum eſt, cum ignorat. Ad quod reſp. quod abſtinendum eſt ab hujuſmodi contractu, ne committat ſe diſcrimini; melius enim eſt, ut incidat in damnum temporale, quam in damnum ſpirituale. *Secundus* (in 2. ſent. diſt. 24. part. 2. art. 2. q. 2.) *loquens de bomine babente ſenſualem delectationem cum cognitione periculi ſed abſque conſenſu, eamque non repellente, inquit:* Tunc dicunt Magiſtri, quod peccat mortaliter, quia quamvis non ſit ibi conſenſus verus, eſt tamen ibi conſenſus interpretativus .... Hoc tamen non eſt uſquequaque certum; negant enim aliqui eſſe mortale in negligentia reprimendi, ubi eſt diſplicentia, quantumcumque quis periculum advertat. Sed tamen ſecurior via tenenda eſt, quidquid ſit rei veritas. *Id ipſum inculcat Sacerdoti Confeſſario* (in 4. ſent. diſt. 17. par. 3. dub. 3.) *ubi agitur de diſcernendo inter perplexitates peccatorum*: In talibus debet ſecuriorem viam ſemper eligere, & ſapientes conſulere. *Tertius* (q. 2. Prol. in fin.) *bæc babet*: Si objicias, multa in actibus humanis ſunt dubia, utrum ſint peccata mortalia, etiam ſuppoſitis omnibus doctrinis Doctorum, & Expoſitorum. Reſp. non eſt dubia via ſalutis ſimpliciter, quia a talibus tamquam a periculoſis debet homo ſibi cavere, ne, dum ſe exponit periculo, incidat in peccatum. Quod ſi noluerit quærere ſalutem, ſed non curando exponat ſe periculo, ubi forte actus de genere ſuo non eſt peccatum mortale, tamen peccabit mortaliter, ſe tali periculo exponendo. *Ubi vero agendi neceſſitas non inſtat, boc alterum ſuadet* (in 3. ſent. diſt. 25. q. 1.) quando in moralibus ſunt altercationes de aliquo peccato, quando primo eſt mortale: ut ſi unus peritus in ſcientia dicat, quod non licet ſic mercari, & alius dicat, quod licet; tutius eſt non procedere nec ſic, nec ſic, ſed expectare quouſque veritas pateat aliunde. *Forſan quis adverſus doctrinam bactenus firmatam opponet regulam Benedicti XIV. Pontificis Maximi* (lib. 7. de Syn. Diœc. c. 11. n. 2.) Ubi Doctorum magna diſcrepantia eſt, integrum erit eam ſententiam amplecti, quæ magis arriſerit. *Tunc gemina reſponſio nobis in promptu erit. Primo, Alphabeticus Index illius operis a privatis bominibus confectus banc utique generalem, & indefinitam continet propoſitionem. At in Pontificio textu ſingulari tantum caſui aptatur, in quo ambigitur, num fiat reus violati* ſtatuti Synodalis *ille Parochus, qui Viaticum denegavit bomini incidenti in letbalem morbum ipſo ſuſceptæ Communionis die? ut legenti integrum contextum clarius patebit. Secundo, quando etiam Pontifex generatim id ediceret de quibuſvis moralibus controverſiis, adbuc nibil exinde contra nos extunderetur. Tunc ſiquidem credere par eſt, eam dari optionem bac ſolum lege, ſanioribus morum Regulis, ipſique Juri Pontificio plane conformi, nempe quod quis juxta eam opinionem, quam pro arbitrio ex pluribus amplectitur, poſſit prudenter formare conſcientiam ſuam; vel quia magis tutam eſſe videt, vel ſaltem quia reliquis veroſimiliorem apprebendit mente ſua. Nam juxta variam bominum indolem ac diſpoſitionem evenire facile poteſt, ut perſpecto Doctorum circa rem aliquam diſſidio, unus binc* inducatur in dubitationem, *ſicque ea manente* ſe committat periculo, & peccet *juxta alterutram partem agendo: alter vero* in nullam dubitationem adducatur, & ſic non committat ſe diſcrimini, nec peccet, *quemadmodum docet* (Quodl. 8. q. 6. art. 13.) *Angelicus Magiſter. Atque bæc ſatis de Conſcientia Certa, & Dubia.*

CA-

## CAPUT III.

### *De Conſcientia ſcrupuloſa.*

Quæſt. I. **Q***Uid eſt ſcrupulus?*

*Reſp.* Eſt opinio formidoloſa peccati, ubi non eſt peccatum, ex inani frivoloque motivo concepta, & animum plerumque angens: ſive eſt actus, quo intellectus ob motivum parvi aut nullius momenti judicat cum anxietate aliquid hic & nunc eſſe præceptum, vel prohibitum. Laxa e contra eſt actus, quo intellectus, ob motivum leve ſeu inſufficiens, judicat aliquid hic & nunc licitum eſſe, vel etiam bonum.

Quæſt. II. *Quænam ſunt cauſſæ ſcrupulorum?*

*Reſp.* Hæ, nimirum melancholia, indoles timida, judicii imbecillitas, cerebri debilitas ex morbo, vel immoderatis jejuniis ac vigiliis contracta; ignorantia, ſuperbia, mentis inconſtantia vel pertinacia, puſillanimitas & dejectio animi, ob quam quis neſcit timores vanos contemnere; converſatio cum ſcrupuloſis; ſuggeſtio dæmonis, ut bonum ſpirituale hominis impediat, & a perfectione vel ſalute tamquam nimis ardua, immo & impoſſibili deterreat, vel ut hominem ineptum reddat ad opera Deo glorioſa, & proximo utilia, &c.

Quæſt. III. *Quænam ſunt remedia contra ſcrupulos?*

*Reſp.* Hæc a Doctoribus paſſim præſcribuntur. (1)

1. Frequens oratio, & alia pietatis opera, præſertim actus humilitatis, fiduciæ, & amoris in Deum &c.

2. Sollicitudo cavendi peccata manifeſta, tum mortalia, tum venialia.

3. Proborum ac ſapientium vitam ac conſuetudinem intueri, ut monet S. Antoninus.

4. Sequi in omnibus directionem ſui ſuperioris, vel confeſſarii, ſeu directoris probi ac prudentis, depoſita opinione propria inani: quod non ſolum tuto poteſt, ſed etiam debet ſcrupuloſus ob gravia damna, & pericula peccandi formaliter, quæ ei impendent, ſi remedia & conſilia reſpuat. Etſi enim directorem errare contingeret, quia tamen ei obtemperando, agit quod in ſe eſt, non peccabit, ex c. 44. *de ſent. excom.* ibi: *Ad ſui Paſtoris conſilium, conſcientia levis, & temerariæ credulitatis exploſa, licite poteſt &c.*

5. Non debet ad ſingula directorem adire, ſed ex regulis generalibus ab ipſo vel aliunde acceptis, aſſueſcat formare conſcientiam in caſibus occurrentibus.

6. Cavere otium, & vagas cogitationes, quæ mentem ſcrupulis vexant; & animum in ipſis ſcrupulorum initiis alio avertere.

7. Scrupulos contemnere, non fovere cogitationes, ſed contra illos agere formando prudens ac rectum judicium in oppoſitum. Quod facile fieri poteſt, cum ſcrupulus ſit opinio levi ac contemptibili motivo nixa.

8. Deſtruere cauſſas ſcrupulorum. Superbus prudentiæ ſuæ non innitatur. Pertinax frangat ſuum judicium. Rudis inſtruatur. Timidus meditetur bonitatem Dei, qui non imponit præcepta redigentia ad inſaniam. Melancholicus expellat medicamentis atram bilem, &c.

Quæſt. IV. *Quomodo ſe gerere debet Confeſſor cum ſcrupoloſo?*

*Reſp.* Confeſſor 1. nullum ſcrupuloſum admittat, niſi declaret ſe velle ejus conſilia ſequi, depoſito proprio judicio. Quare ei perſuadeat ſcrupuloſum non poſſe ſe ipſum regere, ideoque debere regi per alium cui obſequatur; nam Dei providentia nemini negat modum, quo regi in via ſalutis poſſit, cum Deus ſincere velit omnes ſalvare. Idque eſſe medium ab omnibus Sanctis, & Doctoribus præſcriptum, & neceſſarium ad curandum hunc animi morbum, ex quo, ni curetur, graviſſima damna ſpiritualia, & pericula oriuntur.

2. Scrupulorum cauſſas exploret, & remedia ex allatis aptiſſima præſcribat.

3. Doceat principia generalia, quibus utatur ad depellendos ſcrupulos, nec admittat frequentes ad ſe recurſus; & dum ſcit ſcrupulum aſſerendum eſſe, dimittat illum non auditum: nam hæ interrogationes & frequentes recurſus fovent ſcrupulos.

4. Sollicite moneat, ut nulli ſcrupulo cedat, ſed contra omnes cognitos ut tales agat.

5. Si valde gravem anxietatem & moleſtiam patiatur in obſervando præcepto, a quo notabile nocumentum excuſat, petatur pro eo diſpenſatio, ſi aliter curari nequeat.

6. Moneat, ut abſtineat a nimis anxio conſcientiæ examine, doceatque eum non teneri niſi ad mediocre examen peccatorum, quamvis aliqua fortaſſe hinc omitti contingeret: ſi videat tantam hac in re eſſe anxietatem, ut timeatur periculum lædendi cerebrum, vel ad inſaniam aut deſperationem redigendi. Nam ad materialem Confeſſionis integritatem, non tenetur cum tanto incommodo ac periculo; nec Deus id totum hac in re ab ægris animis exigit, quod a ſanis.

7. Confeſſionem generalem peccatorum antea rite confeſſorum impediat ſcrupuloſo timorato, & ſufficienter a peccatis purgato, ſi inde oriatur nimia anxietas ac moleſtia, vel timeatur capitis debilitas, aut corporis morbus. Sed permittat ei, qui non videtur ſatis purgatus a peccatis; modo ex illa repetitione non immineat periculum in ea denuo conſentiendi: nam confeſſio generalis per ſe utilis eſt ad conſcientiam purgandam.

8. Non permittat abſtinere a frequentandis, ut oportet, Sacramentis, ne privetur gratia ſacramentali, quæ plurimum valet ad parandam conſcientiam.

9. Plerumque mitem ac benignum ſe præbeat erga illum, ne afflicto afflictionem addat. Quandoque tamen juvabit auſteritas, ut expugnetur ejus animi pertinacia.

10. Caveat ne pœnitens ab uno extremo tranſeat ad aliud, conſcientiamque timoratam in ulla re deponat.

CA-

(1) *Præſtabit legere S. Antoninum* (1. par. Sum. tit. 3. c. 10. §. 10.) *ubi ſeptem aſſignat, & ediſſerit regulas*, quarum adminiculo conſcientia ſcrupuloſa ſeu erronea deponi poteſt, & debet.



## CAPUT IV.

### *De Conſcientia, & Opinione probabili.*

**N***Ota* 1. Opinio probabilis ſpeculativa ac ſecundum ſe, eſt opinio veriſimilis, ſed non evidenter vera: ſive eſt opinio quæ nititur motivo gravi, ſed abſolute fallibili. Opinio vero probabilis practice & reſpective ad operantem, eſt ea quæ apparet ita veriſimilis, ſeu niti motivo tam gravi, quamvis abſolute fallibili, ut poſt diligentem veritatis inquiſitionem, poſſit merito ac prudenter approbari, ut vera. Non poteſt autem merito ac prudenter ob apparentiam veritatis approbari ut verum, quod habet majorem, aut etiam æqualem apparentiam falſitatis.

*Nota* 2. Opinio probabilis (Vid. N. 50. uſque ad 67.) ſtricte loquendo differt a conſcientia probabili: nam hæc eſt actus quo intellectus, ob motivum grave ſed fallibile, judicat actionem, hic & nunc exercendam, eſſe licitam vel illicitam; illa vero eſt actus, quo intellectus, ob motivum grave ſed fallibile, judicat aliquid eſſe licitum vel illicitum, præſcindendo a praxi actuali, ſeu exercitio.

*Nota* 3. Ut opinio cenſeatur probabilis etiam ſpeculative, neceſſe eſt, 1. Ut nec rationi evidenti, aut principio certo, nec Scripturæ, nec Traditioni, nec Patribus, nec Conciliis, nec Summorum Pontificum decretis, nec unanimi Doctorum ſententiæ adverſetur. 2. Ut nitatur motivo gravi, licet abſolute fallibili: Motivum autem grave eſt motivum magni momenti; quod ſi ſeorſim ſpectetur, nec oppugnetur motivo æque aut magis gravi in oppoſitum, per ſe ſufficit ad eliciendum pro una parte judicium prudens, quamvis inevidens & abſolute fallibile. Porro opinio improbabilis eſt ea, quæ nititur motivo levi, & abſolute inſufficiente ad prudentem aſſenſum.

*Nota* 4. Probabilitas eſt veriſimilitudo ſeu apparentia veri infra evidentiam fundamento nixa: ſive eſt motivum grave, ſed abſolute fallibile reddens opinionem veriſimilem. Dividitur in intrinſecam, & extrinſecam. Probabilitas intrinſeca eſt ea, quam facit momentum ipſius rationis. Extrinſeca eſt ea, quam facit momentum auctoritatis Doctorum, vel teſtium. Doctorum tamen auctoritas non movet niſi in quantum præſumitur cum ea conjunctam eſſe gravem rationem, ita ut reſolvatur in gravem rationem præſumptam. Quare probabilitas, quæ eſt ab auctoritate Doctorum, non tam ex illorum numero, quam ex eorum merito, videlicet probitate, doctrina, ſtudio, diligentia ac ſapientia metienda eſt. Hinc opinio probabilis intrinſece eſt ea, quæ habet pro motivo rationes ab auctoritate diſtinctas: probabilis vero extrinſece eſt ea, quæ habet pro motivo auctoritatem aliquam magnam, ſed fallibilem, quamvis hæc reſolvatur in gravem rationem præſumptam.

*Nota* 5. Alexander VII. damnavit hanc propoſitionem: *Si liber ſit alicujus junioris & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtat rejectam eſſe a Sede Apoſtolica tamquam improbabilem.*

*Nota* 6. Opinio tuta eſt ea, quæ removet a periculo peccandi; tutior, quæ magis removet: minus tuta, quæ minus removet a tali periculo. Item tutior ſtat pro præcepto, hoc eſt, aſſerit extare præceptum jubens vel vetans aliquid. Minus tuta dicitur favere libertati, quia negat extare præceptum & obligationem circa aliquid, ſed aſſerit hominem poſſe licite pro arbitrio utrumvis eligere.

*Nota* 7. Agitur hic de Opinione probabili relate ad operantem poſt diligentem ac debitam veritatis inquiſitionem, & motivis utriuſque partis diligenter, & ex ſtudio veritatis aſſequendæ expenſis.

Quæſt. I. *An licet ſequi conſcientiam probabilem & minus tutam?*

*Reſp.* Non licet, niſi probabilitas ſit tanta, ut excludat omnem formidinem rationabilem falſitatis, & pariat certitudinem moralem ſaltem relative; quia ut dixi c. 1. q. 1. ad non peccandum requiritur judicium certum ſaltem certitudine morali, qua prudenter excludatur dubitatio, & peccati formido ſaltem rationabilis. Hinc non licet ſequi conſcientiam minus tutam, & minus aut non magis probabilem, quam ſit tutior oppoſita, ut conſtabit etiam ex mox dicendis. E contra licet ſequi conſcientiam unice probabilem, vel ſaltem longe probabiliorem oppoſita, ſtante pro præcepto, non quidem quatenus eſt præciſe probabilis, ſed quatenus eſt tunc moraliter certa.

Quæſt. II. *An licet ſequi opinionem minus probabilem ſtantem pro libertate, in concurſu probabilioris ſtantis pro præcepto?*

*Reſp.* Nunquam licet, ſed ſemper tenemur ſequi probabiliorem & tutiorem. Prob. 1. Ex Eccleſ. 37. *Ante omnia opera tua verbum verax præcedat te, & ante omnem actum conſilium ſtabile.* Ibi traditur præceptum generale ſectandi veritatem, & faciendi quod in nobis eſt ad ſectandam veritatem de licitate ſeu honeſtate actus; quod etiam ipſe Ariſtoteles 1. Ethic. c. 4. docet: *Veritatem*, inquit, *debemus inquirere, quantum poſſumus.* Sed qui ſequitur opinionem minus probabilem de honeſtate actus, relicta probabiliore de ejus malitia, non facit quod in ſe eſt ad ſectandam veritatem de honeſtate actus: nam ſequitur partem minus veriſimilem, quæ proinde a vero magis recedere ipſi videtur, relicta veriſimiliore, & veritati propiore. Ergo.

2. Ille peccat, qui facit id quod non poteſt judicare prudenter eſſe licitum: nam ad agendum vel omittendum licite, requiritur judicium prudens de honeſtate actus, vel omiſſionis. At ſequens opinionem minus probabilem & minus tutam, non poteſt judicare prudenter actionem vel omiſſionem ſuam eſſe licitam. *Prob. min.* Talis non poteſt judicare ſuam actionem vel omiſſionem eſſe licitam, niſi in judicando præferat minorem veriſimilitudinem majori, & motiva minus gravia motivis gravioribus, ut patet. Sed qui in judicando præfert minorem veriſimilitudinem majori, & motiva minus gravia motivis gravioribus, imprudenter judicat. Ergo ſequens opinionem minus probabilem &c. non poteſt, niſi imprudenter judicare actionem, vel omiſſionem ſuam eſſe licitam. *Minor patet.* Et vero ut intellectus prudenter procedat in judicando, debet in judicando, quantum in ſe eſt, vitare malum ſuum, nempe errorem. At hoc non facit, ſi in judicando præferat minorem veriſimilitudinem majori; nam intellectus non cenſetur in æſtimatione prudenti vitare quantum in ſe eſt errorem, niſi cum in evidentibus amplectitur id quod verum eſt, & in obſcuris id

quod, omnibus diligenter perpenſis, apparet veriſimilius. Quare extat præceptum generale prudentiæ, ut in evidentibus ſequamur veritatem notam de honeſtate actus, & in obſcuris veriſimilitudinem majorem, & magis removentem a periculo agendi contra veram legem.

3. Tenemur obſervare præceptum, quod ſufficienter proponitur ad obligandum, ut patet; & illud præceptum ſufficienter proponitur ad obligandum, quod prudenter affirmari poteſt, nec niſi imprudenter negari, ut etiam patet. Ac tale eſt præceptum, quod apparet probabilius, cum pro eo ſtent motiva graviora; prudenter enim judicando præferuntur motiva graviora motivis minus gravibus, & major veriſimilitudo minori, nec niſi imprudenter poſtponerentur.

4. Ut quis non peccet, debet habere judicium ſaltem moraliter certum, quod actio ſua ſit licita. Nam homo ſemper tenetur prudenter agere, nec licet ſe exponere periculo peccandi: prudentia autem, cum ſit virtus mentis practica, requirit certitudinem ſaltem moralem. At hoc judicium habere non poteſt, ſequendo opinionem minus probabilem, & minus tutam. Nam non poteſt illi apparere certum quod actus ſit licitus, cum illi appareat certum quod veroſimilius ſit eum eſſe illicitum: hæc enim judicia virtualiter opponuntur; Mihi apparet certum quod ſit licitus, & ſimul mihi apparet certum quod veriſimilius ſit eum eſſe illicitum.

5. Quia in concurſu duarum opinionum æque probabilium, tenemur ſequi tutiorem, ut modo probabo. Ergo a fortiori &c.

Hinc collige nemini licere conſilium dare ſecundum opinionem, quæ ei minus probabilis, & minus tuta videtur; cum nemini liceat ſecundum illam operari, & nemini liceat conſulere actum illicitum.

Porro Adverſarii fatentur, Profeſſores in docendo teneri ſequi ſententiam probabiliorem, præſertim in rebus gravibus, quales ſunt quæ ad fidem vel mores pertinent: quia ideo eis tale munus commiſſum eſt, ut diſcipulos doceant probabiliora in rebus quarum abſoluta certitudo non eſt.

*Obj.* 2. Opinio minus probabilis in allata hypotheſi, eſt probabilis, habet motivum grave ac rationabile. Ergo. *Reſp.* Opinio minus probabilis, in concurſu tutioris probabilioris, aut æque probabilis, et ad ſummum probabilis ſpeculative, ſecundum ſe, & abſolute: at non eſt probabilis practice, & in ordine ad hic & nunc operandum ex prudenti judicio de honeſtate ſeu licitate actus. Habet motivum grave, aptum ad obtinendum aſſenſum viri prudentis, ſi illud ſpectetur ſeorſim & abſolute: ſecus, ſi ſpectetur comparate ad motivum gravius aut æque grave in oppoſitum: nam motivum grave non poteſt prudenter in judicando præferri motivo graviori aut æque gravi in oppoſitum; nec proinde in hoc concurſu poteſt fundare aſſenſum prudentem de licitate actus.

*Obj.* 2. Opinio probabilis, hoc ipſo quod eſt probabilis, prudenter judicatur ut vera etiam in tali concurſu, & ſic prudenter ſecundum eam agimus.

*Reſp.* Hoc eſt falſum, ut conſtat ex dictis, & ex his propoſitionibus ab Innoc. XI. damnatis 3. *Generatim cum probabilitate ſive intrinſeca, ſive extrinſeca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus.* 4. *Excuſabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili.* Ergo nec quivis alius excuſabitur, ſi talem opinionem ſequatur in iis, quæ pertinent ad mores. Præterea opinio probabilis non poteſt, ſaltem prudenter, judicari vera in concurſu probabilioris oppoſitæ, cum ſit fundamentum gravius judicandi eam eſſe falſam. Idem dic in concurſu opinionis æque probabilis, quia non eſt potior ratio eam judicandi veram, quam falſam; nec eſt ſufficiens fundamentum attribuendi veritatem uni parti potius quam alteri, cum neutra appareat magis vera quam falſa: unde intellectus tunc debet hærere ſuſpenſus, vel judicare rem eſſe dubiam.

*Obj.* 3. Motivum grave, hoc ipſo quod grave eſt, dignum eſt aſſenſu, & facit magnam ſpem aſſequendæ veritatis. *Reſp. diſt.* quamdiu non apparet motivum gravius vel æquale in oppoſitum, *Concedo.* Cum apparet motivum gravius vel æquale pro oppoſita parte, *Nego.* Gravitas motivi vincitur per gravitatem majorem alterius oppoſiti, & non poteſt vincere gravitatem æqualem. Porro motivum grave non ſic dicitur, quia meretur aſſenſum in omni caſu, ſed tantum quia illum meretur, quamdiu ejus vis non ſuperetur per majus motivum oppoſitum, vel non elidatur per æquale, quod viciſſim elidit: nulla enim gravitas prævalere poteſt alteri majori vel æquali oppoſitæ.

*Obj.* 4. Motivum per ſe ſufficiens ad prudentem aſſenſum, ſemper ad eum ſufficit. *Reſp.* Motivum per ſe & intrinſece ſufficiens ad prudentem aſſenſum pro quocumque caſu, ſemper ſufficit ad prudentem aſſenſum. At non ſemper ad prudentem aſſenſum ſufficit motivum, quod ad illum ſufficiens eſt pro aliquibus tantum caſibus. Motivum autem præciſe grave non eſt motivum per ſe & intrinſece ſufficiens ad prudentem aſſenſum pro quocumque caſu: alioqui ſufficeret etiam dum poſtea occurrit motivum evidens, & certum pro oppoſita parte.

*Obj.* 5. Sequens opinionem minus probabilem, agit cum ratione. Ergo non peccat. *Reſp.* Agit cum ratione, quæ ſuperatur per aliam majorem in oppoſitum, & quæ proinde non ſufficit ad prudentem aſſenſum, & ſic agit imprudenter & irrationabiliter. Si autem ſequatur opinionem æque probabilem, tunc agit cum ratione, quæ eliditur per aliam æqualem, & quæ proinde non ſufficit ad prudentem aſſenſum.

*Obj.* 6. Lex non obligat, niſi cum certum & evidens eſt illam exiſtere. *Reſp.* Neg. quia 1. hoc continet laxitatem intolerabilem. 2. Inde ſequeretur legem naturalem, quoad maximam ſui partem, inutiliter latam eſſe a Deo. Nam ut patet ex diſſidiis Doctorum circa innumeros pene caſus, lex naturalis quoad maximam ſui partem, & innumeros pene caſus, non cognoſcitur (*) evidenter. 3. Sequeretur licere ſequi opinionem minus tutam, quamdiu habet aliquid probabilitatis, quod damnatum eſt ab Innoc. XI. & repugnat c. 44. *de ſent. excom.* nam tamdiu oppoſita tutior non eſt evidenter vera. 4. Lex obligat

(*) *Non cognoſcitur ſtatim, & facili intuitu.*



gat hoc ipſo quod eſt ſufficienter propoſita; hoc ipſo autem quod eſt probabilius illam exiſtere, ſufficienter intelligitur propoſita, nam hoc ipſo ejus exiſtentia prudenter affirmari poteſt, & nonniſi imprudenter negari, cum ſubſint motiva graviora. Ergo &c.

*Obj.* 7. Poteſt quis per principia certa formare judicium prudens & certum, quod liceat ſequi opinionem minus probabilem & minus tutam in concurſu tutioris magis aut æque probabilis.

*Reſp.* Neg. Nam principia Probabiliſtarum non ſunt certa, ſed controverſa; immo ſunt falſa, aut ſaltem dubia, ut patet ex noſtris ſolutionibus. Unde non poſſunt fundare judicium moraliter certum de honeſtate actionis vel omiſſionis.

*Obj.* 8. Summi Pontifices ſæpe diſpenſarunt in caſibus, in quibus minus probabile erat, eos poſſe diſpenſare. Ergo ſæpe ſecuti ſunt opinionem minus probabilem &c. *Reſp.* Nego ant. Nam ſi qui in concedendis diſpenſationibus aliquando a communiori ſui temporis ſententia receſſerunt, ideo ab eo diſceſſere, quia poſt ſufficientem veritatis inquiſitionem, oppoſitam ſententiam judicarunt eſſe longe probabiliorem ex motivis intrinſecis.

*Obj.* 9. Cap. *Si vir*, 2. de cognat. ſpir. dicitur: *Si vir vel mulier ſcienter vel ignoranter filium ſuum de ſacro fonte ſuſceperint, an propter hoc ſeparari debeant? Conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quod quamvis generaliter ſit inſtitutum, ut debeant ſeparari, quidam tamen humanius ſentientes, aliter ſtatuerunt. Ideoque nobis videtur, quod ſive ex ignorantia, ſive ex malitia id fecerint, non ſunt ab invicem ſeparandi: nec alter alteri debet debitum ſubtrahere, niſi ad continentiam ſervandam poſſint induci.* Unde ſic argumentaberis. Ibi Alex. III. caſum propoſitum decidit ſecundum opinionem minus probabilem, & minus tutam, utpote faventem libertati, ut patet ex his verbis: *Quidam humanius ſentientes, aliter ſtatuerunt.* Ergo.

*Reſp.* Nego ant. Et dico eum decidiſſe caſum ſecundum opinionem faventem libertati, quia ei probabilior videbatur, ut patet ex ratione quam ſubjicit: *Quia*, inquit, *ſi ex ignorantia id factum eſt, eos ignorantia excuſare videtur: ſi ex malitia, eis ſua fraus non debet patrocinari, vel dolus.* Quare multi Canoniſtæ per τὸ *humanius*, intelligunt æquius, rationabilius. Porro ibi non permittit parenti, qui ſcienter filium de ſacro fonte levarit, exigere debitum; ſed præciſe ſtatuit non ideo debitum denegari debere petenti. Præterea ibi agitur de eo quod Pontifex, utpote legiſlator ſupremus, mutare poterat, ſi magis expedire judicaret ad removendum peccandi periculum.

*Obj.* 10. Cap. *Laudabilem*, de frigidis, ubi Cœleſtinus III. triennium experientiæ concedit eis, qui matrimonium contraxerunt, ſi dubitent, an impotentia ſit abſoluta, vel temporalis. *Reſp.* Ex hoc capitulo nil concludi poteſt contra nos: nam etiamſi minus probabile eſſet illos ſub finem triennii non fore impotentes, tamen certum eſt, 1. Eccleſiam in dubio, an impotentia ſit abſoluta, an temporalis, poſſe certum tempus experientiæ concedere iis, qui jam contraxerunt: alioqui ſi hoc non concederetur, vel matrimonium diſſolveretur in dubio de ejus valore, quod non licet; vel contrahentibus prohibendum eſſet, ne in tali dubio uterentur conjugio, & ne aliud inirent, quod etiam fieri non poteſt ſine injuria illorum qui bona fide contraxerunt, & ſine neceſſitate, & culpa ſua exponerentur periculo incontinentiæ. 2. Tempus illud triennii prudenter conſtitutum eſſe, ut adhibitis mediis poſſibilibus & licitis, conentur impotentiam tollere; nam hoc tempus nec nimis breve, nec nimis longum eſt, & circa finem triennii impotentia tandem ceſſare poteſt.

*Obj.* 11. Cap. *Litteras*, de reſtit. ſpol. *Reſp.* in hoc cap. Innoc. III præciſe reliquit duabus ſententiis oppoſitis ſuam probabilitatem ſpeculativam & abſolutam, quam habebant. Unde non vult damnare eum, qui alterutram eligit prudenter, ideoque putans eam eſſe probabiliorem. Ipſe vero tertiam eligit, quia ei videbatur probabilior, nolens tamen definire veritatem aut falſitatem aliarum. Præterea, duæ illæ aliæ ſententiæ priores, quas exponit, ſingulæ ſtant pro lege licet diverſa, non autem pro libertate: nam prima ſtat pro lege juſtitiæ, & jure mariti contra libertatem mulieris; altera vero pro lege matrimonium inter conſanguineos vetante.

*Obj.* 12. Cap. *Inquiſitioni*, de ſent. excom. *Reſp.* Pontifex reſpondet ſecundum partem tutiorem, & legi faventem; nam ſic ait de conjuge probabiliter, ſed non certo credente matrimonium eſſe invalidum: *Cum conſcientia pulſat animum ex credulitate probabili, & diſcreta, quamvis non evidenti, & manifeſta, debitum quidem reddere poteſt, ſed poſtulare non debet: ne in alterutro vel contra legem conjugii, vel contra judicium conſcientiæ committat offenſam.*

*Obj.* 13. Cap. *Ego ſolis*, diſt. 9. *Reſp.* ibi S. Auguſt. non agit de minus probabili & tuto, ſed ſolum de Auctoribus non canonicis. *Alios*, inquit, *ita lego; ut quantalibet ſanctitate, doctrinaque polleant, non ideo verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt, ſed quia mihi per alios auctores, vel canonicos, vel probabiles rationes, quod a vero non abhorreat, perſuadere potuerunt.* Ubi non dicit ſe admittere eorum libros ut veros propter probabiles rationes, quæ oppugnentur rationibus æque aut magis probabilibus, ſeu gravibus in contrarium, de quo tamen hic agitur. Sane licet ſequi opinionem nixam rationibus probabilibus, ſeu gravibus, quando non oppugnatur aliis rationibus magis, aut æque gravibus.

*Obj.* 14. Cap. *Sicut quædam*, diſt. 14. ubi S. Leo dicit: *In iis, quæ vel dubia fuerint, aut obſcura, id noverimus ſequendum, quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis ſanctorum Patrum inveniatur adverſum.* *Reſp.* Sequi opinionem minus probabilem, & minus tutam, eſt contra præcepta evangelica, quibus præcipiuntur prudentia chriſtiana in actibus noſtris, vitatio periculi peccandi, maxima cura inſervandis præceptis, & via recta quæ ducit ad vitam, quamque pauci ingrediuntur.

Præterea hic textus in doctrina adverſariorum nimis probat; probat enim nos debere ſequi ſimul duas opiniones contradictorias. Nam juxta illos, opinio minus probabilis & minus tuta, & opinio probabilior & tutior ipſi contradictoria, non adverſantur præceptis evangelicis, nec decretis ſanctorum Patrum, & tamen S. Leo dicit: *Id noverimus ſequendum*, hoc eſt id ſequi debemus.

Porro cum dicitur opinio probabilis eſſe ea, quæ neque Scripturæ, neque Patribus & Conciliis, neque

Summorum Pontificum decretis adverſatur, hoc debet intelligi de opinione probabili abſolute & ſecundum ſe conſiderata: nam ſi conſideretur relate ad tutiorem æque aut magis probabilem, eam jam quoad praxim adverſatur Scripturæ præcipienti magnam prudentiam, & exigenti certitudinem moralem de bonitate actionis, quæ certitudo non poteſt ſtare pro opinione minus tuta, & minus aut æque probabili in concurſu tutioris, & probabilioris.

*Obj.* 15. Omnes fere Doctores XVII. ſæculi docuerunt licere ſequi opinionem minus probabilem, & minus tutam. *Reſp.* 1. Illis oppono tum veteres Doctores, qui ante ann. 1571. floruerunt, nam Anton. Cordubenſis in ſuo Quæſtionario lib. 1. qu. 3. poſtquam dixit tenendam eſſe partem tutiorem, quando probabilior eſt, addit: *Et in hoc omnes Doctores conſentiunt*. Tum Clerum Gallicanum, & innumeros recentiores ex omni natione & ordine, qui nunc, re melius perpenſa, oppoſitum docent. 2. Plurimi ex illis, qui nobis objiciuntur, docuerunt ſolum licere ſequi opinionem minus tutam, quæ communius ab aliis haberetur minus probabilis, quando operanti poſt diligentem veritatis inquiſitionem apparet certo probabilior ex ratione. 3. In tantum opinio aliqua cenſeri poteſt probabilior propter majorem numerum Doctorum eam tuentium, in quantum idcirco recte præſumitur habere pro ſe graviora motiva ex Scriptura, traditione, vel ratione petita. At jam hæc motiva habere pro ſe recte præſumi non poteſt Probabiliſmus, cum oppoſitum jam pridem a multis oſtenſum ſit. 4. Probabilitas extrinſeca, petita ſcilicet ab auctoritate Probabiliſtarum, non plus valere debet apud eos, qui per ſe veritatem explorare debent, quam valeat pondus rationum, quibus nititur Probabiliſmus; quæ profecto rationes certitudinem moralem nunquam fundare poſſunt. 5. Sicut ille imprudenter agit, qui in agendo ſequitur judicium multorum & gravium virorum, quos ei aliunde evidens eſt errare; ita ille imprudenter agit, qui in agendo ſequitur judicium multorum & gravium virorum, quos ei omnibus mature conſideratis, veroſimilius eſt errare. 6. Multæ olim viguerunt opiniones, quæ poſtea diligentius expenſæ, omnino evanuerunt. *Obſerva*. Nemo e Societate noſtra ex profeſſo Probabiliſmum, cujus auctor fuiſſe fertur Bartholomæus Medina ex alio Ordine, amplexus eſt, & pro eo ſcripſit, niſi poſtquam ita invaluerat, ut jam eſſet communis Scholarum omnium doctrina. Nam Vaſquez, qui primus e Societate noſtra hunc ex profeſſo amplexus eſt, teſtatur tunc fuiſſe inter Doctores communem. Primi vero Probabiliſmi impugnatores e Societate noſtra prodiere, videlicet Rebelius tom. 1 de Juſtitia, edito an. 1608. Comitolus lib. 1. reſponſ. moral. q. 18. n. 6. edit. an. 1609. Et Andreas Blancus, ſub nomine Candidi Philaleti, tractat. de opinionum praxi, edito an. 1649. quos ſecuti ſunt multi alii ex eadem Societate, ut de Elizarde, Eſtriz, R. P. Thyrſus Gonzalez Præpoſ. Gener., de Camargo, Malattra, Gisbert &c. His adde Reginald. lib. 11. c. 3. Cardin. Bellarm., & plurimos Profeſſores Theologiæ quotidie impugnantes Probabiliſmum, quem Congr. Gener. XIII. an. 1687. declaravit non eſſe doctrinam Societatis. Et vero S. Ignatius Soc. noſtræ Inſtitutor, hanc prudentiæ regulam omnibus Societatis Profeſſoribus præſcribit, *ut ſequantur in quavis facultate ſecuriorem & magis approbatam doctrinam*. Conſtit. pag. 4. cap. 5.

Quæſt. III. *An liceat ſequi opinionem minus tutam, ſeu ſtantem pro libertate, in concurſu opinionis æque probabilis, tutioris, ſeu ſtantis pro præcepto?*

*Reſp.* Neg. Quia 1. extat illud præceptum generale lumine naturali notum, & in Jure canonico ſæpe a Summis Pontificibus traditum ut principium deciſionum: *In dubiis tutior pars eſt eligenda*, ut c. 4. de Cleric. excomm. *In dubiis tutior pars eligenda*. Et c. 12. de homicid. *Cum in dubiis ſemitam debeamus eligere tutiorem*. Et c. 3. de Sponſal. *Quia igitur in his, quæ dubia ſunt, quod certius exiſtimamus, tenere debemus &c.* Alioquin enim operans exponit ſe periculo faciendi contra legem, & peccandi. At in concurſu duarum opinionum æque probabilium, eſt verum dubium, ut docet S. Thom. q. 14. de verit. art. 1. & S. Antonin. 1. par. tit. 10. de reg. jur. Nam eſt vera ſuſpenſio judicii de veritate & falſitate ob motiva pro utraque parte æqualia: neque enim eſt potior ratio judicandi unam opinionem eſſe veram, quam alteram, cum neutra plus minuſve appareat vera aut veriſimilis quam altera, & ſic intellectus neceſſario ſuſpendit judicium. Ergo in tali concurſu eligi debet pars tutior, agendo ſecundum opinionem ſtantem pro præcepto.

2. Ex S. Auguſt. lib. 1. de Bapt. c. 3. *Graviter peccaret in rebus ad ſalutem animæ pertinentibus, vel eo ſolo, quod certis incerta præponeret*. Et c. 5. *Accipere* (Baptiſmum) *in parte Donati, ſi incertum eſt eſſe peccatum, quis dubitet certum eſſe peccatum, non ibi potius accipere, ubi certum eſt non eſſe peccatum?* Ergo ex S. Auguſt. cum incertum eſt aliquid eſſe peccatum, & certum eſt aliquid non eſſe peccatum, certo peccat qui non eligit id quod conſtat non eſſe peccatum. At in concurſu opinionum æque probabilium, eligens minus tutam, non eligit id quod certum eſt non eſſe peccatum, ſed id quod incertum eſt non eſſe peccatum, ut patet; cum ſit æque probabile eſſe peccatum. Ergo talis certo peccat.

3. Peccat qui agit ſine judicio prudenti, quod actio ſua ſit licita. At ſequens opinionem minus tutam in allata hypotheſi agit ſine tali judicio; nam non poteſt ſaltem prudenter, judicare non extare præceptum prohibens actionem, cum non poſſit ſaltem prudenter judicare veram eſſe opinionem negantem extare præceptum, non enim habet fundamentum ſufficiens judicandi illam eſſe potius veram quam oppoſitam, cum fundamenta utriuſque opinionis appareant æqualia; & apparentia veri ac falſi ſit æqualis pro utraque parte contradictionis. Quare ut intellectus prudenter ſe gerat, debet ſuſpendere aſſenſum & diſſenſum, cum, non habeat motivum potius aſſentiendi quam diſſentiendi.

4. Opinio æque tantum probabilis ſtans pro libertate, non poteſt afferre certitudinem moralem, quæ ſaltem requiritur ad non peccandum: nam motiva, quibus nititur, eliduntur per motiva oppoſita æque gravia: quantam enim illa habent vim movendi ad aſſenſum, tantam alia habent movendi ad diſſenſum, & ſic intellectus nihil habet quo poſſit, ſaltem prudenter, & firmiter determinari ad aſſenſum.

5. Qui ſe exponit probabili periculo peccandi, peccat, juxta illud Eccl. *Qui amat periculum, in illo peribit*. Sed qui facit quod ei apparet tam probabiliter eſſe illicitum quam licitum, exponit ſe probabili periculo peccandi, attento animi ſui conceptu, cum evidenter & neceſſario judicet eſſe æque probabile actum prohiberi.



6. Qui facit vel omittit id quod cognoſcit æque probabiliter eſſe contra legem, quam non eſſe, violat hoc præceptum generale, obligans ad maximam ſollicitudinem, & curam ſervandi legem. Pſal. 118. *Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis*. Item peccat contra legem caritatis, & ſubjectionis ad Deum: nam hæc lex exigit, ut abſtineamus non ſolum ab iis, quibus certo ſcimus Dominum ac Legislatorem offendendum, ſed etiam ab illis, quibus non conſtat non eſſe offendendum. Non enim eſt bonus amicus, bonus ac fidelis ſervus, qui facit id quod judicat æque probabile eſſe quod diſpliceat amico vel domino.

Confirmo 1. Auctoritate Cleri Gallicani, qui in Comitiis generalibus an. 1700. ſic ait: *Abſit vero, ut probemus eorum errorem, qui negant licere ſequi opinionem vel inter probabiles probabiliſſimam. Sed ad rectum uſum probabilium opinionum has regulas a jure præſcriptas agnoſcimus. Primum, ut in dubiis de ſalutis negotio, ubi æqualia utrinque animo ſeſe offerunt rationum momenta, ſequamur id quod tutius; ſive quod eſt in hoc caſu unice tutum. Neque id conſilii, ſed præcepti loco habeamus, dicente Scriptura*: Qui amat periculum, in illo peribit. *Hæc prima regula. Altera .... ut nemini liceat eligere eam ſententiam, quam non veritati magis conſentaneam duxerit.*

2. Auctoritate Card. Bellarm. ep. ad nepotem ſuum Epiſc. Thean. ubi hæc ait: *Si quis velit in tuto ſalutem ſuam collocare, is omnino debet certam veritatem inquirere, & non reſpicere quid multi hoc tempore dicant, aut faciant. Et ſi rei certitudo non poſſit ad liquidum apparere, debet omnino tutiorem partem ſequi; & nulla ratione, nullius imperio, nulla utilitate temporali propoſita, ad minus tutam partem declinare. Agitur enim de ſumma re, cum de ſalute æterna tractatur: & facillimum eſt conſcientiam erroneam aliorum exemplo induere, & eo modo conſcientia non remordente ad eum locum, ubi vermis non moritur & ignis non extinguitur, deſcendere.*

*Obj.* 1. Qui ſequitur opinionem minus tutam in concurſu oppoſitæ tutioris æque probabilis, non agit in dubio practice practico; ſed per judicia reflexa certo judicat ſe licite agere.

*Reſp.* 1. Ex dubio ſpeculativo ſeu generali, neceſſario reſultat dubium practicum, circa actionem particularem hic & nunc ponendam. Nam cum propoſitio univerſalis contineat omnes particulares propoſitiones, & per illas verificetur; dubitare an aliquis contractus in genere ſit illicitus, idem eſt ac dubitare an hic & ille contractus particularis, participans illam rationem ſpecificam, ſit illicitus: ſic dubitare an liceat pingere die feſto ſine neceſſitate, idem eſt ac dubitare an Petro, Paulo &c. liceat pingere hoc die feſto ſine neceſſitate. Ergo non poſſum dubitare ſpeculative & in univerſali, an illicitus ſit aliquis contractus, quin ſimul dubitem an ſit illicitus contractus a me hic & nunc celebrandus, ſi hic contineatur ſub illa ratione communi, & niſi adſit aliqua circumſtantia hunc contractum extrahens ab illa ratione ſpecifica ſeu communi.

*Reſp.* 2. Judicia illa reflexa adverſariorum non ſunt certa. Nam nituntur principiis dubiis, controverſis, immo falſis: unde non reſolvunt prudenter dubium, nec certitudinem moralem de honeſtate actionis pariunt. Nempe hæc ſunt præcipua illorum principia.

*Primum*. Prudenter agimus ſequendo opinionem probabilem etiam in concurſu oppoſitæ tutioris, magis aut ſaltem æque probabilis. Sed hujus falſitatem jam oſtendi.

*Secundum*. In dubio melior eſt conditio poſſidentis, & homo eſt in poſſeſſione ſuæ libertatis circa actiones ſuas, quamdiu non conſtat extare legem eas vetantem. Sed contra eſt. Nam 1. hoc effatum (*In dubio melior eſt conditio poſſidentis*) valet ſolum in materia juſtitiæ, ſeu in rebus temporalibus, quæ ſubſunt poteſtati humanæ, & in quibus ſolis applicatur a jure, idque docent Vaſquez, Azor, Turrian. & alii. At non habet locum in actibus moralibus, ubi agitur de licito & illicito, quod non ſubjicitur poteſtati humanæ; ſed in his valet iſtud axioma: *In dubio tutior pars eſt eligenda*. Præterea prius effatum ſupponit parem cauſſam. At in dubiis de licito & illicito, non eſt par cauſſa Dei, & creaturæ; Deus enim, ut ſupremus Dominus, habet jus prælationis in omnibus: 2. Falſum eſt hominem eſſe in poſſeſſione ſuæ libertatis quamdiu lex non eſt certa. Nam agitur hic non de libertate facti, quæ conſiſtit in potentia phyſica agendi & non agendi pro arbitrio, ſed de libertate juris, quæ conſiſtit in potentia agendi & omittendi licite. Unde cum dubitatur an extet lex vetans aliquid, hoc ipſo dubium eſt, an homo id poſſit facere licite, ac proinde an ſit in poſſeſſione ſuæ libertatis. Ergo jam eſt petitio principii, & affertur pro principio id, de quo eſt quæſtio. Jam vero cum æque veriſimile eſt extare legem prohibentem actum, homo non poteſt licite eum ponere; nam tunc non poteſt judicare prudenter illum non eſſe prohibitum, & ſic privatur libertate juris: homo enim nil poteſt licite agere, niſi prius prudenter judicet illud eſſe voluntate divina permiſſum vel præceptum; voluntas quippe divina eſt regula, ac menſura actionum noſtræ voluntatis, quæ illi neceſſario ſubjici debet: regula autem eſt prior regulato; ac proinde prius eſt aliquid eſſe voluntate Dei permiſſum, quam eſſe licitum voluntati noſtræ, & ſic voluntas noſtra, ut licite agat, debet cognoſcere prius an illud ſit divinæ voluntati conforme: non enim regulari poteſt a voluntate Dei niſi præcognita. Præterea in dubio ſeu æquali probabilitate, lex generalis ſubjectionis ad Deum ut ſupremum Dominum, ac Legislatorem, habet poſſeſſionem anteriorem, & potiorem, quam noſtra libertas; obligatque ad abſtinendum ab iis, de quibus dubitamus utrum Dei voluntati adverſentur.

*Tertium*. Chriſti jugum ſuave. *R.* Eſt equidem ſuave, at non per laxitatem doctrinæ: ait enim ipſe Matth. 7. *Quam arcta via eſt, quæ ducit ad vitam!* Sed tum per gratias uberiores & majores, quæ lege Evangelica dantur: tum quia lex Evangelica eſt lex caritatis efficientis ſuave & leve, quod grave, & amarum erat, ut explicat S. Auguſt. ſerm. 47. de diverſ.; tum quia lex Chriſti liberat ab onere innumerorum pene præceptorum Judæis impoſitorum & præ-

& præter præcepta moralia quæ ſunt juris naturalis, pauca mere poſitiva omnes obligantia continet.

*Quartum*. In æquali probabilitate pro exiſtentia legis, lex non eſt ſufficienter propoſita, nec poteſt prudenter affirmari. Ergo tunc non obligat. *R.* Nego conſeq. Quia tenemur ſervare illud præceptum dubium vi alterius præcepti generalis certi, nempe: *In dubio tutior pars eligi debet. Cavendum eſt periculum peccandi; nam qui amat periculum, in illo peribit*. (*) Item vi legis caritatis & ſubjectionis ad Deum, præcipientis, ut ſervetur præceptum dubium, cujus exiſtentia prudenter negari non poteſt, ne nos exponamus periculo faciendi contra legem vere exiſtentem, & agendi id quod reipſa diſplicet Deo.

*Obj.* 2. Hoc axioma, *In dubio tutior pars eligenda eſt*, continet dumtaxat conſilium, non præceptum, ſaltem pro omni caſu. *R.* Neg. Nam Summi Pontifices locis citatis illud adhibent ut principium morale ſuæ deciſionis, ex ſe obligans pro omni caſu: unde utuntur verbo *Debeo*; illudque ſupponunt certum & lumine naturali notum. Et vero alioqui homo in æſtimatione prudenti exponeret ſe periculo morali agendi contra legem, & peccandi.

Nec dicas illos loqui de dubio facti. Si enim in dubio facti pars tutior eligi debet, a fortiori etiam debet in dubio juris; nam tutior pars eligi non debet in dubio facti, niſi quia dubium facti conjunctum eſt cum dubio juris, in quo non poteſt haberi perſuaſio ſaltem prudens, nec certitudo moralis, quod electio partis minus tutæ ſit licita.

*Dices* 1. Hæc regula, *In dubio tutior pars eligenda eſt*, intelligi debet ſolum de dubio negativo. *R.* Neg. Nam regula generalis eſt, & æque ſpectat poſitivum dubium, quod eſt magis proprie dubium: Nam cum æquales occurrunt pro utraque parte rationes, intellectus non poteſt ſaltem prudenter non ſuſpendere aſſenſum, cum non ſit potior ratio aſſentiendi uni parti, quam alteri. Ergo tunc eſt proprie verum dubium morale ac prudens.

Præterea in quovis dubio eligens partem minus tutam, exponit ſe morali periculo violandi legem & peccandi: nec intellectus poteſt judicare prudenter partem minus tutam eſſe veram, & licere illam ſequi.

*Dices* 2. In dubio poſitivo poteſt intellectus ex imperio voluntatis aſſentiri parti minus tutæ & veræ.

*Reſp.* Id non poteſt ſaltem prudenter, cum pars minus tuta non appareat ei magis vera quam falſa: nec id poteſt ſaltem ſine gravi formidine oppoſiti, quæ non poteſt niſi imprudenter contemni. Unde talis adhæſio non poteſt excuſare a peccato, & cum ea morale periculum eſt agendi contra aliquam legem, ideoque peccandi.

*Obj.* 3. Motivum grave non amittit gravitatem ſuam ex eo, quod concurrat cum motivo æque gravi in oppoſitum. Ergo motivum grave etiam in concurſu æque gravis, ſufficit ad prudentem aſſenſum.

*Reſp.* Nego conſeq. Immo quia utrumque motivum retinet gravitatem ſuam in concurſu, & ſic ſe mutuo elidunt, neutra pars magis apparet vera quam falſa: ac proinde intellectus neutri poteſt ſaltem prudenter aſſentire vel diſſentire; ſed debet ſuſpendere aſſenſum ac diſſenſum, & ſic manere dubius: Extat autem præceptum generale certum, obligans ad ſequendam partem tutiorem in omni dubio, ne nos exponamus periculo peccandi.

*Obj.* 4. Nobis obſtant hæ regulæ juris: *In obſcuris minimum eſt ſequendum. Odia reſtringi, & favores convenit ampliari*. *Reſp.* Hæ & ſimiles regulæ intelligi debent ſolum de dubiis facti, & ubi agitur de pœnis infligendis; non autem de dubiis, ubi agitur de licito & illicito. Quia in dubio de admiſſione criminis, vel de merito culpæ, benignior pars eſt tutior. Nam illam ſequens, exponit ſe ſolum periculo non condemnandi reum vel puniendi infra meritum, quod non eſt intrinſece, ac per ſe malum; oppoſitam vero ſequens, exponit ſe periculo damnandi innocentem, vel puniendi reum ultra meritum, quod eſt intrinſece malum; hinc illa Reg. 192. ff. de reg. jur. *In re dubia benigniorem interpretationem ſequi non minus juſtius eſt, quam tutius*. Et iſta Reg. 11. in 6. *Cum ſunt partium jura obſcura, reo favendum eſt potius quam actori*. At in dubiis de licito, & illicito, ſequens opinionem benigniorem ſeu faventem libertati, exponit ſe periculo faciendi contra legem, ac proinde peccat.

Quæſt. IV. *An liceat ſequi opinionem minus tutam, ſed probabiliorem?*

*Reſp.* Tenemur ſequi partem tutiorem in iis omnibus, in quibus ignorantia invincibilis, & major probabilitas non juvant ad obtinendum finem, quem procurare tenemur. Quia adhiberi debent media efficacia, ſi adſint.

Hinc tenemur. 1. Sequi partem tutiorem, ubi agitur de iis, quæ ſunt de neceſſitate medii ad ſalutem, vel quæ requiruntur ad validam adminiſtrationem & ſuſceptionem Sacramentorum: quia non obtinebitur ſalus, nec effectus Sacramenti, niſi reipſa ponantur ea, quæ Deus ad hunc finem exigit. Hinc Innoc. XI. damnavit hanc propoſitionem. *Non eſt illicitum in Sacramentis conficiendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, niſi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi; hinc ſententia probabili tantum utendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacramentalis, aut Epiſcopalis*. 2. Ubi agitur de procuranda ſanitate corporis, de victoria ſive in bello, ſive in judicio, de vitando damno proximi, quod cavere tenemur ex juſtitia vel caritate &c. Quia in his non obtinebitur finis debitus, niſi adhibeantur media reipſa & non ſolum opinione efficacia. Neque enim major probabilitas opinionis mutat naturam rerum, aut iis efficaciam tribuit, aut impedit damnum. Unde nullatenus eſt probabile, etiam ſpeculative, quod tunc liceat oppoſitum. 3. Ad tutiorem partem tenetur, qui ad tutiora adhibenda ex conventione, voto, vel ſuperioris præcepto obligatur.

(*) Ex hoc Eccleſiaſtici textu, *qui amat &c.* in hunc modum argumentatur Divus Antoninus 1. P. tit. 1. c. 10. §. 10. *Hinc eſt, quod B. Thomas & alii dicunt, quod ille, qui agit id de quo eſt dubium, utrum ſit mortale, vel non, peccat mortaliter, quia periculo ſe exponit mortalis. Cum ergo in aliqua materia morali ſunt variæ, & contrariæ opiniones, ille, qui adhæret opinioni latioris viæ, videtur ſe exponere periculo mortalis, quia eſt in dubio, cum poſſit illa opinio eſſe falſa, & contraria vera. Sed ad hoc reſpondetur, quod utique ille, qui agit ſcienter id, de quo dubitat eſſe mortale, permanente dubitatione, mortaliter peccat, etiamſi illud in ſe non eſſet mortale, ſumendo proprie, & ſtricte dubitationem prout rationes ſunt æque ponderantes ad utramque partem, nec magis quis declinet ad unam, quam ad aliam*.



*Reſp.* 2. Licet ſequi opinionem minus tutam de licito, quando poſt debitam veritatis inquiſitionem apparet certo, ac valde probabilis, & multo probabilior oppoſita, ita ut excludat dubitationem & formidinem rationabilem errandi. *Prob.* Quia 1. Alex. VIII. damnavit hanc propoſit. *Non licet ſequi opinionem vel inter probabiles probabiliſſimam*. 2. Ex Clero Gallicano ſupra laudato. 3. Licet ſequi judicium prudens, ac moraliter certum de honeſtate ſeu licitate actus. At opinio multo probabilior de licito eſt, ſeu fundat ejuſmodi judicium: nam ſequens opinionem multo probabiliorem de licito, licet minus tutam, judicat, aut ſaltem judicare poteſt prudenter, & firmiter, actionem ſuam eſſe licitam: ille enim firmiter & prudenter judicat, qui in judicando præfert motiva multo graviora motivis minus gravibus, quæ præ illis citra culpam & affectum inordinatum levia, & merito contemnenda apparent, & ſic habet prudentem, & firmam perſuaſionem, quod actio ſua ſit licita, nec ullam habet formidinem erroris, vel ſi quam habet, illam prudenter repellit ac contemnit ut ſcrupulum: cum habeat motiva multo graviora judicandi actionem ſuam eſſe licitam, quam ſint motiva judicandi oppoſitum, quæ comparate ad longe graviora, apparent levia, & merito præ illis contemnenda: proinde ſe habent perinde ac ſi non eſſent; motivum enim quod prudenter contemnitur, perinde ſe habet ac ſi non extaret. Ita docet S. Antonin. 1. part. tit. 3. c. 10. §. 10. & ſub fin. hæc ait: *Non enim conſurgit certitudo moralis ex evidentia demonſtrationis, ſed ex probabilibus conjecturis groſſis & figuralibus, magis ad unam partem, quam ad aliam ſe habentibus*. Et ex Reg. 31. Jur. in 6. *Eum, qui certus eſt, certiorari ulterius non oportet*. Et vero impoſſibile eſt habere dictamina metaphyſice, aut phyſice certa de omnibus agibilibus. Deus autem, qui diſponit omnia ſuaviter, non exigit ab homine, ut ſemper cum evidentia & certitudine metaphyſica de materiali honeſtate ſuæ actionis operetur, quia eſt ſupra conditionem hominis in hoc ſtatu ſemper ſic operari, ait Cajet. Itaque Deus ſolum a nobis exigit, ut nunquam operemur ſine firma & prudenti perſuaſione quod operatio hic & nunc exercenda ſit licita.

Hinc quamvis opinio Guillelmi Pariſienſis docens hominem ſtatim atque peccavit, teneri ad confeſſionem, ſit tutior; nemo tamen peccati arguit eum qui confeſſionem aliquantiſper differt; quia opinio oppoſita S. Thomæ eſt multo probabilior, & tuta.

Dixi *multo probabilior*. Nam non licet ſequi opinionem minus tutam, quæ apparet ſolum paullo probabilior tutiore. Quia in moralibus parum pro nihilo reputatur; & quia exiguus probabilitatis exceſſus non fundat certitudinem moralem, nec excludit formidinem rationabilem erroris, nec proinde tollit periculum probabile peccandi.

*Obj.* 1. Opinio tutior, licet minus probabilis, eſt adhuc probabilis, habet motivum grave &c.

*Reſp.* Ita eſt, ſi abſolute & ſeorſim ſpectetur, non autem ſi ſpectetur comparate ad oppoſitam longe probabiliorem, & relate ad operantem. Nam tunc ejus motivum operanti apparet leve, ſic ut prudenter contemnatur præ oppoſito longe graviori, ac proinde ſe habet ac ſi non eſſet.

*Obj.* 2. Formido eſt eſſentialis cuilibet opinioni, etſi probabiliſſimæ. Ergo nulla opinio poteſt eſſe moraliter certa. *Reſp.* diſt. ant, Formido logica, C. Moralis, N. Duplex eſt formido, una logica, quæ eſt eſſentialis omni aſſenſui opinativo, & conſiſtit in actu, quo intellectus cognoſcit non repugnare præciſe ex vi motivi aſſenſus, rem aliter ſe habere atque judicat: & alia moralis, quæ eſt accidentalis aſſenſui opinativo, & ab eo ſeparabilis, conſiſtitque in actu, quo intellectus dicit rem forte aliter, ſe habere atque judicat. Hæc ſola formido repugnat certitudini morali, & abeſt ab opinione probabiliore.

Quæſt. V. *Ad quid tenemur, quando opinio eſt probabilis extra concurſum?*

*Reſp.* 1. Tenemur ſervare præceptum, quando opinio affirmans illud exiſtere, eſt unice probabilis. Quia 1. tenemur ſervare præceptum cujus exiſtentia apparet æque probabilis ac non exiſtentia, ut probavi: Ergo a fortiori, ſi ejus exiſtentia appareat unice probabilis. 2. Homo in hoc caſu poteſt prudenter judicare legem exiſtere, nec id poteſt niſi imprudenter negare; nam habet grave motivum id aſſerendi, & nullum habet negandi. Atque quiſque tenetur ſervare legem, quam poteſt prudenter judicare exiſtere, vel quam non poteſt niſi imprudenter negare.

*Reſp.* 2. Licet ſequi opinionem minus tutam, ſeu negantem præceptum, quando eſt unice probabilis, ita ut excludat omnem formidinem ſaltem rationabilem peccandi. Quia illam ſequens poteſt judicare prudenter & firmiter actionem ſuam eſſe licitam: nam habet motivum grave id judicandi, & nullum habet aliter judicandi. Unde nec habet anxietatem, nec formidinem erroris: aut ſi quam habet, poteſt eam contemnere ut ſcrupulum, quippe quæ careat fundamento ſaltem rationabili. Sic ruſticus licite omittit ſacrum eo die, quo ejus Paſtor, vir probus & doctus exiſtimatus, aſſerit ad illud non teneri, ſi nullum habeat motivum judicandi oppoſitum, nec ſuum Paſtorem falli aut fallere, ex c. 44. *de ſent. excom*. Unde tunc talis opinio eſt certa practice, & relate ad operantem, quamvis ſpeculative & abſolute ſpectata, ſit dumtaxat probabilis. Quod ſi contingat talem opinionem eſſe reipſa falſam, error eſt invincibilis.

TRA-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# TRACTATUS DE LEGIBUS. (1)

## SECTIO I.

*De Lege in communi.*

QUæſt. I. *Quid eſt Lex?*

*Reſp.* Eſt præceptum commune, honeſtum, juſtum, ſtabile ſeu perpetuum, ad bonum commune, a gerente curam communitatis impoſitum, & ſufficienter promulgatum.

Itaque ex communi Doctorum ſententia, Lex eſt, 1. Præceptum; nam Lex eſt ordinatio Superioris efficax, & obligans ſubditos ad agendum vel omittendum aliquid. Non poteſt autem obligare niſi præcipiendo, hoc eſt jubendo vel vetando. Hinc Lex permittens eſt etiam præceptiva, ſaltem virtualiter nam hoc ipſo quod permittit aliquid fieri, prohibet ne illud fieri impediatur. Porro præceptum eſt recta agendi vel omittendi ratio, ſeu regula obligans ex auctoritate Superioris. Per *to* obligans differt a conſilio, quod eſt etiam recta agendi regula, ſed non obligans. Hinc illud S. Hieronymi l. 1. contra Jovin. *Ubi conſilium datur, offerentis arbitrium eſt: ubi præceptum, neceſſitas eſt ſervientis.*

2. Commune; nam debet fieri communitati perfectæ ex *l. Jura*, ff. de legib. *Jura non in ſingulas perſonas, ſed generaliter conſtituuntur.* Communitas autem perfecta eſt, quæ ex natura ſua perpetua eſt, ac politicæ gubernationis capax: ſive eſt ea quæ ſibi ſufficit ad aſſequendum finem ad quem inſtituta eſt, nempe ad conciliandam & conſervandam felicitatem, pacem, ac tranquillitatem publicam, ut Regnum, Provincia ſui juris, Eccleſia &c. Imperfecta vero, quæ ex natura ſua non eſt perpetua, nec capax politicæ gubernationis; ſive quæ ſibi non ſufficit ad prædictum finem, ut Familia, Parochia &c. Porro cenſetur communitas ſibi ad ſuum finem ſufficere, dum in ea eſt poteſtas Magiſtratus aut Paſtores inſtituendi, membra ac ſubditos in ordine continendi, lites & controverſias dirimendi, improbos ac ſceleſtos morte mulctandi, vel contumaces a corpore reſecandi.

3. Lex neceſſario debet eſſe honeſta, ſtatuendo videlicet aliquid honeſtum, vel in ſe, vel ſaltem ratione finis intenti, ad quem conducat: nam finis legis eſt homines bonos facere, ut docent Ariſt. & S. Th. Deinde homo non poteſt obligari ad actus malos, vel inutiles, ſeu indifferentes; nec Deus ut pote ſumme bonus, ſapiens, ac rectus, dedit hominibus poteſtatem ſtatuendi niſi honeſta.

4. Juſta, ſcilicet ex parte legiſlatoris, & juſtitia quidem tum legali, in eo poſita ut proſit bono communi; tum commutativa, qua Legiſlator non plura ſtatuat quam poſſit ſtatuere, nec aliis quam ſubditis; alias injuriam inferret, & nulla eſſet lex, cum actio non poſſit excedere agentis poteſtatem: tum denique diſtributiva; qua ſecundum æqualitatem proportionis, habita ratione virium & facultatum, imponantur ſubditis onera in ordine ad bonum commune. Nam eſſet contra rectam rationem, & juſtitiam etiam commutativam, aliquos ultra modum gravare. Ad nullitatem tamen legis ex hoc capite requiritur tanta improportio & inæqualitas, ut redundet in detrimentum commune, & injuſtum ac grave onus plurium, ut notat *Suarez*: alioqui enim ſi Lex de ſe utilis ſit, & pauci plus æquo vexentur, Lex erit valida, & obligabit alios. Illi vero qui injuſte gravantur, non obligabuntur quoad exceſſum injuſtum, niſi per accidens, ratione ſcandali vel perturbationis, ad quæ vitanda debet quiſque juri ſuo cedere.

Porro in dubio de honeſtate vel juſtitia legis præſumendum eſt pro Legiſlatore, & ſervanda lex eſt: tum quia Superior habet jus altius, & poſſidet jus præcipiendi, a quo ſubditus per iſtiuſmodi dubium non probat ſe eſſe exemptum: tum quia Princeps regitur altiori conſilio, & poteſt habere rationes ſubditis occultas: tum quia tunc legis obſervationem poſtulat bonum commune, & recta gubernatio; nam alioqui ſubditis daretur nimia licentia non ſervandi leges.

5. Eſt de ſe perpetua, hoc eſt, ſtatuta in perpetuum, & ſine termino definito: ita ut ſemel lata, ſemper duret quamdiu durabit communitas cui imponitur, niſi abrogetur, aut mutatis circumſtantiis noxia vel inutilis fiat ex c. ult. *de offic. Legat.* Nam perpetuitas legum neceſſaria eſt ad earum finem, nempe bonum commune, quod poſtulat ſtabilitatem, & uniformitatem, ut utiliter adminiſtretur communitas de ſe perpetua, quatenus per continuam ſucceſſionem perſeverat eadem moraliter in poſteris: legum quippe mutatio detrimentum reipublicæ affert.

6. Lex debet eſſentialiter eſſe utilis bono communi, quod eſt finis eſſentialis & primarius Legis. Conſtat tum ex c. *Erit* diſt. 4. ibi: *Erit autem lex honeſta, juſta, poſſibilis ſecundum naturam, ſecundum patriæ conſuetudinem, loco temporique conveniens, neceſſaria, utilis, nullo privato commodo, ſed pro communi utilitate conſcripta.* Tum quia Lex eſt actus publicæ poteſtatis, quæ inſtituta eſt ſolum in bonum commune; tum quid poteſtas ferendi leges non eſt data hominibus, niſi propter bonum commune procurandum, ut conſtat ex Scriptura docente Legiſlatores Eccleſiaſticos eſſe Paſtores, & habere poteſtatem tantum in ædificationem aliorum, 2. ad Cor. 10. Sæculares vero eſſe Miniſtros Dei in bonum ſubditorum, Rom. 13. Præterea cum Lex toti communitati imponatur, eamque obliget, debet quoque ad illius bonum referri; alioqui inordinata eſſet; nam contra rectam rationem eſt totum ordinare ad partem, & totum operari pro ſolo bono privato partis. In quo differt poteſtas juriſdictionis a poteſtate dominativa in ſervum, & a jure proprietatis in utilitatem privatam conceſſo. Itaque lex omnis cedere debet in bonum commune, vel immediate, vel ſaltem mediate, & ultimate, alioquin nulla eſt. (*)

7. Lex debet ferri ab eo, qui præeſt communitati. Nam cum Lex feratur communitati perfectæ ob bonum commune, eamque obliget, ferri non poteſt niſi ab eo, ad quem pertinet curare communitatem, quique illius regendæ, obligandæ, cogendæ poteſtatem habet juridicam.

8. Demum debet eſſe promulgata, ex *l. 9. Cod. de Legib.* quia Lex eſt regula actionum generalis & publica, dirigens & obligans communitatem: at regula non poteſt communitatem dirigere, & obligare, niſi ſit ei applicata & nota.

Quæſt. II. *Quomodo lex differt a Præcepto?*

*Reſp.* Differt 1. Quod Lex neceſſario feratur a perſona publica pro communitate, & ad bonum communitatis; at præceptum ferri poteſt a perſona privata ad privatam, puta a domino ad ſervum, & in bonum privatum ſuperioris, vel ſubditi, vel alterius. 2. Quod Lex de ſe ſit perpetua, non merum præceptum, quod exſpirat morte præcipientis; Lex vero non. Quare ſi in noſtra Societate, præcepta Præpoſitorum Generalium ſemper obligent donec a ſucceſſore revocentur, id non habent a ſe, ſed a lege ſpeciali Congregationis ſeptimæ can. 10. iis perpetuitatem ſtatuente. Igitur lex differt a præcepto, ſicut ſpecies a genere: nam omnis lex eſt præceptum, ſed non omne præceptum eſt lex. Præceptum enim aliud eſt commune, aliud particulare. Commune ſubdividitur in perpetuum, quod ſolum eſt proprie lex, & in non perpetuum, ſed ad breve tempus impoſitum. Convenit autem lex cum præcepto, quod utrumque ſit ratio ſeu regula agendi vel omittendi, obligans ex auctoritate ſuperioris. (1)

Quæſt. III. *An lex omnis neceſſario obliget?*

*Reſp.* Affirm. *Ex commun.* Prob. 1. ex S. Hieron. ſup. cit. & ex S. Auguſt. lib. de Sancta Virginit. cap. 13. *Præcepto quiſquis non obtemperat reus eſt, & debitor pœnæ.* 2. Quia lex ac præceptum eſt uſus & applicatio juris, quod habet ſuperior ad obligandum ſubditos. Item eſt ordinatio ſuperioris habentis poteſtatem & voluntatem efficacem obligandi, eamque ſubditis declarantis: at voluntas efficax ſuppoſita poteſtate inducit effectum. 3. Lex divina naturalis & poſitiva præcipit, ut juſtis ſuperiorum præceptis obtemperemus. Quare violatio cujuſvis præcepti etiam humani, eſt tranſgreſſio Legis divinæ, ideoque offenſa Dei, & peccatum.

*Obj.* Datur lex permiſſiva, ex l. 7. ff. de legibus ibi: *Legis virtus hæc eſt, imperare, vetare, permittere, punire.* *Reſp.* Lex permiſſiva obligat alios ad non impediendum id quod permittitur. (2)

Quæſt. IV. *Quomodo dividitur Lex?*

*Reſp.* Dividitur in divinam, quæ a Deo, & humanam, quæ ab homine ſancita eſt. Lex divina ſubdividitur in æternam, naturalem, & poſitivam: Poſt-

---

(1) *Actuum humanorum principia multa, ac varia ſunt. Alia dicuntur* efficientia, *ut voluntas, & libertas: alia* dirigentia, *ut conſcientia, & lex: alia* allicientia, *ut habitus tum boni tum mali, hoc eſt, virtutes & vitia. Quæ ad primum genus attinent, intima animæ ſunt, ut patet per ſe. Quæ vero ſunt duorum poſteriorum generum, diſtribuuntur in* interiora, *&* exteriora. *Sic conſcientia, & habitus revocantur ad interiora: lex, & inſpirationes nobis immiſſæ ab Angelis, ad exteriora referuntur. Hinc porro vides unico obtutu materiam omnem univerſæ Facultati morali ſubjectam. Principia enim* efficientia *expenduntur in primo Tract.* de Actib. Humanis. *Alterum ex dirigentibus diſcutitur in ſecundo Tract.* de Conſcientia: *alterum vero in præſenti Tract.* de Legibus. *Demum* allicientia *conſiderantur primo generatim, deinde ſpeciatim, in ſubſequenti Tract.* de Peccatis, de Virtutibus &c. *Communis loquendi uſus principiis dirigentibus* normæ *ſeu* regulæ *appellationem tribuit. Regula in genere eſt quaſi menſura, ad quam exploratur, num aliquid rectum ſit, vel obliquum, ſeu an ordini ad ſuum finem conveniat, vel adverſetur. In moralibus itaque illud regulæ nomen ſibi vindicabit, ex quo dignoſcimus, quid honeſtum, aut turpe ſit: quidve proinde ad finem ultimum conducat, vel ab eo abducat. Indicatas morum regulas duas, ſcilicet* conſcientiam & legem, *cognominibus* proximæ, *ac* remotæ (*Vid. notam 2. ad qu. 1. cap. 1.* de Conſcient.) *diſcriminant Auctores. Utrum ſola* conſcientia, *vel etiam* ratio *ſit habenda pro regula* proxima, *mox patebit (ex Nota ad q. 2. Sect. 2.) ubi ambas propriis characteribus diſtinguemus. Interea, de Legibus loquendo, hæc ſunt animadvertenda. Cum quævis actio* moralis *ſit relativa ad ſuam regulam, & aliunde ſola lex aut omnino, aut ſaltem principaliter ſit regula & norma agendi; & hinc intelligere pronum erit, quanti momenti ſit præſens Tractatus. Sane incredibile dictu eſt, quot æquivocationes & exerrationes contingant in hominibus etiam doctis, ex eo præſertim, quod non ſatis accurate perſpecta teneant, quæ inſtar fundamenti jaciuntur in iſto Tractatu. Nullum pariter mihi dubium, quin ob talem inſcitiam multi alii præſertim de Clero, qui innumeris fere ſubjacent Eccleſiaſticis Legibus, conſcientiam ſibi efforment partim laxam, partim ſcrupuloſam; quarum utraque ceu vitioſa* cavenda eſt ex *Divi Bonav.* (Comp. Theol. Verit. lib. 2. cap. 52.) nam prima generat præſumptionem, ſecunda deſperationem. *Inter Theologos præclare de legibus ſcripſit D. Thom.* (1. 2. q. 90. uſque ad q. 109.) *Ben. XIV. multa huc ſpectantia vel declaravit, vel definivit ſparſim in aureis ſuis Operibus, præſertim* vero de Syn. Diœc. *Unde & nos deprompſimus (N. 78. 79.) generalia quædam axiomata. Optime autem illos ſibi conſulere arbitror, qui in materia iſta lucem fœnerantur a Canoniſtis, quorum maxime propria.*

(1) *Diſcrimen aliud peculiare* legis, *&* præcepti *pandit Bened. XIV. lib. 13. de Syn. cap. 4. n. 9.*

(2) *Quamvis communi doctrina, quam verbis Angelici expreſſimus (N. 367.) hi tres numerentur actus, ſeu effectus legis abſolute acceptæ, ſcilicet* præcipere, prohibere, permittere; *non idcirco tamen convellitur alia communis doctrina de obligatione cujuſcumque veræ legis: immo firmatur, quia facile eſt oſtendere, aliquam oriri obligationem ex ſingulis illis effectibus. De duobus prioribus nullum poteſt eſſe dubium; igitur de tertio dumtaxat id demonſtrandum eſt. Perpende naturam rei, quæ a lege permittitur, ſimulque tres ſupremas moralitatis ſpecies (N. 266.) attende. Si rem permittit in genere moris* indifferentem, *dande*

(*) *Nulla eſt lex in ratione Legis, de qua tamen privato homini non licet judicare.*

Poſitiva in veterem, & novam. Vetus eſt ea, quam Deus dedit Moyſi per Angelum, & per Moyſem Iſraelitis. Nova eſt ea, quæ a Chriſto lata fuit omnibus hominibus, & per Apoſtolos promulgata. Lex humana ſubdividitur in Eccleſiaſticam, quæ ſcilicet fertur poteſtate Eccleſiaſtica & ſpirituali, ut Papæ, Concilii, & Epiſcopi; & in Civilem, quæ fertur poteſtate ſæculari, ut Regis, Principis &c.

## SECTIO II.

### *De Lege divina.*

QUæſt. I. *Quid eſt Lex æterna?*

*Reſp.* Lex æterna late ſumpta eſt ſumma ratio, qua Deus omnia regit & gubernat: ſtricte ſumpta, eſt ordinatio & voluntas Dei, qua Deus ab æterno ſtatuit, ut a creatura intellectuali fierent ea, quæ ex natura rei neceſſaria ſunt ad vivendum decenter, ac conformiter naturæ ſuæ intellectuali; & omitterentur ea, quæ naturam intellectualem dedecent, ex S. Auguſt. l. 22. contra Fauſtum c. 27. dicente: *Lex æterna eſt ratio divina, vel voluntas Dei ordinem naturalem conſervari jubens, perturbari vetans*. Hinc non differt a lege naturali, niſi quod hæc ſuperaddat promulgationem factam in tempore per lumen naturale. Lex enim naturalis nil aliud eſt, quam Lex æterna ſtricte ſumpta, naturæ rationali per lumen naturale intimata, habitualiter quidem per rectam rationem, actualiter vero per dictamina rectæ rationis.

Quæſt. II. *Quid eſt lex naturalis?*

*Reſp.* Eſt Lex divina, creaturæ rationali impreſſa, præcipiens quidquid ex natura rei neceſſarium eſt ad vivendum decenter, ac conformiter naturæ rationali ut rationali, & prohibens quidquid ex natura rei dedecet naturam rationalem ut rationalem: atque etiam ſtatuens ea quæ ex ſe neceſſaria ſunt ad valorem actuum. (1)

Hanc obligare ſub mortali in re gravi; fide conſtat ex Rom. 1. *Qui talia agunt* (contra legem naturalem) *digni ſunt morte*. Et cap. 2. *Quicunque*

*do ſubditis facultatem libere eam faciendi; tunc obligat, ne quis impediat alium volentem eamdem facere, ex. ca. manducare carnes in Vigilia Epiphaniæ non incidente in diem Veneris, aut Sabbati. Eamdem ipſam obligationem non impediendi producit, ſi expreſſe permittat rem ex ſuo genere* bonam, *cujuſmodi eſt ex. ca. nuptias appetere relate ad homines, qui ſui juris ſunt, & continentiæ perpetuæ nolunt ſe addicere. Si tandem rem permittat* malam, *ex. ca. moderatam uſuram cambii ſicci, vel alterius fœneratitii contractus: obligat judices, ne puniant eos, qui eam perpetrarunt. Quanquam in hoc poſtremo caſu lex a propria excidit dignitate (juxta præced. Notam) eo ipſo, quod inhoneſta proponit. Patet ergo, omnem legem aliquid poſitive permittentem ſemper involvere præceptum aliquo modo obligans. Hinc in jure (diſt. 55. can. 6.* qui partem cujuſlibet digiti) *ipſa permiſſio deſignatur nomine* præcepti. *Porro adverſus adſertam legis obligationem rurſus quis opponet, apud Juriſconſultos* legis *appellatione donari etiam* conſilium, *quod certe nullo modo obligat ad faciendam rem, quæ conſulitur. Reſp. quæ proprie eſt norma morum, gemino fungitur officio,* dirigit *&* obligat. *Si primum præciſe ſpectetur, tunc ipſa in ſe comprehendit & legem, & conſilium. Si ſecundum etiam attendatur, ſic lex eſt ſtricte dicta. Itaque quæ vocantur* conſultoriæ *leges, eæ nonniſi improprie & analogice leges ſunt. Ut quid ergo, inquies, Evangelium continens conſilia,* lex nova *dicitur? Reſp. quia, præter conſilia, leges complectitur proprie dictas, quæ ſi deeſſent, appellatio illa ceſſaret, rite loquendo. Ceterum reſpectu etiam conſiliorum obligationem præſefert, non quidem eadem ſervandi, ſed non contemnendi, ſicuti faciunt propudioſi Novatores irridentes Monachatum.*

(1) *Ex Angelico* (1. 2. q. 93. art. 1. & q. 91. art. 2.) Lex æterna nihil eſt aliud, quam ratio divinæ Sapientiæ, ſecundum quod eſt directiva omnium actionum, & motionum. Lex *vero* naturalis, nihil eſt aliud, quam participatio legis æternæ *in* rationali creatura, *&* impreſſio divini luminis in *eadem creatura, quæ* excellentiori quodam modo divinæ providentiæ ſubjaceat: *Quocirca lex* æterna, *& lex* naturalis *unum idemque ſunt; cum utroque nomine deſignentur ſempiterna Dei decreta ordinantis omne id quod per ſe & ex natura rei neceſſarium eſt ad conſervationem ordinis juſtitiæ, ſive ad Deum, ſive ad ſeipſas referantur rationales creaturæ; quæque proinde ſunt regula & norma earundem creaturarum agentium. Sed cum hujuſmodi* Divina *decreta poſſint bifariam conſiderari, nempe vel quatenus* principiative *ſunt in Deo legiſlatore, tamquam regulante; vel quatenus* participative *ſunt in creaturis ſubditis, tamquam regulatis: idcirco ſub priori reſpectu* legis æternæ, *ſub poſteriori* legis naturalis *appellationem ſortiuntur. Porro ex his, ad tollendam a mentibus noſtris obſcuritatem, & confuſionem idearum, juvat corollaria nonnulla deducere.* 1. *Quæ dicuntur legis naturalis* præcepta, *nil aliud ſunt, quam rationes divinæ ſapientiæ, divinæque voluntatis ordinationes, quæ ſunt principia directiva humanorum actuum. Unde ingens patet* deformitas *eorum, quæ ab hominibus contra* talia *præcepta in quovis rerum genere peraguntur.* 2. *Participatio & manifeſtatio horum decretorum, ſeu præceptorum divinitus fit per quoddam* lumen *in ſingulorum hominum cordibus ſignatum ſeu impreſſum, quo poſſunt ipſi (modo velint) diſcernere, quid ſit bonum, & quid malum, quidve aut faciendum, aut vitandum. Quare oportet tale lumen diſtinguatur a* natura rationali, *atque ab* intellectu *eo ipſo quod eidem naturæ a Conditore impreſſum, infuſumque dicitur.* 3. *Cum ex Angelico cit.* (q. 94. art. 41.) habitus ſit, quo quis agit, non quod quis agit: ſic non poteſt eſſe, quod lex naturalis ſit habitus proprie, & eſſentialiter. *Hinc palam ſit*, legem naturalem *differre a* Synderesi, *quæ habitus eſt primorum principiorum practicorum (juxta Notam 1. ad* Tract. de Conſc.) *præbens ſcilicet facilitatem cognoſcendi quid bonum, malumve ſit in genere moris. Nihilominus ex eodem Angelico lex naturalis poteſt vocari* habitus *alio latiori ſenſu, quatenus* habitu tenetur, ſicut dicitur fides id, quod fide tenetur



*quæ ſine lege* (ſcripta) *peccaverunt, ſine lege peribunt*, propter peccata ſcilicet contra legem naturalem commiſſa. Enimvero legem naturalem violans in re gravi, offendit graviter Deum, quem non poteſt invincibiliter ignorare eſſe illius auctorem.

Porro Chriſtus explicuit & ſancivit præcepta moralia legis naturalis eorumque omnium obſervationem præcepit. Quare Lex omnis naturalis eſt etiam evangelica quoad materiam, ſeu rem præceptam & vetitam. *Quæcumque ſunt vera, quæcumque pudica, quæcumque juſta, quæcumque ſancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ: ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplinæ, hæc cogitate, ut agatis*. Phil. 4. ubi Apoſt. commendat obſervationem eorum omnium, quæ lex naturalis ac divina præcipit & conſulit.

Quæſt. III. *An Lex naturalis præcipit, ut ſemper ſiant actus honeſti, ac boni?*

*Reſp.* Affirm. Quia Lex naturalis præcipit, ut homo ſemper vivat decenter, ſeu agat modo conſentaneo naturæ ſuæ rationali, qua rationalis eſt; & ſic præcipit homini id omne quod neceſſarium eſt ad vivendum ſeu agendum ſemper honeſte, ac decenter naturæ rationali: *Omnia honeſte, & ſecundum ordinem ſiant*, 1. ad Cor. 14. At ad ſemper agendum honeſte ac decenter naturæ rationali qua rationali, neceſſe eſt ut omnis ejus actus deliberatus, ſit conſentaneus naturæ rationali qua rationali, ideoque honeſtus.

Ut autem actus ſit honeſtus ac bonus, neceſſe eſt ut ſit de objecto bono, vel indifferenti, ſed conducibili ad bonum finem, ut fiat modo convenienti, & in circumſtantiis objecto debitis, & propter finem honeſtum. Nam ſi unum ex iis deſit, actus non eſt bonus, ſed malus: tunc enim non tendit decenter ac convenienter naturæ rationali in objectum, finem & circumſtantias actui debitas, & ſic non convenit, ſed diſconvenit naturæ rationali ſeu intellectuali, nec a recta ratione approbatur, ſed improbatur: quippe recta ratio dictat eum ſolum actum eſſe bonum & laudabilem, qui habet objectum legitimum, finem honeſtum, & circumſtantias objecto debitas; hinc illud axioma Theologicum: *Bonum ex integra cauſa: malum ex quolibet defectu*.

Quæſt. IV. *An Lex naturalis poteſt mutari?* (1)

*Reſp.* 1. Ex communi ſententia, non poteſt mutari proprie. Quia Lex mutatur proprie, cum deſinit, aut ſit inhoneſta, noxia vel inutilis, aut abrogatur a ſuperiore, vel contraria conſuetudine præſcribitur. At Lex naturalis neque poteſt deſinere, cum ſit neceſſaria, & lata in perpetuum, neque fieri inhoneſta, noxia, vel inutilis; cum nil præcipiat niſi bonum ac honeſtum, & ex natura rei neceſſarium, & nil vetet niſi id quod eſt per ſe malum ac inhoneſtum: neque poteſt abrogari a Superiore, nempe Deo: Deus enim non poteſt non præcipere ſemper creaturæ rationali id omne, quod ex natura rei neceſſarium eſt ad vivendum honeſte, & decenter naturæ ſuæ; nec prohibere id omne, quod ex natura rei illam dedecet: nam non poteſt creaturam rationalem non regere ſapienter & ordinate, & modo ſuæ ſanctitati conſentaneo, ideoque decenter ac conformiter naturæ rationali. Quare Lex naturalis, ſuppoſita creatura intellectuali, eſt abſolute neceſſaria. Denique non poteſt contraria conſuetudine præſcribi: nam ſi non poteſt abrogari a Deo, multo minus poteſt ab hominibus.

*Reſp.* 2. Lex naturalis poteſt mutari improprie, quatenus nempe poteſt fieri mutatio in circumſtantiis materiæ illius. Nam Deus poteſt materiæ Legis naturalis apponere vel tollere conditiones ac circumſtantias quaſdam, quibus poſitis aut ſublatis, actiones jam non ſunt Lege naturali prohibitæ, vel præceptæ, & per quas mutatur materia.

*Nota.* Aliquid eſt de jure naturali permiſſive, vel præceptive. Illud eſt de jure naturali permiſſive, quod Lex naturalis nec præcipit, nec vetat, nec irritat; ſed permittit fieri, vel aliter de eo ſtatui. Illud eſt de jure naturali præceptive, quod præcipitur vel prohibetur jure naturali, ac proinde cujus oppoſitum a nemine ſtatui poteſt.

Quæſt. V. *An ſaltem Deus poteſt diſpenſare in aliquo præcepto Legis naturalis?*

*Reſp.* 1. Ex communi ſententia, non poteſt diſpen-

netur; *hoc eſt, quatenus lumine rationis ſemper permanente in intellectu, ſemper in nobis ineſt potentia percipiendi præcepta naturalis legis, etſi non ſemper actu eadem conſiderentur.* 4. *Quando quidem* conſcientia *eſt actuale rationis practicæ dictamen, oſtendens in particulari, quid hic & nunc agendum ſit: ideo neceſſe eſt, ipſum diſcrepare non ſolum a* ſynderesi, *quæ merus eſt habitus ex dictis: ſed etiam a* lege naturali, *quæ generale dumtaxat dictamen eſt eorum, quæ agenda, aut omittenda ſunt.* 5. *Quamvis conſcientia præſupponat* legem naturalem, lumen rationis, *&* ſynderesim; *attamen iſta ſola, non horum quidpiam, proprie eſt* regula proxima *agendi. Quippe legis æternæ decreta, quæ per lumen rationis, ac ſynderesim poſſunt innoteſcere, hominem agere volentem proxime non dirigunt, niſi practico quodam ratiocinio invicem componantur, & actionibus eliciendis applicentur, quod alia voce* conſcientiam *dicimus. Jam vero vel ſola* legis naturalis *notio, ſic clare diſtincteque efformata, extra dubium omnino ponit ejuſdem quoque legis* extantiam; *ut proinde mirandum, potuiſſe homines exiſtere priſca, recentique memoria* (N. 258. 269.) *qui hanc negarent. Quoniam auſu iſto temerario evadunt plane injurioſi tum in Deum O. M. tum in ſeipſos, tum in univerſam hominum nationem, prorſus expediret ipſos adhuc vivos ſepulturæ mandari: ne fœtore ſuæ perverſitatis aerem inficiant. Sed quantumvis ſummo conſenſu omnes, quibus non nutat cerebrum, fateantur extare naturalem legem, qua ſit, ut alia honeſta, alia turpia ſint, independenter ab humana quavis conſtitutione, aut conſuetudine; ingens tamen apud Eruditos diſcordia eſt in determinandis hujuſce legis naturalis* principiis cognoſcitivis. *De his Theologi Morales plerumque nihil peculiare ſolent edicere: multa vero ex profeſſo tradunt Ethices, ac Juris naturalis Tractatores noviſſimi, tum Catholici, tum Acatholici. Nec deſunt, qui cum Cl. Antonio Genuenſi ſpartam hanc adornent etiam in Diſquiſitionibus Metaphyſicis.*

(1) *Undenam ſubſidia mutuari liceat ad graviſſimam hanc quæſtionem, aliaſque ei cognatas, rite perſcrutandas ac definiendas, a nobis indicatum N. 315.*

ſpenſare directe & proprie. Quia diſpenſare proprie in lege eſt liberare aliquem ab obligatione Legis: manentibus omnibus circumſtantiis, ſub quibus Lex viget & obligat. At Deus non poteſt abſolute hoc facere in Lege naturali. Ergo. *Prob. min.* Nam Deum liberare aliquem ab obligatione Legis naturalis, manentibus omnibus circumſtantiis, ſub quibus illa per ſe obligat, eſt Deum concedere alicui ut agat aliquid jure naturali vetitum, vel omittat aliquid hoc jure præceptum, manentibus omnibus circumſtantiis, in quibus id jure naturali prohibetur, vel præcipitur: ac proinde ut agat id quod eſt intrinſece malum ac inhoneſtum, vel omittat id quod tunc ex natura rei neceſſarium eſt ad honeſtatem morum, & cujus omiſſio dedecet naturam rationalem. At Deus non poteſt abſolute hoc concedere: nam hæc conceſſio repugnat ſanctitati, ac ſapientiæ divinæ, & decenti ac ordinatæ gubernationi creaturæ intellectualis.

*Obj.* 1. Deus reipſa diſpenſavit in variis legis naturalis præceptis. Nam 1. diſpenſavit cum Abrahamo in homicidio, præcipiendo ut filium innocentem occideret. 2. Cum Patriarchis in Polygamia. 3. Cum Judæis in furto, nempe ut retinerent vaſa Ægyptiorum ipſis commodata. 4. Cum Judæis in diſſolutione matrimonii per libellum repudii. 5. Cum iiſdem in uſura. 6. Cum Oſea, ut fornicaretur. 7. Cum Machabæis, ut pugnarent die Sabbati: Ergo.

*Reſp.* Neg. ant. & ejus probationem. Nam Deus non præcepit, nec permiſit has actiones, manentibus omnibus circumſtantiis, ſub quibus lege naturali prohibitæ ſunt, ſed ſolum mutavit conditiones ac circumſtantias materiæ legis naturalis, ſub qua mutatione actiones illæ non ſunt lege naturali prohibitæ. Itaque.

*Ad* 1. *Reſp.* Deus, ut ſupremus vitæ ac necis omnium dominus, dedit Abrahamo jus in vitam filii innocentis, ut illum ſibi immolaret. Occiſio autem innocentis, facta auctoritate & juſſu Dei, non eſt injuſta, nec vetita lege naturali, nec proinde homicidium, ſed eſt juſta & conſentanea juri divino naturali.

*Ad* 2. *Reſp.* Uxorum pluralitas non eſt contra jus naturale, poſita conceſſione divina. Nam non repugnat abſolute fini primario conjugii, qui eſt prolis ſuſceptio & educatio; ſed tantum adverſatur ſocietati & paci familiæ, & difficiliorem reddit bonam liberorum educationem, quibus incommodis Deus facile auxiliis gratiæ proſpicere poteſt. Polygamia quidem ponit inæqualitatem juris ac dominii corporum; ſed hanc injuſtitiam tollit ſeu impedit Deus, mariti corporis dominium in plures uxores dividendo, quibus proinde jam non fit injuria, cum Deus ſit ſupremus omnium creaturarum, & jurium illarum dominus.

Porro Deus uxorum pluralitatem Patriarchis conceſſit, ad majorem fidelis populi, ex quo Chriſtus naſciturus, & verus Dei cultus in cæteras gentes propagandus erat, multiplicationem.

*Ad* 3. *Reſp.* Deus tamquam ſupremus rerum omnium dominus, Ægyptiorum vaſa Iſraelitis donavit, ita ut Ægyptii jam deſinerent eſſe illorum domini; & ſic Iſraelitæ non abſtulerunt nec retinuerunt rem alienam, ſed ſuam factam per donationem Dei, nec proinde furti rei fuere. Deus autem dominium rerum Ægyptiorum in Iſraelitas tranſtulit, tum ut ſummam Ægyptiorum in Iſraelitas crudelitatem puniret, tum etiam ut Iſraelitis debitam redderet laborum ſuorum mercedem, qua fraudati fuerant ab Ægyptiis.

*Ad* 4. *Reſp.* Matrimonium diſſolvi poteſt auctoritate Dei, ut auctoris naturæ, & ſupremi omnium jurium creaturarum domini. Repudium autem permittendo, hoc ipſo irritavit ſeu diſſolvit prioris matrimonii vinculum, quo diſſoluto vir & prior uxor poterant aliud matrimonium contrahere. Lex enim naturalis prohibet duntaxat ſecundum matrimonium, quamdiu prioris vinculum manet.

*Ad* 5. *Reſp.* Tradetur reſponſio, ubi de uſura agetur. (*)

*Ad* 6. *Reſp.* cum SS. Auguſt. & Hier. Deus non juſſit Oſeæ, ut fornicaretur, ſed ut mulierem, quæ prius fornicaria erat, duceret uxorem, & ad eam affectu maritali accederet. Illa autem mulier vocatur adhuc poſt matrimonium fornicaria, quia talis ante illud fuerat; & filii ejus filii fornicationum appellantur, quia nati erant ex matre, quæ fuit fornicaria.

*Ad* 7. *Reſp.* Præceptum de Sabbato non eſt de jure naturali quoad determinationem temporis: Præterea in facto Machabæorum non intervenit proprie diſpenſatio, ſed ſolum interpretatio legis. Nam illa lex non prohibebat opus ad humanam ſalutem neceſſarium, ut probat Chriſtus Matth. 12. nec proinde actum pugnandi contra hoſtes, præſertim infideles.

*Obj.* 2. Papa per auctoritatem a Deo acceptam diſpenſat. 1. In actuali reſidentia Epiſcoporum in ſuis Diœceſibus. 2. In votis & juramentis. 3. In matrimonio rato non conſummato, quæ tamen omnia ſunt de jure naturali.

*Ad* 1. *Reſp.* Papa non eximit Epiſcopos ab obligatione reſidentiæ actualis in iis circumſtantiis, in quibus ad eam lege naturali tenentur; ſed ſolum ſua auctoritate declarat Epiſcopum in his aut illis circumſtantiis poſſe legitime a ſuis ſedibus abeſſe.

*Ad* 2. *Reſp.* Papa non tollit obligationem voti & juramenti, manente ipſo voto & juramento, ſed tamquam Vicarius Dei, & ejus nomine, remittit promiſſionem Deo factam, & juramentum: qua remiſſione facta, hoc ipſo ceſſat obligatio præſtandi promiſſum. Nam lex naturalis non præcipit reddi promiſſum, relaxata promiſſione. Promiſſio autem Deo facta, relaxari poteſt a Deo, non ſolum immediate, ſed etiam mediate, nempe per ſuum Vicarium OEconomum.

*Ad* 3. *Reſp.* Papa diſpenſat in matrimonio rato non conſummato, nomine Dei, vinculum conjugale tollendo, & reſcindendo matrimonii contractum. Lex autem naturalis non obligat niſi ad ſervandum matrimonium non diſſolutum, nec vetat illud diſſolvi ex graviſſima cauſſa per ſupremam poteſtatem acceptam a Deo, qui ut naturæ auctor, & rerum ac jurium omnium dominus, poteſt pro libito vinculum matrimonii diſſolvere, & quemlibet contractum reſcindere ſive per ſe, ſive per alium. Deus tamen nemini conceſſit poteſtatem diſſolvendi matrimonii conſummati baptizatorum.

(*) *Non fœnerabetis Fratri tuo ad uſuram, ſed alieno.* „ *Deut.* 23. *D. Ambr. de Tobia c.* 15. „ *Qui erat tunc alienigena niſi Amalech, niſi Amorrhæus, niſi hoſtis? . . . ab hoc uſuram exige quem non ſit crimen occidere.* „



Igitur in his omnibus Summus Pontifex non diſpenſat proprie in lege naturali, legis naturalis obligationem directe tollendo, materia ejus ſecundum omnes ſuas conditiones remanente; ſed improprie tantum diſpenſat, tollendo aliquam conditionem ſeu circumſtantiam ſe tenentem ex parte materiæ, aut actum fundantem obligationem annullando: quod facere poteſt ut Dei Vicarius, OEconomus, & ſupremus Eccleſiæ Paſtor a Deo conſtitutus.

*Reſp.* 2. Deus poteſt diſpenſare improprie in iis Legis naturalis præceptis, quorum materia pendet a dominio Dei, quatenus poteſt materiæ legis apponere vel tollere conditiones ac circumſtantias quaſdam, quibus poſitis, aut ſublatis, actiones jam non ſunt Lege naturali prohibitæ vel præceptæ: Sic Deus, ut ſupremus rerum ac jurium omnium creaturarum dominus, poteſt alicui tribuere jus uſurpandi bona aliena, occidendi innocentem &c. Quo jure dato, acceptio boni alieni non eſt injuſta, immo non eſt acceptio alieni, ſed boni, quod fuit alienum, & per donationem Dei factum eſt proprium accipientis: occiſio innocentis eſt juſta, cum fiat auctoritate accepta a Deo, qui poteſt pro libito diſponere de vita hominum &c. In iis vero præceptis, quorum materia non pendet a dominio Dei, ne improprie quidem diſpenſare poteſt: nam ſunt quidam actus ita intrinſece mali, ut in nulla circumſtantia fieri poſſint liciti, cujuſmodi ſunt odium Dei, blaſphemia, idololatria, hæreſis, perjurium &c.

Quæſt. VI. *Quid eſt Lex poſitiva?*

*Reſp.* Lex poſitiva in genere eſt ea, quæ libere a legiſlatore lata eſt, & aliter promulgata quam per lumen naturale, videlicet aliquo ſigno externo, puta voce, vel ſcripto. Alia eſt mere poſitiva, quæ ſcilicet ſtatuit aliquid, quod non eſt ſic ſtatutum jure naturali, ſed quod jus naturale permittit ſic ſtatui, ut lex vetans comeſtionem certarum rerum. Alia eſt etiam naturalis ex parte materiæ, quæ ſcilicet ſtatuit aliquid, quod jam ſic lege naturali ſtatutum eſt, qualia ſunt omnia præcepta Decalogi, excepta determinatione Sabbati.

Lex vero divina poſitiva eſt ea, quæ a Deo libere lata eſt, & aliter promulgata quam per lumen naturale. Tales ſunt Lex vetus, & Lex evangelica, quæ ſunt etiam Lex naturalis ex parte materiæ, quoad præcepta ſcilicet moralia, & mere poſitiva quoad cætera præcepta.

## SECTIO III.

### *De Lege humana.*

NOta. Jus gentium eſt jus ab omnibus aut fere omnibus gentibus, uſu & conſuetudine vim Legis habente, introductum; Sive eſt jus non ſcriptum, quod libero omnium aut fere omnium nationum conſenſu & uſu receptum, vim obligandi habet. Sic ad jus gentium ſpectat diviſio & proprietas bonorum &c. Quare jus gentium eſt quædam Lex humana virtualiter & æquivalenter.

## CAPUT I.

### *De cauſſa efficiente, & materia Legis humanæ?*

QUæſt. I. *Quinam poſſunt ferre leges, & quibus?*

*Reſp.* 1. Leges Eccleſiaſticas ferre poſſunt 1 Papa pro tota Eccleſia, ex Joan. 21. *Paſce agnos meos, paſce oves meas.* 2. Concilium Gen. etiam pro tota Eccleſia, Nationale pro tota natione, & Provinciale pro ſua Provincia. 3. Legatus Apoſtolicus pro ſua provincia. 4. Epiſcopus pro ſua diœceſi, licet non conſecratus, modo ſit confirmatus; Archiepiſcopi autem, Primates, & Patriarchæ extra Concilium poſſunt pro ſua tantum diœceſi. 5. Qui habent juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, ut aliqui Abbates pro locis ſibi ſubjectis. 6. Ordines Religioſi in Capitulo generali; non tamen illorum Præpoſiti generales, niſi ex ſpeciali & expreſſa conceſſione Papæ, quæ ordinarie non datur; neque Ordo feminarum, qui æque eſt incapax juriſdictionis eccleſiaſticæ, ac earum ſingulæ: ideoque non poteſt ferre leges proprie dictas, ſed ſolum ſtatuta conventionalia, & obligantia vi voti obedientiæ.

*Reſp.* 2. Leges civiles ſancire poſſunt, Imperator pro toto Imperio, Rex & quivis Princeps, ac Reſpublica ſuperiorem non agnoſcens, pro ſuis ditionibus. Ratio generalis eſt, quia Epiſcopi, & Principes ſæculares præpoſiti ſunt Rectores communitatis perfectæ; ac proinde habent legiſlativam poteſtatem, utpote neceſſariam ad recte ac convenienter regendam communitatem perfectam; nec enim recte ac convenienter communitatem perfectam regere poſſunt, niſi habeant poteſtatem efficaciter ac ſtabiliter ſtatuendi ea, quæ ad bonum commune expediunt, & curandi ut obſerventur, coercendo, & puniendo improbos ac rebelles, omneſque in officio continendo.

*Nota.* Qui poſſunt condere leges, a fortiori poſſunt ferre præcepta, quæ etiam imponere poteſt quivis Superior privatus reſpectu ſuorum ſubditorum, circa materiam directioni ſuæ ſubjectam; nam nemo poteſt eſſe Superior ſine poteſtate præcipiendi.

*Reſp.* 3. Nemo poteſt ferre leges, niſi ſuis ſubditis, & de rebus ſuo regimini ſubjectis; cum nemo habeat poteſtatem in non ſubditos, & circa res ſuo regimini minime ſubjectas. *Poteſtas ſpiritualis & ſæcularis, utraque deducitur a poteſtate divina: & ideo in tantum ſæcularis poteſtas eſt ſub ſpirituali, in quantum eſt ei a Deo ſuppoſita, ſcilicet in his quæ ad ſalutem animæ pertinent. Et ideo in his magis eſt obediendum poteſtati ſpirituali, quam ſæculari. In his autem, quæ ad bonum civile pertinent, eſt magis obediendum poteſtati ſæculari, quam ſpirituali, ſecundum illud* Matth. 22. *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari*, ait S. Th. in 2. diſt. 44. qu. 2. art. 4. ad 4. Hinc 1. Principes mere Eccleſiaſtici non poſſunt ferre leges niſi de rebus ſpiritualibus, & ad regimen Eccleſiaſticum; Sæculares vero niſi de rebus temporalibus, & ad gubernationem politicam pertinentibus. Principes tamen ſæculares, *quos Deus ſanctæ fidei, Eccleſiæque protectores eſſe voluit*, Trid. ſeſſ. 25. c. 20. ut tales poſſunt, & debent fidem, Eccleſiamque tueri, & curare ut ejus leges obſerventur, ut monet S. Leo

ad

ad Leonem Imper. ep. 75. *Debes incunctanter advertere regiam poteſtatem tibi non ſolum ad mundi regimen, ſed maxime ad Eccleſiæ præſidium eſſe collatam, ut auſus nefarios comprimendo, & quæ bene ſunt ſtatuta defendas, & veram pacem his, quæ ſunt turbata, reſtituas.*

2. Imperator non poteſt ferre leges pro regionibus, quarum non eſt dominus jure feudi vel alio titulo; & ſic regiones illæ non tenentur legibus Juſtiniani, aut aliis Imperatoriis, niſi eas adoptaverint ſupremus Princeps, vel conſuetudo.

3. Nemo poteſt ferre leges contrarias legibus ſui Superioris: Quia poteſtas inferioris non prævalet, immo ſubeſt poteſtati Superioris. Sic Epiſcopus non poteſt ferre leges contra jus commune, vel legem Papæ.

Quæſt. II. *Quid poteſt ſtatuere Lex humana?*

*Reſp.* 1. Non poteſt quidquam ſtatuere contra legem divinam ſive naturalem, ſive mere poſitivam. Nam poteſtas humana eſt ſubordinata poteſtati ac voluntati Dei, & inferior non poteſt derogare juri ſuperioris: quo ſpectat illud Act. 5. *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.*

*Reſp.* 2. Homines poſſunt multa præcipere, vetare, aut irritare, quæ nec lege naturali, nec poſitiva divina, præcepta, vel vetita, aut irrita ſunt. Conſtat 1. ex praxi: nam multa legibus humanis ſtatuuntur, quæ lege divina naturali aut poſitiva ſtatuta non ſunt, quæque, ſuppoſita lege humana, obligant, ex lege divina, naturali, & poſitiva generaliter præcipiente, ut ſubditi juſtis ſuperiorum præceptis obtemperent. 2. Quia legiſlator humanus habet poteſtatem legibus ſtatuendi ea, quæ ad bonum commune expediunt; poteſtas enim legiſlativa hominibus conceſſa, tanta eſt, quantum poſtulat bonum commune, propter quod datur: nam (ut ait S. Th. 1. 2. q. 95. art. 3.) *Uniuſcujuſque rei, quæ eſt propter finem, neceſſe eſt quod forma determinetur ſecundum proportionem ad finem.* At multa ad bonum commune expediunt, quæ nulla lege divina ſtatuta ac determinata ſunt. 3. Alioqui non extaret poteſtas vere legiſlativa humana, ſed tantum poteſtas declarativa vel determinativa juris divini.

*Reſp.* 3. Legiſlator humanus non poteſt omnibus quoslibet virtutum actus etiam heroicos præſcribere, niſi bonum commune aliquem ejuſmodi actum exigeret. Quia Lex humana debet eſſe accommodata hominum conditioni, & vere moraliter poſſibilis toti communitati, aut ſaltem majori parti illius. At exercere quoslibet actus virtutum non eſt hujuſmodi, hoc enim paucorum eſt ac perfectorum. Ergo. *Major conſtat.* Nam Lex humana debet eſſe utilis bono communi ad quod ordinatur: at non erit talis, ſi non ſit accommodata hominum conditioni, & moraliter poſſibilis majori ſaltem parti communitatis: nam lex moraliter impoſſibilis a paucis obſervaretur, ac proinde eſſet in ruinam majori parti eam tranſgredienti; ſicque poſita hac lege, major pars ſubditorum pejor evaderet.

Hoc tamen non debet intelligi de legibus, quæ poſſunt ferri ex aliqua hypoteſi voluntaria: ſic enim Eccleſia præcipit caſtitatem perpetuam iis, qui ſacros Ordines ſuſcipere volunt. Sic etiam ex hypotheſi delicti gravis imponi poſſunt graves pœnæ. Item nec de Regulis Religioſorum ex amore perfectionis ſponte ſuſceptis.

*Reſp.* 4. Legiſlator humanus poteſt omnibus præcipere actus illos virtutum, qui ad bonum commune expediunt, & ordinariæ facultati communitatis accommodati ſunt; & poteſt prohibere illos actus vitiorum, qui bono communi noxii ſunt, & cum morali utilitate Reip. coerceri ac puniri poſſunt. Nam poteſtas ferendi leges hominibus data, tantam habet latitudinem, quantam poſtulat bonum commune, propter quod datur: finis enim eſt menſura eorum, quæ ſunt & requiruntur ad finem. Cum autem non ſit idem finis poteſtatis eccleſiaſticæ & civilis, unaquæque poteſt ſolum præcipere actus virtutum illarum, quæ ſuo fini accommodatæ ſunt. Proximus quippe eccleſiaſticæ poteſtatis finis eſt cultus divinus & felicitas æterna; Civilis vero poteſtatis proximus finis eſt publica tranquillitas & temporalis felicitas populorum: quamvis ejus finis ultimus ſit gloria Dei, & æterna hominum felicitas; nam omne regimen ad Dei gloriam, & æternam hominum ſalutem referri debet.

*Reſp.* 5. Superior habet poteſtatem obligandi ſubditos in omni caſu, in quo judicat ſe poſſe obligare: quamdiu non eſt evidens eum falli, ſic judicando. Nam bonum commune & recta gubernatio poſtulat, ut hanc poteſtatem habeat. Alioqui magna daretur ſubditis licentia Superiorum juſſa abnuendi; quod multum obeſſet rectæ eorum gubernationi, & bono communi.

Quæſt. III. *An lex humana poteſt præcipere actus internos?*

*Reſp.* 1. Lex humana poteſt præcipere actus internos neceſſarios, ut actus externi ſint in tali ſpecie morali, puta contractus, juramenti, Sacramenti, orationis &c. Ita communiter. Quia 1. Eccleſia habet poteſtatem præcipiendi actus externos, qui neceſſarii ſunt, aut valde expediunt ad rectam gubernationem, bonum commune Eccleſiæ, & cultum Dei convenientem. At actus externi, in tali ſpecie morali conſtituti, tales ſunt. Ergo Eccleſia poteſt ejuſmodi actus externos præcipere. Ergo poteſt etiam præcipere actus internos neceſſarios, ut illi actus externi ſint in tali ſpecie: nam qui poteſt præcipere aliquid, poteſt etiam præcipere id omne, ſine quo illud eſſe nequit: alioqui non haberet veram & efficacem poteſtatem illud præcipiendi. 2. Eccleſia poteſt præcipere Sacerdoti, ut vere ſacrificet, baptizet &c. Fidelibus, ut vere orent, contrahant, jurent, voveant &c. Nam hi actus ſunt neceſſarii, vel valde expediunt ad bonum commune Eccleſiæ, cultumque in ea debitum. Ergo Eccleſia poteſt præcipere intentionem ſacrificandi, laudandi Deum, orandi, ſe obligandi, jurandi &c. cum ſine hac intentione tales actus fieri nequeant.

3. Reipſa Eccleſia præcipit Confeſſionem ſacramentalem validam, ac proinde etiam dolorem internum ad illam requiſitum: nam Alex. VII. damnavit hanc propoſitionem: *Qui facit Confeſſionem voluntarie nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ.* Item Eccleſia præcipit promovendis ad beneficia & gradus theologicos, ut jurent ſe ſincero animo damnare quinque famoſas Propoſitiones in ſenſu doctrinæ Janſenii: cui præcepto non ſatisfit, niſi interius credant has propoſitiones hæreticas contineri quoad ſenſum in libro Janſenii, ut declaravit Clemens XI. in Bulla *Vineam Domini Sabaoth* recepta ab Eccleſia.

*Reſp.*



*Reſp.* 2. Eccleſia poteſt præcipere actus internos neceſſarios, ut actus externi ſint boni ac honeſti. Quia 1. Eccleſia habet poteſtatem præcipiendi actus externos honeſtos. Nam hæc poteſtas multum expedit, immo neceſſaria eſt ad rectam Eccleſiæ gubernationem, ad cultum Religionis in Eccleſia debitum, & ad bonum animarum. Ergo poteſt etiam præcipere actus internos ad honeſtatem neceſſarios, præſertim cum Eccleſiæ poteſtas ſit ſpiritualis, & immediate ordinata ad ſalutem animarum: nam ſine hac poteſtate inanis ac nulla eſſet prior poteſtas. 2. Reipſa Eccleſia præcipit actus externos ut honeſtos, ſic præcipit Communionem Paſchalem honeſtam ac religioſam: nam Innocent. XI. damnavit hanc propoſitionem: *Præcepto Communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem.* Item præcipit Beneficiatis, ut officium *ſtudioſe & devote* celebrent, c. *Dolentes, de celebrat.* & fidelibus auditionem ſacri religioſam, & cum attentione interna; unde oppoſitum damnavit Clerus Gallic. anno 1700. Eccleſia autem dici non poteſt ſibi attribuere poteſtatem aliquam, quam reipſa a Chriſto non acceperit; cum ſemper regatur a Spiritus Sancto, & ſit *columna & firmamentum veritatis*, 1. ad Tim. 3.

*Reſp.* 3. Eccleſia poteſt præcipere actus internos neceſſarios, ut actus externi ſint talis honeſtatis ſeu virtutis. Quia 1. Eccleſia poteſt præcipere actus internos neceſſarios, ut actus externi ſint honeſti ac boni: Ergo etiam ut ſint honeſti tali honeſtate ſpeciali. Quidni enim hoc æque poſſit ac illud, cum utrumque ad cultum Religionis conducat, & communi Eccleſiæ bono expedire poſſit? 2. Eccleſia poteſt præcipere non ſolum ut actus externus recte fiat, ſed etiam ut fiat propter talem finem bonum: ſic in gravi neceſſitate vel periculo communi, Epiſcopi jejunia & preces fidelibus interdum præcipiunt ad avertendam calamitatem publicam, obtinendam pacem &c. Nec ſatisfacit tali præcepto, qui jejunat vel orat ob alium finem, licet bonum, cum non faciat id totum, quod præcipitur. 3. Reipſa Eccleſia prohibet, ne actus externi fiant aut omittantur propter talem finem malum, ut patet ex *Clementina* 1. *de ſtatu Monac.* ubi excommunicatur Monachus Benedictinus, qui ſine licentia Prælati ſe confert ad Curiam animo accuſandi Prælatum; Et ex *Clementina* 1. *de Hæret.* ubi excommunicantur Inquiſitores, qui ex odio, vel amicitia, vel lucri cupiditate omittunt contra juſtitiam & conſcientiam procedere contra aliquem in cauſſa Fidei. Ergo Eccleſia vetare poteſt, ne actus aliqui fiant ex tali fine, ideoque ſint inhoneſti ſpeciali inhoneſtate. Ergo etiam poteſt præcipere ut actus externi fiant ex tali fine honeſto, ideoque ſint honeſti tali ſpecie honeſtatis: nam actus boni ſumunt ſpeciem a fine. Ergo Eccleſia poteſt præcipere actus internos neceſſarios, ut actus externi ſint honeſti in tali ſpecie honeſtatis ſeu virtutis.

Porro actus internus ad talem honeſtatem actus externi neceſſarius, quantum ad poſitionem vel omiſſionem ſui, poteſt ſufficienter innoteſcere per poſitionem vel omiſſionem actus externi, ad cujus honeſtatem requiritur: quia cum actu externo unum eumdemque actum totalem conſtituit, ac proinde poſito actu externo in talibus circumſtantiis internus rationabiliter præſumitur poni, niſi ſufficientia ad contrarium judicandum adſint indicia: omiſſo autem actu externo, internum omitti certo cognoſcitur; ideoque talis actus internus eſt ſufficienter proportionatus legi humanæ etiam coactivæ.

Quæſt. IV. *An Eccleſia poteſt præcipere vel prohibere actus internos?*

*Reſp.* Communis ſententia negat (1); ſed aſſerunt Gloſſa in c. *Cogitationis*, diſt. 1. *de pœnit.* Adrian. Major, Julius Clarus, Roſella, Albertin. Medina, Cardenas, La-Croix &c. Et probant 1. ex Matth. 18. *Quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo &c.* quæ verba generalia ſunt, & ſignificant ampliſſimam poteſtatem a Chriſto Eccleſiæ conceſſam, quæ proinde limitari non debet ad actus externos. 2. Quia poteſtas Eccleſiæ eſt ſpiritualis, & ordinatur immediate ad ſalutem animarum, quæ pendet maxime ab actibus internis, cum ſint materia proportionata fini poteſtatis eccleſiaſticæ: nam finis cujuslibet poteſtatis eſt menſura illius. 3. Eccleſia præcipit directe & immediate actus internos. Sic c. ult. *de hæret. in 6.* Papa præcipit Inquiſitoribus, ut puram & providam intentionem habeant. 4. Reipſa Concil. Trid. ſeſſ. 6. in proœmio prohibet ne aliter credatur, quam ſuo decreto ſtatuitur. Ergo diſſenſus mere internus, non ſolum præcepto divino, ſed etiam eccleſiaſtico prohibetur. 5. Urbanus VII. mandavit in omnibus & per omnia ſervari ab omnibus Rubricas Miſſalis Romani, inter quas una præſcribit, ut Sacerdos *aliquantulum quieſcat in meditatione Sanctiſſimi Sacramenti*: quæ certe meditatio eſt actus mere internus. 6. Innoc. XI. damnavit hanc propoſitionem Michaelis de Molinos: *Riſu digna eſt doctrina quædam nova in Eccleſia Dei, animam quoad interna gubernari debere per Epiſcopos .... Quia Eccleſia non judicat de occultis.*

Nec obſtat, inquiunt, illud c. *Sicut* 2. *de Simon. Eccleſia non judicat de occultis.* Et c. *Tua nos*, eod. tit. *Nobis datum eſt de manifeſtis tantummodo judicare.* Quia ad præcipiendum & obligandum in conſcientia, non neceſſe eſt ut Superior poſſit cognoſcere tranſgreſſionem factam, ſed ſufficit ut revera velit obligare, ſeu præcipere: nam hoc ipſo culpæ & pœnæ reatus contrahitur apud Deum, qui vindex eſt violationis legum humanarum. Neque, inquiunt, inutilis eſt hæc poteſtas circa actus mere internos. Nam ut poteſtas præcipiendi ſit utilis & efficax, ſufficit quod poſſit obligare in conſcientia, & ſub culpa a Deo punienda; hæc enim obligatio ſatis per ſe urget impletionem præcepti, ut patet in lege naturali.

Immo ſunt qui putant Eccleſiam punire poſſe pœna ipſo facto lata actus mere internos, v. g. hæreſim mere internam; ſicut punit occultam: quia ad hoc non requiritur cognitio tranſgreſſionis.

Ad

(1) *Benedictus XIV.* (*lib.* 9. de Syn. Diœc. *cap.* 4. *n.* 4.) Eccleſia non poteſt per ſe directe & immediate præcipere, aut prohibere actum mere internum: juxta communem Theologorum ſententiam, quam cum S. Thoma 1. 2. q. 91. art. 4. & q. 100. art. 9. docet Suarez lib. 4. de Legibus c. 12. per totum.

Ad auctoritatem & rationem S. Thomæ reſpondent: Homo quidem non poteſt de actibus mere internis ferre legem coactivam coactione externa, hoc eſt, obligantem ſub pœna per hominis ſententiam ferenda: quia talis lex requirit, ut homo per ſe poſſit cognoſcere, judicare, & punire; quod præſtare non poteſt, ſi materia legis eſſet actus mere internus, utpote prorſus occultus. Sed, inquiunt, poteſt homo ferre legem obligantem tantum ſub culpa a Deo punienda, vel etiam ſub pœna ipſo facto contrahenda circa ea quæ non poteſt cognoſcere, nec per ſe punire: quia lex illa per ſeipſam ſufficienter cogit, & punit tranſgreſſorem, & per ſe operatur omnem effectum quem habere poteſt, & qui intenditur a legiſlatore.

Quæſt. V. *An Lex ponit rem præceptam in ea virtute, ex cujus motivo etiam extrinſeco præcipitur?*

*Reſp.* Affirm. Ita Delugo, Cardenas, & alii communiſſime. Quia 1. omnis actus ſpecificatur a fine etiam extrinſeco, propter quem fit. Sic actus, quo quis furatur, ut ſe inebriet, eſt in ſpecie furti & ebrietatis; & furans ex hoc fine, magis eſt intemperans quam fur, ut docent Ariſtoteles, & S. Thomas. Ergo lex pariter ſpecificatur a fine etiam extrinſeco, ſicut omnis electio medii ſpecificatur a fine intento: nam lex æque finem extrinſecum intendit, & actionem aliquam præcipit, vel vetat tamquam medium ad illum finem. Permutatio beneficiorum ex propria auctoritate, non eſt de ſe mala contra Religionis virtutem, ſed ſolum quia prohibetur ab Eccleſia ex motivo religionis & reverentiæ erga res ſacras. Item ſumptio cibi vel potus leviſſimi ante Communionem eſt ſacrilega, ob prohibitionem Eccleſiæ factam ex motivo reverentiæ erga Euchariſtiam.

Ut autem præceptum obliget ſubditum ex illa virtute, ex cujus motivo materiæ extrinſeco imponitur, requiritur, 1. Ut ſuperior declaret, ſe ex illo motivo præcipere, ſi non ſit aliunde notum: alioqui actus non præſumitur præcipi niſi ex motivo ſuo intrinſeco, v. g. jejunium ex motivo temperantiæ. 2. Ut velit obligare ad illam virtutem, & rem præceptam facere materiam ejus neceſſariam: quamvis enim Eccleſia præcipiat jejunium in vigilia Nativitatis Chriſti v. g. non ſolum ex motivo intrinſeco temperantiæ, ſed etiam ex motivo extrinſeco Religionis, nempe ad honorem Chriſti; quia tamen obligationem Religionis nobis non imponit, qui iſto die non jejunat, peccat ſolum contra temperantiam.

Quæſt. VI. *An qui violat legem humanam de actu virtutis alicujus, v. g. Religionis, peccet ſolum contra obedientiam?*

*Reſp.* Peccat etiam contra virtutem illam, cujus actus præcipitur. Quia obligatur ad actum virtutis qui præcipitur, cum præceptum humanum obliget in conſcientia. Hinc qui ſacrum omittit die feſto, non abſtinet a carnibus feria ſexta, peccat contra Religionem, & temperantiam, & tenetur hæc peccata ſpecie diverſa exprimere in Confeſſione; nec ſatisfacit dicendo, ſe bis peccaſſe contra præceptum Eccleſiæ.

(*) *Fidelibus, qui in poteſtate eorum ſunt.*

## CAPUT II.

### *De obligatione Legis humanæ.*

QUæſt. I. *An Principes Eccleſiaſtici, & ſæculares, poſſint etiam fidelibus (*) ferre leges obligatorias in conſcientia, ita ut earum tranſgreſſio ſit offenſa Dei, etiam mortalis in re gravi?*

*Reſp.* Affirm. Fide conſtat. *Prob.* 1. Ex 1. Petr. 2. *Subjecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum: ſive Regi, ſive Ducibus . . . quia ſic eſt voluntas Dei.* Et Rom. 3. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: non eſt enim poteſtas niſi a Deo; quæ autem ſunt, a Deo ordinata ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt... Ideo neceſſitate ſubditi eſtote non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* Ergo qui reſiſtit poteſtati civili tranſgrediendo ejus legem, reſiſtit Deo, & acquirit ſibi damnationem etiam æternam a Deo, ut explicant Patres, & patet ex his verbis: *Ideo ſubditi eſtote propter conſcientiam.* Ergo Principes ſæculares poſſunt ferre leges, quarum tranſgreſſio ſit mortalis culpa.

Idem a fortiori poſſunt Principes Eccleſiaſtici, cum poteſtas Eccleſiaſtica ſit ſpiritualis, & altioris ordinis, & conſtat adhuc, 1. Pro Summo Pontifice: nam Chriſtus dixit Petro, & ſucceſſoribus ejus, Joan. 21. *Paſce agnos meos. Paſce oves meas.* Et Matth. 16. *Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis.* 2. Pro Epiſcopis, nam Chriſtus dixit reliquis Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus Epiſcopis, Matth. 18. *Quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo.* Et Luc. 10. *Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit me ſpernit.* Et Hebr. 13. *Obedite præpoſitis veſtris.* Item ex Trident. ſeſſ. 7. can. 8. & ſeſſ. 25. de delectu ciborum; & ex c. *Violatores*, 25. q. 1. & ſeqq. Hoc etiam conſtat ex traditione, & perpetuo ſenſu, ac uſu Eccleſiæ & fidelium. Sic Act. 15. Apoſtoli, ſtatuendo Legem etiam mere poſitivam, qualis eſt Lex abſtinendi a ſanguine & ſuffocato, dicunt: *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis.* Et de Paulo dicitur: *Perambulabat . . . confirmans Eccleſias, præcipiens cuſtodiri præcepta Apoſtolorum & ſeniorum.*

*Prob.* 2. Quia Lex naturalis præſcribit, & recta ratio dictat ſubditos teneri Superiorum præceptis parere: nam eſſe ſuperiorem, eſt poteſtatem ac auctoritatem habere in alios, qui tamquam ſubditi debeant illi parere.

*Prob.* 3. Qui violat jus alterius in re gravi, hoc ipſo Deum graviter offendit: nam Deus vult ac jubet ut ſuum cuique tribuatur; & graviter vetat ne graviter violetur jus alterius, cum violare jus alterius, ſit intrinſece malum, ideoque prohibitum lege divina naturali. At violans præceptum legiſlatoris in re gravi, violat graviter jus illius, nempe jus quod habet exigendi per legem ſuam aliquid grave, & quo reipſa illud graviter exigit. Ergo. Adde quod poteſtas obligandi in conſcientia ſub mortali, ſit neceſſaria ad rectam gubernationem & efficaciam legum; alioqui innumeræ eſſent tranſgreſſiones occultæ, nec finis Legis ſatis obtineri poſſet.

*Nota.* Obligare in conſcientia eſt imponere neceſſitatem agendi vel omittendi aliquid ad vitandam culpam, & offenſam Dei. Obligatio vero in conſcientia eſt talis neceſſitas.

*Obj.* 1. Multos Scripturæ textus.

1. Illud Matth. 15. *Sine cauſſa colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum.* *Reſp.* Ibi Chriſtus damnat, non præcepta hominum juſta, & legitima, ſed injuſta, & contraria legi divinæ, vel etiam inutilia, quæ Phariſæi anteponebant legibus divinis.

Porro cum dicitur Deuter. 4. *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor.* Supple aliquid tamquam præceptum divinum, immediate a Deo latum. Cum autem Deus Deut. 12. dicit: *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino*, loquitur de præceptis cæremonialibus, & prohibet Judæis, ne ad illa addant aliquid, præſertim ex ritibus Gentilium.

2. Illud 2. Cor. 3. *Ubi autem ſpiritus Domini, ibi libertas.* *Reſp.* Per libertatem intelligitur immunitas a ſervitute peccati, in timore ſerviliter ſervili &c. Cum autem dicitur Rom. 6. *Non enim ſub lege eſtis, ſed ſub gratia.* Et Gal. 5. *Si ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege*; hæc verba, *Non eſtis ſub lege*, ſignificant, non ſervitis, nec obeditis concupiſcentiæ, ſed illi imperatis. In aliquibus aliis locis per legem intelligitur lex Moſaica, quæ per Evangelicam abrogata eſt, & a qua omnes ſunt liberi.

3. Illud 1. Tim. 1. *Lex juſto non eſt poſita ſed injuſtis &c.* *Reſp.* Senſus eſt: Lex non eſt poſita juſto ad illum pœnis coercendum & terrendum; quia juſtus libenter & ex amore juſtitiæ legem obſervat. Quare lex juſto impoſita eſt ad illum dirigendum: lex quippe plura officia & effectus habet.

4. Illud Jac. 4. *Unus eſt Legiſlator, & Judex*, nempe Deus. *Reſp.* Senſus eſt, unum eſſe Legiſlatorem ſupremum & principalem, a quo ceteri ſuam poteſtatem accipiunt: ſicut Matth. 23. dicitur: *Unus eſt Pater veſter, qui in cælis eſt. Nec vocemini Magiſtri: quia Magiſter veſter unus eſt Chriſtus.* Et vero cum multa ad bonum commune neceſſaria, & utilia ſint, quæ jure naturali, & poſitivo divino ſtatuta non ſunt, neceſſe fuit dari a Deo hominibus poteſtatem illa ſtatuendi, & alia non ſatis jure divino determinata magis determinandi.

*Obj.* 2. Præcepta evangelica ſufficiunt. Ergo inutilia ſunt præcepta humana. *Reſp.* Nego conſeq. Nam inter præcepta evangelica eſt præceptum parendi legibus Principum Eccleſiaſticorum, & ſæcularium, atque præceptis legitimis ſuperiorum, quorum auctoritatem commendat, & quibus obedientiam præcipit Chriſtus per ſe & per Apoſtolos. Unde ad ſervandam legem Evangelicam obtemperandum eſt legibus ac præceptis humanis.

*Obj.* 3. Inferior non poteſt obligare in foro ſuperioris. Ergo homo non poteſt ligari in foro conſcientiæ; quod eſt forum Dei. *Reſp.* Inferior obligare poteſt in foro ſuperioris, quando poteſtas inferioris eſt ab ipſo ſuperiore. Omnis autem poteſtas eſt a Deo.

*Obj.* 4. Principes, præſertim ſæculares, non intendunt obligare ſub peccato. *Reſp.* Hoc ſaltem virtualiter, & implicite intendunt. Nam hoc ipſo, quod intendunt uti poteſtate legiſlativa, quæ a Deo derivatur, ſufficienter intendunt obligare ſub peccato, propter eſſentialem connexionem uſus poteſtatis a Deo derivatæ, & obligationis ſub culpa.

*Inſtabis.* Legiſlator humanus non exprimit obligationem in conſcientia, & ſæpe de ea non cogitat, ferendo legem. Ergo non obligat in conſcientia. *Reſp.* Nego conſeq. Quia ad obligandum in conſcientia non requiritur expreſſa intentio, & mentio obligationis in conſcientia, ſed ſufficit implicita, & virtualis, contenta ſcilicet in præcepto. Nam hoc ipſo quod ſuperior præcipit aliquid, ad illud ſub culpa, mortali vel veniali pro gravitate, vel levitate rei præceptæ, obligat vi legis divinæ generaliter præcipientis obſervationem omnis legitimi præcepti ſuperiorum: obligatio enim ſub culpa eſſentialiter annexa eſt præcepto cuilibet legitimo, quia Deus vult, & jubet, ut legitimis ſuperiorum præceptis obtemperemus. Quare violando præceptum hominis, violatur etiam illud præceptum divinum generale, quod ſane obligat pro capacitate materiæ.

*Quæſt.* II. *Quandonam Lex humana obligat ſub mortali culpa?*

*Reſp.* 1. Ex communi ſententia, ad hoc requiritur materia gravis. Quia 1. poteſtas humana eſt limitata, & commenſurata exigentiæ ac capacitati materiæ. 2. Obligare graviter in re ex omni parte levi, eſt contra rectam rationem, bonum commune, & convenientem gubernationem, & in perniciem animarum, immo eſt injuſtum; nulla autem eſt poteſtas a Deo data hominibus, niſi ad ædificationem, non in deſtructionem. 3. Lex divina naturalis & poſitiva nunquam obligat ſub mortali in materia levi ſub omni reſpectu.

Item ſecundum multos, requiritur intentio ſuperioris graviter obligandi, ſeu exigendi graviter, hoc eſt, ex tota ſua poteſtate, id quod ſtatuit: quia ſuperior poteſt in materia gravi obligare tantum ſub veniali. Non tamen requiritur ut ſuperior expreſſe intendat obligare ſub mortali, ſed ſatis eſt quod intendat uti ſua tota poteſtate, & graviter exigat aliquid grave, licet ignoret quid ſit obligatio ſub peccato: cum enim poteſtas ſuperioris ſit a Deo, & Deus jubeat ut ſubditi ei pareant, poſita gravitate præcepti humani, hoc ipſo oritur obligatio gravis, adeoque ſub mortali.

*Reſp.* 2. Lex obligat ſub mortali, quoties materia eſt gravis, & Legiſlator abſolute præcipit vel vetat, nec expreſſe ſignificat ſe velle ſolum obligare ſub veniali. Ita omnes ex Clem. 1. *de verb. ſignif.* quia tunc ſuperior poteſtate præcipiendi utitur ſine limitatione, & ſecundum materiæ capacitatem, cui cenſetur ſe accommodare, niſi oppoſitum declaret; & ſic imponit præceptum grave, ideoque graviter obligans.

Ceterum ad gravitatem materiæ legis duo requiruntur & ſufficiunt. 1. Ut finis proximus legis, ſeu id quod proxime intenditur per legem, ſit magni momenti. 2. Ut id quod ſtatuitur non parum ad illum finem conferat, quamvis ſit aliquid in ſe leve. Sic comeſtio pomi in paradiſo, licet de ſe levis, tamen erat gravis ratione finis a Deo intenti, nempe ut homo ſuam ſubjectionem & dependentiam a Deo profiteretur. Sic etiam ingreſſus viri in clauſtrum Monialium eſt materia gravis, quia ejus omiſſio multum confert ad gravia mala avertenda. Quare legis materia gravis eſt, quando res præcepta vel prohibita multum conducit ad finem proximum legis, qui ſit gravis momenti.

*Reſp.* 3. Gravitas materiæ & intentio ſuperioris ſufficiens ad obligandum ſub mortali, cognoſci poſſunt, 1. Ex gravitate verborum quibus utitur ſuperior, ut v. g. cum præcipit, & vetat aliquid ſub interminatione divini judicii, vel in virtute obedientiæ, vel ex tota ſua poteſtate &c. Nam graviſſima verba non adhibentur a prudenti ſuperiore, niſi circa materiam gravem, & ad ſignificandam gravem obligationem. Item dum ſignificat ſe velle obligare ſub gravi culpa. 2. Ex gravitate pœnæ tranſgreſſoribus impoſitæ, qualis eſt excommunicatio, pœna mortis, exſilii, carceris perpetui &c. Nam gravis pœna non imponitur juſte, niſi pro gravi culpa, quæ ſupponit gravem obligationem præcepti violati. 3. Ex communi prudentum judicio, vel ex conſuetudine, quæ eſt *optima legum interpres*, *cap. de Conſuet.*

Quæſt. III. *An legiſlator poteſt in materia gravi obligare ſolum ſub veniali?*

*Reſp.* Multi aſſerunt, & videtur communis ſententia. Quia 1. Poteſtas obligandi, quam habet Legiſlator, eſt quoad uſum in ejus libera voluntate, & ſic poteſt eam applicare prout voluerit. Ergo poteſt illam applicare ad obligandum ſolum ſub veniali; præſertim cum materia majoris obligationis ſit etiam capax minoris, & hoc ad convenientem gubernationem interdum expediat; ne ſcilicet nimium oneretur conſcientia ſubditorum, qui ſufficienter ad talis legis obſervationem inducuntur per obligationem ſub veniali. 2. Multæ leges, ac conſtitutiones Religioſorum, ut Carmelitarum Diſcalceatorum, a SS. Pontificibus approbatæ, obligant ſolum ſub veniali in rebus gravibus, ut jejuniis, abſtinentiis &c. 3. Lex divina ſolum præcipit, ut pareatur ſuperiori quantum, & quatenus præcipit, & ab illa oritur obligatio commenſurata voluntati ſuperioris. Ergo ſi ſuperior leviter exigat, & præcipiat aliquid, etſi de ſe grave, inde oritur ſolum obligatio levis, & tunc præceptum cenſetur formaliter leve. 4. Actus libere agentium non operantur ultra intentionem eorum.

*Obj.* 1. Legiſlator humanus non poteſt in re levi obligare ſub mortali culpa. Ergo non poteſt in re gravi obligare ſub veniali.

*Reſp.* Neg. conſeq. Quia Deus non dedit hominibus poteſtatem obligandi alius niſi ſecundum materiæ capacitatem; alioqui regimen humanum eſſet nimis durum. At legiſlator cum habeat poteſtatem præcipiendi & vetandi libere exercendam, poteſt illam poteſtatem applicare ad præcipiendum vel prohibendum rem gravem ſub levi culpa, ſicut poteſt illam poteſtatem nullo modo exercere nec applicare. Et interdum habere poteſt juſtam cauſſam ſic applicandi ſuam poteſtatem, puta, ne nimium gravetur conſcientia ſubditorum, & ne detur occaſio graviter peccandi, quando aliunde levis obligatio ſufficienter inducit ſubditos ad ſervandam legem, ut conſtat ex legibus quorumdam Religioſorum a Sede Apoſtolica approbatis.

*Obj.* 2. Licet pendeat a legiſlatore, ut legem ferat vel non ferat, tamen poſito præcepto vis obligandi derivatur a lege naturali. Ergo vim illam obligandi minuere nequit legiſlator. *Reſp.* Poſito præcepto, derivatur quidem a lege naturali vis obligandi, ſed proportionata præcepto, quod in hoc caſu leve eſt, cum legiſlator tunc leviter præcipiat.

Quæſt. IV. *An leges fundatæ in præſumptione, obligant in conſcientia.*

*Nota.* Duplex eſt præſumptio, altera periculi, ſeu potentiæ, quæ frequenter ad actum reducitur; & altera facti, qua factum aliquod in particulari præſumitur.

*Reſp.* 1. Lex fundata ſolum in præſumptione periculi, ſemper obligat in conſcientia. Quia 1. Leges illæ ſemper nituntur veritati, ac judicio certo periculi, vel ſæpe vel aliquando contingentis: quod ſemper verum eſt: 2. Legiſlator intendit per illas obligare, etiamſi eventus periculi non interveniat aliquo caſu particulari. Nam bonum commune poſtulat, ut omnes & ſemper obligentur: alioqui non impediretur efficaciter malum, quod ſæpe evenire poſſet, etiam cum ejus periculum non perſpicitur, & multi, immo plerique ſibi falſo perſuaderent non extare periculum reſpectu ſui, & ſic lex paucos obligare cenſeretur. Hinc lex vetans & irritans matrimonia clandeſtina, fundata in periculo fraudis, ſcelerum, & incommodorum, quæ ex illis facile oriri poſſunt, obligat etiam in caſu, in quo iſta certo non evenirent.

*Reſp.* 2. Præceptum fundatum in præſumptione facti, quod in re ipſa ſupponitur, non obligat in conſcientia, non ſubſiſtente veritate facti. Quia tunc non ſubſiſtit fundamentum præcepti, nec proinde obligatio ejus; nec tunc ſuperior intendit obligare, cum nulla ſit ratio obligandi. Sic mulier non tenetur obedire Epiſcopo præcipienti, ut reddat debitum ei, cui ipſe præſumit eam eſſe valide conjunctam, cum tamen non ſit propter occultum impedimentum; immo peccaret, ſi obediret.

Quæſt. V. *An lex humana poteſt obligare cum gravi nocumento ſeu damno?*

*Nota.* Certum eſt, legem naturalem obligare ad ſui obſervationem, etiam cum damno vitæ in iis circumſtantiis, in quibus viget, ſeu jubet, vel vetat aliquid. Quia non præcipit nec vetat niſi id, cujus commiſſio vel omiſſio dedecet naturam rationalem, eſtque intrinſece malum. Non licet autem, ad vitandam mortem, & quodvis ſupplicium, facere aliquid intrinſece malum, etſi leve, nam quod eſt ex natura rei malum, ac illicitum, tale eſt in quovis periculo, & damno. Item id quod a Deo præcipitur ut medium abſolute neceſſarium ad ſalutem animæ, obligat cum quovis damno temporali, etiam vitæ; cum ſalus æterna ſit rebus omnibus temporalibus anteponenda.

*Reſp.* 1. Ex communi ſententia, leges humanæ non obligant plerumque, ſeu ordinarie, cum gravi nocumento ſeu damno, quod per accidens conjunctum eſt actui præcepto. *Prob.* 1. Ex c. 2. *de obſerv. jejun.* ubi ſtatuitur, infirmos eſſe immunes a jejunio, *cum non ſubjaceat legi neceſſitas*. Et ex c. 4. *de regul. juris*. *Quod non eſt licitum in lege, neceſſitas facit licitum. Nam & ſabbatum cuſtodiri præceptum eſt: Machabæi tamen ſine culpa ſua in ſabbato pugnabant. Sic & hodie ſi quis jejunium fregerit ægrotus, reus voti non habetur*. 2. Ex praxi Eccleſiæ, & conſenſu omnium, præcepta audiendi Sacrum, jejunandi, recitandi horas &c. non obligant cum gravi incommodo ſeu damno. 3. Leges divinæ mere poſitivæ, quæ ſtrictius obligant quam humanæ, non ſolent obligare cum gravi nocumento. Nam Chriſtus Matt. 12. approbat factum Davidis, qui in neceſſitate gravi comederat panes propoſitionis, quorum eſus lege divina erat laicis prohibitus. Item lex de integritate confeſſionis ex communi non obligat cum graviſſimo damno confeſſioni extrinſeco. 4. Ex c. *Erit*, diſt. 4. lex debet eſſe poſſibilis ſecundum hominum naturam, & conſuetudinem. Sed ex S. Antonino 1. part. tit. 3. cap. 10. §. 10. *Impoſſibile eſt, quod vix poſſibile eſt, ut puta nimiam habens difficultatem*. 5. Ordinarie ad bonum commune, & ad finem legum illarum aſſequendum ſufficit, ſi illæ obligent ac ſerventur communiter, & extra caſus extraordinarios gravis periculi ac damni. Unde Legiſlator prudens cenſetur obligare cum hac moderatione, & benignitate; alioqui ſine cauſſa ſufficiente exponeret ſubditos morali periculo peccandi.

Dixi, *ordinarie*, ob ſequentes reſponſiones.

*Reſp.* 2. Ex communi ſententia, lex humana, cui periculum gravis damni eſt accidentarium, obſervari debet aliquando per accidens cum quovis damno temporali, etiam vitæ, quando ſcilicet omitti non poteſt ſine contemptu legitimæ poteſtatis, vel religionis, aut ſcandalo gravi. Quia lex humana, vel ſaltem divina naturalis, tunc obligat ad tuendum & non contemnendum, etiam exterius tantum, religionem & poteſtatem publicam, quæ præponderant bono vitæ privati: quippe ad bonum commune plus refert religionem & poteſtatem legitimam non contemni, ac ſcandalum omitti, quam privati vitam ſervari. Dixi *ſaltem naturalis*: nam contemptus etiam externus legis, & poteſtatis legitimæ, vel religionis, & ſcandalum, ſunt intrinſece mala, ideoque lege naturali prohibita. Quare Machabæi elegerunt potius mori, quam manducare carnem ſuillam in contemptum legis veteris. 2. Machab. 7.

Hinc quamvis juxta multos, liceat Catholico, tranſeunti per loca hæreticorum, comedere carnes die alias vetito, ne ſi abſtineat, prodat ſe Catholicum, & ideo de vita periclitetur, eo quod præceptum Eccleſiæ non obligat cum tanto damno; tamen ſi quis ab hæretico cogeretur ad comedendas carnes die vetito, ut oſtenderet hoc facto ſe deſpicere eccleſiaſticam legem ſeu poteſtatem, teneretur ſubire mortem potius, quam comedere. Nec excuſaretur, etſi declararet ſe non comedere carnes in contemptum Eccleſiæ, ſed propter neceſſitatem ad vitandam mortem; nam tunc adhuc eſſet contemptus externus legis, qui ſemper eſt intrinſece malus. *Delugo*.

*Reſp.* 3. Ex communi ſententia, lex humana poteſt per ſe obligare cum periculo & damno etiam vitæ. Quia in quavis communitate perfecta, eſt tota poteſtas ad ſuam conſervationem & ad bonum commune neceſſaria. Nam Deus, ut auctor naturæ, cujuslibet communitatis civilis gubernationi ac communi bono, & Chriſtus Eccleſiæ bono, ac recto regimini ſufficientiſſime providit. Ergo in quavis communitate perfecta eſt poteſtas præcipiendi actus ad ſuam conſervationem, & bonum commune neceſſarios, quamvis annexum habeant vitæ periculum; cum aliunde æquum ſit pro totius ſalute partem periculo objicere. Sic Epiſcopus poteſt obligare Vicarium, mortuo Parocho, ad non deſerendum parochianos tempore peſtis; Dux milites ad ſervandam ſtationem, vel irruendum in hoſtes cum certo mortis periculo &c.

Lex autem humana tunc maxime per ſe obligat cum periculo vitæ, quando tale periculum per ſe actui præcepto conjunctum eſt. Sed tunc ad juſtitiam legis requiritur, ut res præcepta ſit gravis, & neceſſaria ad conſervationem vel bonum ſtatum reipub. Nam reſpublica non habet dominium, ſed ſolum convenientem uſum vitæ civium.

Quæſt. VI. *An & qualis promulgatio requiritur, ut lex obliget?*

*Nota.* Promulgatio Legis eſt Legis publicatio, ſeu publica denunciatio facta nomine Principis, per quam Lex ſubditis innoteſcere poteſt. Fit autem vel voce præconis, vel affixione Legis ſcriptæ in loco publico, vel alio ſimili modo. Unde differt a divulgatione, quæ eſt promulgationis extenſio, qua ſcilicet Legis jam promulgatæ notitia extenditur ad omnes, aut ſaltem ad majorem partem ſubditorum.

*Reſp.* 1. Ex communi ſententia, ut Lex obliget, requiritur ſufficiens promulgatio. Quia 1. Lex non poteſt obligare communitatem, niſi ipſi ſic proponatur ut ab ea cognoſci poſſit; nam nemo poteſt obligari ad aliquid incognitum, cum rei incognitæ obſervationem velle nemo poſſit. At Lex non poteſt ſic proponi communitati, niſi ſufficienter promulgetur; & notitia illius fiat aliquo modo publica, ut patet. 2. Lex eſt regula publica actuum: nam eſt regula actuum communitati propter bonum commune præſcripta a ſuperiore ejus curam gerente. At regula publica debet publice proponi, & applicari, ad hoc ut ſubditi teneantur ei ſe conformare ſicut regula privata debet ſaltem privatim applicari, ad hoc ut privatus ei ſe conformare teneatur. Enimvero quævis regula, niſi ſufficienter regulabili applicetur, & quidem modo ſibi proportionato, nullum habet effectum. Quare promulgatio vel eſt complementum eſſentiale Legis, vel ſaltem conditio eſſentialiter requiſita, ut Lex actu obliget.

Hinc ſi Titius certo ſciat legem aliquam eſſe latam, & juſſu principis triduo promulgandam, non obligatur ad illam, donec reipſa promulgata ſit. Nam Lex cum ſit præceptum commune latum pro tota communitate, non poteſt ullum membrum particulare obligare, quin obliget communitatem: hanc autem non obligat, niſi publice propoſita ſit, ideoque promulgata.

*Reſp.* 2. Ad promulgationem ſufficientem nulla certa ſollemnitas, ſeu nullus modus determinatus promulgationis ex natura rei requiritur. Quia ex natura rei ſufficit, quod Lex ſic proponatur, ut poſſit facile pervenire ad notitiam ſubditorum. Hinc ex natura rei ſufficit quod Lex publice denuncietur in curia, ſeu in civitate in qua reſidet princeps: nam Lex ibi denunciata poteſt facile in ſubditorum notitiam pervenire ob frequentem ad ſedem principis recurſum ex civitatibus omnibus ei ſubjectis.

Ad promulgationem vero jure poſitivo requiſitam, talis debet eſſe publicatio, qualis vel ex Lege poſitiva, vel ex conſuetudine, vel ex Legiſlatoris voluntate præſcribitur. Cum ergo circa hoc diverſæ in diverſis locis ſollemnitates & conditiones, vel conſuetudine vel Lege determinatæ ſint, ſi earum aliqua omittatur, non cenſetur Lex legitime promulgata.

*Reſp.* 3. Ut Leges imperiales obligent provincias debent in illis ſingulis promulgari: immo non obligant in provincia, niſi poſt duos menſes a promulgatione ibi facta ex Authent. *Conſtitutiones*, ſecundum Doctorum interpretationem, & conſuetudinem. Idem eſt de Legibus latis a Regibus & Principibus

Imperatori ſubjectis, ac de Imperalibus: quia illi principes non acceperunt ab Imperatore poteſtatem ferendi Leges, niſi ſecundum jus commune Imperii, & juxta modum, quem ſervant ipſi Imperatores in Legibus ſuis ferendis.

*Reſp.* 4. Leges Regum & Principum Imperatori non ſubjectorum, ut obligent, non requirunt promulgationem in ſingulis provinciis, nec duos menſes poſt illam; ſed ſufficit ut fiat promulgatio in uno loco, ex quo ad alia loca divulgetur; niſi aliud exigat Lex, vel conſuetudo; quia talis promulgatio ex natura rei ſufficit ad obligandum ſubditos; & aliunde illi Principes non tenentur Legibus Imperatoris. Fere tamen ubique viget conſuetudo aut Lex regni, ut Reges qui habent plures provincias, curent ſuas Leges in ſingulis provinciis promulgari, neque aliter eas obligent. Sic in Gallia Regiæ Leges dicuntur non obligare, niſi referantur in acta Curiarum ſupremarum.

*Reſp.* 5. Lex humana quæ in uno loco promulgatur, non ſtatim incipit ubique obligare, ſed ſolum in unoquoque loco obligat actu, elapſo eo tempore, quo Legis promulgatæ notitia ad illum ordinario modo pervenire potuit. *Prob.* 1. Ex Bulla *Sicut* ad calcem Conc. Trid. ubi Pius IV. ait: *Jure etiam communi ſancitum eſt, ut conſtitutiones novæ vim nonniſi poſt certum tempus obtineant.* 2. Quia Lex in uno loco promulgata, non eſt ſufficienter denunciata in omnibus aliis locis, niſi poſt elapſum tempus ſufficiens ut notitia Legis promulgatæ pervenire poſſit ad omnia illa loca, ut patet.

*Nota*. Licet ignorantes invincibiliter Legem promulgatam & divulgatam, ab ejus tranſgreſſione excuſentur, tamen ſi lex illa ſtatuat aliquid de eſſe (*) morali rerum vel perſonarum, irritando, inhabilitatem inducendo, habet omnem effectum ſuum circa illos præter imputabilitatem ad culpam; ut patet in Legibus de impedimentis Matrimonii, de irregularitatibus ſpuriorum &c. Quia tales effectus non ſupponunt culpam, & finis illarum Legum poſtulat ut habeant talem effectum circa omnes.

Quæſt. VII. *An ut Leges Papæ obligent in Provinciis, debent eſſe in illis promulgatæ?* (1)

*Reſp.* Non pauci cenſent Leges Papæ debere in ſingulis provinciis promulgari, ut in illis obligent, niſi in illis uſu receptæ ſint, vel Papa expreſſe declaret velle ſe obligare omnes ubique fideles poſt promulgationem Romæ factam. Quia Eccleſia jus civile ſervat, ubi ipſa nihil aliter inſtituit, ex c. 1. *de novi oper. nunt.* ubi Lucius III. ait: *Sicut Leges non dedignantur ſacros Canones imitari, ita & ſacrorum ſtatuta Canonum Principum Conſtitutionibus adjuvantur.* At juxta jus civile, Lex non obligat provincias ſingulas, niſi in illis ſit promulgata; nec Eccleſia aliter de ſuis Legibus ſtatuit. Enimvero, inquiunt, ſuavitas & benignitas regiminis Eccleſiaſtici hunc modum obligandi, quem ſervant Leges civiles poſtulant, niſi aliqua urgens cauſſa compellat Papam ad obligandum omnes poſt Romanam promulgationem.

Plures vero docent Leges Pontificias Romæ tantum promulgatas obligare in provinciis omnes, ad quorum notitiam venerint, ſecluſo privilegio, vel legitima conſuetudine in contrarium. Probant 1. Quia ex natura rei ſufficit unica promulgatio Romæ facta, cum per eam Lex poſſit innoteſcere in omnibus provinciis, & aliunde Eccleſia nil plus ſtatuit. 2. Ex praxi & conſuetudine Curiæ Romanæ, in qua provinciarum cauſſæ & lites definiuntur juxta Leges Pontificias Romæ tantum promulgatas. 3. Pleræque Decretales corpori Juris inſertæ, non ſunt promulgatæ in provinciis, & tamen in iis obligant. 4. Pius IV. in Bulla *Sicut*, cit. declarat decreta Conc. Trid. ad reformationem & diſciplinam ſpectantia, ubique incepiſſe obligare Kalendis Maji ann. 1636. poſt promulgationem Romæ factam. Et Sixtus V. in Conſtit. de habitu & tonſura Clericorum, non requirit aliam promulgationem, quam quæ Romæ facta eſt: & tamen vult omnes ultra montes conſtitutos obligari infra octo menſes a die publicationis Romæ faciendæ.

Nec obſtat Lex civilis. Nam Papa non ſubjicitur Legi-

(*) *Eſſe, ſive eſſentia.*

(1) *Sententia defendens ſufficientem promulgationem Legum Pontificiarum in Romana Curia, judice Bened. XIV.* (lib. 13. de Syn. c. 4. n. 2.) *magis communis eſt apud DD. Ei nempe longe plures, ſi Theologos & Canoniſtas ſimul computes, ſuffragantur partim Italiæ ferme univerſæ, partim exterarum Regionum: quales ſunt ex. gr. ex Hiſpanis Baſ. Pontius, Suarezius, & Navarrus: ex Belgis Sylvius, & Vanroy; ex Germanis Smalzgrueber, Pirbingius &c. Si cuipiam videatur captu difficile, aut prorſus abſonum, quod Pontificiæ Leges, ſemel ac Romæ ſollemniter publicatæ ſint, perinde afficiant & arctent omnes hinc diſtantes, quos concernunt, ac ſi unicuique eorum perſonaliter notificatæ fuiſſent: is duplicem attendat diſtinctionem, ſcilicet* promulgationis, *&* divulgationis, *atque obligationis in actu* primo, *&* ſecundo, *ut in Scholis dicitur.* 1. Promulgatio *eſt publica propoſitio ſeu denuntiatio legis facta per præconem, aut alium quemlibet modum ſollemnem.* Divulgatio *vero eſt hujus promulgationis applicatio ad aures, vel ad notitiam illorum ſubditorum, qui eamdem promulgationem non perceperunt.* 2. *Lex ſufficienter promulgata obligat in actu* primo *ſubditos univerſos, quamvis invincibiliter ipſam ignorantes; quatenus univerſos complectitur in ſuis verbis, & vim habet eos obligandi. Aſt non perinde univerſos obligat in actu* ſecundo, *ita ut culpabiles & pœna digni exiſtant, ſi quid contra ipſam agant: hoc enim poſteriori modo obligat illos dumtaxat ſubditos, quibus vel jam innotuit lex ſive prima promulgatione, ſive conſequenti divulgatione, vel qui, ſi legis notitia carent, vincibiliter illam ignorant. Hæc igitur duo optime inter ſe componuntur; Lex Pontificia obligat orbis fideles ſtatim poſt promulgationem Romanam, &, ante illius divulgationem factam in Provinciis fideles eamdem non ſervantes nullo tenentur culpæ, ac pœna reatu. Nec dicas, ſi ita eſt, fruſtraneam evadere illam legis obligationem in actu primo: nam ea admiſſa conſequitur, fideles non poſſe abſque piaculo ſe eximere ab obſervatione legis confeſtim ac divulgata apud ipſos eſt: quod ſane poſſent, etiam poſt acquiſitam Romanæ promulgationis notitiam, ſi nova præterea promulgatio in ſingulis Provinciis foret neceſſario facienda.*



Legibus Imperatoris in uſu ſuæ juriſdictionis, quam a Chriſto immediate accepit; & diſpoſitio illa Juris Cæſarei repugnat conſuetudini Eccleſiæ. Equidem Leges civiles adhibentur ab Eccleſia in cauſſis decidendis, quando ſunt conformes æquitati, ac rectæ rationi, & deſunt Leges canonicæ; quia requiritur aliqua regula decidendi cauſſas, & tunc nulla aptior videtur Lege civili.

Alii docent ſpectandum eſſe uſum ſingularum regionum, quia modus promulgationis ſufficientis ad obligationem Legis, uſu & conſuetudine determinari debet, cum nil de ea lege ſtatutum eſt.

Quæſt. VIII. *An, ut Leges humanæ obligent, requiritur acceptatio, ſeu conſenſus majoris partis communitatis?* (1)

*Reſp.* Neg. Quia 1. poteſtas Legislativa abſoluta, quæ reſidet in Principe, eſt etiam poteſtas præcipiendi, obligandi, & exigendi Legis obſervationem: alioquin ſolum eſſet poteſtas conſulendi, vel proponendi ſubditis, num velint aliquid facere aut omittere. 2. Obligatio obediendi neceſſario oritur ab auctoritate ſuperioris, non a conſenſu ſubditi: alioqui ſubditus nolens obedire ſuperiori, non peccaret. 3. Præceptum particulare ſuperioris abſolute impoſitum, obligat ſubditum independenter ab illius acceptatione: alioqui poteſtas præcipiendi eſſet inefficax, & inutilis: ergo pariter Lex, quæ eſt præceptum commune, obligat communitatem independenter ab illius conſenſu, ſicut enim quantum ad vim obligandi ſe habet præceptum ſuperioris ad inferiorem, ita & Lex Principis ad communitatem, cum ſit ejus ſuperior. 4. Legislatores ſupremi poſſunt cogere, immo ſæpe pœnis cogunt ſubditos ad Legem recipiendam & ſervandam, & hi nequeunt ſine culpa reſiſtere, nam ex Rom. 13. *Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit: qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.* 5. Alexander VII. damnavit hanc propoſitionem: *Populus non peccat, etiamſi abſque ulla cauſſa non recipiat Legem a Principe promulgatam.*

*Obj.* 1. In Lege *de quibus* 32. ff. de Legibus dicitur: *Cum ipſæ Leges nulla alia cauſſa nos teneant, quam quod judicio populi receptæ ſunt.* *Reſp.* Ibi agitur de Legibus latis, non a Principe, & Legislatore ſupremo, & abſoluto, ſed a Legislatore dependente a conſenſu populi Legum approbationem ſibi reſervantis. Quales fuere Leges Romanis latæ, durante ſua Republica, atque etiam ſub poteſtate ſuorum Imperatorum uſque ad tertium ſæculum: quo tempore nulla Lex obligabat niſi poſt ſuam acceptationem.

*Obj.* 2. Illud Gratiani, ad can. 4. diſt. 4. *Leges inſtituuntur, cum promulgantur: firmantur, cum moribus utentium approbantur.* Ergo. *Reſp.* Nego conſeq. Nam 1. hæc verba non ſunt ullius Summi Pontificis aut Concilii, aut Patris, ſed ipſius Gratiani. 2. Senſus verborum illorum eſt, Leges firmari per uſum quatenus per eum removentur a periculo abrogationis. Nam ſi Lex non ſervaretur, tandem aboleretur, vel contraria conſuetudine præſcribente, vel Principe cedente nimiæ reſiſtentiæ populi. Unde Gratianus ſubjicit: *Sicut enim moribus utentium in contrarium nonnullæ Leges hodie abrogatæ ſunt, ita moribus utentium ipſæ leges confirmantur.*

*Obj.* 3. Conſuetudo poteſt abrogare legem jam obligantem. Ergo poteſt illam prævenire ne obliget. *Reſp.* diſt. ant. Si princeps tali conſuetudini non reſiſtat; Concedo ant. Si reſiſtat; Nego ant. & conſeq. Conſuetudo Legem abrogare non poteſt, niſi ſit legitime præſcripta. Talis autem non eſt, quamdiu conſuetudini reſiſtit, ſeu contradicit Legiſlator, & vult Legem obſervari. Conſuetudo vero non ſervandi Leges, niſi prius a majore parte communitatis approbatæ fuerint, ſi quæ ſit, non eſt legitime præſcripta: nam tali conſuetudini reſiſtunt Legiſlatores, ſubditos ſuos ad legum ſuarum acceptationem & obſervationem compellendo poſt ſufficientem illarum promulgationem.

*Obj.* 4. Nemo accepit ſive a Deo, ſive a communitate poteſtatem ferendi Leges niſi dependenter a conſenſu majoris partis communitatis: nam poteſtas-

(1) *Superiori ætate docuerunt aliqui Theologi, & longe plures Juriſperiti, vim legum humanarum dependere a populi acceptatione, ſupponentes ſcilicet leges non ferri, niſi ſub hac conditione, quod ſubdita communitas iiſdem aſſentiatur. At contraria ſententia nunc paſſim obtinet apud Doctores, loquendo generatim de legibus cum civilibus, tum eccleſiaſticis potiſſime: idque propterea, quia alterius fundamentum plane fictitium eſſe convincitur & ratione, & auctoritate multiplici. Hinc Bened. XIV.* (lib. 13. de Syn. c. 5. n. 3.) *abſolute pronuntiat.* Leges, potiſſimum, Eccleſiaſticæ a populi acceptatione minime pendent. *Et* (c. 4. n. 4.) *ex eo quod poteſtas ferendi leges ſit* in Epiſcopis aut immediate a Chriſto, aut a Summo Pontifice, cui eſt a Chriſto immediate collata, neceſſario conſequitur, eorum firmitatem nequaquam pendere a populi acceptatione, ſed ab unico Legislatore vices ſortiri, quibus unumquemque quantumvis reluctantem conſtringant; niſi forte a juſtitia certo deficiant, ex cujus defectu ſint irritæ; quemadmodum bene perpendit Suarez lib. 4. de Leg. c. 26. ubi merito etiam animadvertit, oppoſitam opinionem, quam aliqui auſi ſunt venditare, componi non poſſe cum Fide, qua credimus, Eccleſiæ regimen fuiſſe a Chriſto commiſſum Romano Pontifici, in cujus ſollicitudinis partem ceteri vocati ſunt particularium Eccleſiarum Antiſtites. *Profecto, niſi* abſoluta *gauderent poteſtate legiſlativa Epiſcopi, & Principes ſæculares, ea fere inefficax & inutilis foret. Quippe ſubditos flectere non poſſent ad obediendum propriis legibus, niſi poſtquam ipſi voluiſſent eas acceptare. Immo conſenſus populi majoris eſſet virtutis, quam eadem poteſtas; cum ille vim legis poſſet impedire, iſta vero non poſſet populum obligare ad conſentiendum. Diſtinguatur itaque* eſſentialis *&* intrinſeca *vis Legum ab* accidentali *&* extrinſeca *ipſarum firmitate. Prior pendet a ſola legum promulgatione facta nomine Legiſlatorum: poſterior ab acceptatione, & moribus populi eaſdem cuſtodientis. Quod ſi opinio hactenus impugnata referatur ad priſcas civiles leges, latas eo tempore, quo populus Romanus talem habebat poteſtatem, ut ſine ipſius aſſenſu leges non conderentur: tunc non erit a veritate aliena, ſed ad præſens inſtitutum noſtrum nihil facit.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ſtas bene inſtituta non eſt ad gravandum ſubditos circa res non neceſſarias, neque ad dominandum, ſed ad juvandum. Ergo *Reſp.* Neg. ant. Ad probationem dico, poteſtatem bene inſtitutam debere habere vim compellendi ſubditos prudenter & moderate ad ea, quæ bono regimini communitatis neceſſaria vel utilia ſunt. Quæ vis eo magis neceſſaria eſt, quod major pars ſolet eſſe deterior; quæ ſi invita cogi non poſſet ad acceptandas & ſervandas Leges, pauciſſimæ Leges acceptarentur, & ſic pauciſſimæ valerent, in detrimentum reipublicæ.

*Obj.* 5. Leges humanæ feruntur tantum ſub hac tacita conditione, ut non obligent niſi acceptentur a populo: nam regimen humanum debet eſſe ſuave. Ergo. *Reſp.* Neg. ant. Cujus oppoſitum experientia conſtat: ſæpiſſime enim Legislatores puniunt Legum violatores, non expectata populi acceptatione. Ad probationem dico, regimen humanum debere eſſe non ſolum ſuave, ſed etiam efficax. Porro ſuavitas Legum in eo conſiſtit, ut non ferantur de iis, quæ ſint difficiliora, quæque juſtis receptiſque conſuetudinibus adverſentur.

Notanda ſunt ſequentia. 1. Hoc intelligi debet de Legibus abſolute latis, & cum intentione ſtatim obligandi: nam ſi Legislator ſupremus nolit obligare ante conſenſum majoris partis communitatis, Lex non obligat niſi poſt illum. Quia cum Lex pendeat a voluntate Legislatoris, ipſius eſt præfinire tempus & conditiones, quibus vult ad illam ſubditos obligari. Intentio autem Legislatoris cognoſcitur vel ex ipſius verbis, vel ex ejus modo agendi, vel ex uſu. Quare ſi poſt Legis promulgationem puniat ejus tranſgreſſores, non expectato conſenſu majoris partis, ſignum eſt non requirere talem conſenſum, ut Lex obliget. 2. Si Lex promulgata non obſervetur a majori parte communitatis, tunc ſi Legislator id ſciat, & taceat, cenſetur conſentire ut non ſervetur, nec obliget: *Nam qui tacet conſentire videtur*, reg. 43. jur. in 6. Si vero urgeat obſervationem Legis, v. g. puniendo violatores, ſinguli tenentur eam ſervare: nam per aliorum reſiſtentiam Legislator non amittit jus obligandi; & conſuetudo nil poteſt contra Legem niſi ſit legitime præſcripta, nec eſt legitime præſcripta quamdiu Legislator ei reſiſtit. 3. Si Legislator ignoret Legem non recipi, nec ſervari a majori parte communitatis, Lex obligat donec legitime præſcripta ſit, niſi lata ſit ſub conditione ſaltem tacita acceptationis: cum Lex abſolute lata obliget omnes independenter a conſenſu ſubditorum. 4. Ut Lex cenſeatur recepta, & vigere, ſufficit conſenſus tacitus majoris partis ſubditorum. Nam major pars prævalet minori, & quod fit a majori parte, cenſetur fieri a tota communitate. Immo ſufficit quod recipiatur a dignioribus reip., quales ſunt Præſides & Senatores. In dubio autem an Lex recepta ſit, præſumi debet pro ipſa, quia in dubio factum præſumitur, ſi jure faciendum erat.

## CAPUT III.

### *De modo, quo obſervandæ ſunt Leges.*

QUæſt. I. *An ad ſatisfaciendum præcepto, requiritur intentio illi ſatisfaciendi?*

*Nota*. Certum eſt requiri intentionem (*) faciendi opus, quod præcipitur. Quia actus Lege præſcriptus, eſt actus humanus, qui eſt eſſentialiter voluntarius ac liber: nam Lex hominibus imponitur, non brutorum more, ſed humano modo implenda. Actus autem non poteſt eſſe voluntarius ſine voluntate illum ponendi. Hinc per actus mere coactos non ſatisfit præcepto: ſic ſi quis omnino invitus cogeretur manere in templo tempore Sacri, non impleret præceptum de audiendo Sacro, niſi vellet attendere, & re ipſa attenderet ad Sacrum: eidem quoque non ſatisfaceret, qui ingreſſus templum ſolo animo meditandi divina, ibi maneret in meditatione defixus toto Sacri tempore, ſine ulla intentione audiendi Sacrum, & attendendi ad illud; quia non poneret voluntarie actum præceptum, cum non habeat voluntatem audiendi Sacrum, ſed ſolum dandi operam meditationi. (1)

*Reſp.* 1. Ut ſatisfiat præcepto negativo, nulla requiritur intentio. Quia per tale præceptum non exigitur actus aut omiſſio libera; ſed ſolum prohibetur actus humanus liber, v. g. ne quis furetur. Hinc licet aliquis nunquam cogitaſſet de furto, & ſic ab eo abſtinuiſſet, non cenſebitur violaſſe Legem furtum vetantem.

*Reſp.* 2. Ut ſatisfiat præcepto affirmativo, non requiritur intentio expreſſa ei ſatisfaciendi, ſed ſufficit implicita, vel interpretativa, contenta in voluntate faciendi actum præceptum, quæ non excludat intentionem implendi Legem. Quia Lex non præcipit poſitionem actus ut præcepti, vel ex intentione ei ſatisfaciendi, ſed ut actus voluntarie fiat: nec uſlibi major obligatio reperitur. Unde ſi ignorans præceptum, rem præceptam libere facit, vere illud implet: ſic qui ignorans vel non advertens ad diem feſtum intereſt devote Sacro, non tenetur aliud audire poſtquam reſciverit eſſe feſtum.

Immo ſecundum multos, ſatisfacit præcepto, qui voluntarie facit rem præceptam animo expreſſo non ei ſatisfaciendi per illum actum: v. g. qui Sacrum audit die feſto præciſe ut privatæ ſuæ devotioni indulgeat, proponens aliud audire ad ſatisfaciendum præcepto Eccleſiæ, jam huic ſatisfecit, nec tenetur aliud Sacrum audire, niſi ex errore putet ſe ad id obligari. Quia revera implet præceptum, qui facit voluntarie actum præceptum; nam nil aliud præcipitur; voluntas autem non ſatisfaciendi præcepto per executionem voluntariam actus præcepti, inefficax eſt: nam non deſtruit voluntatem efficacem faciendi id quod præceptum eſt, ideoque vere ſatisfaciendi præcepto.

Illud vero axioma, *Actus agentium non operantur ultra intentionem eorum*, verum eſt dumtaxat reſpectu eorum, quæ ab intentione agentium pendent, ut ſunt v. g. contractus. At non pendet ab eo,

(*) *Aut explicitam, aut ſaltem virtualem pro varia præcepti natura.*

(1) *Huic doctrinæ illuſtrandæ inſervit aliquo modo, quod N.308. dictum fuit.*



eo, qui voluntarie actum præceptum poſuit, ut per hoc non ſatisfecerit præcepto.

Aliud dicunt de Voto: quia vovens ſibi impoſuit obligationem voti, & in hoc caſu vult eam retinere ac prorogare, ſicque ſe obligare ad illud Sacrum audiendum: nam cum impoſitio obligationis in voto ſit a voluntate, pendet a voluntate ut eam proroget. At cum impoſitio præcepti, & ejus obligatio non pendeat a voluntate ſubditi, non pendet etiam ab eo, ut illam proroget, vel non impleat, cum voluntarie actum præceptum poſuit.

Azor tamen, & alii negant tunc impleri præceptum, quia voluntas eſt contraria impletioni præcepti. Præceptum autem non impletur ſolo facto & opere, cum poſitiva & expreſſa voluntate non implendi. Sed reſponderi poteſt, talem voluntatem eſſe inefficacem, ac proinde non repugnare efficaciter impletioni præcepti, nec illam impedire. Id videtur certum, talem teneri ſaltem congruo tempore mutare intentionem, vel ſaltem judicare ſe ſatisfeciſſe præcepto per actum poſitum. (1)

Quæſt. II. *An ad ſatisfaciendum Legi, debet intendi finis Legis?*

*Nota*. Duplex eſt finis & modus Legis, nempe intrinſecus, & extrinſecus. Finis legis intrinſecus eſt id, ad quod Legislator ſua Lege intendit obligare: unde eſt id quod reipſa per Legem præcipitur vel prohibetur. Extrinſecus eſt id, ad quod res præcepta dirigitur & ordinatur a Legislatore. Modus autem intrinſecus eſt ille, ſine quo ſubſtantia rei præceptæ impleri nequit, ut attentio interna in oratione (2); extrinſecus eſt is, ſine quo ſubſtantia rei præceptæ poni poteſt. (3)

*Reſp.* 1. Sine fine & modo intrinſeco Legis non impletur præceptum, ut patet ex eorum notione. Unde uterque cadit ſub præceptum.

*Reſp.* 2. Si finis extrinſecus, ad quem ordinatur actus præceptus, præcipitur a ſuperiore (4), non ſatisfacit præcepto, qui illum ſibi non proponit; quia tunc non facit id totum quod præcipitur; & finis ille eſt etiam materia Legis. Finis autem præcipi cenſetur, quoties præcipitur actus faciendus ob certum finem in Lege expreſſum. Hinc ſi jejunium, vel oratio præcipiatur, v. g. ad avertendam calamitatem publicam, jejunans aut orans, ſed non ex hoc fine, non ſatisfacit præcepto,

*Reſp.* 3. Si finis extrinſecus a Legislatore intentus non præcipiatur, ſatisfacit (5) præcepto, qui opus præceptum exequitur, etſi finem illum non intendat. Quia talis implet id totum quod præcipitur; tunc enim ſolum præcipitur voluntaria executio

(1) *Sententia, in quam Auctor propendet una cum aliis probabilioriſtis, & pleriſque Probabiliſtis luctantibus contra Azorium, Medinam, Wigandum, Hennum, alioſque, paſſim utuntur Confeſſarii ad ſedandos ſcrupuloſorum animos, qui fingunt ſibi prorſus neceſſarias actuales, expreſſaſque intentiones adimplendi tum Divinas, tum Eccleſiaſticas leges; ac ſæpius, dum legibus ſervientes cernunt ſe ad votum ſuum non perficere actus præſcriptos, proponunt ſe nolle tunc præceptis ſatisfacere: ſicque eoſdem actus iterant non ſine gravi temporis jactura, ac deperditione meriti obedientiæ. Sed, ut hi ex illorum doctrina, & admonitione juſtum levamen capere poſſint, opus eſt deponant conſcientiam erroneam, & perplexitatem omnem, ad quieſcendo ipſorum dictis Si quidem, quamvis in dubiis & varietate opinionum, juxta Seraphicum* (in 2. ſent. diſt. 39. art. 1. in fin.) plus ſtandum ſit præcepto Prælati, quam conſcientiæ, maxime quando prælatus præcipit, quod poteſt, & debet præcipere: *attamen, ubi ſubditus intime ſentit, ſe, nullatenus poſſe in Prælati ſententiam concedere, tunc non poteſt agere contra propriam conſcientiam, alias ædificaret ad gehennam. Unde in tali caſu, ut D. Bernardus inſinuat* (lib. de Præcept. & Diſpenſ. c. 9.) *debet ſibi applicare effatum* D. Petri (Act. c. 4.) obedire oportet Deo magis, quam hominibus: *quatenus ſcilicet ex eodem Seraphico* facere contra legem Dei poteſt eſſe dupliciter, ſive ſecundum veritatem, ſive ſecundum reputationem: & utroque modo eſt peccatum mortale, utroque enim modo contemnitur Deus. *Porro ex memorata ſententia Auctoris (quemadmodum & ex pluribus aliis ſparſim in hoc capite, ac deinceps occurrentibus) deprehenditur, haud raro Theologos Probabilioriſtas, ac Probabiliſtas ſimul conſpirare in tuenda aliqua opinione* minus tuta, *ſeu libertati faventia, ob diverſa principia mente concepta: nimirum, quia illi rebus penſitatis eam apprehendunt tamquam probabiliorem: iſti vero religioni minime ſibi ducunt alterutram promiſcue ex duabus probabilibus ſeligere. Hinc duo conſequuntur animadverſione digna. 1. Probabilioritatem, quam ſuo loco jam cum ipſo Auctore monſtravimus tuendam a cordatis Theologis, non eſſe* objectivam, *ſed* ſubjectivam *ſive* formalem. 2. *Obligationem ſectandi eamdem probabilioritatem non eſſe in praxi adeo oneroſam, rigidamque, ſicuti plures vulgares Pictores eam ſolent exhibere teтris coloribus phantaſiam imperitorum commoventibus.*

(2) *Quia videlicet, ubi quis in precibus fundendis mente voluntarie a Deo avertitur, & per avia ac devia evagatur, proprie non eſt oratio, quam TT. cum S. Joan. Damaſceno* (lib. 3. de Fide cap. 24.) *definiunt*, aſcenſum mentis in Deum; *ſed magis orationis ſimulatio, & larva. Unde tritum illud manavit proloquium Caſſiani celebris Magiſtri vitæ ſpiritualis*: nunquam orat, quiſquis etiam flexis genibus orat, ſi vagatione diſtrahitur.

(3) *Ex. ca. affectus theologicæ caritatis erga Deum in eadem oratione peragenda, extra tempus, in quo non urget ſpeciale & affirmativum dilectionis præceptum. En tibi exemplum aliud utriuſque memorati modi in iis Scripturæ verbis de judice prolatis* (Deut. cap. 16) juſte quod juſtum eſt, exequaris. *Si enim ly* juſte *ſumatur pro* habitu juſtitiæ, *modus agendi cenſetur extrinſecus & accidentalis: ſi vero accipiatur pro* juris ordine, *modus intrinſecus & eſſentialis.*

(4) *Hic locum habet, quod Auctor docuit in præced. cap. 2. q. 5. & 6.*

(5) *Sic ex. ca. quia caritas eſt finis præcepti cujuslibet dumtaxat* extrinſecus; *idcirco, quoties primum & magnum dilectionis divinæ mandatum non inſtat, poſſunt citra ejus motum abſolute impleri reliqua omnia legis præcepta.* Non enim, *ait Angelicus* (1. 2. q. 100. art. 9. ad 2.) idem eſt finis præ-

cutio operis. Equidem Lex omnis dirigit ad finem, ſed non omnis eſt de fine ipſo. Unde finis præcepti non cadit ſub præcepto, quando finis diſtinguitur ab opere præcepto, nec præcipitur intentio ipſius finis. Hinc ſatisfacit præcepto jejunii, qui unicam refectionem ex cibis licitis ſumit, licet non intendat macerare corpus: quia hæc intentio non præcipitur ab Eccleſia.

Quæſt. III. *An ſatisfacit præcepto, qui opus illius exequitur actu ex fine vel circumſtantia malo?*

*Nota.* Agitur hic de Lege humana. Nam Lex naturalis prohibet quemlibet finem, & modum agendi pravum, utpote diſſentaneum naturæ rationali, præcipitque finem honeſtum, & modum convenientem in omnibus actibus liberis. Nam præcipit ut homo ſemper vivat ſeu agat honeſte, id eſt decenter ac conformiter naturæ ſuæ rationali qua rationalis eſt: ac proinde præcipit id omne, quod neceſſarium eſt ad ſic agendum. Sed ad agendum honeſte & decenter naturæ rationali ut rationali, neceſſe eſt, ut non ſolum actus præceptus fiat, ſed etiam ut modo convenienti, in circumſtantiis debitis, & propter finem honeſtum fiat. Quare homo Lege naturali tenetur obſervare omnia præcepta humana recte, convenienter, & ob finem honeſtum, ideoque actu bono, & honeſto.

*Reſp.* 1. Non ſatisfacit præcepto, qui facit opus cum peccato repugnante ſubſtantiæ præcepti; aut illud facit ſine ea honeſtate ac rectitudine, quæ a ſuperiore expreſſe præcipitur, vel eſſentialis eſt actui præcepto; nam tunc non fit id totum quod præcipitur.

*Reſp.* 2. Quando honeſtas ac rectitudo non eſt eſſentialis actui externo, neque expreſſe præcipitur a ſuperiore, ſine ea ſatisfit præcepto humano; quia tunc ſine ea ponitur id totum, quod præcipitur ab homine: & actus vitiatur tantum per peccatum præcepto accidentarium: unde retinet bonitatem ac ſpeciem moralem (*) objectiva lege intentam. Sic miles fortiter pugnans ex vana gloria, adimplet præceptum Ducis, licet peccet contra Legem naturalem ob finem malum. Item quando actus vitiatur ſolum ratione motivi cujuſdam extrinſeci venialiter mali impulſivi, vel ſe habentis ſolum concomitanter, tunc ſatisfit præcepto. Sic qui devote & attente Sacrum audit ex motivo intrinſeco religionis, licet concomitanter moveatur, aut prius impellatur vana gloria, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ, nam ponit libere actum religionis præceptum ex proprio motivo finali.

Quæſt. IV. *An per unum eumdemque actum poſſunt impleri plura præcepta?*

*Reſp.* 1. Non poſſunt, niſi conſtet talem eſſe intentionem præcipientis. Quia ſuperior aliquid præcipiens, cenſetur exigere aliud quam quod jam alias debitum eſt. Alioquin ſæpe non aſſequeretur finem a ſe intentum, & fruſtra imponeret novam obligationem. Sic pœnitens præcepto jejunandi a confeſſario impoſito non ſatisfacit per jejunium jam ex voto vel præcepto Eccleſiæ debitum. Quia confeſſarius cenſetur obligare ad opus alias non debitum, utpote de novo punitivum, niſi aliud exprimat.

Item ſi obligatio per ſe poſtulat aliud opus quam quod jam debitum eſt, tunc requiruntur plures actus, ut ſemper contingit in materia juſtitiæ, ubi ſemper attenditur æqualitas rei ad rem; ſic qui centum ex duplici titulo juſtitiæ, puta, ex damno illato & ex emptione, bis debet, non ſatisfacit duplici illi obligationi dando ſolum centum: nam non eſſet æqualitas ſolutionis ad debitum.

*Reſp.* 2. Si prudenter exiſtimetur ſuperior concedere, ut per unum actum ſatisfiat duplici præcepto, tunc ſatisfit. Quia obligatio ad unum vel plures actus pendet ab ejus voluntate: ſic in Jubilæis ſatisfit jejuniis a Papa præſcriptis per jejunia quatuor temporum tunc occurrentia. Intentio autem ſuperioris cognoſci poteſt, vel ex circumſtantiis, fine, ac natura operis præſcripti, vel ex communi uſu ac interpretatione. Sic ſi confeſſarius injungat auditionem ſacri ſingulis diebus per menſem, pœnitens ſatisfacit, unum ſacrum diebus feſtis audiendo; quia in his circumſtantiis non cenſetur confeſſor intendere, ut pœnitens bis ſacrum audiat eodem die, niſi hoc exprimat. E contra ſi injungat operario, ut ſacrum omnibus diebus feſtis audiat per annum, v. g. hic tenetur bis ſacro intereſſe, quia talis eſt mens confeſſarii, quæ ex natura ſatisfactionis colligitur.

Ut plurimum autem duo præcepta uno actu implentur, quando idem eadem die ex eodem motivo præſcribunt; ſic die feſto in Dominicam incidente, unius Miſſæ auditione impletur duplex præceptum. Alias regulariter ſuperior plures actus exigit, niſi contrarium explicet; & in dubio, plures velle cenſendus eſt: quia tunc interpretatio fieri debet ex communiter contingentibus, juxta reg. 45. Jur. in 6. *Inſpicimus in obſcuris quod eſt veroſimilius, vel quod plerumque fieri conſuevit.* Hinc ſi voviſſes dare eleemoſynam, & confeſſor eleemoſynam etiam injunxiſſet, non ſatisfaceres dando unicam.

Quæſt. V. *An eodem tempore pluribus præceptis ſatisfieri poteſt per plures actus?*

*Reſp.* Communis ſententia aſſerit, modo unus actus non impediat alium, nec attentio uni debita tollat alteram. Quia tunc eodem tempore poteſt fieri id totum, quod præſcribitur per plura præcepta; cum in præceptis non præſcribatur diverſitas temporum. Sic ex communi ſententia, qui die feſto tempore ſacri recitat horas cum intentione & attentione debita, ſatisfacit præcepto Miſſæ, & præcepto recitandi horas: Nam ad utramque obligationem implendam ſufficit attentio ad Deum, myſteriave divina.

Quæſt. VI. *An peccat, qui ponit voluntarie impedimentum impletioni Legis?*

*Reſp.* 1. Peccat, qui illud apponit directe, & ex intentione non implendi Legem. Patet, nam is habet voluntatem non ſervandi Legem, & gerit pravum affectum erga illam, agitque in illius fraudem. Lex autem prohibet pravum affectum erga illam, & ne quid in ejus fraudem fiat.

*Reſp.* 2.

præcepti, & id de quo præceptum datur; ſicut neque in aliis rebus idem eſt finis, & quod eſt ad finem (*Vid. N.* 332. 333.) *Porro autem declarata hactenus diviſio modi, finiſve* intrinſeci, *&* extrinſeci (*de quo N.* 299. 304.) *in plurimis Theologiæ Moralis quæſtionibus adhiberi ſolet, præſertim in illa, in qua diſcutitur, num* peccare *ſit opus* ſervile, *vetitum præcepto de* Feſtorum *obſervantia.*

(*) *Moralem extrinſecam.*



*Reſp.* 2. Peccat contra præceptum, qui ejus obſervationi impedimentum infert per actionem non neceſſariam eo tempore, quo urget præceptum, vel paullo ante, aut tunc non removet impedimentum, cum poteſt ſine gravi damno. *Ita communiter.* Quia Lex præſcribens aliquid, ſimul virtualiter vetat id omne, quod cum actione vel omiſſione præſcripta incompoſſibile eſt, ideoque poſitionem impedimenti: alioquin non eſſet per ſe efficax. Præterea præcipiens finem, ſimul præcipit media neceſſaria ad talem finem, ſaltem ſi non nimis difficilia ſint: at removere & non inferre impedimentum, eſt medium neceſſarium impletioni Legis. Ergo.

Hinc 1. qui die jejunii pila ludit cum ea defatigatione, quæ reddat illum impotentem jejunare, peccat contra præceptum jejunii. 2. Qui die feſto ſe inebriat, ita ut ſacrum audire nequeat, peccat contra ſobrietatem & contra præceptum audiendi ſacrum. 3. Excommunicatus tenetur, quantum poteſt, abſolutionem ſibi comparare ad communicandum in Paſcate, immo & ad ſacrum audiendum diebus feſtis &c. cum hujus impedimenti remotio neceſſaria ſit ad implendum præceptum, & aliunde non ſit nimis difficilis, immo & ad eam jam teneatur.

*Reſp.* 3. Materiæ præceptæ gravitas vel neceſſitas poteſt eſſe tanta, ut præceptum obliget ad nunquam apponendum impedimentum ejus obſervationi, etiam multo tempore antequam urgeat, ad tollenda impedimenta etiam remota, & ad adhibenda media difficilia; ut patet in iis, quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem, & honeſtatem morum, & ad bonum commune. (1)

Quæſt. VII. *An qui non poteſt totum opus præceptum implere, tenetur ad partem, quam poteſt?*

*Reſp.* Affirm. ſi præceptum ſit de re diviſibili, hoc eſt, de re quæ commode dividi poteſt, & in cujus parte invenitur ratio præcepti, ut in ſeptem horis canonicis, in jejunio totius quadrageſimæ, in qua jejunium ſingulorum dierum dividuum eſt ab alio. *Prob.* Quia 1. Innoc. XI. damnavit hanc propoſitionem. *Qui non poteſt recitare Matutinum & Laudes, poteſt autem reliquas horas, ad nil tenetur; quia major pars trahit ad ſe minorem.* 2. Tunc præceptum utpote dividuum, obligat ad omnes & ſingulas partes; etiam ſeorſim ſumptas; cum ſingulæ ſeorſim faciant ad finem præcepti: nec eſt cauſſa ſufficiens excuſans a parte poſſibili, quæ eſt utilis fini. 3. Qui non poteſt totum debitum ſolvere, tenetur ad partem quam poteſt, ſi hæc ſit diviſibilis a toto. 4. Sicut *utile non debet per inutile vitiari*, ex reg. Jur. 37. in 6. ita nec poſſibile per impoſſibile.

Porro hæc regula, *Acceſſorium ſequitur naturam principalis*, non valet in omnibus: nec habet locum, dum principale & acceſſorium ſunt diviſibilia, & in acceſſorio reperitur aliqua ratio ipſius principalis; vel ubi eſt diverſa utriuſque ratio. Sic qui promiſit equam cum ſuo pullo, ſi equam dare non poteſt, quia mortua eſt, tenetur dare pullum. Deinde pars non eſt proprie acceſſorium reſpectu totius.

Quæſt. VIII. *Quid agendum quando ſimul occurrunt, duo præcepta, quæ ſimul ſervari nequeunt?*

*Reſp.* Per ſe loquendo ſervandum eſt majus præceptum; quia prævalet minori, & gravius obligat, unde tunc minus obligare deſinit. Præceptum autem naturale, cum ſit de rebus ex natura ſua ad morum honeſtatem neceſſariis, præponderat præcepto mere poſitivo etiam divino: divinum humano, cum Deus ſit ſuperior homine; præceptum ſupremi Principis præcepto ſuperioris ſubordinati; præceptum altioris virtutis præcepto virtutis inferioris; præceptum negativum affirmativo, quia illud obligat ſemper & pro omni tempore, *nec ſunt facienda mala, ut veniant bona.* Rom. 3.

Hinc ſi die feſto infirmus tua opera egeat tempore Sacri, teneris ei opitulari. Quia præceptum divinum naturale caritatis, quæ eſt virtus omnium præſtantiſſima, prævalet omnibus aliis præceptis. Quod ſi minus præceptum notabiliter nobiliori præferas, peccas mortaliter, quia exceſſus eſt notabilis: ideoque gravis eſt inordinatio, a qua tamen ſæpe excuſat ignorantia in rudibus.

Dixi *per ſe loquendo.* Nam interdum ſervari debet præceptum inferius, ut cum hujus materia gravis concurrit cum materia levi præcepti majoris. Sic non debes omittere Sacrum die feſto ad levan-

(1) *Permagni momenti propoſita quæſtio eſt, in qua valde intereſt ſcire, quidnam generatim ſentiendum ſit juxta ſeniores Ethices Chriſtianæ regulas: quippe plurimos reperire eſt inter Scriptores Morales recentioris ævi, qui in peculiaribus materiis* de auditione Miſſæ, recitatione Officii, obſervatione jejunii, *& ſimilibus aliis ab iſta quæſtione pendentibus, nimis indulgenter, licenterque prolocuti ſunt. Ex. cauſ.* Uxor, quæ ex jejunio macilenta, minuſque grata viri ſui oculis apparet, & hinc deſpici, aut minus amari conſpicit ab eo, excuſatur a jejunio. Non peccat contra præceptum jejunii, auditionis Sacri, recitationis Officii, qui ſua culpa incidit in infirmitatem, etiamſi prævideret, per eam impediri a tali obligatione. Non peccat contra præceptum jejunii, qui die jejunii pedeſtre iter agit, vel ſi multum laboret, vel id faceret ex utilitate, vel etiam ex vitio: aut ſi in pilæ ludo, aut venatione multum ſe exerceat; vel etiam ſi iter aſſumat ad inviſendam amaſiam, aliove pravo fine. *Si hic obiter curioſus Lector rationem expoſtulet iſtorum theorematum carni, & ſanguini favorabilium, hanc ab eorum Auctoribus reportabit*; quia talia agentes utuntur jure ſuo. *Vereor tamen, ne potius legendum ſit*, abutuntur, *juxta emendatiores antiqui Juris eccleſiaſtici codices. Utut ſit, quicumque ad hoſce ſcopulos nolunt allidere, haud recedant a ſolida, tutaque doctrina, quam Auctor ſummatim hic exhibet, & alii graves Scriptores, præſertim Coletus* (*Tract.* de Legib. c. 3. *Sect.* 5. *in fin.*) *enucleate ediſſerunt, variiſque exemplis valde utiliter illuſtrant. Ipſis Angelicus procuìdubio prævivit* (in 4. ſent. diſt. 15. q. 3. art. 2. ad 3. & 2. 2. q. 147. art. 4. ad 3.) *quibus in locis ſatis indicat, legis etiam* humanæ *tranſgreſſorem reputandum quemlibet vel* ponentem, *vel* non tollentem *impedimenta nec* neceſſaria, *nec* valde utilia, *ob quæ* prævidet, *aut prævidere* poteſt, debetque (*N.* 143.) *ſe deinceps legem minime impleturum. Quandonam vero hujuſmodi tranſgreſſor reatum culpabilis omiſſionis contrahat, jam a nobis* (*N.* 144.) *monſtratum fuit.*

levandam levem moleſtiam infirmi tua ope tunc non graviter indigentis.

## CAPUT IV.

### *De ſubjecto Legum.*

QUæſt. I. *Quinam Legibus humanis ſubjiciuntur?*

*Reſp.* Ex communi ſententia, omnes & ſoli adulti ſubditi. *Prob.* 1. quoad omnes & ſolos adultos, ſaltem qui non fuerint perpetuo amentes. Quia illi omnes & ſoli ſunt capaces cognitionis & directionis humanæ, & libertatem habent ſaltem habitualem.

2. Quoad ſubditos, quia juriſdictio non poteſt exerceri niſi in ſubditos, & nemo habet jus præcipiendi niſi ſubditis, cap. 21. *de ſent. excomm.* cum poteſtas præcipiendi, ſubjectionem in aliis eſſentialiter connotet & inferat.

Hinc 1. Infantes Legibus humanis præceptivis non obligantur, unde ſecluſo ſcandalo licet eis dare carnes comedendas die Veneris. Idem multi docent de perpetuo amentibus; quia ſentiunt eamdem eſſe rationem pro illis, & videri ſicut infantes. Sed negat Sanchez, aſſerens hoc inter illos diſcrimen; quod infantes ea ætate ſuapte natura uſus rationis incapaces ſint, at perpetuo amentes, ubi jam infantiæ ætatem excedunt, ſuapte natura uſus rationis capaces ſunt, & ex quodam ſolo accidenti eo privantur quamvis ob defectum deliberationis a Legis tranſgreſſione excuſentur perinde ac ignorantes invincibiliter. Porro conſtat non licere eos, uti nec infantes, excitare ad iram, libidinem, blaſphemiam, & alia intrinſece mala: nam excitans cenſeretur cauſſa moralis ac principalis horum actuum intrinſece deformium, & ex objecto malorum, atque amentis opera uti velut inſtrumento ad illos.

2. Pueri ſaltem anno ſeptimo completo obligantur præceptis, quorum materia eorum ætati congruit, ideoque tenentur ad auditionem Miſſæ, Confeſſionem, abſtinentiam a carnibus &c.

3. Ebrii, & ad breve tempus delirantes, tenentur Legibus. Quia ſunt in ſtatu habituali uſus rationis, licet per accidens pro aliquo tempore impediti: & fuere aliquando obligati Lege, quæ ſemper eamdem vim obligandi retinet: unde non licet eis dare carnes comedendas die vetito, cum hæ ſint illis prohibitæ.

4. Infideles tenentur omnibus præceptis evangelicis; quia ſubditi ſunt Chriſto homini Deo, qui eſt *Rex Regum, dominus dominantium*, & omnium omnino hominum. Non tenentur tamen Legibus Eccleſiaſticis, ex c. 8. *de divort.* quia nemo eſt ſubditus Eccleſiæ niſi per Baptiſmum. Ad utraſque Leges hæretici obligantur; quia ſunt ſubditi Deo & Eccleſiæ, quamvis rebelles.

Quæſt. II. *An exempti a juriſdictione Legislatoris obligantur illius Legibus ex vi illarum, ſi in ejus territorio habitent?*

*Reſp. Neg.* Quia exempti non ſunt ſubditi Legislatoris: nam deſinunt eſſe ſubditi hoc ipſo quod ab ejus juriſdictione eximuntur. At Legislator non poteſt obligare ſuis Legibus niſi ſubditos, cum careat juriſdictione in non ſubditos.

Quare Religioſi exempti non obligantur Legibus Epiſcopalibus aut Synodalibus, immo nec decretis Synodi Provincialis, ut declaravit Sacra Congregatio, apud Fagnan. in c. *Sicut olim;* niſi in caſibus, in quibus a jure communi, Conc. Trid. & Summis Pontificibus poteſtas in ipſos ſpecialiter Epiſcopis aut Conc. Provinciali conceſſa eſt. Idque declaravit Gregor. XIII. in ſuis reſponſionibus ad Conc. Rothomag. in eodem Concilio publicatis, an. 1581. Quia ſcilicet Religioſi illi ſunt exempti a juriſdictione Epiſcopali. Ex decreto autem Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 12. tenentur ſervare cenſuras & interdicta ab Epiſcopis lata, & feſtos dies ab illis præſcriptos. Immo juxta Vaſquez, Sanchez, & alios, tenentur jure naturali, & ex æquitate ſervare præcepta Epiſcoporum ſpectantia ad communem obſervantiam, & totius populi devotionem in iis, quæ ſtatui & privilegiis Regularium non adverſantur, ut jejunia, preces ad cauſſam publicam: nam licet ſint exempti, ſunt tamen pars illius communitatis, & ejus commoda participant.

Item omnes exempti, ſed præſertim Regulares, qui ex ſuo inſtituto incumbunt in ſalutem proximi, debent Epiſcopos, ut Principes Eccleſiæ, & *Succeſſores Apoſtolorum poſitos a Spiritu Sancto regere Eccleſiam Dei*, (Conc. Trid. ſeſſ. 23. c. 4.) ſingulari honore, reverentia, & amore proſequi, & eorum ſtatuta ad rectam adminiſtrationem Sacramentorum Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, ad bonum animarum Diœceſis ſpectantia diligenter ſervare, & in hoc ceteris exemplo prælucere: nam hæc eſt voluntas Dei, nec alias poſſunt in ſalutem proximi utiliter incumbere. Et ideo hoc magnopere verbo & exemplo commendarunt S. Ignatius de Loyola, & S. Franciſcus Saverius.

✠ Vide hac de re lib. 7. cap. XII. de Synod. Diœceſ. S. M. Benedicti XIV. Ibi enim perſpicue oſtenditur, Epiſcopos ne quidem in Synodis poſſe privilegiis derogare ab Apoſtolica Sede Regularibus conceſſis: poſſe vero plura decernere, tamquam Apoſtolicæ Sedis delegatos, quibus Regulares obligentur. Primo quidem, *non licere Regularibus* (ſunt verba decreti, editi die 10. Auguſti 1630.) *etiam in eorum propriis Eccleſiis, Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum publice adorandum exponere, niſi ex publica cauſſa, quæ probata ſit ab Ordinario: ex cauſſa autem privata poſſe, dummodo Sanctiſſimum Sacramentum e tabernaculo non extrahatur, & ſit velatum ita, ut ipſa Sacra Hoſtia videri non poſſit.* Secundo Regulares non ſolum a Superioribus, ſed etiam ab Epiſcopo puniri poſſe, ſi delinquant contra decretalem Inn. III. in c. 1. *de cuſtod. Eccleſiaſt.* & ad multorum obſervationem compelli poſſe, circa Sacrificium Miſſæ, novas imagines, & reliquias; ut ſi admittant in Miſſa indecentia, & prohibita; ſi novas imagines, & reliquias ab Epiſcopo non approbatas, exponere contendant &c. Tertio poſſe etiam ſub pœna ſuſpenſionis a divinis, ipſo facto incurrenda, Regularibus injungere, ne quempiam exterum Sacerdotem in ſuis Eccleſiis celebrare permittant, ſine prævia Ordinarii licentia. Quarto corrigi, & puniri poſſe delinquentes in iis, quæ reſpiciunt Clauſuras Monialium, etiam ipſiſmet Regularibus ſubjectarum. Quinto, ſi recipiant Confeſſiones, non obtenta ab Epiſcopo facultate, etiam Monialium, quæ ipſis ſubſint; ſi prædicent in Eccleſia ſuorum Ordinum,





num, Epiſcopo contradicente, vel non petita benedictione, aut in alienis Eccleſiis ſine ejuſdem Epiſcopi licentia; ſi renuant accedere ad publicas proceſſiones; ſi Epiſcopi interdictum, vel indictos ab eo dies feſtos non ſervent, aut ejuſdem cenſuras promulgare recuſent; ſi in alicujus Sacramenti adminiſtratione graviter delinquant; & ſi habitum ſui Ordinis dare præſumant Tertiariis collegialiter non viventibus, inconſulto Epiſcopo. Sexto refert, quod Sacr. Congr. Concilii, approbante Clemente IX. declaravit. *Regulares quoſcumque, abſque legitima facultate accedentes ad colloquendum, etiam per quodcumque modicum temporis ſpatium cum Monialibus, aut aliis intra clauſuram degentibus, peccare mortaliter, eoſque ſub excommunicationis, privationis vocis activæ & paſſivæ, aliiſque contra Regulares accedentes ſine licentia ad Monaſterium Monialium ſtatutis pœnis, poſſe ab Ordinario, tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegato coerceri.* Et die 26. Novembris 1627. reſpondit nullam, quantumvis honeſtam, & rationabilem cauſſam, eximere a gravi culpa Regulares accedentes ad Moniales ſine Epiſcopi licentia. Ac die 21. Maii 1678. iiſdem pœnis affici dixit Regulares, qui poſt habitam ad Moniales concionem, de quibuſcumque rebus, cum iiſdem loquuntur, niſi ſpecialem, quoad hoc, facultatem ab Epiſcopo antea impetraverint. Vide etiam c. 42. & 43. lib. 8. c. 4. ubi n. 6. aſſerit non adigi ad jejunia indicta ab Epiſcopo aliove Prælato, cujus juriſdictioni, & imperio non ſubjacent; teneri tamen ex conſuetudine vim legis habente, ſi a communitate ex antiqua conſuetudine hujuſmodi jejunia ſerventur, & jure naturæ, ſi non jejunando aliis ſcandalum præbeant. ✠

Quæſt. III. *An Legiſlator obligatur Legibus ſuis, vel prædeceſſorum?*

*Reſp.* 1. Legiſlator non obligatur Legibus Prædeceſſorum ſuorum (*) vi ipſarum Legum; quia non eſt ſubditus illorum, parem enim cum illis habet poteſtatem, immo eamdem: neque obligatur ſuis legibus, quia non eſt ſibi ſubditus; nemo enim ſui ipſius ſubditus & ſuperior eſſe poteſt: *Neque imperare ſibi, neque ſe prohibere quiſpiam poteſt.* L. 51. ff. de recept. arbit. Legiſlator autem non poteſt obligare niſi ſubditos. Hinc illud, L. 31. ff. de Legib. *Princeps Legibus ſolutus eſt.*

*Reſp.* 2. Legiſlator tenetur ſervare Leges a ſe, vel a prædeceſſoribus ſuis latas, quando materia convenit Principi & ſubditis. Ita S. Thom. 1. 2. q. 66. ad 3. & Theologi communiter. Tenetur autem jure naturali. Quia 1. Lex naturalis præcipit, ut Princeps communitati cujus caput eſt, ſe conformet in iis, quæ æque ipſi ac aliis conveniunt. Nam hoc ad utilem ac convenientem communitatis gubernationem neceſſarium eſt, & pertinet ad officium Principis, qui ſubditis ſuis exemplo præeſſe debet per Legum obſervationem, quam procurare tenetur. Enimvero ex S. Aug. lib. 3. Confeſſ. cap. 8. *Turpis omnis pars eſt ſuo univerſo non congruens:* quanto magis caput non congruens? 2. Princeps, æque, immo magis quam ſubditi, tenetur curare, & proſequi bonum commune, ac proinde ſervare Leges, quæ omnes in bonum publicum feruntur. 3. Ex jure tum Canonico, c. 6. de Conſt. *Quod quiſque juris in alterum ſtatuit, ipſe debet uti eo... Patere Legem, quam tu ipſe tuleris.* Et c. *Juſtum eſt*, diſt. 9. Tum Civili, lib. 4. cod. de Legib. *Digna vox eſt majeſtate regnantis, Legibus alligatum ſe principem profiteri... Et revera majus imperio eſt ſubjicere Legibus principatum.* Adde S. Ambroſ. epiſt. 3. ad Valentin. *Quod præſcripſiſti aliis, præſcripſiſti & tibi: Leges enim Imperator fert, quas primus ipſe cuſtodiat.*

*Nota.* Legiſlator jure naturali tenetur Leges ſuas ſervare, etiam ſecluſo ſcandalo; & quidem tam graviter, quam ſubditi ejus, ut docent Suarez, & multi Doctores, quos citat. Quia hoc exigit æquitas, officium Principis, bonum commune, & recta ac utilis gubernatio, quæ poſtulat, ut omnia communitatis membra vivant uniformiter in iis quorum materia omnibus æque convenit.

2. Legiſlator violans Legem ſuam vel prædeceſſoris ſui admittit peccatum ejuſdem ſpeciei ac ſubditi eam violantes, v. g. peccatum intemperantiæ, ſi non ſervet jejunium a ſe præceptum. Nam Lex naturalis imponit illi eamdem obligationem, quam ille ſubditis per ſuam Legem. Non tamen incurrit pœnas Lege humana impoſitas, quia Legibus illis humanis non eſt ſubjectus, ſed ſolum juri naturali, præcipienti actus virtutis Lege præſcriptos, nec illas pœnas ſtatuenti.

3. Si Legiſlator habeat juſtam cauſſam non ſervandi Legem, ob quam licite diſpenſare poſſet cum ſubdito, tunc non tenetur ſervare Legem. Quia tunc ceſſat ratio obligationis; tunc enim officium Principis, & recta gubernatio Legis obſervationem non exigunt, & difformitas rationabile fundamentum habet. Quare tunc proprie non diſpenſat ſecum, ſed ſolum interpretatur Legem naturalem ipſum non obligare ad ſervandam Legem ſuam, quando habet cauſſam rationabilem, ob quam ipſe ſubditum merito liberaret ab ejus obligatione; cum non ſit ipſe deterioris conditionis quam ſubditi. At peccat quoties ſine juſta cauſſa Legem ſuam non ſervat, quia violat Legem naturalem, cujus obligationem tollere nequit.

4. Hic agitur ſolum de Legiſlatore habente poteſtatem ferendi Leges abſolutam, & independenter a communitate. Nam duces Rerumpublicarum tenentur Legibus, quas cum illis tulerunt; & generales Ordinum obligantur Legibus in capitulo generali latis: quia ſubditi ſunt communitati, a qua feruntur.

Quæſt. IV. *An Clerici obligentur Legibus civilibus?*

Reſpondet Bellarminus, lib. 1. de Cleric. c. 28. Clericos in conſcientia obligari Legibus civilibus, quæ non repugnant ſacris Canonibus vel officio clericali, qualis eſt Lex taxans pretium rerum, vel vetans nocturnam armorum geſtationem, aut aſportationem frumenti extra Provinciam &c. Probat, quia 1. Clerici ſunt etiam cives, & partes quædam, ſeu membra communitatis politicæ, & commodis ejus fruuntur. Unde æquitas & recta ratio poſtulat, ut ſe ceteris omnibus membris conforment in iis, quæ æque illis ac laicis conveniunt. Alioqui magna confuſio & perturbatio in Repub. orietur, ſi Clerici illas Leges non ſervarent. 2. Nicolaus I. epiſt. 8. dicit Chriſtum diviſiſſe Pontificiam auctoritatem ab Imperiali, *ut & Chriſtiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro curſu temporalium tantummodo rerum,*

(*) *Vi legum, ſeu jure poſitivo.*

*imperialibus Legibus uteretur*. 3. S. Chryſoſt. in illud Rom. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*, ait, Chriſti Legem non tollere politicas Leges, & ideo debere etiam Sacerdotes & Monachos eis parere; hancque eſſe communem ſententiam quoad vim directivam, ſeu obligationem in conſcientia, de qua agitur, teſtatur Suarez.

Quæſt. V. *An peregrini teneantur Legibus ſui territorii proprii?*

*Nota* 1. Peregrinus, advena, vagus inter ſe differunt. Peregrinus dicitur is, qui extra territorium ubi domicilium habet, tranſit per aliquem locum, vel alicubi moratur cum animo redeundi. Advena, qui extra patriam ſuam domicilium fixit. Vagus, qui nullibi domicilium fixum habet.

*Nota* 2. Certum eſt præcepta perſonalia, quæ ſcilicet afficiunt immediate perſonas, non territorium, ſemper illas obligare ubicumque fuerint: nam illa ſemper perſonis cohærent. Hinc ſi Epiſcopus Sacerdoti (*) uſum ſui Ordinis abſolute vetuiſſet, is in aliena Diœceſi celebrare non poſſet.

*Nota* 3. Si Lex prohibeat actionem ubivis factam quæ cedat ſpecialiter in damnum communitatis, ut eſt venditio armorum vel aliarum rerum hoſtibus: hæc ex communi ſententia obligat ſubditum extra territorium verſantem, qui puniri poteſt ſi illam violet. Quia tunc delictum cenſetur intra territorium committi; damnum enim ei illatum cenſetur moraliter factum intra illud. Ex Leg. codic. *de commerc.*

*Reſp.* 1. Peregrini non tenentur ſervare Leges ſui territorii, quando extra illud verſantur, ubi illæ non obligant, modo non abſint in fraudem (1). *Ita communis ſententia*. Prob. 1. ex c. 2. *de conſtit. in 6.* ubi dicitur, ſtatuto Epiſcopi, quo furantes excommunicantur, non ligari ejus ſubditos, qui extra diœceſim furantur, *cum extra territorium jus dicenti non pareatur impune*. 2. Quia Leges & conſuetudines locales ſunt ſolum pro tali loco ſeu territorio, eique ſunt affixæ: & juriſdictio, ut reſpicit territorium, intra illud limitatur. Et vero poteſtas Legiſlativa agere non poteſt extra ſphæram activitatis ſuæ, quæ ſphæra non extenditur extra proprium territorium.

Suppono quod tum ipſe peregrinus, tum res, circa quam operatur, & ejus actio, ſint extra territorium. Nam ſi res circa quam agit, vel ejus actio, aut omiſſio, ſit intra territorium, licet ejus perſona ſit extra; tunc ex communi ſententia ipſe tenetur Legibus territorii, & pœnis per illas ſtatutis. Quia tunc delictum merito cenſetur committi intra territorium non extra. Nam omiſſio rei præceptæ, vel commiſſio rei prohibitæ, ibi cenſetur conſummari, ubi res præcepta vel vetita fieri vel omitti debuiſſet, & delinquens cenſetur ratione delicti ibi eſſe moraliter præſens, ex l. 2. cod. *Quæ res exportari &c.* Hinc Beneficiarius abſens a territorio, in quo beneficium habet, contrahit cenſuras in non reſidentes latas ab Epiſcopo beneficii, quia ibi delictum conſummatur, ex c. 11. *de cleric. non reſid.*

*Reſp.* 2. Ex communi ſententia peregrinus non tenetur ſervare præcepta etiam juris communis, v. g. jejunium vigiliæ, vel feſtum S. Thomæ, ſi illa ex privilegio aut conſuetudine legitima non ſervetur in loco ubi bona fide diverſatur. Quia privilegium locale, vel conſuetudo localis ſpectat omnes qui ſunt in loco. Hinc S. Aug. epiſt. 117. docet in iis, quæ non ſunt contra fidem, & legem divinam, poſſe quemque ſe conformare Eccleſiæ particulari, in qua moratur. *Alia vero*, inquit, *quæ per loca terrarum regioneſque variantur ... nec diſciplina ulla eſt in his melior gravi prudentique chriſtiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit Eccleſiam, ad quam forte devenerit* (2).

*Reſp.* 3. Qui cauſſa ſubterfugiendi Legem etiam localem, abit in locum, ubi illa non viget, non ideo ab illius obligatione liberatur. Quia 1. (ut ait Layman) Leges, quæ ad ſubditorum utilitatem præſertim ſpiritualem ordinantur, ut ſunt Ec-

cleſia-

(*) *Sacerdoti ſubdito ejus.*

(1) *Hanc reſolutionem Auctoris quoad utramque partem reperies egregie declaratam, & confirmatam a Bened. XIV.* (lib. 3. de Syn. cap. 4. n. 9. & 10.) *cujus integrum textum, utpote prolixum, hic referre ſuperſedemus.*

(2) *Sicuti peregrini non tenentur ſervare leges* humanas communes, *quoties ad locum aliquem veniunt, ubi eædem leges communes per conſuetudinem contrariam ſunt* abrogatæ: *quia nempe quamvis leges univerſales non alligentur certo territorio, ſed univerſum afficiant orbem chriſtianum; attamen eo ipſo quod in certo loco ſunt abrogatæ, cenſentur incolæ ejus exempti ab illarum obſervantia quaſi per modum* privilegii localis (*atque idipſum multo magis dicendum, ubi iidem incolæ univerſales leges non ſervant vi expreſſi* privilegii, *juſtas ob cauſſas ab Apoſtolica Sede conceſſi*) *ita e converſo peregrini tenentur legibus* communibus *vigentibus in locis, ubi diverſantur, etſi in propria Regione communes illæ leges non ſoleant obſervari ob contrariam conſuetudinem, aut formale privilegium: quia nimirum hujuſmodi immunitas a lege univerſali habetur ejus per conſuetudinem, aut privilegium* locale a *jure communi exorbitans, adeoque ultra terminos loci, ubi ipſa ſubſiſtit, extendi non debet juxta tritam juris regulam*: quæ a jure communi exorbitant, *ſunt* reſtringenda. *Utriuſque ſuperioris theſis exempla facile eruuntur ex variis doctrinis Bened. XIV. qui docet* (lib. 11. de Syn. cap. 1. n. 3. & 6.) *Mediolanenſes, etiam poſt reformationem illius Eccleſiæ a S. Carlo Borromeo perfectam, obſtrictos non eſſe ad inchoandum antepaſchale jejunium a feria quarta Cinerum, quoniam ex more pervetuſto non conſueverunt jejunare ea feria, ac tribus inſequentibus diebus. Item* (lib. cit. cap. 5. n. 6.) *in Hiſpanicis regnis Caſtellæ, Gallaciæ, & Majoricæ antiquam vigere conſuetudinem in Sabbatis totius anni veſcendi interioribus, extremiſque animalium partibus, etſi non carnibus eorundem. His igitur poſitis, poterit ex. ca. Mediolanenſis viator Caſtellam deveniens animalium inteſtina vorare diebus Sabbatinis, quod in Patria ſua nequaquam poſſet. Sed Caſtellanus Mediolani conſtitutus minime poterit iiſdem inteſtinis veſci juxta morem patrium. Viceverſa dies quarta Cinerum, quæ Caſtellano Mediolani commoranti eſt epularis, Mediolanenſi in Hiſpaniis agenti eſurialis eſt.*



leſiaſticæ, eam conditionem annexam habent, quam communis fidelium perſuaſio & Epiſcoporum praxis oſtendit, ut ſubditis ſine juſta cauſſa earum obligationem ſubterfugere non liceat; cum id neceſſarium ſit ad bonum regimen, & efficaciam Legum, & ad præcludendum januam multis abuſibus, præſertim in confinibus diverſarum diœceſum. Immo ipſa Lex divina naturalis generatim præcipiens diligentem obſervationem Legum & ordinis, id vetat.

1. *Fraus & dolus alicui patrocinari non debet*, c. 15. & 16. *de reſcript.* At fraudem committit in Legem, qui ſolo animo eam ſubterfugiendi abſque alia juſta cauſſa abit e proprio territorio: nam *fraus legi fit, ubi quod fieri noluit, fieri autem non vetuit*, (expreſſe) *id fit*, l. 30. ff. de Legib. Neque dici poteſt quod abeundo utatur jure ſuo; nemo enim habet jus exeundi e proprio territorio ſolum ad eludendum illius Leges; ſicut nullus habet jus iter inſtituendi vel laborandi, cauſſa ſubterfugiendi Legem jejunii; & qui hoc faceret, cenſeretur in fraudem Legis agere, & ſecundum communem ſententiam, teſte Layman, peccaret contra Legem.

2. Ex reſponſo Cardinalium ab Urbano VIII. in Brevi ad Archiep. Colonienſem auctoritate Apoſtolica confirmato, quod declarat de incolis loci, ubi viget Conc. Trid. diſcedentibus in locum ubi non fuit publicatum, ſolo animo matrimonium clandeſtinum contrahendi, ſine mutatione domicilii, *non eſt legitimum matrimonium inter ſic contrahentes cum fraude*. Ergo tales adhuc tenentur Lege Tridentini, irritante matrimonium clandeſtinum, ſi diſceſſerunt cum fraude. Ergo &c.

Hinc peccant contra Legem, qui alio diſcedunt, præciſe ut carnibus veſcantur, vel oneribus ſervilibus vacent, cum hæc in ſua diœceſi vetita ſunt.

Quæſt. VI. *An qui e ſuo domicilio ubi Lex obligat, abit in locum ubi non obligat, teneatur illam implere antequam exeat?* (1)

*Reſp.* Tenetur, ſi prævideat illam impleri non poſſe in alio loco. *Eſt communis ſententia*. Quia 1. Hæc eſt praxis & perſuaſio fidelium timoratorum. 2. Lex illa talem obligat, & tempus quo adhuc verſatur in ſuo domicilio, unicum eſt ei aptum ad illam obſervandam: quare perinde eſt ac ſi eo ſolo tempore obligaretur. At quiſque tenetur ſervare præceptum eo tempore quo obligatur. 3. Ut ait Suarez, præceptum affirmativum debet impleri, quando poteſt, & prævidetur poſtea non implendum. Neque enim requirit aut concedit certum temporis ſpatium, pro quo poſſit ſemper ejus obſervatio differri: ſed obligat, ut quamprimum poteſt, impleatur, ſi poſtea non poſſit impleri; alioqui non eſſet ſatis efficax, & ſæpe elidi poſſet. Et vero reſpectu talis, non eſt aliud tempus ad implendum præceptum: Ergo tunc tenetur illud implere, alioqui nullo tempore teneretur.

Hinc qui abit die feſto ad locum ubi non eſt feſtus, tenetur audire Sacrum priuſquam exeat, ſi poſſit abſque gravi incommodo, & nequeat alibi audire: ſicut ſi non exiret, teneretur audire primam Miſſam, ſi prævideret poſtea impeditum iri. Quia præceptum obligat ſimpliciter illo die, & non poteſt impleri niſi audiendo Miſſam primam; nam hic & nunc & reſpectu talis hominis, illa eſt unica, & præſens hora eſt ultima ipſi apta ad implendum præceptum. Alioqui omiſſio merito imputatur ad culpam.

*Nota*. Si in loco domicilii tui ſit Lex jejunii, non potes ibi jentaculum ſumere mane, eo quod ſcias te veſpere fore in loco ubi illa non obligat. Quia obligaris jejunio quamdiu exiſtis in loco ubi obligat. Nec ſpes diſpenſationis, nec diſpenſatio quæ nondum eſt, nec privilegium loci, in quo non es, obligationem præcepti, quo hic & nunc ligaris, tollit.

Quæſt. VII. *An peregrini teneantur Legibus ſpecialibus loci in quo verſantur?*

*Nota*. Certum eſt, 1. Eos qui accedunt ad aliquem locum animo ibi perpetuo manendi, teneri ſtatim Legibus illius loci, cum jam vere ſint illius incolæ. Nam domicilium hoc ipſo acquiritur, quo quis incipit in loco habitare animo ibi perpetuo manendi, ex l. *Cives*, cod. *de incolis*. 2. Statim teneri Legibus loci eos, qui in illum veniunt animo ibi manendi per majorem anni partem, ut faciunt ſcholaſtici, famuli, operarii &c. Conſtat ex uſu, & communi Doctorum ſententia. Nam tales conſequuntur ibi quaſi domicilium ſufficiens, ut ſtatim quis fiat Parochianus idoneus ad ibi Sacramenta omnia præ-

ter

(1) *Circa Peregrinatores plurima, & varia moveri poſſunt dubia moralia, quæ ſic ſingillatim indicare, & ſolvere non vacat. Perſpicuitatis cauſſa quadruplici veluti in ſtatu ea conſiderare licet. 1. Dum initio diei diſcedunt a proprio territorio, atque ad alienum ſubinde migrant. 2. Dum exterum aliquem locum ingreſſi ibidem morantur per aliquot menſes, hebdomomadas, dies, aut ſaltem una die integra. 3. Dum per eum locum tantummodo tranſeunt, ipſo die, quo appulerunt, receſſuri ſumpta refectione. 4. Dum in eodem loco noctu dumtaxat hoſpitantur, & mane inſequenti inde abeunt. Apud Morales Scriptores, qui paſſim proſtant, præſertim apud recentiores Caſuiſtas eadem dubia magna ex parte leguntur minutatim expoſita, ac fidenter diſſoluta. Sed cum iſtorum doctrinæ, utpote ex Probabiliſtica ſcaturigine manantes, ſapientibus haud illimes in multis capitibus videantur; idcirco præſtabit in præſenti materia illos potiſſimum conſulere, & audire Doctores, qui ſanioribus morum regulis conſtanter inhærent: quales certe habemus plures florida iſta ætate. Negotium vero hoc felicius ſuccederet, ſi loco fundamenti aſſumatur ſolida doctrina de impedimentis ſervandarum Legum, de qua nos in Nota ad q. 6. præcedentis Cap. III. Item, ſi ſuſtineatur juxta Auctorem (q. 7. ſeq.) longe veroſimilior, aliiſque gravibus Scriptoribus, præſertim Silvio, Baſil. Pontio, Wigandt, Schmier, Henno, Cuniliato, Coleto probata opinio, quæ Peregrinos ſubjicit legibus ſpecialibus locorum, in quibus diverſantur. Idque nullum mihi dubium, qui jamdiu a D. Auguſtino fuerit expreſſum, ut patebit legenti & conferenti varia ejuſdem teſtimonia apud Gratianum (par. 1. Decr. diſt. 8. c. 2. diſt. 12. c. 11. diſt. 41. c. 2.) conſignata: quæ quidem non poſſunt univerſim exponi de obligatione, quam parit ſolus caſus ſcandali, ſicuti adverſæ ſententiæ fautores exiſtimant.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ter Ordinem recipienda. 3. Peregrinos teneri ſervare leges loci per quem tranſeunt, quando alias eſſet periculum ſcandali, cum hoc vetet Lex naturalis: vel quando illæ leges ſunt juris communis, quamvis ex conſuetudine, vel privilegio non ſerventur in loco domicilii ſui, ut docent communiter Theologi: quia Legislatori juris communis ſubditi ſunt, nec habent cauſſam excuſantem, cum conſuetudo vel privilegium extra territorium vim non habeat. 4. Peregrinos teneri ſervare in contractibus leges ac conſuetudines loci in quo contrahunt: nam quiſque ſortitur forum in loco contractus, cap. ult. *de foro compet.*

*Reſp.* Peregrini, & a fortiori Vagi, tenentur ſervare Leges & conſuetudines etiam ſpeciales loci, in quo morantur etiam ad breve tempus, & ſecluſo ſcandalo. *Ita Covar. Suarez, Leſſius, & alii communius.* Prob. 1. Ex S. Aug. lib. 3. Confeſſ. c. 8. ibi. *Quæ contra mores hominum ſunt flagitia, pro morum diverſitate vitanda ſunt, ut pactum inter ſe Civitatis aut gentis conſuetudine vel Lege firmatum, nulla civis aut peregrini libidine violetur. Turpis enim omnis pars eſt ſuo univerſo non congruens.* Item exepiſt. ad Januar. 2. Quia pax, ordo, recta gubernatio, bonum commune territorii poſtulant, ut leges locales ſerventur ab omnibus qui ſunt in loco, quamdiu in eo morantur, ac proinde Legislator habet poteſtatem obligandi etiam peregrinos ad illas leges ſervandas: nam ſuperior habet omnem poteſtatem neceſſariam ad bonum commune, & rectum ordinem tuendum in ſuo territorio. 3. Lex generatim fertur pro tali territorio. Ergo obligat omnes ibi morantes, etiam peregrinos, qui ratione ſuæ præſentiæ in illo loco, licet brevis, ſubjiciuntur regimini, & juriſdictioni territorii, cum juxta omnes, teneantur quibuſdam Legibus, v. g. ne quis noctu arma ferat, ne triticum efferat, ne peregrinus ultra triduum commoretur &c. Ergo peregrini tenentur, titulo ſubjectionis, ſervare Leges alieni territorii, ſuntque vere ſubditi Principis illius loci ratione ſuæ præſentiæ in illo, non quidem permanenter & habitu, ſed ſolum tranſeunter & actu; quippe ad tranſeuntem, & brevem ſubjectionem ſufficit brevis præſentia, ſicut ad tranſeuntem exemptionem a juriſdictione, & Legibus ſui territorii ſufficit brevis abſentia. 4. Peregrini, eo ipſo, quod exeunt e proprio territorio, ſolvuntur Legibus illius. Ergo eo ipſo, quod ingrediuntur territorium alienum, ſubjacent Legibus illius, præſertim cum gaudeant ejus privilegiis. Nam qui ſentit commodum, & onus ſentire debet, ex *reg. Juris* 55. *in* 6.

*Obj.* Nemo fit alteri ſubditus, niſi ratione originis, vel domicilii, vel delicti. *Reſp.* diſt. Permanenter & habitu, Conc. Tranſeunter & actu, Neg. Peregrini autem fiunt ſubditi Principis alicujus loci ratione ſuæ præſentiæ in illo loco, ſed tranſeunter tantum, non permanenter & habitu.

*Nota.* Peregrinus tenetur ſolum iis Legibus loci, quarum obſervatio non requirit tempus longius, quam illud, quo ipſe ibi moratur. Nam quoad alias non cenſetur eſſe in loco moraliter, nec ad eas implendas tenetur diutius morari quam ſtatuerat; quia non obligatur ad ibi permanendum, ſed ſolum ſuppoſita præſentia ad implendam Legem, quæ tunc impleri poteſt. Hinc tenetur ſervare omnia præcepta localia negativa, v. gr. abſtinere ab eſu carnium, nam hæc non requirunt moram. Sed qui tranſit per locum ubi eſt dies feſtus, in alium ubi non eſt, non tenetur ceſſare ab itinere ad audiendum Sacrum, nec ſecluſo ſcandalo, illud audire, ſi ibi moretur ſolum ad ſumendum cibum: quia mora non eſt proportionata impletioni præcepti. E contra tenetur audire Sacrum, ſi ſufficienti tempore moretur, vel ſi feſtum ſervetur in loco ubi pernoctavit, aut in toto illo territorio per quod uſque ad meridiem acturus eſt iter.

## CAPUT V.

### *De Interpretatione, & Epikiia.*

QUæſt. I. *Quid & quotuplex eſt interpretatio Legis?* (1)

*Reſp.* Interpretatio Legis eſt explicatio ſenſus Legis. Triplex eſt: authentica, uſualis, & doctrinalis. Interpretatio authentica ſeu cum auctoritate prolata eſt ea quæ fit per ipſum Legislatorem, vel ejus ſuperiorem, vel ſucceſſorem, vel per miniſtros ab ipſo conſtitutos: habetque vim Legis, cum procedat a ſuperiore habente poteſtatem Legem condendi, & explicandi in ſenſu, in quo vult illam ſervari. Uſualis eſt, quæ petitur ex communi uſu: nam *conſuetudo eſt optima Legum interpres*, c. 8. *de conſuetud.* Doctrinalis eſt ea, quæ fit per homines doctos ac peritos. Quamvis hæc non habeat vim Legis, cum non procedat a poteſtate juriſdictionis, ſed a judicio peritorum: tamen imprudenter & contra rectam rationem rejiceretur, ſi in eam Doctores omnes conſentiant. Si vero Doctores inter ſe diſſentiant de ſenſu, & obligatione Legis, tunc tenemur ſequi opinionem tutiorem & probabiliorem: licebit tamen ſequi minus tutam, ſi ſit certo & notabiliter probabilior tutiore, juxta dicta de opinione probabili.

Interpretatio iterum duplex eſt; una ſimplex, qua explicatur ambiguitas verborum Legis, & altera per æquitatem, qua interpretamur, caſum aliquem particularem non comprehendi in Lege, quamvis verba Legis clara ſint & generalia. Hæc dicitur Epikiia.

Quæſt. II. *Quænam ſunt regulæ aptæ ad recte faciendam interpretationem doctrinalem.*

*Reſp.* Hæ a Doctoribus traduntur. 1. Accipienda ſunt verba Legis ſecundum eorum proprietatem, & uſitatam acceptationem, niſi ſic accepta injuſtitiam, vel abſurditatem continerent, aut Legem inutilem redderent. Quia Legislator debet Legem clare, ideoque verbis ſecundum eorum proprietatem & communem ſignificationem intellectis exprimere: Alioquin nihil firmum ſtabiliret, & errandi occaſionem daret. In dubio autem, uſus & acceptio communis verborum præferri debet eorum proprietati.

2. Correctio Legum vitanda quoad fieri poteſt, ex c. 29. *de elect. in* 6. Nam ordinarie Legum mutatio noxia aut incommoda eſt communitati.

3. Si Legis verba ſint æquivoca vel ambigua, eorum ſignificatio ſpectanda eſt ex antecedentibus & conſequentibus, & materia & circumſtantiis Legis, atque etiam ex aliis Legibus, in quibus eadem verba vel ſimilia in tali & tali ſenſu accipiuntur, ſed præſertim ex fine Legis, ex c. 6. *de verb. ſignif.* ait: *Intelligentia dictorum ex cauſſis eſt aſſumenda dicendi: quia non ſermoni res, ſed rei eſt ſermo ſubjectus.* Et ex S. Th. in 3. diſt. 37. art. 3. *Sicut Lex lata eſt menſura ſubditorum in ſuis actibus, ita hoc eſt ad quod reſpicit Legislator, quod eſt Legis intentio & finis, eſt menſura Legis poſitivæ.*

4. Lex pœnalis, & omnis alia oneroſa, ſtricte interpretanda eſt, ex reg. Jur. 48. in 6. *In pœna benignior eſt interpretatio facienda.* In favoribus vero late eſt facienda, ex reg. 15. Jur. in 6. *Odia reſtringi, & favores convenit ampliari.* Hinc pœnæ non extenduntur ad caſum in Lege non expreſſum. Nec in Legibus pœnalibus valet argumentum a pari; immo nec a minori ad majus: nam Legislator poteſt velle punire minus crimen non majus, eo quod illud ſæpius patretur, vel ſit periculoſius bono communi.

5. Lex

---

(1) Interpretatio *generatim ſumpta*, *uti ex Baldo eam definit Fagnanus* (*n.* 19. *in cap.* Quoniam, *tit. de Conſtit. lib.* 1. *Decr.*) eſt ſermonum difficilium, vel perplexorum expoſitio. *Interpretatio quatenus ad Leges refertur; nihil eſt aliud, quam apta expoſitio alicujus vocis, ſive ſententiæ in lege occurrentis. Hæc proxime dividitur in eam, quæ ſimplex dicitur, per quam clara explicatione amovetur obſcuritas, quæ ineſt verbis legis: atque in aliam, quæ* per æquitatem *vocatur, qua declaratur, legem, quamvis ſecundum verba ſatis perſpicuam, non eſſe in aliquo particulari caſu ſervandam, ſpectata mente Legislatoris. Sic ex. ca. dum Eccleſiaſticam Synodalem legem jubentem, ut Sacramentorum miniſter velit facere*, quod facit Eccleſia, *expono de intentione terminata ad ritum externum qua ſacramentalem ſaltem implicite, interpretatio* ſimplex *eſt. Dum vero Civilem legem ſtatuentem*, depoſita dominis ſuis reddenda, *ſic accipio, ut contendam, gladium non eſſe* furioſo *reſtituendum, interpretatio eſt* per æquitatem. *Dein interpretatio* ſimplex *ſubdividitur in* Authenticam, Uſualem, & Doctrinalem, *de quibus Auctor. Quod ſpectat ad* auctoritatem *harum ſingularum interpretationum, 1. nullum dubium, quin* Authentica *a ſubditis ſit inſtar legis habenda, cum eadem, qua ipſamet lex, nitatur poteſtate juriſdictionis, ſive ordinaria, ſive delegata. Sic ex. g. Declaratio*, Apoſtolici muneris partes, *quam Bened. XIV. edidit* (*die* 8. *Febr. an.* 1645.) *ad dilucidandam prævıam ſuam Conſtitutionem*, Sacramentum Pœnitentiæ (*die* 1. *Jun. ann.* 1645.) *circa Confeſſarios abſolventes perſonam complicem in peccato turpi contra ſextum præceptum. Sic etiam Declaratio*, Inter alia, *qua Innoc. III.* (*l.* 5. *Decr. tit.* 39. de ſent. exc. *c.* 31.) *Doctoribus Bononienſibus ſenſum aperuit Decreti Greg. VII.* Quoniam multos (2. *part. Decr. cauſ.* 11. *q.* 3. *c.* 103.) *circa communicantes cum excommunicatis. Sic pariter Decreta S. Congregationis Conc. quibus declaravit teſte Fagnano* (*loco cit. n.* 25.) *validum eſſe matrimonium contractum coram Parocho, etiam invito, & per vim adhibito, & ex alia cauſſa vocato, & in aliena Parochia, & etiamſi Epiſcopus illi matrimonium interdixerit; hæ, inquam, & conſimiles aliæ declarationes ſeu interpretationes habent vim legis unumquemque obligantis.* 2. Uſualis *poteſt eſſe duplicis generis. Nam quandoque nititur manifeſta, & univerſali praxi omnium Eccleſiarum, uti eſt illa de exprimendis ſingulis tribus perſonis SS. Trinitatis in forma Baptiſmi, de baptizandis infantibus &c. interdum vero ſolum præſefert praxim privatorum Fidelium, vel timoratorum, vel ſapientum: qualia eſt illa de Miſſa die feſto audienda, antequam pergatur ad locum, ubi feſtus dies non eſt, de non ineundis quibuſdam contractibus tamquam ſuſpectis de labe fœneratitia &c. Porro in priore caſu* authenticæ *prorſus æquivalet, cum ipſa fundet jus vere con*ſuetudinarium, *adeoque per ſeſe obligare poſſit etiam nulla ſcripta lege præexſtante: in poſteriori gravem dumtaxat præſefert probabilitatem, & ad* doctrinalem *mox explicandam reducitur.* 3. Doctrinalis, *quandoquidem ab hominibus prodit tum ordinaria, tum delegata poteſtate legiſlativa deſtitutis, parendi neceſſitatem abſolute numquam imponit, nec* authenticam *adæquare poteſt: quippe ex Juliano Juriſconſulto* (*tract.* de Fide Inſtrum.) authenticam ex ſe fidem facit in judicio, & ſupremæ eſt auctoritatis, ita ut a nullo rejici, vel in quæſtione vocari queat. *Solam ergo veriſimilitudinem parit circa ſenſum latentem ambiguæ legis, eamque minorem aut majorem juxta variam quantitatem, & qualitatem Doctorum, a quibus traditur. Quod ſi* univerſali *innitatur conſenſu Doctorum, tunc tanti ponderis evadit, ut reſpui nequeat citra intolerabilis* temeritatis *notam, modo Doctores ſint tales, quales* (*N.* 50.) *deſcripſimus. Nam ut* egregie animadvertit (*verba ſunt Bened. XIV. lib.* 3. *de Beatific. Serv. Dei cap.* 1. *n.* 7.) Auctor lib. 2. de Vocat. Gent. cap. 2. inter opera S. Proſperi, magna fortitudo eſt conſenſionis, cui ad ſequendam veritatem auctoritas ſufficit etiam latente ratione. *Unde haud mirum, ſi D. Bonaventura, & Richardus de Mediav.* (*Nota ult. ad Tract.* de Conſcient.) *ſemper maximi fecerint com*munes opiniones. *Quando vero Doctores ſinguli, aut alii quicumque moralis Diſciplinæ ſtudioſi do*ctrinalem *legum interpretationem producere debent, non temere, neque ex proprio arbitrio aut ſumptis opinionibus, ſed arte & prudentia; eam ad rem valde inſervient præclaræ regulæ ab Auctore aſſignatæ in ſeq. qu.* 2. *de quibus P. Anacletus* (*Jur. Can. tom.* 1. *in lib.* 1. *Decr. tit.* 2. *§.* 16. 17.) *longe fuſius diſſerit. Eumdem ipſum in finem diu noctuque legendus aureus Tractatus de univerſis regulis juris editus* (*tom.* 6. *Jur. Can.*) *a prælaud. inſigni Canoniſta. Jam ex his omnibus prudenter quiſque intelligit penitius, quanto jure nos* (*Nota ult. ad Tract.* de Conſcient.) *ſugillaverimus illorum Theologorum methodum, qui ſatis munere ſuo, ultra quam credi poſſit graviſſimo, ſe perfungi exiſtimant, prædicantque, ſi opiniones tueantur, quæ ex una parte ſolius aliquo fundamento nituntur, in ſe præciſe ſpectatæ, & ex alia nihil complectuntur* contrarium manifeſtis *Sac. Scripturarum doctrinis, atque expreſſis Eccleſiæ definitionibus. Si enim veri nominis Theologus alio præterea reſpicere non debet, eccur, amabo, tot tantaque regulæ communi Sapientum judicio præſcribuntur ei obſervandæ in doctrinalibus legum interpretationibus perficiendis?*

5. Lex generaliter vel indefinite loquens omnia (*) ſignificata propria comprehendit. Nam verba generalia generaliter accipienda ſunt, & *ubi jus non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus*. Argum. l. 8. §. *de Publician.*

6. Lex intelligenda eſt, & ſervanda ſecundum receptam conſuetudinem: *Optima enim eſt Legum interpres conſuetudo* l. 37. §. *de Legibus*, & c. 8. *de Conſuet.*

7. Aliquando Legiſlator loquitur de ſingulari caſu vel perſona, non quod velit Legem ad hunc caſum, vel perſonam reſtringere, ſed iis utitur exempli gratia: nam exemplum non limitat diſpoſitionem, ſed declarat. Quare valet hæc regula: Cum Lex frequentioris uſus cauſſa aliquid decernit, caſum minus frequentem non excludit, ſed comprehendit.

8. Lex poſitiva non ſemper ob paritatem rationis extendi debet ad caſus ſub lata verborum forma non comprehenſos. Quia non ratio Legis, ſed voluntas Legiſlatoris ſignificata ſubditis, eſt Lex, & obligat. Hic autem potuit velle ad unum obligare, & non ad aliud, unum crimen punire, non aliud, quamvis eſſet eadem ratio pro utroque. *Legis* enim poſitivæ diſpoſitio omnino pendet a libera voluntate Legiſlatoris, qui non obligat, niſi ad id, ad quod ſufficienter declarat ſe velle obligare.

Dixi, *non ſemper*. Nam Lex extenditur ob identitatem rationis in his caſibus. 1. Si aliqua iniquitas vel abſurditas ſequeretur ex eo quod Lex non extendatur ad alios caſus non expreſſos. 2. In correlativis, nam diſpoſitum in uno correlativo, cenſetur eſſe diſpoſitum in alio, *ex l. ult. Cod. de indicta viduit.* Sic Lex ſtatuens de uxore cenſetur idem ſtatuere de marito; quando eſt par ratio pro utroque, ut cum agitur de debito conjugali. 3. In æquiparatis & connexis. 4. Cum Lex exprimit rationem, ob quam fertur, ſecundum multos, extenditur ad caſus, in quibus clare occurrit eadem ratio Legis; quia ubi ratio exprimitur, cenſetur eadem eſſe diſpoſitio pro caſibus, ubi clare reperitur: neque tunc eſt interpretatio extenſiva, ſed declaratio comprehenſiva. 5. In judiciis, ex l. 12. §. *de Legib.* Nam prudentia & recta ratio dictat, ut cum pro aliquo caſu decidendo non eſt certa Lex, deciſio illius petatur a ſimilis caſus deciſione.

*Nota*. Particulæ, *aut*, *vel*, aliquando accipiuntur copulative, ex l. *Sæpe*, cap. *de verbor. ſignif.* ut cum inter illas ponuntur ea, quæ non ſeparantur. Particulæ *ſeu*, *ſive*, plerumque ſumuntur copulative, aliquando tamen disjunctive.

Quæſt. III. *Quandonam licet uti Epikiia?* (1)

*Nota*. Epikiia eſt benigna & rationabilis interpretatio, caſum aliquem particularem ob ſuas circumſtantias non comprehendi Lege, quamvis per verba generalia lata: ideoque Legem non obligare in tali caſu. Hinc ſola Lex poſitiva admittit Epikiiam, non naturalis: quia ſola Lex poſitiva ſtatuit per verba generalia, quæ reſtringenda ſunt ex æquitate in certis caſibus. At Lex naturalis excipit omnes caſus excipiendos: eſt enim ordinatio divina per dictamen rationis intimata de omnibus & ſingulis, quæ ex natura rei agenda vel omittenda ſunt ad honeſte ac recte vivendum.

*Reſp.* 1. Aliquando neceſſe eſt uti Epikiia, quoties nempe ſecundum verba generalia Legis agendo, fieret aliquid contra rectam rationem vel bonum commune. Nam Lex nunquam obligat ad aliquid irrationabile, noxium bono communi, ut ſi v. g. Lex generatim ferretur, ne aperirentur noctu Portæ civitatis, eſſet contra rectam rationem & intentionem Legiſlatoris eas non aperire in eventu, quo copiæ auxiliares admittendæ eſſent in urbem, alioqui interficiendæ ab hoſtibus illam obſidentibus.

*Reſp.* 2. Uti licet Epikiia quando evidens eſt non poſſe ſervari legem ſine gravi damno, cum quo conſtet Legem non obligare, ſaltem ſi adiri nequit ſuperior. Nam tunc certo & prudenter judicamus Legem non obligare in tali caſu.

*Reſp.* 3. In dubio num aliquis caſus comprehendatur in Lege debet conſuli ſuperior, ex c. 31. *de ſent. excomm.* & *l.* 1. & *ult. de Legibus*. Si non poſſit conſuli, non licet uti Epikiia, ſed ſervanda eſt Lex. *Azor*, & *alii*, poſt S. Thom. 1. 2. qu. 120. art. 1. ad 3. ubi ait: *Interpretatio locum habet in dubiis, in quibus non licet, abſque determinatione Principis a verbis Legis recedere. Sed in manifeſtis non eſt opus interpretatione ſed executione.* Ratio eſt, quia in dubiis tutior pars ſemper eligi debet. Nec tunc abſque determinatione ſuperioris formari poteſt judicium prudens & moraliter certum, Legem non obligare.

CA-

(*) *Species ſcilicet omnes caſuum poſſibilium.*

(1) Epikiia, *quam in ſuperiori Nota* interpretationem per æquitatem *vocavimus, quoties recte fit, non ſine aliqua virtute fit. Angelicus namque ex Ariſtotile (lib. 5. Ethic. c. 10.) ipſam probat eſſe ſpecialem virtutem Juſtitiæ ſubjectam, per quam homo ſupplet ex recta ratione, quod verbis ſcriptarum legum deeſt, quæ non poſſunt comprehendere omnes ſingulares, & contingentes caſus, utpote quaſi infinitos, & infinitis modis variabiles. Hinc nullum dubium, quin ea licita ſit, immo ſæpius etiam neceſſaria, ſpectata mente ipſorum Legiſlatorum, quæ veluti anima ſeu forma eſſentialis legum eſt. Unde quiſquis prætextu ſervandæ legis nollet certis in caſibus Epikiia uti, is juxta axioma Juriſperitorum in culpa foret violatæ legis:* in legem peccat, qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem; *quia nimirum* ſcire leges non eſt verba earum tenere, ſed vim & mentem. *Haud raro tamen, nec leviter labi contingit in moderandis ſecundum æquitatem communibus legibus: quæque a multis interdum peraguntur, eadem non niſi perperam cohoneſtari ſolent Epikiiæ titulo. Numquid enim ex. cap. Epikiia ii Clerici, aut Monachi non abutuntur, qui ratione (ut amant dicere) ſollemnitatis, ſocietatis, urbanitatis &c. Eccleſiaſticas Leges de vitandis ludis, choreis, theatris, larvis, de ſervandis jejuniis, de tuenda Monaſtica clauſura, palam infringunt, & Theologiæ Sacræ doctrinas pro ſuo genio inſtar corii diſtendunt, & obtorquent? E re igitur plurimum erit genuinam efformare ideam Epikiiæ, ac juxta eamdem prudenter enodare particularia dubia frequenter incidentia. Ad hoc vero facem præferent tum D. Th. (1. 2. q. 96. ar. 6. & 22. q. 120. ar. 1. & 2.) tum D. Antoninus (1. part. Sum. tit. 3. c. 20. §. 10. reg. 7.) præter alios multos Doctores.*



## CAPUT VI.

### *De Diſpenſatione.*

NOta. Diſpenſatio eſt relaxatio Legis ad tempus, ſeu exemptio a Legis obligatione in aliquo caſu particulari ubi Lex ceteroquin obligaret. Hinc differt 1. Ab interpretatione, qua non relaxatur obligatio, ſed ſolum declaratur Leges non obligare in certis caſibus. 2. A privilegio, quod eſt facultas permanens conceſſa in perpetuum, & per modum Legis, & ſæpe non eſt contra, ſed præter legem. 3. A licentia ſeu permiſſione, qua non relaxatur obligatio Legis, ſed ſolum apponitur conditio, ſub qua Lex non obligat. (1)

Quæſt. I. *Quinam habent poteſtatem diſpenſandi?*

*Nota*. Poteſtas diſpenſandi eſt poteſtas juriſdictionis, & duplex eſt, nempe ordinaria, & delegata. Ordinaria eſt ea, quæ alicui competit ratione officii, ſeu ex vi ſui muneris. Delegata eſt ea, quæ habetur ex conceſſione illius, qui habet ordinariam.

(1) Diſpenſatio *legis fit, quando* manente legis obligatione quoad totam communitatem, aliqua perſona particularis, in aliquo caſu particulari, a legis vinculo ſubducitur per legitimam poteſtatem. *Dicitur* 1. manente legis obligatione quoad totam communitatem, *ut hinc diſtinguatur diſpenſatio* ab irritatione, abrogatione, derogatione, ceſſatione *legis: per has enim lex, ſive ante, ſive poſtquam vim obligandi obtinuit, tollitur, vel totaliter vel partialiter, ita quidem ut nullus ſubditorum teneatur illam obſervare.* 2. aliqua perſona particularis, *quibus vocibus deſignantur non ſolum perſonæ individuæ, ſed etiam Conventus, Religiones, Ordines, Collegia, quæ in jure cenſentur perſonæ fictæ.* 3. in aliquo caſu particulari. *Diſpenſatio enim, cum non ſit facultas conſtans ac permanens, non eximit perſonam ab obſervantia legis pro alio tempore, uti dum diſpenſatur cum uno, ut carnibus veſcatur occurrente aliquo die jejunii, is obligatus manet ad abſtinendum a carnibus, ſuccedentibus aliis jejunii diebus. Sicque diſpenſatio diſcrepat a* privilegio, *quod ceteroquin & hoc habet peculiare, ut ſæpe non ſit* contra *jus commune, ſed ſolum* præter; *ut cum Princeps dat alicui facultatem legitimandi, quam ipſe habet.* 4. a legis vinculo ſubducitur, *ita ſcilicet ut obligationem non habeat ſervandi legem, quamvis legis ratio & materia maneat invariata. Inde eſt, ut diſpenſatio dicatur a DD.* vulnus legis, *juxta ſententiam S. Auguſtini, qui apud Gratianum (part. 2. Decr. can. 23. cap. 24. Ipſa pietas) ait, fieri* contra integritatem ſeveritatis, *ſeu diſciplinæ Eccleſiaſticæ, ubi Hæreticis correctis, & ad Eccleſiæ ſinum redeuntibus conceditur priſtinus* honor Clericatus, aut Epiſcopatus; *quia nimirum ubi graves interveniunt cauſſæ*, detrahendum eſt aliquid ſeveritati, ut majoribus malis ſanandis caritas ſincera ſubveniat. *Porro ſub hoc reſpectu diſpenſatio ſecernitur* a nuda permiſſione, ſimplici licentia, epicheja, & interpretatione: *quamquam & hæ ſolent interdum deſignari* diſpenſationis *nomine late ſumpto. Nam* permiſſio, *ſeu* tolerantia nuda *Superioris non eximit a culpa ſubditum agentem contra jus; unde Innoc. III. (lib. 3. Decr. tit. 1. de Præbend. c. 13.* Cum jam dudum) *monet*: multa per patientiam tolerantur, quæ ſi deducta fuerint in judicium, exigente juſtitia non debeant tolerari. *Pariter* licentia ſimplex *non aufert obligationem legis, ſed apponit conditionem neceſſariam, quam lex ipſa poſtulabat: ut dum Monachus de licentia Prælati res aliquas largitur ſuis conſanguineis.* Epicheja *vero eximit quidem a lege ſervanda, ſed in iis circumſtantiis, in quibus prudenti judicio creditur, legem revera non obligare.* Interpretatio denique, *evolvendo ambiguum legis ſenſum declarat tantummodo, utrum lex obliget, vel non obliget, aut quomodo obliget.* 5. per legitimam poteſtatem: *quandoquidem certum eſt, ad proprie dictam diſpenſationem neceſſariam eſſe eamdem ipſam poteſtatem juriſdictionis, qua prius leges fuerunt conditæ, aut ſaltem in* forma ſpecifica, *ut ajunt Juriſperiti, confirmatæ, juxta cap. 1. de reg. jur.* omnis res per quaſcumque cauſſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur; *quæ quidem poteſtas (ut Auctor oſtendit in præfen. qu.) bifariam ſpectari poteſt, vel ut ordinaria eſt, vel ut* delegata: *Hinc Seraphicus (in 4. ſent. diſt. 19. dub. 6.)* Diſpenſatio ita conſuevit definiri: eſt juris relaxatio, facta cum cauſſæ cognitione ab eo, qui habet jus diſpenſandi. *Audiatur etiam Angelicus (1. 2. q. 97. art. 4.) cujus præclara doctrina, nedum confirmandæ ejuſdem poteſtatis neceſſitati, ſed etiam concipiendæ adæquatæ perfectæque notioni ipſius* diſpenſationis *maxime inſervit.* Contingit quandoque, quod aliquod præceptum, quod eſt ad commodum multitudinis ut in pluribus, non eſt conveniens huic perſonæ, vel in hoc caſu quia vel per hoc impediretur aliquid melius, vel etiam induceretur aliquod malum. Periculoſum autem eſſet, ut hoc judicio cujuslibet committeretur, niſi forte propter evidens, & ſubitum periculum. Et ideo ille, qui habet regere multitudinem, habet poteſtatem diſpenſandi in lege humana, quæ ſuæ auctoritati innititur, ut ſcilicet in perſonis vel in caſibus, in quibus lex deficit, licentiam tribuat, ut præceptum legis non ſervetur. *Sicque S. Doctor evidens relinquit, quod ubi in* quacumque multitudine dicitur aliquis diſpenſare, *reipſa nil aliud facit, quam* ordinare, qualiter aliquod commune præceptum ſit a ſingulis adimplendum. *Unde duo hæc poſtea infert:* 1. Quando cum aliquo diſpenſatur, ut legem communem non ſervet, non debet fieri in præjudicium boni communis; ſed ea intentione, ut ad bonum commune proficiat. 2. Quando conditio alicujus perſonæ requirit rationabiliter, ut in ea aliquid ſpecialiter obſervetur, *h. e. cum ea diſpenſetur*, non eſt perſonarum acceptio, ſi ſibi aliqua ſpecialis gratia fiat. *Jam vero, quod attinet ad* interpretationem Diſpenſationum, *de qua Auctor nil ſpeciatim tradit, univerſalis DD. ſenſus eſt, eam ſtricte interpretandam, cum ſit odioſa; quia ut hactenus oſtenſum, juris communis relaxatio, & vulnus eſt. Hinc, ut exemplum addamus, Bonif. VIII (in 6. Decr. lib. 1. tit. 11.* de Filiis presbyter. *cap. 1.* Is, qui) *decernit*; ille, cum quo per Sedem diſpenſatur Apoſtolicam, ut promiſſ, non obſtante defectu, *nempe natalium illegitimo-*



timo-

riam. Hæc conceditur vel ab homine, vel a jure. Si a jure datur, tranſit in ordinariam, vel ei æquiparatur. Si datur ab homine per privilegium, non expirat morte concedentis. Si vero datur per ſimplicem commiſſionem, ceſſat mortuo vel amoto delegante, ſi res eſt integra.

*Reſp.* 1. Ex communi ſententia Theologorum, nullus homo habet poteſtatem diſpenſandi in Legibus divinis, etiam mere poſitivis. Quia nemo habet poteſtatem relaxandi obligationem a Deo impoſitam, niſi ſpecialem ad hoc poteſtatem a Deo acceperit. Nam inferior non poteſt propria auctoritate relaxare obligationem impoſitam a ſuperiore: auctoritas enim inferior non poteſt ſuperiori prævalere, nec derogare. At nemo accepit a Deo poteſtatem relaxandi obligationem Legum divinarum: nam talis poteſtas neque ex Scriptura, neque ex Traditione probari poteſt: & aliunde non expedit bono Eccleſiæ, quæ non poſſet ſuam unitatem, uniformitatem, & conſtantiam in fide & in cultu divino ſervare; niſi Leges divinæ eſſent prorſus hominibus indiſpenſabiles. Præterea Leges mere poſitivæ a Chriſto latæ, ad fidem, & Sacramenta, Sacrificium Euchariſtiæ, quæ ſunt religionis noſtræ fundamenta, pertinent: Ideoque ſunt fundamentales, ac proinde debent eſſe immutabiles reſpectu omnium; alioqui ſi mutarentur, mutaretur religio ſubſtantialiter. Unde Conc. Trid. ſeſſ. 21. c. 2. clare indicat Eccleſiam non poſſe mutare ſubſtantiam Sacramentorum. Itaque circa Leges divinas etiam mere poſitivas, Deus ſolum conceſſit Eccleſiæ poteſtatem illas interpretandi, declarandi caſus ad quos Lex divina non extenditur.

*Reſp.* 2. Poteſtatem ordinariam diſpenſandi in Lege humana habet 1. Is qui eam tulit: nam ejuſdem poteſtatis eſt ferre Legem & in ea diſpenſare. 2. Succeſſor Legiſlatoris cum pari poteſtate. Nam ſi Legiſlator habet, ergo & is qui habet æqualem, immo eamdem poteſtatem, ex c. 20. de electione, ubi Innocentius III. de prædeceſſore ſuo Legiſlatore ait: *Qui ſucceſſoribus ſuis nullum potuit in hac parte præjudicium generare, pari poſt eum, immo eadem poteſtate fungturis, cum non habeat imperium par in parem.* 3. Qui habet poteſtatem Legiſlatoris ſuperiorem circa eoſdem ſubditos. Nam ſi inferior habet poteſtatem ordinariam diſpenſandi, a fortiori habet ejus ſuperior, qui etiam poteſt Legem inferioris abrogare.

Hinc Papa habet poteſtatem ordinariam diſpenſandi in omnibus Legibus Eccleſiaſticis, etiam ab Apoſtolis latis: quia parem habet juriſdictionem cum Petro Apoſtolorum Principe, cujus eſt ſucceſſor.

*Reſp.* 3. Inferior non habet poteſtatem diſpenſandi in Lege ſuperioris, niſi ex ejus conceſſione. Quia 1. Ex Clement. 2. *de elect. Lex ſuperioris per inferiorem tolli non poteſt.* 2. Inferior non poteſt tollere obligationem impoſitam a ſuperiore ſine ejus conſenſu. Nam inferior non poteſt derogare; nec prævalere auctoritati ſuperioris: alioqui inferior eſſet ipſi ſuperiori ſuperior. (1)

Poteſt tamen inferior habere poteſtatem diſpenſandi delegatam. Quia ſuperior poteſtatem diſpenſandi exercere poteſt per alium, & ſic eam alteri concedere: *nam poteſt quis per alium, quod poteſt facere per ſe ipſum. Reg. Jur.* 68. *in* 6.

Hinc 1. Epiſcopi, & omnes alii Prælati Papa inferiores, non habent poteſtatem ordinariam diſpenſandi in jure communi & Legibus Papæ, ex c. 3. *de temp. ord.* ubi damnatur Epiſcopus, quod uno die plures Ordines, licet de mandato Metropolitani, contuliſſet, eo quod diſpenſatio in hoc non fuerit a canone conceſſa. Habent tamen delegatam in certis caſibus: nam diſpenſare poſſunt in Lege communi ex conceſſione Concilii vel Papæ expreſſa, vel tacita, aut legitime præſumpta. Unde poſſunt non ſolum quando in Lege expreſſe dicitur, Epiſcopos poſſe diſpenſare in ea ut patet: ſed etiam quando eſt conſuetudo diſpenſandi, ex c. 13. *de foro compet.* vel quando neceſſitas diſpenſandi in aliqua Lege ſæpe occurrit, ut in feſtis & jejuniis; vel quando dubium eſt an res egeat diſpenſatione, vel quando occurrit gravis ac urgens neceſſitas diſpenſandi, nec poteſt recurri ad Papam, aut periculum eſt in mora ob ſcandalum, aut graviſſimum detrimentum imminens. Nam in his caſibus ex communi ſententia cenſetur poteſtas diſpenſandi Epiſcopo conceſſa, cum

hoc

*timorum*, valeat ad beneficium, etiamſi curam animarum habeat, promoveri; nequit prætextu diſpenſationis hujuſmodi (quam exorbitantem a jure oportet veluti odioſam reſtringi) niſi unicum beneficium obtinere. *Hæc tamen communis doctrina ſuas patitur exceptiones, de quibus conſule Auctores, ac potiſſime Baſ. Pontium* (*lib.* 8. *de Matr. cap.* 11.) *qui diligenter etiam examinat clauſulas Diſpenſationum, quæ adhiberi ſolent pro foro ſeu interno, ſeu externo.*

(1) *Perpauci quidam DD. ex variis Juris textibus putarunt ſe poſſe deducere opinionem hanc, qua ſtatuunt, quod etſi inferior non poſſit abrogare ſeu derogare legem Superioris, poſſit tamen in ea diſpenſare; quoniam hoc videtur neceſſarium ad rectam gubernationem, ne pro quovis caſu opus ſit Superiorem adire. Verum & rationibus, & auctoritatibus contraria ſententiæ communiſſimæ ii facile obruuntur. Hæc namque (ſuſtinendo, inferiorem regulariter non poſſe diſpenſare in lege Superioris, tametſi id poſſit in pluribus caſibus, qui generatim referuntur ad Superioris voluntatem vel expreſſam, vel* præſumptam, *juxta ſequentem Corol.* 1. *Auctoris*) *tali æquitate libratur, ut & ſartum tectum conſervet jus Superiorum, & ſimul rectam gubernationem Inferiorum a prætenſis incommodis liberet. Radix allucinationis in eo videtur ſita, quod iidem DD. non ſatis perpenderint, poteſtatem diſpenſandi in legibus Superiorum non venire in cenſu eorum, quæ conveniunt inferioribus, niſi prohibeantur: ſed ad illa pertinere, quæ iiſdem non conveniunt, niſi concedantur. Sic ex. ca. Civis poteſt, quoties Princeps non vetat, frumentum ſuum extraneis vendere; ſed ſpurios legitimare, niſi Principe palam concedente, minime poteſt. Nec eſt, quod illi opponant ſatis tritum proloquium*: Quidquid poteſt Pontifex in univerſa Eccleſia, id poteſt quilibet Epiſcopus in ſua Diœceſi. *Nam eos, qui hujuſmodi axiomate, in certo dumtaxat genere rerum vero, abutuntur, pro merito excipit Bened. XIV.* (lib. 9. de Syn. c. 1. n. 5. & ſeq.) *cujus prolixam doctrinam non vacat hic tranſcribere.*



hoc poſtulet bonum commune, ſitque neceſſarium ad ordinatum & rectum regimen animarum. (1)

2. Epiſcopus vel Archiepiſcopus non habet poteſtatem diſpenſandi in Legibus Concilii provincialis, aut nationalis, niſi ex conceſſione ejuſdem Concilii vel Papæ. Quia ſunt Leges conditæ auctoritate ſuperiori: nam Concilium provinciale eſt unum corpus myſticum habens propriam & diſtinctam juriſdictionem majorem juriſdictione ſingulorum Epiſcoporum, qui proinde ſubjiciuntur ejus Legibus. Aliud eſt de Legibus latis ab Epiſcopo in Synodo diœceſana, vel de conſenſu Capituli: Nam Epiſcopus habet poteſtatem ordinariam in iis diſpenſandi, quia ſive in Synodo, ſive in Capitulo, tota poteſtas condendi Leges penes Epiſcopum eſt; neque ex Epiſcopo & Parochis aut Canonicis fit corpus myſticum, quod juriſdictionem habeat majorem juriſdictione Epiſcopali. (2)

3. Archiepiſcopus non habet poteſtatem ordinariam diſpenſandi in Legibus Epiſcoporum ſuæ provinciæ. Quia non eſt ſuperior Epiſcopi, neque ejus diœceſanorum, niſi cum actu viſitat diœceſim, aut in caſu appellationis.

*Nota*. Prælati, qui habent poteſtatem diſpenſandi quoad Leges, vota, & juramenta, poſſunt etiam ſecum diſpenſare ſaltem indirecte, committendo ſcilicet alteri poteſtatem diſpenſandi ſecum. Quia Prælati non ſunt deterioris conditionis quam ſubditi, qui in promptu habent a quo poſſint diſpenſationem accipere; immo, id poſſunt etiam directe & immediate per ſe, quia hoc nullo jure prohibetur. Nec repugnat, quod quis in ſe exerceat juriſdictionem omnino voluntariam, quæ non ſit condemnativa nec abſolutiva: nam ad hoc per ſe non requiritur diſtinctio perſonarum.

Quæſt. II. *An peccat qui diſpenſat etiam in propria lege ſine juſta cauſſa.*

*Reſp.* Affirm. Ita communiter. Quia 1. irrationabiliter ab onere liberat eum, qui non eſt eximendus: quod eſt peccatum acceptionis perſonarum, & contra juſtitiam diſtributivam. 2. Superior ex officio tenetur procurare bonum commune per legum obſervationem, & fideliter ac prudenter uti ſua poteſtate in ædificationem, non in deſtructionem; quod non facit diſpenſans ſine juſta cauſſa, ſed potius diſſipat crudeliter, ut ait S. Bernardus l. 3. de conſid. 3. Unicuique aperit aditum ad tranſgrediendas Leges, ut ait Conc. Trid. ſeſſ. 20. c. 18. enimvero ſubditi facile putant idem ſibi licere quod aliis, qui nullam ſpecialem cauſſam habent, & quorum exemplo ad violationem Legum incitantur. (3)

Hinc

(1) *Profecto eſſet hic operæ pretium accurate diſcutere ſingulos caſus, in quibus Auctor per tranſennam indicat, inferiores diſpenſare poſſe in legibus Superiorum: quippe doctrina ejuſmodi ſummopere confert ad moralem praxim. At, quoniam in additamentis noſtris modum ſervare decet, idcirco haud pigeat Lectorem ſedulum conſulere alios probatos Auctores, qui de præſenti materia ſcripſerunt fuſiore calamo, ſive in Tract.* de Legibus, *ſive alibi. Plures citatos reperies apud Bened. XIV.* (lib. 9. de Syn. cap. 2. n. 2.) *ubi Summus Magiſter ſermonem habet de extraordinaria poteſtate diſpenſandi in occultis matrimonii impedimentis. Unum dumtaxat impræſentiarum obſervare juvat: nempe tertium caſum ab Auctore memoratum*, quando dubium eſt, an res egeat diſpenſatione, *non ita evidenti, & unanimi DD. ſenſu niti, ſicuti reliquos caſus de legitima conſuetudine urgenti neceſſitate &c. Immo non videtur extra chorum Sapientum canere P. Franciſcus Hennus* (*Tr.* de Leg. *diſt.* 3. *q.* 15. *art.* 4. *concil.* 4.) *dum ſcribit:* Conceſſionem diſpenſandi habent Epiſcopi reſpectu legum Pontificiarum . . . ſecundum aliquos in dubiis, an caſus egeat diſpenſatione. Sed crediderim recurrendum eſſe ad Sedem Apoſtolicam, quia in dubiis pars tutior eſt tenenda.

(2) *Integram hujus Corol.* 2. *doctrinam confirmat Bened. XIV.* (lib. 13. de Syn. cap. 5. n. 7. & 8.) *qui præterea hanc aliam quæſtionem ſcite diſſolvit* (*n.* 9. 10. 11.) num integrum ſit Epiſcopo aut prorſus delere Conſtitutiones Synodales a ſe factas, aut aliquem ex juſta cauſſa ab illis eximere, quando eadem auctoritate Summi Pontificis ſunt confirmatæ.

(3) *Qui adæquatam habet ideam* diſpenſationis (*in Nota* 1. *ad præſens cap.*) *a nobis deſcriptæ, non poterit non aſſentiri theſi nunc ab Auctore ſtabilitæ.* In relaxatione juris ad hoc quod fiat, *inquit Seraphicus* (*in* 4. *ſent. diſt.* 19. *dub.* 6.) conſideranda eſt in eo, qui facit, potentia, ut ſit talis, qui ſupra jus poſſit: & in eo, cui fit, ſit cauſſa idonea, ſcilicet neceſſitas, vel utilitas; alioquin non diſpenſatio, ſed diſſipatio debet dici . . . Ideo diſpenſatio ita conſuevit definiri: eſt juris relaxatio, facta cum cauſſæ cognitione ab eo, qui habet jus diſpenſandi. Unde diſpenſare dicitur, quaſi diverſa penſare, & ideo in eis, quæ ſtatum Eccleſiæ decolorant, diſpenſandum non eſt, & in eis qui nituntur jus infringere. Et hoc eſt, quando multis conceditur, quod paucis eſſet concedendum, & quando ſic accipitur, non ſit ſibi de gratia, ſed tamquam ſi eſſet de jure communi. *Exinde manifeſta ſit illorum deceptio peſſima, qui a Superioribus, & Prælatis diſpenſationem expetunt hoc titulo, quod propinqui, aut amici ſint; ac propterea, ut tales eligantur, omnem movent lapidem, fortaſſis etiam ultra, quam Sacrorum Canonum ſtatuta permittant. Quod porro Auctor hic e veſtigio tradit, ſcilicet* ſine cauſſa diſpenſantem peccare mortaliter, ſi materia gravis ſit, *ſic intellige. Ubi talis diſpenſatio cum ſcandalo aut damno notabili aliorum contingit, ex. ca. ſi quis contra juſtam cauſam diſpenſaretur, ne Miſſam audiat diebus feſtis, tributa ſolvat &c. tunc nullum dubium apud DD. quin ea ſit mortifera. Aſt ſi ſpectetur ſecundum genus ſuum, ſecluſo ſcandalo, & damno: tunc TT. inter ſe diſcrepant. Nam Navarrus, Baſ. Pontius, Tannerus, Salat. Wiggers, & alii non pauci cenſent non eſſe id niſi venialiter malum: ſecus vero docent Doctores ab Auctore hic citati, pluresque alii, quorum ſententia veriſimilior videtur, ſpectata tum ratione deducta ex juſtitia legali, ac diſtributiva; tum rite expenſis auctoritatibus SS. Auguſtini, Thomæ, Bonavent. hactenus a nobis productis, item, B. Bernardi* (*lib.* de Præc. & Diſpen. *cap.* 3. & 4. *ac lib.* 2. de Conſid. *cap.* 4.) *nec non Concilii Tridentini variis in locis.*

Hinc ſine cauſſa diſpenſans peccat mortaliter, ſi materia gravis eſt. Ita *Covar. Suarez, Sanchez, Valent. & alii*. Nam peccat in re gravi contra officium proprium, contra bonum commune, item contra caritatem, præbendo multis occaſionem peccandi. Peccat vero venialiter, per ſe loquendo, ſi materia levis eſt, nempe ſi obligatio Legis ſit tantum ſub veniali.

Hinc peccat etiam ſubditus, qui diſpenſationem petit ſine juſta cauſſa: nam inducit ſuperiorem ad peccandum; immo qui ultro oblatam acceptat, quia cooperatur peccato ſuperioris.

*Nota*. 1. Non requiritur talis cauſſa diſpenſandi, propter quam ſuperior teneatur diſpenſare: ſed ea ſufficit, quæ apta ſit ad movendum rationabiliter ſuperiorem ut benignius agat cum inferiore, illum liberando ab obligatione Legis, quæ alioqui non deſineret, & tunc diſpenſatio data vocatur gratia.

2. Si cauſſa talis ſit, ut ſuperior ſaltem ex caritate teneatur diſpenſare, non idcirco ſubditus liber eſt ab obligatione, ſi negetur diſpenſatio. Quia per hanc cauſſam ſine auctoritate ſuperioris non tollitur obligatio Legis.

3. Ex jure Canonico, triplex eſt generatim cauſſa juſta diſpenſandi, ſcilicet, pietas, neceſſitas, & utilitas communis, vel etiam privata petentis, quæ redundet in bonum commune; nam diſpenſatio debet ſemper ſaltem mediate, & ultimate cedere in bonum commune, alioquin eſt illicita, & infidelis, ut docet Suarez poſt S. Th. Sufficit tamen, quod detur propter bonum rationabile perſonæ privatæ, quod in aliorum damnum non cedat: hoc ipſo enim redundat in bonum commune poſtulans ut ſuperior ſingulorum etiam bonum procuret, quantum fieri poteſt abſque jactura boni communis. Quare S. Thomas docet diſpenſationem recte dari, quando Lex, quæ communitati expedit, huic perſonæ non expedit propter periculum mali, vel impedimentum majoris boni.

Quæſt. III. *An diſpenſatio ſine juſta cauſſa ſcienter data valida eſt*.

*Reſp*. 1. Ex communi Theologorum ſententia, eſt valida (1), quamvis illicita, ſi detur a Legislatore, vel ab ejus ſucceſſore aut ſuperiore. Quia obligatio Legis poſitivæ, ſicut ipſa Lex, ut ſit & perſeveret, pendet a libera voluntate Legislatoris, & a libera applicatione juris, quod habet ad obligandum. Ergo etiam pendet a libera voluntate ſuccedentis cum æquali poteſtate, & a fortiori ſuperioris. Ergo ſi Legislator, vel ejus ſucceſſor, aut ſuperior, non vult ſubditum Lege obligari, revera is non obligatur. Et vero Legislator poteſt ſine juſta cauſſa tollere obligationem Legis reſpectu omnium, ipſam Legem abrogando. Ergo a fortiori poteſt illam tollere reſpectu aliquorum in certis caſibus, diſpenſando cum illis, licet remaneat reſpectu aliorum.

Equidem Legislator non poteſt ferre Legem ſine juſta cauſſa, quia non poteſt ſine juſta cauſſa obligare ſubditos. At poteſt etiam ſine juſta cauſſa non obligare: nam ad hoc ſufficit quod obligare nolit. Ergo cum Legislator poſſit ſine juſta cauſſa nolle obligare, poteſt etiam ſine juſta cauſſa non obligare.

*Reſp*. 2. Invalida eſt diſpenſatio ſine juſta cauſſa data ab inferiore & delegato. *Ita omnes, teſte Suarez*. Quia inferior & delegatus non habet poteſtatem diſpenſandi ſine juſta cauſſa: nam ſuperior non cenſetur talem poteſtatem ei concedere, cum id non poſſit licite; non enim cenſetur velle peccare. Non minus autem peccaret ſuperior, ſi inferiori concederet poteſtatem diſpenſandi ſine juſta cauſſa, quam ſi ipſe ſine ea diſpenſaret. Porro hoc eſt diſcrimen inter ſuperiorem, & delegatum, quod ſuperior habeat ex vi muneris ſui poteſtatem diſpenſandi, & Lex pendet ab ejus voluntate: at delegatus non habet poteſtatem niſi eam, quam ſuperior ei concedit.

Hinc Epiſcopus, juſta cauſſa deficiente, invalide diſpenſat in Lege jejunii, abſtinentiæ &c. *Covarr. Navarr. Sylveſt. & alii*.

Quæſt. IV. *An liceat uti diſpenſatione valida ſine juſta cauſſa obtenta*.

*Reſp*. Non licet, ſed ſubditus ea utens peccat eadem ſpecie peccati, cujus eſt violatio illius Legis. Quia quamvis non amplius obligetur ex vi Legis humanæ ad actionem vel omiſſionem per illam præſcriptam, cum talis obligatio ſublata ſit per diſpenſationem: obligatur tamen ad illam ex vi Legis naturalis præcipientis uniformitatem membrorum in ſervanda Lege propter bonum commune, & vetantis ne quis ab onere communi ſe ſubtrahat ſine juſta cauſſa, & ne pars abſque ratione diſcrepet a ſuo toto: nam (ut ait S. Auguſt. l. 2. Conf. c. 8.) *Turpis omnis pars eſt ſuo univerſo non congruens*, ſcilicet ſine rationabili cauſſa, qualis non eſt diſpenſatio injuſta, & repugnans bono communi. Enimvero Legislator ipſe peccat, ſi ſine rationabili cauſſa Legem ſuam non ſervet: Ergo etiam & ipſe ſubditus. Ob eamdem rationem, ceſſante cauſſa diſpenſationis, ceſſat uſus ejus eſſe licitus.

Qui tamen tali diſpenſatione utitur, non incurrit cenſuras & pœnas Lege humanæ impoſitas, quia per diſpenſationem validam tollitur obligatio orta a Lege humana: quare ſolum peccat contra Legem naturalem præcipientem idem, ad quod alii tenentur. Cujus quidem peccati gravitas & ſpecies petenda videtur a gravitate materiæ, & ſpecie actus per Legem humanam præſcripti, in quo Lex naturalis præcipit conformitatem. Nam Legis naturalis obligatio accommodatur materiæ gravitati, & eam præſcribit ex eodem motivo, quo Lex humana. Unde videtur peccare mortaliter contra temperantiam, qui non ſervat Legem jejunii ex diſpenſatione ſine juſta cauſſa obtenta. Alii tamen cenſent talem tantum obligari ex juſtitia legali aut diſtributiva, & Legem naturalem tunc non tam ſevere obligare.

*Obj*. 1. Subditus utens diſpenſatione ſibi conceſſa, quamvis ſine juſta cauſſa, utitur jure ſuo. Ergo non peccat. *Reſp*. Nego ant. Quia tenetur adhuc ſervare Legem. Nam quamvis non obligetur amplius ex vi Legis humanæ, tamen adhuc ad actum, in quo diſpenſatus eſt, obligatur ex vi Legis naturalis, præcipientis uniformitatem, & vetantis ne quis ab onere communi ſe ſubtrahat ſine juſte cauſſa, qualis non eſt diſpenſatio injuſta & irrationabilis.

*Obj*. 2. Ergo nullum eſt diſcrimen inter diſpenſatum ſine juſta cauſſa, & non diſpenſatum. *Reſp*. Neg. Hoc enim inter utrumque intercedit diſcrimen, quod ſic diſpenſatus obligetur tantum vi Legis naturalis, nec contrahat pœnas ac cenſuras per Legem inflictas. At non diſpenſatus obligatur non ſolum vi Legis naturalis uniformitatem inter membra ejuſdem communitatis præcipientis, ſed etiam vi Legis humanæ. Unde non ſervando Legem, incurrit pœnas per Legem inflictas, & gravius peccat, quia peccat contra duplicem obligationem; alter vero contra unicam.

*Nota*. Quamvis inferior dubitet utrum ratio petendi diſpenſationem ſit ſufficiens: non tamen peccat illam ſincere proponendo ſuperiori, aut utendo diſpenſatione, ſi detur; modo dubium deponat conformando judicium ſuum judicio ſuperioris, qui prudenter judicaſſe, cauſſam diſpenſandi ſufficientem fuiſſe, præſumendus eſt, niſi oppoſitum conſtet, aut ſit multo probabilius.

Quæſt. V. *Quandonam diſpenſatio invalida eſt ex parte petitionis?*

*Reſp*. Nulla eſt diſpenſatio, ſi ſit ſubreptitia vel obreptitia. Quia tum Superior non intendit diſpenſare, nec diſpenſat, niſi ſub hac tacita conditione: *ſi res ita ſit, & nihil occultetur*, propter quod diſpenſaturus non eſſet, aut ſaltem niſi cum certo onere vel limitatione; nec voluntarium eſt, ſi ignoretur quod agitur, ex cap. 7. de fide inſtr. ubi Innocentius III. ait: *Si tales per ſuppreſſionem veritatis, aut falſitatis expreſſionem, litteras noſtras etiam certas conſtiterit impetraſſe, carere volumus impetratis, & eis non obſtantibus, ad voti executionem compelli*.

Diſpenſatio autem ſubreptitia eſt ea, quæ obtinetur per reticentiam veritatis exprimendæ, ſeu eorum quæ exponi debent in petitione juxta jus & ſtylum. Obreptitia eſt, quæ obtinetur per expreſſionem falſitatis, qua cognita, non fuiſſet data diſpenſatio. Hæc vocatur etiam aliquando ſubreptitia, & utraque ſæpe in jure confunditur, eo quod utraque nullas vires habeat.

Itaque invalida eſt diſpenſatio. 1. Si reticeatur, licet inculpate, aliquid ad rem petitam ſpectans, vel aliquid eorum, quæ ſecundum jura & ſtylum exprimi debent, ex c. 1. *de filiis presb. in 6.* quia ſuperior non intendit dare diſpenſationem, niſi adſint conditiones, quæ ad ipſam intrinſece ſpectant, & quæ jus, ſtylus, conſuetudo, & Leges ſeu regulæ Cancellariæ exigunt, ut cognoſcatur qualis ſit gratia, quæ poſtulatur; & ſine horum omnium cognitione ſuperior non vult dare gratiam qualis petitur, cum eam ut talem ignoret. 2. Nulla eſt, ſi obtineatur ex cauſſa finali falſa, *c. 20. de reſcript.* quia ſuperior non vult diſpenſare ſine juſta, & vera cauſſa, nec poteſt cenſeri velle peccare. Idem dic ſi duæ cauſſæ allatæ ſint, una vera, & altera falſa, & vera per ſe non ſufficit ad diſpenſationem æquam & rationabilem, ſecus ſi ſola cauſſa impulſiva ſit falſa, *ex eod. cap.* Cauſſa autem finalis eſt ea, quæ immediate pertinet ad rem petitam, & ob quam conceditur gratia, ita ut ea non exiſtente, aut nullo modo, aut nonniſi cum quibuſdam conditionibus & limitationibus conceſſa fuiſſet. Cauſſa vero impulſiva dicitur ea, propter quam diſpenſans facilius diſpenſat, ita tamen ut ſine illa ſecundum rectam rationem & cauſſæ meritum diſpenſaturus eſſet eodem modo.

Quæſt. VI. *An valet diſpenſatio, ſi poſt petitionem cauſſa ceſſet*.

*Reſp*. 1. Nulla eſt diſpenſatio, ſi ejus cauſſa finalis non ſubſiſtat tempore, quo conceditur a Papa vel Pœnitentiario, *c. 9. de reſcript. in 6.* quia non volunt concedere diſpenſationem, niſi ob cauſſam, quæ tunc ſubſiſtat: alioqui eſſent iniqui diſſipatores, & ſine cauſſa diſpenſarent. Idem eſt, ſi cauſſa non perſtet eo tempore, quo Commiſſarius, nempe Epiſcopus, vel Confeſſarius diſpenſat, quia ceſſante cauſſa finali mandati ceſſat mandatum, ſi res integra ſit, ex c. 30. *de præb. in 6.* At hic antequam Commiſſarius diſpenſet, res eſt adhuc integra. Præterea Commiſſarius non poteſt diſpenſare niſi ſub hac conditione apponi ſolita, aut ſaltem ſubintellecta, *ſi preces veritate nitantur*; quæ exigit ut cauſſa finalis vere perſtet tempore, quo datur diſpenſatio, & quo examinata precum veritate, executioni mandatur a Commiſſario: alioquin delegaretur poteſtas diſpenſandi ſine cauſſa exiſtente, quod illicitum eſt. Hinc ſi ob cauſſam legitimandæ prolis ex conſanguinea ſuſceptæ petatur diſpenſatio in impedimento, ſed ante obtentam vel a commiſſario datam diſpenſationem proles moriatur, non valet, nec poteſt executioni mandari.

*Reſp*. 2. Si poſt diſpenſationem obtentam, examinatam, & datam a Commiſſario ceſſet cauſſa finalis ante illius uſum, v. g. proles moriatur ante contractum matrimonium, controverſia eſt. Alii putant tunc etiam valere diſpenſationem ſuper impedimento: quia in litteris diſpenſatoriis conceditur diſpenſatio ſub hac ſola conditione jam poſita; *ſi preces veritate nitantur*, cum nempe a Commiſſario examinatur petitio diſpenſationis. Sanchez vero cum multis docet generatim tunc ceſſare diſpenſationem. Quia ſuperior non vult eam valere in caſu, quo ceſſat ejus cauſſa legitima: alioqui peccaret, eſſetque iniquus diſpenſator, concedendo facultatem agendi contra Legem non ſubſiſtente juſta cauſſa. Unde in omni diſpenſatione ſubintelligitur hæc conditio, *Modo cauſſa permaneat tempore executionis*. Idque videtur certum dum diſpenſatio non eſt ſuper impedimento, ſed ſuper obſervantia alicujus præcepti, v. g. officii, jejunii &c. Tunc enim ſtante illius uſum cauſſa ceſſet, manet obligatio ſervandi præceptum quia non eſt mens ſuperioris ab ea liberare ſine cauſſa ſubſiſtente tempore quo urget ipſa obligatio; cum hoc non poſſit licite velle: & quia Lege naturali, a qua nemo poteſt diſpenſari, pars tenetur ſe toti conformare, ceſſante cauſſa exemptionis.

Item

(1) Oppoſitam doctrinam, *inquit Baſ. Pontius* (*lib.* 3. de Matr. *cap.* 24. *n.* 16.) ſcilicet diſpenſationem in lege humana ſine cauſſa datam, non tantum eſſe illicitam, ſed invalidam, videtur ſentire Gabr. Vaſquez cum nonnullis juris interpretibus. *Sed, meo judicio*, ſine efficaci fundamento; tantum enim probant diſpenſationem non eſſe licitam, non tamen eſſe invalidam. *Hoc ipſum in Fortunio Juriſconſulto refellit Covarruvias* (de Matr. *part.* 2. *cap.* 6. §. 9. *n.* 10.) *Nec aliter Bened. XIV.* (lib. 13. de Syn. *cap.* 5.) *ubi juxta communem opinionem DD.* validam *aſſerit* diſpenſationem ſuper propria conſtitutione, etiam ſine cauſſa datam; *etſi* oppoſitam tenendam moneat, quando inferior aut ex privilegio, aut epikeja relaxat legem a Superiore latam, puta cum Epiſcopus aliquem eximit a lege Sum. Pontificis.

Item ſi laſdo uſus ſubſiſtebat cauſſa, ſed poſtea ceſſet, & diſpenſatio habeat effectum ſucceſſivum, ſitque virtualiter multiplex, tum hæc quoque ceſſat, ceſſante ejus cauſſa. Sic ſi quis propter infirmitatem, quæ perpetua fore videbatur, a Lege jejunii diſpenſationem ſine limitatione obtinuiſſet, ſi poſtea convaleſcat, rurſus tenetur jejunare. Quia cum obligatio jejunii ſit ſucceſſiva & multiplex, ſive cum tot ſint obligationes jejunandi, quot ſunt dies Quadrageſimæ, non poſſunt tolli, niſi per totidem diſpenſationes: nam pro ſingulis diebus opus eſt diſpenſatione virtualiter nova, ac proinde requiritur juſta cauſſa, quæ ſingulis illis diebus ſubſiſtat. Nec debet præſumi eſſe mens fidelis diſpenſatoris velle liberare ab aliqua obligatione ſine juſta cauſſa ſubſiſtente tempore obligationis, cum licite non poſſit.

Si vero diſpenſatio ſit ſuper impedimento matrimonii, vel irregularitate ſeu inhabilitate, & jam executioni mandata fuerit, non ceſſat diſpenſatio ceſſante cauſſa: ut ſi quis ob parentum inopiam diſpenſationem ad Ordines obtinuit, ſed poſt ſuſceptos Ordines ceſſat paupertas, non ideo ceſſat diſpenſatio ſuper irregularitate, ſed talis licite exercet Ordines: quia non redit impedimentum ſemel abſolute ſublatum per diſpenſationem; & quia *factum legitime retractari non debet, licet caſus poſtea eveniat, a quo non potuit inchoari*. Reg. 37. jur. in 6.

## CAPUT VII.

### *De Abrogatione & Ceſſatione Legis.*

NOta. Legis abrogatio, derogatio, & ceſſatio inter ſe differunt. Nam abrogatio eſt totius Legis abolitio: Derogatio eſt Legis adhuc vigentis imminutio ſecundum aliquam ſui partem, ſeu abolitio partis Legis. *Derogatur Legi, cum pars detrahitur: abrogatur Lex, cum prorſus tollitur*, l. 120. ſ. *de verbor. ſignif.* Ceſſatio vero eſt ſimplex & pura deſitio legis per ſe ipſam.

Quæſt. I. *An Lex poteſt valide & licite abrogari?*

*Reſp.* 1. Princeps poteſt valide, etiam ſine juſta cauſſa, abrogare Legem a ſe, vel a ſuo prædeceſſore, aut inferiore latam. Probatur 1. pars. Quia Lex poſitiva, ut ſit, & ut conſervetur, pendet a libera voluntate Legiſlatoris: nam Lex eſt actus, & applicatio poteſtatis præcipiendi, & obligandi ſubditos. Hæc autem applicatio eſt actus liber voluntatis Legiſlatoris. 2. Quia qui ſuccedit Legiſlatori cum pari poteſtate, poteſt id totum quod Legiſlator poterat. 3. Quia jus & voluntas ſuperioris prævalet juri & voluntati inferioris.

*Reſp.* 2. Inferiores non poſſunt abrogare Leges ſuperiorum ſine eorum conceſſione, ex *Clement. de elect.* Quia poteſtas & voluntas inferioris non poteſt prævalere poteſtati & voluntati ſuperioris: alioqui inferior eſſet ipſo ſuperiore ſuperior.

*Reſp.* 3. Legem ſine juſta cauſſa abrogans peccat. Nam bono communi nocet, & parit contemptum Legum, ac inconſtantiam regiminis. Non peccant tamen ſubditi non ſervando Legem ſic abrogatam, quia ejus obligatio ſublata eſt reſpectu omnium, cum valide ſit abrogata.

*Nota.* Lex abrogatur tripliciter. 1. Per ſimplicem revocationem. 2. Per deſuetudinem, vel contrariam conſuetudinem expreſſe aut tacite a ſuperiore approbatam, vel legitime præſcriptam. 3. Per aliam Legem, qua vel declaratur revocatio prioris, vel contrarium priori Legi ſtatuatur; nam ſi Lex poſterior ſtare nequeat cum priori, illam revocat, cum ei opponatur. Leges tamen ſpeciales per poſteriores generales non abrogantur, ſine expreſſa mentione, vel clauſula ſaltem generali expreſſe derogatoria: Quia, ut docent communiter Canoniſtæ, Princeps cenſetur ignorare Legem ſpecialem, cujus expreſſam mentionem non facit, vel cui non derogat expreſſe. Unde cum voluntas non feratur in incognitum, non cenſetur velle illi derogare per Legem generalem carentem clauſula derogatoria Legis ſpecialis, ex c. 1. *de conſtit. in 6.*

Quæſt. II. *Quandonam Lex ceſſat per ſe ipſam?*

*Reſp.* Ex communi ſententia ceſſat. 1. Quando elapſum eſt tempus, ad quod lata eſt. 2. Quando propter mutationem materiæ, vel circumſtantiarum, facta eſt injuſta, aut inutilis bono communi: nam Lex omnis eſt eſſentialiter honeſta & utilis communitati. 3. Quando ceſſat reſpectu communitatis tota & adæquata ratio ſeu cauſſa finalis propter quam lata eſt. Nam Lex non obligat, niſi quamdiu legiſlator vult ut obliget; immo lex ipſa ſaltem ex parte eſt ipſa Legiſlatoris jus ſuum ad obligandum ſubditos applicantis voluntas moraliter perſeverans; unde lex non perſeverat, niſi eadem voluntate moraliter perſeverante. At voluntas obligandi non perſeverat moraliter, ceſſante tota & adæquata cauſſa, propter quam Lex lata eſt: nam ceſſat volitio; ceſſante motivo volendi, ſeu cauſſa finali propter quam volumus: actus enim volendi nec eſſe nec perſeverare poteſt, ſublato ejus objecto formali, nempe motivo.

Si tamen ratio ſeu cauſſa Legis ceſſet ſolum reſpectu aliquorum privatorum, Lex non ceſſat, ſed ſemper obligat etiam illos privatos. *Ita Suarez, Azor, Layman, & alii communiter*: quia Legiſlator vult, ut omnes lege teneantur, quamdiu illa lex utilis eſt bono communi, & honeſte ſervari poteſt. Nam legis obſervatio in tali caſu confert ad illius vigorem ac robur, & ad bonum commune exigens membrorum conformitatem, alioquin daretur ſubditis occaſio ſæpe eludendi leges; nam ſibi quiſquis facile fingeret finem Legis reſpectu ſui ceſſare. Quare bonum commune exigit, ut tunc Lex obliget.

## CAPUT VIII.

### *De Lege pœnali, & irritante.*

NOta. Lex pœnalis eſt ea, quæ pœnam expreſſe apponit tranſgreſſoribus. Alia eſt pure pœnalis, & alia mixta.

Quæſt. I. *An extant Leges pœnales?*

*Reſp.* 1. Ex communi ſententia, extant Leges pœnales mixtæ, quæ obligant in conſcientia abſolute ſub culpa & pœna. Nam Lex pœnalis mixta eſt ea, quæ præcipit aliquid faciendum vel omittendum, & ſimul pœnam tranſgreſſoribus imponit; ideoque duo præcepta continet, unum faciendi, vel omittendi aliquid, aliud ſubeundi pœnam impoſitam, ſi ſecus fiat. At omne præceptum legitimum obligat in conſcientia. Ergo. Et vero impoſitio obligationis ad utrumque



plerumque bono communi expedit; & ſæpe neceſſaria eſt: nam ſæpe una obligatio ſine altera non eſſet ſatis efficax ad conſequendum finem lege intentum; utraque autem ſimul valde urget obſervationem legis.

Porro leges, in quibus apponitur pœna cum verbis præcipiendi vel prohibendi, ſunt pœnales mixtæ, niſi Legiſlator, vel conſuetudo declaret eſſe pure pœnales. Nam lex aliquid præcipiens vel vetans, non apponendo pœnam, obligat abſolute ſub culpa. Ergo etiam ſic obligat apponendo pœnam; nam pœna præcepto appoſita, non tollit ejus obligationem, ſed potius confirmat.

*Reſp.* 2. Extant etiam leges pure pœnales. Nam Lex pure pœnalis eſt ea, quæ præcipit tantum disjunctive, ut vel fiat id quod ſtatuitur, vel certa pœna ſubeatur: unde unicum continet præceptum, illudque disjunctivum, ſcilicet faciendi, omittendive aliquid, vel ſubeundi pœnam aliquam, ſi illud fiat aut omittatur. At extant ejuſmodi leges aliquæ: nam tales ſunt conſtitutiones ſeu leges quarumdam Religionum, ut de ſua teſtatur S. Th. 2. 2. q. 186. art. 9. ad 1. Et vero quidni darentur tales leges, cum ſæpe magis expediant ſaluti ac bono ſpirituali ſubditorum? Sæpe enim per illas ſubditi ſufficienter impelluntur timore pœnæ ad actum conſcriptum, & tollitur periculum peccandi, quod alias eſſet.

*Obſerv.* 1. Duplex eſt pœna; una proprie dicta, quæ eſt malum ſeu incommodum aliquod naturæ, vel voluntati contrarium, ad vindicandam culpam aliquam inflictum. Et altera improprie dicta, quæ eſt onus quoddam vel incommodum impoſitum, non propter culpam, ſed propter aliam cauſſam, puta ut illius metu impellamur ad aliquid faciendum, vel omittendum. De hac intelligi debet reg. 23. Jur. in 6. *Sine culpa, niſi ſubſit cauſſa, non eſt aliquis puniendus* (Vide N. 218.)

2. Lex pure pœnalis obligat quidem in conſcientia & ſub culpa, ſed ſolum disjunctive vel ad actum præſcriptum, vel ad pœnam improprie dictam ſubeundam: quia alterutrum tantum præcipitur. Hinc ſubditus omittendo actum peccat, niſi paratus ſit ad pœnam illam ſubeundam; nam ſemper eſt contra rectam rationem & legem divinam, non obedire ſuperiori præcipienti, eo modo ſcilicet & quatenus præcipit.

3. Lex certam pœnam apponens, cognoſcitur eſſe pure pœnalis, vel ex verbis Legiſlatoris, quibus declaret ſe velle obligare disjunctive tantum ad actum aut ad pœnam, vel ex ipſa forma Legis, ut ſi disjunctive præcipiatur vel prohibeatur aliquid, v. g. *Nullus tales merces evehat, vel ſolvat 50. nummos*: tunc enim datur optio ad alterutrum: vel ſi Lex non feratur per modum præcepti aut prohibitionis: *Qui venaturus eſt, centum libras ſolvet*: niſi pœna ſit graviſſima, vel cenſura; aut ex circumſtantiis, aut materia veroſimilius appareat contrarium. Item Lex pure pœnalis cognoſcitur ex communi ſapientum interpretatione, vel ex conſuetudine, quæ eſt optima Legum interpres.

Quæſt. II. *An & quando Lex pœnalis obligat ad ſubeundam pœnam ante omnem ſententiam Judicis?*

*Nota.* Pœna alia eſt lata, quæ ipſo facto, ſeu ſola culpæ admiſſione infligitur per Legem; & altera ferenda, quæ ſtatuitur infligenda per Judicem. Item duplex eſt ſententia Judicis, una condemnatoria, per quam reus a Judice condemnatur ad certam pœnam; altera criminis declaratoria, per quam Judex declarat aliquem incidiſſe in crimen, propter quod pœna ipſo facto contrahitur, & eam ſubeundam eſſe. Hic non agitur de pœna ſententiæ ferendæ; nam patet reum non obligari ad eam perſolvendam, donec Judex eum condemnaverit. Lex enim ſtatuit ſolum eam a Judice eſſe infligendam.

*Reſp.* 1. Ex communi ſententia; reus tenetur ante ſententiam Judicis, etiam declaratoriam, ſubire pœnas ipſo facto latas, ſive illæ pœnæ ſint paſſivæ, quæ nullam rei actionem requirant, ut ſunt cenſuræ, irregularitas, privatio vocis paſſivæ & activæ, irritationes contractuum, inhabilitas; ſive ſint privativæ, quæ irritent actum vetitum, & reum inhabilem reddant, licet executioni mandari nequeant ſine rei actione; ſive ſint activæ ſed moderatæ, ut ſunt recitatio aliquarum precum, jejunium, moderata corporis caſtigatio, mulcta pecuniaria, & ſimiles. Conſtat 1. Ex communi Eccleſiæ ſenſu & uſu. 2. Quia Legiſlator poteſt per ſuam Legem infligere & exequi pœnas ejuſmodi, quoties hic modus infligendi, & obligandi, ad illas neceſſarius eſt, aut valde expedit bono communi, ſicut reipſa ſæpe expedit. Nam Legiſlator habet poteſtatem ad ea omnia, quæ expediunt bono communi. 3. Non minor eſt poteſtas obligativa in Lege, quam in ſententia Judicis: cum Lex ſit actus immediate procedens a Principis poteſtate: ſententia vero ſit a poteſtate delegata Principis: & Legiſlator poteſt per ſuam Legem infligere & exequi pœnam, quam poteſt per Judicem, qui ab eo totam ſuam poteſtatem accipit, quando per talem modum exequendi pœnam, pœna non redditur nimis acerba & moraliter impoſſibilis. Ergo ſi reus tenetur ſubire & exequi pœnam per ſententiam Judicis inflictam, tenetur etiam ſubire & exequi pœnam per Legem inflictam, ſi illa pœna, ut ſtatim & ante omnem ſententiam a reo perſolvenda, non ſit nimis acerba, & moraliter impoſſibilis. Quod addo, quia lex humana debet eſſe tolerabilis, & accommodata imbecillitati ac conditioni humanæ; alioquin eſſet occaſio multarum tranſgreſſionum, & ideo magis obeſſet quam prodeſſet.

*Reſp.* 2. Ex communi ſententia reus non tenetur ante ſententiam declaratoriam ſubire pœnam ipſo facto latam, quæ executioni mandari nequit ſine actione rei, ſi illius executio ſit admodum acerba & difficilis, ut confiſcatio omnium bonorum, privatio beneficii juſte poſſeſſi &c. niſi addantur aliæ voces plus ſignificantes, v. gr. ut nulla alia præmiſſa monitione, & ante omnem declarationem, & promulgationem ſententiæ ſit privatus beneficio &c. Quia 1. communis uſus tales Leges ſic interpretatur: & aliunde voces, *ipſo facto*, *ipſo jure*, in illis Legibus poſitæ ſufficientem effectum habent: nam ſignificant ad pœnam ſtatutam contrahendam non requiri ſententiam condemnatoriam, ſed ſufficere declaratoriam, faciuntque ut pœna illa extendatur ac retro remittatur uſque ad diem commiſſi criminis; ita ut alienatio v. gr. bonorum a die commiſſi criminis facta, reſcindi queat. Cap. 16. *de hæret. in 7.* cum ſtatutum eſſet bona hæreticorum eſſe *ipſo jure* confiſcata, mox additur, ne executio confiſcationis fiat ab ullo Principe ſæculari, donec a Judice compe-

tenre ſententia ſuper eodem crimine fuerit promulgata. (1)

Quæſt. III. *An ignorantia excuſat a reatu pœnæ?*

*Reſp.* 1. Omnis ignorantia, quæ excuſat a culpa, excuſat etiam a reatu, ſeu debito pœnæ proprie dictæ, ex c. 9. de cler. excom. Quia pœna proprie dicta ſtatuta eſt ob culpam, & hanc neceſſario ſupponit. Ergo quod tollit culpam, tollit meritum, ac reatum pœnæ.

Hinc 1. Qui Legem aliquam non ſervavit ex ignorantia inculpabili, non tenetur in conſcientia ad pœnam ſubeundam, quamvis Lex eam imponat ipſo facto. Quod ſi condemnetur a Judice, quia non poteſt probare ſuam inculpabilem ignorantiam, de qua certus eſt, poteſt pœnam vitare, modo id ſine publica reſiſtentia & ſcandalo fiat. 2. Ignorantia excuſans a culpa, excuſat etiam ab irregularitate ex delicto: quia hæc eſt proprie pœna, aut ſaltem eam ut

(1) Quæ ad nitidam, atque exactam intelligentiam Controverſiæ de legibus pure pœnalibus ſcitu neceſſaria mihi videntur, ſequentibus ſex capitibus comprehenduntur. Diſquirere oportet. 1. Quid de humanarum legum obligatione generatim ſentiendum ſit. 2. Quotuplex eſſe poſſit obligatio legum pœnalium. 3. Quotuplici ſenſu leges dicantur mere pœnales. 4. Num exiſtant revera ſtatuta mere pœnalia. 5. Quæ, & quot de iiſdem opiniones Doctorum circumferantur. 6. Quidnam relate ad praxim deducendum ſit ex univerſa doctrina præcedenti. Majori, qua licet, brevitate de ſingulis haud mora diſſeramus.

Ad primum quod attinet, Novatores tum ante, tum poſt Lutherum Orbi perſuadere conati ſunt, leges humanas ſeu Eccleſiaſticas, ſeu Civiles nullam hominibus imponere neceſſitatem parendi in foro conſcientiæ, cum id leges dumtaxat Divinæ præſtare valeant. Perverſam iſtorum doctrinam Auctor (cap. 2. q. 1.) ſtrenue jam confutavit. Nonnulli ex Catholicis obligationem legum humanarum ſic admiſerunt, ut voluerint ipſas ligare ſubditos homines, non ex vi ſua, ſed præciſe quatenus jus Divinum, ſeu Naturale, ſeu poſitivum, proponunt & explicant, adeoque earumdem legum tranſgreſſionem eatenus malam moraliter evadere, quatenus Divinis mandatis adverſari deprehenditur. Hujus opinationis parens creditur Jan. Gerſon. (tract. de Vit. Spirit. lect. 4.) quamvis eum aliqui vindicare ſtudeant. Univerſalis, & vera Theologorum ſententia eſt, leges humanas etiam qua tales poſſe obligare in conſcientia, adeo quidem ut vis hujuſmodi proxime oriatur ex legiſlativa poteſtate, quam a Deo receperunt humani Legiſlatores. Unde quod Angelicus ſcribit (1. 2. q. 96. n. 4.) lex humana non obligat, niſi in quantum derivatur a lege æterna, ſic exponere ſolent: non quaſi neceſſe ſit, Divinis legibus præſcribi, aut vetari quidquid humanæ proponunt faciendum, aut omittendum: ſed quia leges humanæ pendent a lege Dei æterna, & quoad conformitatem materiæ, & quoad auctoritatem legiſlatorum. Alii rurſus Catholici duce Navarro (Manual. cap. 23. n. 55.) quamvis adverſus memoratos Doctores, præſertimque Cajetanum propugnent gravem vim humanarum legum, quoties conſtet Legiſlatores voluiſſe obligare ſub mortali: attamen exiſtimant, leges humanas, potiſſimum Civiles, etiam præcipientes, non obligare tranſgreſſores ad culpam, pœnamque æternam, ſed ad pœnam temporalem dumtaxat, quando ex una parte Legiſlatores in iiſdem legibus ſolam pœnam temporariam ſtatuunt, & ex alia non conſtat, vel dubium eſt, ipſos voluiſſe obligare tranſgreſſores etiam ad pœnam æternam, adeoque ad culpam mortalem. Unde inferunt cum eodem Navarro (n. 60. & ſeq.) eos minime peccare, qui important in Regna vel Urbes, vel exportant ab eis prohibita auferri vel extrahi, non ſoluto vectigali & portorio; qui item piſcantur in fluminibus vetitis, aut montes vel prata prohibita depaſcunt, aut cædunt ligna in ſilvis vetitis. Addunt tamen, tranſgreſſores ad culpam iiſdem obligari in caſu, quod tales Leges fuerint antecedenter jam conditæ ab aliis Legiſlatoribus, qui ad mortale obligare voluerant. Porro & hæc poſterior opinio nunc a pleriſque cordatis Theologis rejicitur tamquam abſona, & periculoſa. Hæc omnia inſtar fundamentalis doctrinæ debent eſſe unicuique explorata.

Ad ſecundum, ubi humana lex quidpiam proponit intentata pœna a tranſgreſſoribus luenda, adeoque lex pœnalis vocatur (ex. ca. ſi Epiſcopus ſub excommunicationis majoris cenſura vetat Diœceſanis ſuis acceſſum ad Monaſteria Monialium; aut Princeps ſub pœna carceris, vel confiſcationis bonorum prohibeat e territorio evehi annonam) tunc duplex diſtingui poteſt obligatio per talem legem inducta. Una eſt directa & proxima, quæ reſpicit actum ab ipſa lege prohibitum, aut præſcriptum: qualis eſt in exemplis allatis acceſſus ad Moniales, aſportatio annonæ. Altera quaſi indirecta & remota, quæ refertur ad pœnam tranſgreſſoribus legis præſtitutam, puta excommunicationem, & confiſcationem, quam acceptare, & ſubire debet quiſquis legem violavit.

Ad tertium, Leges concipi, & appellari poſſunt pure pœnales gemino in ſenſu juxta duplicem obligationem mox explicatam: 1. Quatenus nullo modo in conſcientia obligant tranſgreſſores ad culpam, ſive quoad actum lege præſcriptum aut vetitum, ſive quoad pœnam ſtatutam in lege. 2. Quatenus in conſcientia tantummodo non obligant ad actum, etſi obligent ad pœnam acceptandam tranſgreſſione ſecuta. Itaque aut preſſe, aut late poſſunt intelligi pure pœnales.

Ad quartum, Plures ſeu in Eccleſiaſtica, ſeu in Civili Republica exiſtere ordinationes, quæ ex ſe ad nullam prorſus obligant culpam, ſed ſolum ad pœnam aliquam, nullus rerum peritus ambigere poteſt. Statutis enim hoc ſenſu mere pœnalibus abundant Communitates quælibet Sæculares tum Urbium, tum Oppidorum relate ad uſum armorum, diſtractionem mercium, venationem, piſcationem, & ſimilia. Ingens quoque eorum numerus apud Religioſas Familias, præſertim SS. Bened. Dominici, Auguſtini vexilla præſeferentes. Hinc Angelicus diſputans de Monaſticis Regulis, aliquo modo ad cuſtodiam trium votorum ordinatis, docet variam eſſe earum obligationem juxta varietatem religionum (2. 2. q. 189. art. 9. ad 1.) ſubditque: in aliqua tamen Religione, ſcilicet Ordinis Prædicatorum, tranſgreſſio talis,



ut cauſſam ſupponit: ſecus de irregularitate ex defectu, quia non eſt proprie pœna, nec ſupponit culpam, ſed ſolum factum aliquod, quod non impedit ignorantia.

*Reſp.* 2. Ignorantia excuſans a culpa mortali, licet non excuſet a veniali, excuſat a pœna gravi Legis. Quia gravis pœna non imponitur per Legem humanam, niſi propter gravem culpam: nam Lex humana debet eſſe tolerabilis, & accommodata conditioni humanæ, nec moderationem rationabilem & æquitatem excedere debet. Quod ſi pœna ſit levis, & talis, quæ cadere poſſit in culpam venialem, tunc ignorantia non excuſans a veniali, non excuſabit ab illa.

*Reſp.* 3. Ignorantia, quæ non excuſat a culpa gravi, non excuſat a pœna, niſi in Lege addatur verbum, quod dolum aut ſcientiam requirat. Quia cum tali ignorantia ponitur culpa propter quam pœna ſtatuitur.

Dixi, *niſi in Lege &c.* propter quaſdam Leges, in

lis, vel omiſſio ex ſuo genere non obligat ad culpam neque mortalem, neque venialem, ſed ſolum ad pœnam taxatam ſuſtinendam; quia per hunc modum ad talia obſervanda obligantur: qui tamen poſſunt venialiter, vel mortaliter peccare ex negligentia, vel libidine ſeu contemptu. Et mox (reſp. ad 2.) dicendum quod non omnia, quæ continentur in lege, traduntur per modum præcepti; ſed quædam proponuntur per modum ordinationis cujuſdam, vel ſtatuti obligantis ad certam pœnam. Ex adverſo gravioribus ſtringuntur manicis Franciſcani, apud quos ingens copia legum partim moralium, partim mixtarum. In hunc uſque diem inter DD. diſceptatio ſolum eſt, an deſcripta ſtatuta mere pœnalia, tum Eccleſiaſtica, tum Civilia, vera legis nomen, & rationem habeant; vel potius appellationem ſibi vindicent conſiliorum, regularum, ordinationum, directionum, quæ hortantur & monſtrant, quid fieri deceat, non tamen præcipiunt, ut ſic fiat.

Ad quintum, Circa pœnales leges triplex univerſim ſecerni poteſt opinandi modus. 1. Quidem, ſi admittas preſſe pœnales, quatenus nec ad actum, nec ad pœnam per ſeſe obligant in conſcientia: quod tueri nequeunt niſi ii, quibus placent male tuta ſyſtemata, in ſuperiori primo §. a nobis delineata. 2. Si approbes dumtaxat late pœnales, quæ ſcilicet etſi non obligent in conſcientia ad actum, obligant tamen ad pœnam poſt tranſgreſſionem ſubeundam: in quo ſenſu Auctor, Hennus, Coletus, Anacletus, & alii plurimi aſſerunt dari leges pure pœnales. 3. Si rejectis pure pœnalibus juxta utramque iſtam notionem, contendas nullam eſſe poſſe legem pœnalem, quæ non ſit mixta, hoc eſt quæ non obliget in conſcientia ſub alicujus culpæ, aut mortalis aut venialis reatu ad actum ſimul, & ad pœnam: quomodo ſentiunt Sylveſter, Sotus, Sylvius, Azorius, & alii itidem multi quorum ſententia videtur conformior menti D. Th. Nam (1. 2. q. 90. ar. 1.) ait: dicitur lex a ligando, quia obligat ad agendum, & (q. 96. ar. 4.) leges poſitas humanitus non agnoſcit, niſi juſtas, vel injuſtas, ſubditque abſolute: ſi quidem juſtæ ſunt, habent vim obligandi in foro conſcientiæ, & (q. ead. ar. 5.) lex de ſui ratione duo habet: primo, quod eſt regula humanarum actuum, ſecundo, quod habet vim coactivam. Priori modo ſubduntur legi, ſicut regulatum regulæ, omnes qui ſubduntur poteſtati legiſlatoris: poſteriori modo boni non ſunt ſub lege, ſed ſolum mali. Quæ omnia ſimul juncta, aptoque ratiocinio diſpoſita, ſatis evincunt, non poſſe dari humanam legem veri nominis, quæ in conſcientia non obliget aliquo modo ad proximam directamque legis materiam, ſcilicet ad actum quempiam, vel faciendum, vel omittendum. Exinde concludunt iidem DD. juxta textum ſuperiorem Angelici (2. 2. q. 186. ar. 9.) quod ſi contingat, ut Legiſlator declaret, ſe non velle per ſuam conſtitutionem obligare ad culpam, ſed tantum ad pœnam: tunc conſtitutio ejuſmodi non ſit proprie lex, utpote non habens vim præcepti, quod in communi legis definitione neceſſario includitur; etſi vulgari ſermone dicatur lex pure pœnalis; quia nempe per modum legis pœnam ſtatuit. Nec, inquiunt, vis ligandi eſſentialis cuilibet veræ ac juſtæ legi comprehendenti omnes ſubditos ſeu bonos ſeu malos, ſufficienter ſalvatur per hoc, quod illa ſtatuta mere pœnalia obligent ad ſubeundam pœnam ſub reatu culpæ coram Deo incurrendæ. Quippe primario, & per ſe ligamen legis eſt ad agendum: & ea obligatio ad ſuſtinendam pœnam eſt aliquid conſequens accidentario ad ipſam conſtitutionem, cum exiſtat ob ſolam tranſgreſſionem profluentem ex libera voluntate malorum ſubditorum. Porro ex ſerie trium diverſarum opinionum hactenus deſcriptarum quiſque facile deteget duo hæc, primum, plurimos TT. ſtantes pro veris legibus pure pœnalibus haudquaquam credere, illas carere omni penitus vi obligandi in conſcientia: quia ipſorum judicio ſaltem obligant ad pœnam: ſecundum, multos alios TT. admittentes ſtatuta mere pœnalia non idcirco cenſendos aſſertores legum pure pœnalium, quia nomen legis non niſi conſtitutionibus moralibus, aut mixtis accommodant.

Ad ſextum, Quod ſpectat ad praxim, non eſt, cur quis animadvertens ingentem extare copiam pœnalium Statutorum, ſimulque tantam circa illa vigere apud Doctores varietatem opinionum, arbitretur ſe frui poſſe liberiore aura in moralis, civiliſve vitæ negotiis. Enimvero (præterquam quod omiſſa ſcholaſtica lite de vocabulis legum, & ordinationum, ſeu directionum, Auctores plerique ſanæ doctrinæ nunc conveniunt in tuenda aliqua vi obligativa in foro conſcientiæ earumdem Statutorum, ſeu quoad actum ſimul & pœnam, ſeu quoad pœnam ſaltem: ac præterea in maxima Statutorum multitudine non adeo facile, ac certo vel a Doctis ipſis dignoſci, & definiri poſſit, quænam ſint revera pure pœnalia, quænam mixta) varias ob cauſſas valde pronus eſt lapſus, etiam dum violantur tæ conſtitutiones, quæ ex ſe, hoc eſt ſecluſa obligatione alicujus moralis præcepti vel naturalis, vel Divini, vel humani, non obligant ad ullam culpam, ſed ſolam pœnam. Hinc inter ceteros legum, ſeu conſtitutionum mere pœnalium aſſertores P. Anacletus hæc tandem ſcribit (in Jur. Can. lib. 1. Decr. tit. 2. de Conſt. §. 9. n. 101. & 103.) Quamvis in traſgreſſione legis mere pœnalis nulla interveniat culpa theologica, ſeu peccatum coram Deo, nihilominus intervenit culpa legalis ſeu politica, quæ im-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

in quibus additur: *Qui ſcienter, vel temere hoc fecerit: ſi quis præſumpſerit*, aut aliud æquivalens, quod ſcientiam requirit. Tunc enim pœna non contrahitur, niſi culpa fiat ex ſcientia, vel ex ignorantia affectata, quæ æquiparatur ſcientiæ: quia Legiſlator (ut verba Legis indicant) non vult punire tranſgreſſionem Legis licet mortalem, niſi habeat talem modum gravitatis, ut nempe fiat ex certa ſcientia, & temeritate, quæ circumſtantia multum auget culpam. Hinc ignorantia affectata nunquam excuſat a pœna gravi, quia merito æquiparatur ſcientiæ, cum includat ſcientiam periculi directe voliti, contemptum Legis, temeritatem ac præſumptionem; & auget culpam propter majorem affectum peccandi.

*Reſp.* 4. Ignorantia licet invincibilis ſolius pœnæ non excuſat a pœna, quæ ſaltem non ſit cenſura. Quia 1. Ignorantia ſolius pœnæ non excuſat a culpa, propter quam eſt obligatio ad pœnam Lege ſtaturam. Et ideo Deus infideles pœna æterna ob peccata mortalia punit, quamvis invincibiliter ignorent talem pœnam illis debitam eſſe. Item homines mortis pœna mulctant fures, quamvis eam ignorantes. 2. Pœna non debet eſſe voluntaria ſicut culpa: immo magis eſt pœna, dum eſt involuntaria.

*Sed an qui ponit actum aliquem Lege divina, & humana prohibitum, excuſatur a pœna Legis humanæ, ſi ignoret inculpabiliter ſolam Legem humanam?*

*Reſp.* Non videtur excuſari, regulariter loquendo. Quia talis ignorantia non tollit omnem cauſam pœnæ, nempe culpam. Nam in hoc caſu violatur culpabiliter Lex divina, & Lex humana non ſolum intendit punire tranſgreſſionem ſuam voluntariam, ſed etiam culpam contra Legem Dei commiſſam: & aliunde notitia pœnæ non eſt neceſſaria ad contrahendam ipſam pœnam. Hinc rebaptizans fit irregularis ex delicto, licet ignoret invincibiliter Legem Eccleſiaſticam de hoc latam, ſi non divinam.

Dixi *regulariter*. Nam 1. excipiuntur cenſuræ, a quibus excuſat ſemper ignorantia invincibilis Legis Eccleſiaſticæ, eo quod requirant contumaciam contra Legem Eccleſiaſticam, qua caret is, qui ignorat invincibiliter talem Legem. 2. Si pœna extraordinaria ſit, minui debet; quia minor eſt contemptus, ideoque culpa minorem pœnam meretur. (1)

Quæſt. IV. *Quid eſt Lex irritans, & quinam ejus effectus?*

*Reſp.* 1. Lex irritans eſt ea, quæ ſtatuit actum aliquem eſſe invalidum. Conſtat autem actum, qui fit contra talem Legem, eſſe nullum etiam in foro conſcientiæ. Quia in Eccleſia & in Republica eſt poteſtas legitima irritandi actus; ſive præſcribendo certam formam actui, cujus defectus impediat actuum valorem & obligationem; ſive ſubditos reddendo inhabiles ad certos actus. Nam talis poteſtas ad bonum commune, & rectam ac efficacem gubernationem requiritur, cum ſine tali poteſtate fraudes, pericula, aliaque gravia incommoda impediri ſæpe nequeant.

*Reſp.* 2. Invincibilis ignorantia Legis irritantis non impedit irritationem actus factam immediate propter bonum commune: *indubitatum eſt apud omnes*, ait Suarez. Vid. N. 224. 225.) Quia irritatio non ſupponit culpam: cum impoſita ſit non propter illam, ſed propter bonum commune, quod poſtulat ut Lex irritans habeat effectum ſuum pro iſto & omni alio caſu. Ergo a fortiori nec metus gravis impedit irritationem actus, alioquin homines ſumerent occaſionem incutiendi metum ad eludendam Legem, quod bono communi multum obeſſet & in grave reipublicæ detrimentum redundaret. Nec poteſt quis derogare bono communi, cedendo proprio.

*Reſp.* 3. Lex irritans ſimul & prohibens actum, obli-

portat defectum a lege, & contra laudabilem Reipublicæ vel Ordinis Religioſi conſtitutionem admiſſum: quæ proinde culpa ab aliis appellatur imperfectio poſitiva, ac merito caſtigatur pœna competenti . . . . Fatendum tamen, quod in deliberata tranſgreſſione talium legum, ſeu ſtatutorum ſæpius interveniat per accidens aliqua culpa theologica: idque tum ob adjunctam quamdam vilipenſionem legis, vel ob intervenientem inopinatam paſſionem, aut negligentiam, ſeu aliam circumſtantiam pravam. Sic peccat venialiter Religioſus, qui frangit tempus ſilentii, per Statuta Ordinis ſub mera pœna injuncti, garriendo inutilia, otioſa &c. Item peccat venialiter, vel mortaliter Sæcularis, qui geſtat habitum, ceteroquin ſub mera pœna prohibitum, ex vana gloria, ex contemptu legis, aut alio pravo fine, vel concurrentibus aliis circumſtantiis mortaliter, ſive venialiter peccaminoſis, quales in deliberata tranſgreſſione Statutorum, licet ex ſe ſub culpa non obligantium, raro abeſſe ſolent. *Hæc Germanus Scriptor omnium judicio benignus. Legito etiam, quæ hac ipſa de re docet Angelicus* (2. 2. q. 186. art. 9. in reſp. tum ad 1. tum ad 3.) *ubi pariter explicat* libidinem, *ſeu* contemptum *illum*, ad quem diſpoſitive inducit frequentia *tranſgrediendi pœnalia ejuſmodi Statuta.*

(1) *Quæ in hac integra* 4. 3. *continentur, reperies expoſita ſeptem diſtinctis theſibus N.* 219. *uſque ad* 223. *Harum tamen poſtrema, quam ibidem retulimus ex ore, & calamo graviſſimorum DD. ex parte diſcrepat a præſenti Doctrina Auctoris. Porro autem in iſta materia* legum pœnalium *hucuſque diſcuſſa, ſi quæ oriantur dubia circa illarum interpretationem, conſtanter præ oculis habenda communis regula*, in pœnis benignior eſt interpretatio facienda, *quam Auctor ſupra* (cap. 5. q. 2. nu. 4.) *jam declaravit. Sic ex. ca. Bened. XIV.* (*lib.* 9. de Syn. *cap.* 6. *n.* 10.) *tradit, Clericos, necdum incorrigibiles, non eſſe exauctorandos, & Sæculari foro ſubjiciendos ob flagitia quibus in Jure Eccleſiaſtico non eſt expreſſe, & nominatim adnexa pœna degradationis; puta ob parricidium, tametſi ſit immanius, quam aliquod ex criminibus in eodem Jure expreſſis*: quia leges pœnales non complectuntur delicta, quæ non exprimunt, etiamſi ſint expreſſis graviora. *Item* (lib. 12. *c.* 2. n. 2.) *docet, Clericos, non deferentes clericalem habitum, & tonſuram, juxta Tridentinum Decretum amittere dumtaxat privilegium* fori, *minime autem exui* omnibus *exemptionibus Clericorum*: quia cum verſemur in materia pœnali, odioſa, & reſtrictiva juris communis, Tridentini verba non ſunt extendenda ultra privilegium fori, quod unice exprimunt.



gat in conſcientia ad vitandum illum actum. Quia Lex illa continet præceptum prohibens. Lex vero pure irritans actum, non obligat ad illum vitandum: quia Lex illa non continet præceptum omittendi actum, quem irritat, & ad finem talis Legis ſufficit irritatio actus abſque obligatione abſtinendi ab illo. Hinc Lex irritans renunciationem hæreditatis paternæ factam a filia dote contenta, dum nuptui collocatur, non obligat illam ad non renunciandum.

Lex autem cenſetur pure irritans, quando ejus verba nullam continent prohibitionem, ſed præciſe actum irritant, niſi contrarium ex materia, fine, vel circumſtantiis, aut uſu colligatur; ut contingit in Legibus Eccleſiaſticis irritantibus, & quoties inhoneſtum eſt velle facere actum, qui non poteſt fieri valide, v. g. matrimonii contractum.

*Reſp.* 4. Lex ipſo facto irritans obligat in conſcientia ad ea omnia, quæ per ſe ex irritatione ſequuntur. Nam talis Lex actum, quem irritat, privat omni uſu ac utilitate morali: ad hoc enim ipſo facto irritatur, ut omni utilitate morali careat: Ergo omnis moralis uſus illius illicitus ac vetitus eſt vi Legis irritantis, & non tantum vi Legis naturalis: alioqui talis actus non privaretur per Legem irritantem omni morali utilitate, ſi adhuc licitus eſſet illius uſus in ordine ad effectus morales. Ergo etiam vi Legis irritantis obligamur ad omnia, ad quæ tenemur ex natura rei, ac proinde Lege naturali ex hypotheſi nullitatis actus.

Hinc v. g. Lex ipſo facto irritans acquiſitionem fructuum beneficii, hoc ipſo privat illam omni utilitate morali, & ſic reddit omnem illius uſum moralem illicitum; ac proinde non ſolum vi Legis naturalis, ſuppoſita nullitate actus, ſed etiam vi Legis humanæ actum illum irritantis, tenetur ſubditus in conſcientia fructus illos reſtituere.

*Reſp.* 5. Lex non irritans ipſo facto actum, ſed ſolum præcipiens ejus irritationem, non obligat privatas perſonas ante ſententiam Judicis, ad irritandum actum: nam irritatio eſt actus proprius poteſtatis publicæ, & ita ſi non ſit per Legem, fieri debet per Judicem, cui ſoli illam Lex præcipit. Neque etiam obligat ad ea, quæ ex actus irritatione per ſe conſequuntur, quia nondum eſt irritatio actus ante ſententiam Judicis.

## ARTICULUS IX.

### *De Privilegio & Conſuetudine.*

QUæſt. I. *Quid, & quotuplex eſt Privilegium?*

*Reſp.* Privilegium eſt facultas conſtans ac permanens, a ſuperiore conceſſa, agendi vel non præſtandi aliquid contra, vel præter Legem. Hinc differt a diſpenſatione, quæ ſolum eſt ad actum vel caſum particularem, nec eſt permanens, ſed tranſiens, & ſemper eſt relaxatio Legis (1). Dividitur præcipue 1. in reale, quod conceditur ratione rei, muneris, conditionis vel ſtatus; & in perſonale (2), quod directe conceditur ratione ſeu intuitu perſonæ. Hoc affixum eſt perſonæ, & cum ea extinguitur, *reg. Jur. in* 6. Reale vero affixum eſt rei, & cum ea perſeverat, & perit. 2. In privilegium contra Legem, quo datur exemptio ab oneribus communibus; & in privilegium præter Legem, quo conceditur aliqua facultas iis, quibus de jure non competit; ſed ſine ullius damno, nec contra Legem aliquam. Prius eſt odioſum, & ſtrictæ interpretationis, cum gravet alios, niſi datum ſit in favorem cauſſæ piæ vel pubblicæ, aut communitatis Religioſæ. Poſterius eſt amplæ interpretationis, quia nullos gravat. (3)

Quæſt. II. *Quis Privilegium concedere poteſt?*

*Reſp.*

(1) Privilegii, *duplex ethymologia ſolet aſſignari. Quidam illud ſic dici autumant, quaſi ſit* privans lege, *hoc eſt, eximens a lege communi. Alii ita vocari cenſent, quaſi ſit* lex privata, *hoc eſt, ſpeciale aliquod concedens* (fruſtra *enim, juxta vetus adagium*, privilegio impetratur, quod jure communi competit) *quam propterea privilegiatus ſequi poteſt: etſi ab ea non ligetur ita, ut nequeat licite, ſi voluerit, ſecus agere, ordinarie loquendo. Ex definitione ab Auctore tradita liquet*, privilegium *bifariam differre a* diſpenſatione 1. *nempe, quia non ſolum datur* contra *legem* (*ut diſpenſatio, quæ idcirco dicitur* vulnus *legis*) *ex. ca. cum eſus lacticiniorum indulgetur jejunii tempore; ſed etiam* præter *ſeu ultra legem, ex. ca. cum facultas conceditur abſolvendi a caſibus reſervatis.* 2. *quia non eſt, ſicuti diſpenſatio, tranſiens poteſtas ad unum caſum vel actum, ex. ca. ad ineundum connubium cum perſona conſanguinea: ſed facultas ad plures actus perdurans inſtar legis ſtabilis, ex. ca. ad non ſolvendas decimas. Quare diſpenſatio, ubi hoc poſteriore modo tribuitur, ex. gr. ut certis in locis liberum ſemper ſit legere vetitos libros ſecundæ claſſis, tunc in privilegium degenerat. Nihil porro mirum, quod privilegium dividi ſoleat in* perpetuum, & temporale. *Nam ad rationem ejus non requiritur abſoluta & omnimoda duratio, quæ fine careat, ſed ſufficit prædicta ſtabilitas ſeu extenſio ad pluſes actus vel caſus ſucceſſivo tempore contingentes.* 3. *additur a quibuſdam & hoc diſcrimen, quia diſpenſatio ſemper niti debet aliqua legitima cauſſa, privilegium autem rite concedi poteſt etiam abſque cauſſa, & ex mera principis beneficentia, ſaltem quando præter jus eſt, & juri communi non derogat. Sed ex Suarezio reclamat Pirrhing.* (Sect. 1. nu. 12. ad tit. 33. de Privil. l. 5. Decr.) *Schmier* (Juriſp. Can. Civ. l. 1. tr. 1. c. 8.) *& alii. Jam ſicuti privilegium, ubi datur* contra *legem, aliquatenus cum* diſpenſatione *convenit; ita, ubi præter legem datur, ad* beneficium *accedit. Canoniſtæ namque* (ad tit. 3. de Reſcr. l. 1. Decr.) *beneficium ſtricte acceptum ajunt* eſſe gratiam conceſſam a Principe præter jus, *quam idcirco* latiſſimæ interpretationis eſſe *monet.*

(2) *Obſerva, inter privilegia, quæ* perſonalia *vulgo dicuntur, aliqua exiſtere* perſonis *conceſſa cum adjectione* loci: *quorum quidem varia exempla exhibet Fagnanus* (*ad tit. de Priv. c.* 15. Cum Capella, *n.* 2. & *c.* 21. Quoniam n. 2.) *Unde iſta rectius vocarentur* mixta, *id eſt, partim perſonalia, partim realia: cum reapſe Canoniſtæ recenſere ſoleant hanc ſpeciem privilegiorum intermediam.*

(3) *Quomodo* interpretari *oporteat Privilegia, ſcire magnopere præſtat. Hanc vero ad rem erunt* adju-

*Reſp.* Is omnis & ſolus, qui poteſt Legem ferre; & iiſdem, quibus poteſt Legem ferre, nempe ſubditis; poteſt tamen & aliis non ſibi ſubditis aliquid circa ſe ſuaque concedere, quod jure communi non haberent. (1)

*Nota*. Juxta Canoniſtas in generali conceſſione, ſpecialiſſima non comprehenduntur, niſi ſufficienter exprimantur, ex reg. 81. Juris in 6. *In generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus*. (2)

Quæſt. III. *Quot modis Privilegium amittitur?*

*Reſp.* His. 1. Per illius abuſum (3), accedente ſententia Judicis: *Quia Privilegium meretur amittere, qui permiſſa ſibi abutitur poteſtate*, cap. 24. *de Privileg.* 2. Per non uſum ſpatio ſufficienti ad præſcribendum, ſi gravet alios, ex cap. 14. *de privileg.* Quod ſi non gravet, non amittitur per præſcriptionem: nam alii contra privilegiatum præſcribere nequeunt, cum ipſorum nihil interſit. 3. Per revocationem concedentis aut ſucceſſoris expreſſam, & privilegiato ſignificatam, vel per Legem revocatoriam promulgatam. Quæ tamen conceſſa ſunt in remunerationem ſervitiorum, vel ex pacto, & cum onere adjuncto ac præſtito, non poſſunt revocari, niſi ex gravi cauſſa pertinente ad bonum commune, & quidem cum juris ablati compenſatione. (4)

Por-

*adjumento Canoniſtæ (ad tit. 33. de Priv. lib. 5. Decr.) ſpeciatim autem Fagnanus (in c. 28. Cauſ*ſam, *tit. 3. de Reſcr. l. 1. Decr. & in c. 16.* Olim tibi, *tit. 4. de verb. Sign. l. 5. Decr.) atque P. Anacletus (in Jur. Can. ad cit. tit. de Reſcr. §. 5. n. 150. & ſeq.) Utiliter quoque quis leget u*trumque *Scriptorem* (primum *quidem in cap. 13.* Cum contingat, *tit. 2. de Foro Competen. l. 2. Decr.* ſecundum *vero ad tit. 4. de Conſuet. l. 1. Decr. §. 3. n. 65. & ſeq.) ad comparandam legitimam intelligentiam illius Canonici axiomatis paſſim in Theologia Morali occurrentis*: conſuetudo habet vim privilegii, *ſive acquiſibilia privilegio*, ſunt acquiſibilia conſuetudine.

(2) *Ratio eſt: quia ad privilegiandos non ſubditos, ſive extraneos, non requiritur juriſdictio ſuper illos, ſed ſufficit, ſi materia privilegii ſit ſub poteſtate privilegiantis. Sic ex. ca. Sæculares Principes poſſunt eximere Monaſticas Familias a præſtandis vectigalibus: Clericis indulgere, ut directe judicent cauſſas temporales Laicorum. Ceterum, etſi privilegiandi non ſint abſolute ſub juriſdictione privilegiantis, debent tamen reſpective* ad rem, *in qua privilegium ipſis conceditur, eſſe aliquo modo inferiores, ſeu inæquales.*

(2) *Sic ex. ca. quamvis Religioſi fuerint ab Apoſtolica Sede ampliſſime privilegiati, intuitu ſcilicet laborum, quos ſuſtinent in Eccleſia prædicando, & Sacramenta miniſtrando, ut notat Sac. Rota apud Enghel (in l. 2. Decret. tit. 30. de Decimis n. 45.) nihilominus in illa ampla privilegiorum conceſſione non continetur exemptio a ſolvendis decimis prædialibus, niſi de iis expreſſa mentio occurrat, ut variis ejuſdem Rotæ deciſionibus, & Sac. Congregationis decretis oſtendunt Fagnanus, Barboſa, & alii laudati a P. Anacleto (in Jur. Can. §. 4. n. 68. ad cit. de Decim.) qui hanc aſſignant rationem: quia immunitas a ſolvendis decimis eſt difficilis conceſſionis, ut proinde locum habeat* Canonica *regula, quod in generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis veriſimiliter in ſpecie non eſt conceſſurus.*

(3) Abuſus, *ſeu defectus in uſu privilegii, aut in iis, quæ ipſum concernunt, tripliciter contingit. 1. Quando privilegiatus extendit privilegium ultra ſuos limites, contra mentem privilegiantis, utendo privilegio alio tempore, vel loco, aut in materia, vel perſona non conceſſis: ut ſi Confeſſarius prætextu conceſſionis a Bened. XIV. promulgatæ (in Declar.* Apoſtolici muneris, *die 8. Febr. ann. 1745.) perſonam complicem in peccato turpi contra ſextum præceptum abſolveret extra mortis articulum, & caſum infamiæ, aut ſcandali vere gravis. 2. Ubi contra privilegii finem operatur, ex. ca. ſi Clericus propriæ dignitatis immemor laicorum more viveret. 3. Quoties ex privilegio anſam ſumit delinquendi, ex. ca. ſi quis ſpe immunitatis in Eccleſia necaret, aut vulneraret adverſarium ſuum. Porro privilegium non amittitur per hujuſmodi abuſus* ipſo facto, *niſi in jure id exprimatur: quia talis amiſſio tamquam pœnalis requirit ſententiam judicis, ut DD. paſſim tradunt. Quamquam, ut notat Schmier (L. 1. Jur. Can. Civ. tr. 1. c. 8. n. 202.)* etiamſi in privilegii conceſſione amiſſio legatur ipſo jure ſtatuta, vix habebit effectum, antequam ſententia criminis declaratoria præceſſerit.

(4) *Ubi privilegium eſt* oneroſum *(hoc eſt conceſſum aut per contractum oneroſum, puta ob ſolutionem pecuniæ: aut per contractum lucrativum puta ob donationem alicujus agri, vel oppidi, factum eſt non poſſe revocari citra violationem juſtitiæ commutativæ ex alia cauſſa, quam neceſſitatis, utilitatiſve publicæ. Nam & princeps obligatur ad obſervantiam contractus per ſe initi cum ſubditis. Quod ſi privilegium ſit* remuneratorium *(hoc eſt conceſſum inſtar præmii ob promerita aliunde non debita, ex. gr. exemptio a vectigalibus perſolvendis ob navatam ſtrenuam operam in momentoſo aliquo negotio) tunc, ſecluſa gravi cauſſa ad commune bonum ſpectante, adhuc irrevocabile eſt: quia non cenſetur datum ex mera liberalitate, ſed ex quodam juſtitiæ debito, ut notant Bartolus, & Panormitanus inter alios Juriſperitos. Unde Fagnanus (n. 19. in c.* 1. ex Epiſtolæ *tit. 19. de Probation. l. 2. Dec.) ſcribit*: Sic privilegia conceſſa Auditoribus Rotæ in remunerationem laborum, quos jugiter patiuntur pro Reipublicæ utilitate, ſunt irrevocabilia, quia tranſeunt in contractum. *Et rurſus (n. 66. in c. 6.* Conſultationibus, *tit. 6. de Cler. ægrot. l. 3. Decr.) ſubdit*: Etſi Papa de plenitudine poteſtatis poſſit, ſi velit, aliquem officio vel beneficio ſuo privare, etiam ſine cauſſa; tamen, ut verbis utar Præpoſiti in cap. per principalem, tenebitur mihi Papa, ſi aufert a me beneficium meum ſine juſta cauſſa, de æquo bono providere, per ea quæ notat Innocentius in cap. Niſi pridem de renunt. *Hujus rei memorabile exemplum affert ex Sixto V. laudatque illius Conſtitutionem*, in Suprema, *qua de Cantoribus Pontificiæ Cappellæ ſtatuit*: ut gravi ægritudine aut corporis, ſeu vocis imbecillitate, vel alio legitimo impedimento detenti a Collegio amoveri nullatenus poſſint, niſi eis prius æquivalenti recompenſa fuerit proviſum.



Porro Privilegium non ceſſat morte concedentis (1) *nam decet conceſſum a principe beneficium eſſe Manſurum*, reg. 16. Jur. in 6. At ceſſat per ſe, ceſſante cauſſa, ob quam datum eſt (2), quando verſatur circa obbligationem dividuam ac ſucceſſivam, quam tollit, ut dixi de diſpenſatione. Quia ſuperior non intendit concedere exemptionem, quæ duret contra Legem, ceſſante cauſſa, cum id licite non poſſit: ſic privilegium alicui datum non recitandi horas ob gravem cauſſam, hac ceſſante, ceſſat.

*Nota*. Alexander VII. damnavit hanc propoſitionem: *Regulares poſſunt in foro conſcientiæ uti Privilegiis ſuis, quæ ſunt expreſſe revocata per Concilium Tridentinum*.

Quæſt. IV. *Quid eſt conſuetudo?*

*Reſp.* Hic ſumitur pro frequentia actuum externorum ſimilium libere factorum a majore ſaltem parte communitatis. Nomine actuum intellige etiam omiſſiones. Duplex eſt, nempe facti, & juris. Conſuetudo facti eſt hujuſmodi frequentia, ſed non habens vim Legis, defectu conditionum ad hoc requiſitarum. Conſuetudo juris eſt talis frequentia habens vim legis, ſive eſt jus ex illa frequentia ortum. Unde can. 5. diſt. 1. definitur, *Jus quoddam moribus inſtitutum, quod pro Lege ſuſcipitur, cum deficit Lex* (3).

Quæſt. V. *An, & quæ conſuetudo habet vim Legis?*

*Reſp.* 1. Conſuetudo honeſta, & bono communi uti-

(1) *Ob mortem concedentis ſeu* naturalem, *ſeu* civilem, *puta ob depoſitionem ejuſdem ab officio, non deſinit privilegium, dummodo* perpetuum *ſit, & non* temporale: *hoc eſt, conceſſum ſit abſolute, ſine aliqua conditione, ex. ca.* uſque ad beneplacitum meum; *aut determinatione temporis, ex. gr.* dum fruar vita, *aut* officio perfungar. *Idque DD. monent ſentiendum eſſe generatim de quibuslibet diſpoſitionibus, facultatibuſque* gratioſis, *juxta illud Bonifacii VIII. (in 6. l. 1. tit. 14. r. 9.)* æquum eſſe cenſemus, ut gratia cuiquam ab Apoſtolica Sede facta, licet nondum ſit in ejus executione proceſſum, morte non perimatur concedentis.

(2) *Advertunt Canoniſtæ*, finem *ſeu* cauſſam finalem *conceſſi privilegii poſſe dupliciter ceſſare. 1.* Negative, *quando nempe talis cauſſa amplius non ſubſiſtit. 2.* Contrarie, *quando uſus privilegii omnino injuſtus, & illicitus evadit ob* mutationem *materiæ, vel circumſtantiarum. Exemplo id declaratur. Finge, Principem ſeu Superiorem ſpeciali privilegio eximere a ſolutione decimarum illuſtres aliquas Familias, depauperatas, quæ poſtea ad meliorem fortunam deveniunt, & diteſcunt. Pone itidem, Parochum ejus loci ſucceſſu temporis congruam ſuſtentationem habere non poſſe. Jam in caſu priore privilegium illud non amittitur, quia ſolum ne*gative *ceſſavit ejus cauſſa finalis: unde locum habet ea juris regula*, factum legitime retractari non debet, licet caſus poſtea eveniat, a quo non potuit inchoari. *In poſteriori vero caſu, cum ceſſet contra*rie, *utique deperditur vel ex toto, vel ex parte; habetque locum alia juris regula*, ceſſante cauſſa, ceſſat effectus. *Patet igitur, abſolutam & illimitatam Auctoris aſſertionem neceſſario ſumendam eſſe cum aliqua diſtinctione.*

(3) *De conſuetudine agit Auctor minus preſſe ac jejune, quam de* Privilegio *diſſeruit paullo ante, non ita tamen, ut locum nobis non relinquat plura, ac varia alicujus frugis addendi, ſive ad legitimam, ſive ad perfectam intelligentiam hujuſce materiæ Canonico-Moralis, quæ certe eſt & momenti permaximi, & uſus ampliſſimi. De ipſa (præter Theologos in præſenti Tr. & Canoniſtas ad tit. 4. de Conſuet. lib. 1. Decr.) frequenter ſermonem habet Bened. XIV. in aureo præſertim Opere de* Syn. Diœc. *unde nonnullas generales regulas huc ſpectantes (N. 78. 79.) nos jam decerpſimus. Quæ ab Auctore traduntur tum in hac, tum in duabus ſeq. qq. ſic poſſunt claritatis gratia diſtingui, & ad quatuor ſumma capita revocari. Quid ſit conſuetudo. 2. Quotuplex ſit, atque iſtud caput debet diſcuti, antequam alteri mox indicato ſatisfiat: quippe* conſuetudinis *nomen valde commune & æquivocum, adeoque juxta Dialecticos prius dividendum, quam definiendum. 3. Quales ſint dotes conſuetudinis acceptæ ſecundum eam ſpeciem, quæ impræſentiarum ſolet a DD. potiſſime perpendi. 4. Quinam effectus eidem ſint attribuendi. Auctor in hac q. 4. attingit, quæ ad primum, & ſecundum pertinent caput: proprietates ſeu dotes quatuor conſuetudinis diſtincte exponit in ſeq. q. 5. Effectus duos indicat in theſi, ſive in reſp. 1. ad eamdem q. 5. & in reſp. 2. ad q. 6. Quod ſpectat ad* ſpecies *conſuetudinis, primo hæc dividitur in* materialem, *quæ denotat ipſum uſum, actuumque frequentiam, & facti dicitur: atque in* formalem, *quæ illud indigitat, quod ex tali uſu & frequentia reſultat ceu effectus ex cauſſa; nimirum jus obligans ad agendum, vel tollens obligationem agendi, & ideo juris vocatur. Sola formalis conſuetudo facit ad præſens inſtitutum, unde appellatione compoſita ſolet a DD. nuncupari* jus conſuetudinarium, *ac* jus non ſcriptum. *Alia pariter diviſio eſt admodum vulgata, qua conſuetudo diſtribuitur in eam, quæ* juxta, præter, contra *legem eſt: ſed minus exacta videtur ratione primi membri. Etenim cum* conſuetudo juxta *legem nullum jus aut obligationem proprie adſtruat, ſed ſolam importet frequentiam & continuationem ſimilium actuum moralium, quibus condita jam lex confirmatur juxta illud Gratiani (ad can. 3. diſt. 4.)* leges firmantur, cum moribus utentium approbantur, *exinde palam ſit, tam eſſe meram facti conſuetudinem, quæ hic non conſideratur ex dictis. Quare, hoc membro omiſſo, adæquate dividitur conſuetudo formalis in geminas ſpecies, quarum altera dicitur* præter *legem, quia novum jus conſtituit: altera* contra *legem, quia jus jam conſtitutum deſtruit. Utraque vero ſubdividitur in* Canonicam, & civilem, *quatenus tum ad Eccleſiaſticas, tum ad Sæculares leges refertur ſub eo duplici adſpectu; quam ob rem de ipſa decernitur tum in Canonici, tum in Civilis Juris codice. Et ambæ ipſæ poſſunt eſſe vel* Univerſales, *vel* Particulares, *prout vel ubique locorum, vel alicubi ſolum obtinent. His poſitis erit in aperto eſſentia conſuetudinis, qualem hoc loco DD. intelligunt. Univerſim namque definiri poteſt;* eſt jus quoddam moribus ſeu actibus frequentatis conſtitutum, quo partim nova obli-

utilis, inducta libere & publice a communitate, cum animo inducendæ obligationis, accedente conſenſu Principis perſonali vel legali, habet vim Legis, & obligat in conſcientia. Quia 1. ita docent omnes Theologi & Canoniſtæ, eſtque communis Eccleſiæ ſenſus. 2. Ex S. Aug. ep. 89. *In his rebus de quibus nihil certi ſtatuit Scriptura divina, mos populi Dei, vel inſtituta majorum pro Lege tenenda ſunt*. 3. Ex l. 32. & 33. §. *de Lege*. 4. Quia tali conſuetudini nihil deeſt ut vim Legis habeat. Nam eſt materia proportionata, poteſtas, & voluntas obligandi communitatem ſufficienter exteris declarata.

Eſt autem duplex conſuetudo vim legis habens, nem-

obligatio agendi imponitur, partim obligatio jam inducta removetur. *Dum jus abſolute nominatur, legis conditiones ei adjudicantur. Cum vero ab actuum frequentia repetitur ejuſdem origo, ipſius a lege ſeu a jure ſcripto diſcrimen aperitur. Reliqua, quæ adduntur, manifeſtant ejus generales effectus. Exemplum prioris effectus, qui eſt novum jus ſtatuere præter ſcriptam legem, petatur a matrimoniali impedimento diſparis cultus; poſterioris, qui eſt abolere ſcriptam legem, a Miſſa Parochiali feſtiva* (*N.* 76.) *Siquidem Bened. XIV. de illo ſcribit* (§. 9. Conſt. Singulari nobis, *die* 5. *Febr. an.* 1748.) Omnes ſentiunt, ob cultus diſparitatem irrita matrimonia eſſe, non quidem jure Sacrorum Canonum; ſed generali Eccleſiæ more, qui pluribus abhinc ſæculis viget, ac vim legis obtinet. *De hac vero ſic ait* (*lib.* 11. de Syn. *c.* 14. *n.* 7. & 8.) Conſtat, jure communi cautum eſſe, ut ſinguli Fideles diebus feſtis Miſſæ adſint parochiali. Inducta eſt ea obligatio ante Concilium Sardicenſe... Eamdem legem plures inculcarunt poſteriores Synodi.... Verum hiſce ſanctionibus derogatum nunc eſt contraria conſuetudine, quam jam ſua ætate multis in locis inductam innuit Sanctus Antoninus. *Quantum attinet ad dotes conſuetudinis nunc deſcriptæ, illas ſic paucis perſtringit idem Bened. XIV.* (*lib.* 19. de Syn. *c.* 5. *n.* 5.) Quod porro dicimus, legem ſive nunquam receptam, ſive receptam contraria conſuetudine deleri, intelligendum eſt, dummodo conſuetudo ceteras habeat conditiones, quæ a Jure in ea expoſcuntur, præcipue *in Can. Veritate cum ſeq. diſt.* 8. *Cap. Ad noſtram, & Cap. fin. de Conſuet.* Et primo quidem, ut ſit rationabilis, hoc eſt, neque Juri Divino, neque naturali contraria, neque expreſſe a Jure reprobata, aut in Legiſlatoris contemptum invecta. Deinde ut a majore Communitatis parte libere & ſpontanee ſit inducta, pluribuſque, ac continuis actibus frequentata, animo legem tollendi. Demum ut adſit conſenſus Legiſlatoris, non quidem expreſſus, & perſonalis, qualem cum aliis neceſſarium voluit Pontius *lib.* 6. *de Matr. c.* 6. *n.* 7. ſed conſenſus legalis & juridicus, qui nimirum jam habetur per leges & canones, omnem conſuetudinem populi moribus inductam approbantes, eique vires tribuentes abrogandi legem, quod communiſſime ſentiunt Doctores congeſti a Suarez *lib.* 7. *de Legib. c.* 18. *n.* 14. *Ne cui autem videatur abſonum, Populi moribus ſubrui poſſe Superiorum ſtatuta, inquit* (*lib.* 12. *c.* 8. *n.* 8.) Sicuti optime raciocinatur Barboſa *de Off. & pot. Epiſ. alleg.* 93. *n.* 29. quod conſuetudo prævaleat contra legem Superioris, id oritur ex ipſomet Superioris conſenſu, qui eam, etiam ſuæ legi obviantem, cum rationabilis, & diuturna eſt, ſtatuit tolerandam *in c. fin. de Conſuet.* Unde fit, ut ejuſdem Superioris auctoritati, & juriſdictioni nihil per illam cenſeatur detractum. *Norent, quæſo, iſta nonnulli juſti nimis, qui zelum habentes ſed non ſecundum ſcientiam, tuendarum legum, atque perfectionis Chriſtianæ promovendæ, quamlibet fere conſuetudinem contra humanas etiam leges, ceu corruptelam noxiam, repudiant, minime ſibi perſuadere valentes, quomodo Legiſlator ullus poſſit conſentire in deſtructionem proprii Statuti. Sicut Legiſlatores coguntur interdum novis legibus derogare aliis ſuis prioribus, quia ob variationem circumſtantiarum cernunt in iſtis ſenſim defeciſſe conditiones cuivis legi neceſſarias, ita quandoque ejuſmodi derogationem ſola conſuetudine fieri annuunt; quæ certe ubi longævo tempore jam invaluit, & dotibus reliquis inſtructa eſt, nec ambigue nec fallaciter indicat contrariam legem ſcriptam amplius non eſſe aut neceſſariam, aut utilem, aut juſtam, aut loco, temporique convenientem &c. ut ait S. Iſidorus in textu ejuſdem qu. Dein, ſi æquo animo ferendum eſt onus, quod communitati imponunt conſuetudines inductæ* præter *leges, eccur acceptandum non erit levamen, quod adferunt eidem conſuetudines enatæ, ac roboratæ* contra *leges? Legantur hanc ad rem, quæ univerſim de* legum *mutatione ſcripſere probati Auctores, præſertim D. Th.* (1. 2. *q.* 97. *a.* 1. 2. 3.) *nec non Cl. Covar.*) 2. *part. Relect.* in c. Alma, *initio*). *Recolatur itidem Grat.* (*in c. ult.* §. Jus vero, *diſt.* 6.) *jus conſuetudinarium, quoad originem, haud inepte feciſſe coævum Orbi condito. Porro, ut ad noſtrum propoſitum redeamus,* effectus *conſuetudinis recenſentur his tres ab Angelico laudato* (*ar.* 3.) conſuetudo & habet vim legis, & legem abolet, & eſt legum interpretatrix. *Ex hoc triplici effectu derivata videtur illa vulgaris diviſio conſuetudinis in eam, quæ* juxta, præter, contra *legem eſt. Duo poſteriores effectus, ex dictis utcumque innoteſcunt, & multo magis ex textu Auctoris* (*q.* 5. & 6. *ſeq.*) *primum vero jam præoccupavimus declarantes* uſualem *legum interpretationem.* (*Nota* 1. *ad q.* 1. *c.* 5.) *Duo tamen circa hanc remanent obſervanda,* 1. *Quod ibi diximus interpretationem* uſualem authenticam fundare jus conſuetudinarium, *non eſt intelligendum de novo aut peculiari jure,* proprio *ipſius uſus ſeu conſuetudinis interpretatricis, ſed hoc dumtaxat ſenſu, quatenus conſuetudo, ubi authentica eſt, vim veri juris habet, utpote dilucidans, proponens, & confirmans ipſum jus ſcriptum, tali modo ut non liceat cupiam reficere hanc interpretationem: quamvis ſi jus ſcriptum non extaret, poſſet ipſa conſuetudo novum jus per ſe conſtituere.* 2. *Quod ibidem monuimus: conſuetudinem poſſe interpretari legem non tantum per modum* doctrinæ, *ſed etiam* authentice, *pariter accipiendum ſenſu reſtricto, non univerſali. Nam ſi modus authenticus ſic intelligatur, ut conſuetudo habeat vim vel inducendi pro vera lege ſenſum aliquem, tametſi in lege non contineatur, nec ſit juxta primariam Legiſlatoris intentionem: vel abrogandi aut ipſam legem, aut ſenſum legis a Legiſla-*



nempe præſcripta, & non præſcripta (1). Prior eſt ea, quæ longi temporis diuturnitate vim Legis obtinet per conſenſum legalem Principis. Tempus autem longum in Jure dicitur tempus ſaltem 10. annorum, quod debet eſſe continuum, nec interruptum per actus contrarios ſuperioris reſiſtentis, vel populi eam interrumpentis. Conſuetudo non præſcripta, & tamen vim Legis habens, eſt ea, quæ ſine diuturnitate longi temporis vim obtinet per conſenſum Principis perſonalem, ſaltem tacitum, Principe videlicet ſciente & non impediente id quod fit, cum poſſet facile impedire, deberetque, niſi tacite conſentiret.

*Reſp.* 2. Ut conſuetudo vim Legis habeat & obliget, hæ conditiones ex communi ſententia requiruntur. 1. Ut ſit honeſta (2), & utilis bono communi. Nam talis debet eſſe lux eſſentialiter. Hinc conſuetudo non poteſt habere rationem Legis, ſi ſit noxia, vel inutilis, vel contra bonos mores; ſed eſt mera corruptela.

2. Ut inducatur a communitate perfecta per actus voluntarios & publicos (4). Nam actus iterati non indu-

*latore ſpectatum: tunc palam eſt, conſuetudini nullatenus competere interpretationem authenticam hujuſcemodi, ubi circa* naturalem, *aut* Divinam *legem verſatur; ſed reſpectu dumtaxat* humanarum *legum, quibus conſuetudo legitima æquipollet. Exemplum vero de* Baptiſmo *ad Divinam legem pertinente ibi protulimus, ſolum animo exhibendi ſpeciem aliquam ſplendidæ, & irrefragabilis conſuetudinis. Hactenus veluti in tabula, rudi licet, expreſſimus ſingula quatuor capita eorum; quæ de Conſuetudine videbantur neceſſario inveſtiganda, & explananda. Unicum reſtat diluendum dubium, quod poteſt quorumdam animis hærere circa* Deſuetudinem, & Præſcriptionem, *quidnam ſcilicet eæ ſint, & quomodo a* Conſuetudine *differant. Reſp.* 1 Deſuetudo *nihil eſt aliud, quam non uſus, quando videlicet legem a Superiore ſtatutam Communitas non ſervat. Hoc porro dupliciter evenire poteſt; juxta duplicem hypotheſim, in qua fingimus legem non obſervari. Si lex non obſervatur, ubi non occurrit ulla ejuſdem obſervandæ occaſio: tunc non uſus, ſeu deſuetudo nullum jus aut tollit, aut inducit. Quod ſi lex non obſervatur, quando ejuſdem obſervandæ neceſſitas ingruit, tunc non uſus, ſeu deſuetudo morali judicio idem eſt, ac conſuetudo: adeoque poteſt legem abrogare, quoties concurrant conditiones a DD. requiſitæ ad legitimam conſuetudinem. Reſp.* 3. Præſcriptio, *uti eam definiunt Juriſconſulti, eſt* acquiſitio, vel adjectio dominii, per continuationem poſſeſſionis temporis lege definiti. *Illius a Conſuetudine diſcrimen in hoc præcipue ſitum eſt: quod præſcriptio jus proprietatis, & privatis quâ talibus pariat: conſuetudo autem jus legale, & generale Communitati quâ tali adjiciat. De hoc diſcrimine Covarruv.* (*par.* 2. *Relect. in* C. Poſſeſſor. §. 3. *n.* 2.) *legere præſtabit. Jam vero his omnibus in antecesſum prælibatis, haud dubito, quin Lector & facilius, & dilucidius ſit percepturus, quæ deinceps in textu Auctoris de hac graviſſima materia exarata inveniet.*

(1) *De hac Conſuetudinis diviſione mentionem non fecimus in ſuperiori præliminari Nota, quoniam ea particularis diviſio eſt: quæ ſcilicet oritur ex una conditione conſuetudinis in hoc ſita, quod conſuetudo ſit* legitime præſcripta.

(2) Honeſtam *ſeu* rationabilem *conſuetudinem non eodem modo dipingunt ſinguli Doctores. Certum videtur, talem eſſe, ac vocari non poſſe, ſi vel adverſatur juri Naturali, aut Divino: vel perniciosa ſit bono communi: vel Jure Canonico reprobetur: vel Eccleſiaſticæ libertati opponatur: vel Legiſlatoris contemptum aut ſcandalum pariat. Ubi horum quidpiam præſeferet, non conſuetudinis, ſed corruptelæ appellatione deſignanda, ut Bened. XIV.* (*lib.* 11. de Syn. *c.* 1. *n.* 2. & *aliis ſeq. c.*) *præclare oſtendit. Porro licet conſuetudo irrationabilis in Divino judicio, & in foro conſcientiæ nec a culpa, nec a pœna excuſet: attamen in externo foro judiciali ſæpe immunis eſt, vel a tota pœna, vel a parte pœnæ, ut Juriſconſulti paſſim tradunt, præſertimque Covarruv.* (*par.* 2. *de Matr. c.* 7. §. 3. & *par.* 1. *Relect. c.* Quamvis pactum, § 7.) *quo poſtremo loco ita ſcribit:* Tametſi contingat quibuſdam rationibus peculiaribus minime puniri in Republica actum aliquem, qui legi naturali, & Divinæ contrarius ſit, ut ſimplex fornicatio in meretricibus: non tamen id accidit ratione conſuetudinis excuſantis a pœna; ſed quia Reipublicæ intereſt ob morum pravitatem eam fornicationem diſſimulatione quadam permittere ad majus malum evitandum. *Opponet quis, quomodo rationabilis & honeſta unquam evadere poteſt conſuetudo, quæ legem eliminat rationabilem, & honeſtam? Reſp. Oppoſitio iſta, ſi vim habet, convellit quamlibet legem ſcriptam, quâ aliæ priores antiquantur. Reſponſionem igitur ſume ex iis, quæ diximus contra Anticonſuetudinarios in nota* 1. *ſuperiore. Ex Panormit.* (*in c. fin. de Conſtit.*) *conſiderata una ratione, & unico fine conſuetudo contra legem utique non poteſt eſſe rationabilis, ſed conſideratis diverſis rationibus poteſt eſſe talis. Nam finis bonus, & aliæ circumſtantiæ, ob quas lex prius dicebatur rationabilis, poſſunt ſucceſſu temporis deficere in tanta rerum humanarum viciſſitudine: aliunde vero bonus, aut melior eſſe poteſt finis, cui inducta contra legem conſuetudo innititur. Sic ex. gr. Canonica lex ſtatuit, ut Epiſcopus tractet negotia cum conſenſu Capituli, quia firmius eſt judicium plurium: nihilominus conſuetudo poteſt introducere contrarium ex alio fine, ſcilicet ut facilius expediantur Eccleſiæ negotia. Ceterum, dum conſuetudo hic propugnatur ceu rationabilis, id debet intelligi de conſuetudine* in facto eſſe, *quando nempe ei jam favet conſenſus Legiſlatoris ſaltem legalis, ſeu in jure ſcripto expreſſus; non autem de conſuetudine* in fieri, *quæ fere ſemper inchoatur per actus illicitos, quoties via præſcriptionis* potiſſime inducitur.

(3) *Quænam dicenda ſit* Communitas perfecta, *jam initio hujus Tract.* (*lect.* 1. *q.* 1.) *Auctor explicavit. Communitas,* ſeu multitudo, in qua conſuetudo introducitur, duplicis conditionis eſſe poteſt, *ex Angelico* (1. 2. *q.* 97. *ar.* 3. *ad* 3.) Si ſit libera multitudo, quæ poſſit ſibi legem facere, plus eſt conſenſus totius multitudinis ad aliquid obſervandum, quam auctoritas Principis, qui non habet poteſtatem condendi legem, niſi in quantum gerit perſonam

inducunt conſuetudinem vim legis habentem, niſi ratione conſenſus communitatis, qui per tales actus declaretur, & cui Princeps ſe accommodat. Porro cenſetur fieri a tota communitate, quod fit a majore illius parte; *l. 19. §. ad municip.*

3. Ut actus, ex quibus oritur conſuetudo, fiant cum animo (1) inducendæ obligationis: quia conſuetudo non habet vim obligandi, niſi voluntate populi, cui Princeps conſentit. Hinc conſuetudines inductæ tantum devotionis cauſſa, & ſine animo ſe obligandi, non obligant; ut conſuetudo ter quotidie recitandi Salutationem Angelicam ad pulſum campanæ.

Conſuetudo autem cenſetur eſſe inducta animo obligandi ſe, & revera obligare, 1. Si ita Doctores communiter ſentiant. Nam communis ſenſus prudentum & peritorum evidentiam moralem parit, in rebus ab hominum opinione & uſu pendentibus, in quibus ſe habent, ut multitudo teſtium omni exceptione majorum. 2. Si conſuetudo ſit rei gravis ac difficilis, & tamen diu, conſtanter, & communiter ſervetur a majore parte communitatis: plurimi enim non ſolent citra motivum obligationis ita convenire in ejuſmodi actibus. 3. Si viri prudentes & timorati male ſentiant de non ſervantibus conſuetudinem, aut populus inde ſcandalizetur. 4. Si Prælati, vel Magiſtratus puniant, vel graviter reprehendant eos, qui non ſervant conſuetudinem; id enim non fit, niſi violetur aliqua obbligatio.

4. Ut adſit Principis conſenſus, vel perſonalis, vel ſaltem legalis. Quia lex & vis legis non poteſt eſſe niſi ab habente poteſtatem legislativam, ideoque nec ſine illius conſenſu. Princeps autem conſentit perſonaliter, cum per ſe immediate conſentit, vel dando licentiam ut inducatur conſuetudo obligans, vel approbando conſuetudinem expreſſe aut tacite. Conſentit legaliter quando ipſe, vel prædeceſſores ejus tulerunt aut receperunt legem, qua approbantur conſuetudines rationabiles & legitime præſcriptæ. (2)

Quæſt. VI. *An conſuetudo poteſt abrogare Legem?*

*Reſp.* 1. Nulla conſuetudo poteſt abrogare legem naturalem. *Ita omnes*. Quia hæc ſtatuit ſolum ea, quæ neceſſario & ex natura rei agenda vel omittenda ſunt ad vivendum honeſte. Hinc cap. ult. *de conſuet.* Gregor. XI. ait. *Cum tanto ſint graviora peccata, quanto diutius infelicem animam detinent alligatam; nemo ſanæ mentis intelligit naturali juri, (cujus tranſgreſſio periculum ſalutis inducit) quacumque conſuetudine, quæ dicenda eſt verius in hac parte corruptela, poſſe aliquatenus derogari.* Neque etiam poteſt abrogare legem Evangelicam, quia Deus vult illam integram ſervari uſque ad conſummationem ſeculi. Præterea cum utraque Lex lata ſit a Deo, nullus homo poteſt eam abrogare: nam

pote

ſonam multitudinis. Si vero multitudo non habet liberam poteſtatem condendi ſibi legem, vel legem a ſuperiore poteſtate poſitam removendi, tamen ipſa conſuetudo in tali multitudine prævalens obtinet vim legis, in quantum per eos toleratur, ad quos pertinet multitudini legem imponere. *Quot autem requirantur actus ad inducendam conſuetudinem, præciſe definiri nequit. Hæc ſolum generalis regula aſſignari ſolet, qua ſtatuitur, tot requiri & ſufficere, quot ſunt neceſſarii, ut prudenter judicari poſſit aliquid a Communitate ſolere fieri tamquam ex conſuetudine obligante.*

(1) *Neceſſarium eſſe animum inducendi obligationem: hoc eſt, intentionem requiri conſtituendi multiplicatione actuum aliquod jus, aut* præceptivum, *ſi conſuetudo ſit* præter *legem, aut* permiſſivum, *ſi conſuetudo ſit* contra *legem: hinc liquet, quia ſicuti ſtatutum nullum poteſt vim legis obtinere, niſi Legislator velit per illud ſubditis revera præcipere: Ita, ut conſuetudo legis rationem induat, neceſſe eſt introducatur cum intentione præcipiendi, ſeu obligandi Communitatem ad illam ſervandam. Sic ex. ca. ſi indicto ſemel jejunio ab Epiſcopo, ad avertendum periculum imminens terræmotus, vel alterius graviſſimæ calamitatis, aliqua Religioſa Familia animo ſeſe obligandi illud diu ſervet eodem die anniverſario, nullum dubium, quin ea teneatur deinceps jejunare.* Tunc quippe (*ut Bened. XIV. lib. de Syn. c. 4. n. 5. notat*) jejunandi obligatio non oritur ab Epiſcopi juriſdictione, ſed ab ipſa conſuetudine, quæ vim habet inducendi legis obligationem. *Vice verſa, cum piæ conſuetudines audiendi tres Miſſas in Natali Domini, jejunandi in vigiliis Deiparæ, dempta vigilia Aſſumptionis, certis diebus abſtinendi ab operibus ſervilibus, recitandi peculiares preces, & alia peragendi ex mera populi devotione introducta, non ſerventur a Communitate eo quem prædiximus animo: exinde ſequitur, eaſdem quantumvis univerſales, ſtabileſque nullam procreare obligationem* in conſcientia, *& ideo omiſſionem ipſarum* per ſe *loquendo omni culpa vacare, etſi* per accidens *poſſint eſſe conjunctæ cum aliquo peccato ſcandali, negligentiæ, otioſitatis &c. Hinc autem dignoſcere poterunt Confeſſarii, num recta, vel erronea ſit conſcientia Pœnitentium illorum, qui de hujuſmodi omiſſionibus interdum ſe accuſant in Sacramentali judicio, & quidnam proinde ipſis reponendum ſit. Porro memorata intentio inducendi jus aliquod præceptivum per frequentatos actus, poteſt vel gravem, vel levem parere obligationem in conſcientia, prout Communitas intendit ſe obligare (quemadmodum de ipſis legibus Auctor ſtatuit c. 2. q. 3.) quia ſcilicet, ex trito Moralium effato,* actus agentium non operantur ultra intentionem eorum.

(2) *De hoc conſenſu, qui ex parte Principis, ſeu Reipublicæ habentis poteſtatem leges ferendi, ad conſuetudinem requiritur, vide textum duplicem Benedict. XIV.* (*in Nota 1.* de Conſuet.) *a nobis prolatum. Jam vero ſi quatuor iſtis conditionibus ab Auctore huc uſque expoſitis addatur & altera de* longævitate *ſeu* præſcriptione *conſuetudinis, quam ipſe in ſeq. q. ediſſerit, erunt cuique perſpectæ dotes omnes genuinæ, validæque conſuetudinis, quas Rom. Pont. & DD. ſolent ſimul complecti, ubi conſuetudinem vocant* rationabilem, *&* legitime præſcriptam. *Nam dum rationabilis dicitur, indicatur honeſtas conſuetudinis, uſus majoris partis Communitatis, & intentio inducendi jus: ubi vero* legitime præſcripta *appellatur, innuitur diuturnitas uſus, & conſenſus Principis in illum.*



poteſtas & voluntas inferioris non poteſt prævalere poteſtati & voluntati ſuperioris. (1)

*Reſp.* 2. Conſuetudo, ſi ſit rationabilis & legitime præſcripta, habet vim abrogandi legem humanam. *Ita omnes*: Conſtat, 1. ex Jure, tum civili, l. 34. §. de Legibus *Rectiſſime illud receptum eſt, ut Leges non ſolum ſuffragio Legislatoris, ſed etiam tacito conſenſu omnium per deſuetudinem abrogentur*. Tum canonico; cap. ult. cit. de conſuetud. *Licet longævæ conſuetudinis non ſit vilis auctoritas, non tamen eſt uſque adeo valitura, ut vel juri poſitivo debeat præjudicium generare, niſi fuerit rationabilis, & legitime ſit præſcripta*. 2. Quia poſita tali conſuetudine, Princeps conſentit ſaltem legaliter, ut lex non amplius obliget. Obligationis autem perſeverantia, ſicut ejus impoſitio, pendet a libera voluntate Principis.

Dixi, *ſi ſit rationabilis &c.* Nam ex cap. cit. & ex conſenſu Doctorum, hæc duo requiruntur. Jam vero ut conſuetudo ſit rationabilis, non debet legi naturali, aut evangelicæ, aut debito ordini aut immunitati Eccleſiaſticæ adverſari; nec a jure canonico reprobari, nec peccandi licentiam aut occaſionem præbere: vel alia ratione communitati nocere, nec aliquam indecentiam continere; & præterea debet reipſa expedire, Legem tunc jam non obligare, ne ſcilicet peccata multiplicentur, neve ſubditi ad obſervantiam rei difficilis tamdiu adſtringantur.

Ut autem ſit legitime præſcripta, debet eſſe continua toto tempore requiſito ad præſcribendum, non contradicente ſuperiore. Sed cum hoc tempus non ſit in jure definitum quoad Leges, ſecundum multos requiritur idem tempus, quod ad præſcriptionem bonorum ac jurium ſtatutum eſt. Quare leges civiles 10. annis præſcribuntur; Eccleſiaſticæ vero, cum ſint jura Eccleſiaſtica, 40. annis præſcribuntur, ſi non reſiſtat ſuperior. Ita *S. Anton. Navar., Azor, Fagnan. Suarez*, aſſerens hanc eſſe communem ſententiam. Nec obſtat, quod requirantur 100. anni ad præſcribendum bona (*) propria Eccleſiæ Romanæ, quia Leges Pontificiæ ſunt Leges communes toti Eccleſiæ. Sed alii volunt Leges etiam Eccleſiaſticas præſcribi decennio; quia, inquiunt, ad hanc præſcriptionem requiritur & ſufficit longum tempus, quod in jure civili cenſetur ſpatium 10. annorum: & jus civile valet in rebus Eccleſiaſticis, quando jure canonico præter illud nil conſtitutum eſt. Non eſt autem conſtitutum jure canonico, ut ad abrogandam Legem Eccleſiaſticam tempus longius quam 10. annorum requiratur. (2)

*Obj.* 1. Illud cap. 3. de conſuet. *Conſuetudo, quæ canonicis obviat inſtitutis, nullius debet eſſe momenti*. Et illud cap. 8. de ſententia & re judicata; *Licet uſus vel conſuetudinis non minima ſit auctoritas; nunquam tamen veritati, aut Legi præjudicat.*

*Reſp.* In illis capitulis agitur de conſuetudine, quæ ſit contra rectam rationem, & debitum ordinem:

(1) *Exempla hujus communiſſimæ theſis obvia ſunt in variis hominum cœtibus, ampla & ſpatioſa via ſeculi incedentium. Mentiri, ſcortari, blaſphemare, decipere, fœnerari, pejerare in contractibus: in judiciis leges circumvenire, & perſonas accipere: innocentes ſupplantare, expoliare viduas & pupillos, pauperes opprimere, bona Eccleſiæ invadere, ac diſſipare; ſimonias exercere; pupillis offendicula præbere: poſt vota proprietatem ſovere, & quotquot ſunt hujus generis alia, quantumcumque temporis diuturnitate, atque hominum uſu & favore nitatur, nullatenus honeſtari poſſunt, nec hilum derogant naturali, Divinoque juri talia prohibenti. Namque ex D. Cypriano (Ep. 74.)* conſuetudo ſine veritate, vetuſtas erroris eſt: *atque ex Alex. III. (lib. 1. Decr. tit. 3. c. 8.)* diuturnitas temporis non diminuit peccata, ſed auget: *nec juxta Albertum M. (Opuſc. de Virt.)* minus peccat, qui cum multis peccat, nec minus ardebit, qui cum multis damnabitur. *Vid. N. 140. ubi de ornatu mulierum plane impudico. At dices: S. Auguſt. ſcribit (lib. 22. contr. Fauſt. c. 47.)* habere plures uxores, quando mos erat, crimen non fuiſſe. *Reſp. non ob purum putumque veterum Patriarcharum morem, ſeu conſuetudinem licita tunc erat polygamia, cum in Lamecho, & ceteris antediluvianis legatur damnata: ſed ob ſpecialem Dei diſpenſationem, unde mos ille poſt diluvium prodierat, illius temporis conditione ita exigente. Petes, quid ſentiendum de pervagata conſuetudine recipiendi pro collatione rerum ſacrarum pecuniam, aut alia pretio æſtimabilia? Vide Angelicum (2. 2. q. 100. art. 1. ad 4.) Urgebis, quid de Sacris Concionatoribus, qui ad ſalarium reſpicientes Chriſtum annuntiant? Vid. Seraphicum (Opuſc. de* Paupertate Chriſti *art. 2. ad 17. & in 4. ſent. diſt. 38. art. 1. q. 3.) quo poſteriori loco præclare oſtendit, quandam univerſim loquendo ob finium pluralitatem honeſtæ, aut inhoneſtæ evadant humanæ actiones.*

(2) *Ut conſuetudo aliqua ſit, &* dicatur legitime præſcripta, *quale temporis ſpatium præciſe requiratur, Jure ſaltem Canonico deſignatum non eſt; ſiquidem in eo generalibus ſolum loquendi formulis poſtulatur* longævus uſus, conſuetudo longa &c. *Hinc maxima varietas ac diſſonantia inter DD. qua Theologos, qua Canoniſtas detegitur circa hujuſce temporis determinationem, adeo quidem, ut quinque ad minus notari poſſint diverſæ opiniones, quas hic ſingillatim deſcribere opus non eſt. Harum una inhærens Ariſtotelis monito (lib. 1. Rhet.)* in his quæ lege definita non ſunt, melius eſt judicis arbitrio rem relinquere, *omnino contendit, nullam dari poſſe certam regulam circa quantitatem temporis ad præſcribendum neceſſarii; ſed relinquendum eſſe judicio prudentis ſtatuere tempus ſufficiens, qui illud pro varietate circumſtantiarum vel limitare, vel ampliare poteſt, ac debet. Reliquæ autem in determinato tempore ſtabiliendo laborant, ita tamen, ut ob mutuum conflictum illud valde incertum reddant. Ut quidpiam eloquar (non quidem ad definiendum, quod meam facultatem prorſus excedit; ſed ad indicanda dumtaxat ea, quæ videntur ſcitu neceſſaria, ut ſaltem poſſit perſpicue apprehendi ſeries integra iſtius diſceptationis) ſic ſtatuo.*

(*) *Quandoquidem iſtud unice ſtatutum ſit de bonis propriis E. R.*

nem: vel de conſuetudine reprobata, aut cui ſuperior contradicit; non vero de conſuetudine rationabili, & legitime præſcripta.

*Obj.* 2. Conſuetudo contra legem non eſt rationabilis: nam ſit per actus pravos, & prohibitos, ideoque contra rationem. Ergo non poteſt abrogare legem. *Reſp.* Conſuetudo contra legem humanam non eſt quidem rationabilis, quando incipit, donec completa ſit per longum tempus ad præſcriptionem requiſitum: unde tunc non excuſat a tranſgreſſione legis. At conſuetudo, quæ non adverſatur legi divinæ, nec bono communi, nec debito ordini, & cui per longum tempus legislator non reſiſtit, cenſetur ſufficienter rationabilis ad abrogandam legem humanam.

*Obj.* 3. Ad præſcriptionem validam bonorum requiritur bona fides continua præſcribentis. Ergo cum major pars populi agentis contra legem ſine conſenſu Principis non ſit bonæ fidei, ſaltem prioribus annis, non poteſt præſcribere contra Legem.

*Reſp.* Bona fides continua requiritur ad præſcriptionem bonorum, non vero ad præſcriptionem legum. Ratio diſparitatis eſt, quia per præſcriptionem bonorum transfertur eorum dominium invito domino, ad lites aliaque incommoda vitanda: quare ſi valeret in bonis præſcriptio malæ fidei, aperiretur via fraudibus & rapinis majoribuſque incommodis, quam ſint ea, quæ lex præſcriptionis vitare intendit. At præſcriptio contra legem non ſit invito legislatore, ſed eo conſentiente legaliter, & habente poteſtatem abrogandi conſuetudinem legi contrariam.

*Obſerv.* 1. Juxta communem ſententiam, conſuetudo contra legem præſcribit, licet ignoretur a Principe: quia ad hoc ſufficit conſenſus legalis, qui habetur in jure canonico & civili ſupra cit. Hoc eſt, ſufficit quod conſuetudo ſit rationabilis, & certo tempore duraverit, ſuperiore non contradicente, quippe Princeps generatim conſenſit, ut omnis ejuſmodi conſuetudo legem abrogaret, hoc ipſo quo ipſe, vel ejus prædeceſſor legem de hoc tulit vel recepit, vel id uſu receptum non improbavit. Neque leges requirunt ut Princeps norit conſuetudinem, ſed ſolum ut conſuetudo ſit rationabilis & legitime præſcripta. Immo ſi hanc norit, & perſonaliter conſentiat ut lex non amplius obliget, hoc ipſo lex non obligat. Nam (ut paſſim docent Theologi & Canoniſtæ, teſte Leſſio) ut conſuetudo tollat legem, ſolum requiritur, ut paſſim non ſervetur, quando occurrit ſervanda, ſciente Principe, & non ſe opponente, dum enim ſcit legem ſuam non ſervari, & ſilet, cenſetur conſentire ut non ſervetur, ne Reſpublica perturbetur, peccata multiplicentur &c.

2. Ut lex toti Eccleſiæ communis abrogetur in aliqua tantum provincia per deſuetudinem, vel conſuetudinem contrariam, ſatis eſt ut non ſervetur a majore parte provinciæ, non contradicentibus ſuperioribus toto tempore ad præſcriptionem requiſito. Sic in quibuſdam diœceſibus conſuetudo abrogavit legem communem jejunandi in vigiliis S. Thomæ, & S. Bartholomæi, & ſervandi eorum feſtum. Item conſuetudo veſcendi carnibus diebus Sabbati a feſto Nativitatis Chriſti uſque ad feſtum Purificationis incluſive, abrogavit in variis diœceſibus legem communem abſtinendi a carnibus ſingulis Sabbatis totius anni. Nam Conſuetudo ſpecialis legitime præſcripta abro-

*tuo. Conſuetudo inducitur aut via* conniventiæ, *aut via* præſcriptionis, *hoc eſt, vel Legislatore ſeu Principe ſciente, & indulgente, vel Legislatore penitus ignorante. Item conſuetudo vel* contra, *vel* præter *legem eſſe fingitur; &, ſi contra legem, vel lex non fuit adhuc uſu recepta, vel jam recepta, & aliquamdiu moribus comprobata. His poſitis, ſi ſermo ſit de conſuetudine, quæ ſciente Legislatore ſiat contra legem necdum receptam, inquit Bened. XIV.* (*lib.* 13. de Synod. *c.* 5. *n.* 3.) certum videtur, nullum temporis ſpatium eſſe neceſſarium, quando Legislator ſcit, ſuam legem non recipi; & cum commode poſſit ejuſdem obſervationem urgere, diſſimulat, tacetque, neque in tranſgreſſores animadvertit: tunc quippe poſt paucos actus a Superiore toleratos præſumitur, quod idem, per hanc ipſam conniventiam, ſuam legem tacite revocet, nolitque ea obſtringere communitatem, cui diſplicet. *Hoc ipſum, ob eamdem rationem ſubnixam ſcientia & connivventia Legislatoris, videtur ſentiendum, etiam ubi conſuetudo militat contra legem jam receptam, vel quando conſuetudo ſolum præter legem inducitur. Unde P. Hennus* (*Tract.* de Leg. *diſp.* 3. *q.* 13. *ar.* 3.) Si lex nova introducatur, vel antiqua abrogetur via conniventiæ, nullum tempus determinatum requiritur, ſed ſufficit illud, quod ſpectata Superioris abſentia, vel præſentia, rei gravitate, loci aut temporis circumſtantiis, ſatis declarare videtur tacitum conſenſum vel circa legem novam introducendam, vel circa veterem abrogandam: quod multum a prudenti judicio pendet. *Quod ſi conſuetudo inducitur ſola via præſcriptionis, Legislatore illam ignorante, atque, de materia agitur Morali ſeu Canonica: tunc rurſus ea vel eſt præter legem, vel contra legem nondum tamen receptam; & utroque in caſu fere plerique Scriptores nunc ajunt ſufficere decennium, quod ad abrogandam legem civilem ſufficere apud omnes in confeſſo eſt. Vel eadem conſuetudo eſt contra legem Eccleſiaſticam jamdiu receptam & ſervatam a communitate ſubdita: atque in hoc poſtremo caſu Doctores incaleſcente pugna valde inter ſe digladiantur, aliis non amplius quam* 10. *annos; aliis, iiſque numero & auctoritate forſan præſtantibus,* 40. *annos exigentibus. Bened. XIV.* (*loc. cit. n.* 3. & 4.) *proponit quidem & hanc alteram hypotheſim de via præſcriptionis, ſed recitatis variantibus opinionibus, quæ de eadem circumferuntur, nihil expreſſe determinat. Niſi forte inferas, ipſum magis propendere in eam opinionem, quæ decennio contenta eſt indiſtincte in quovis expoſito caſu: quia ſcilicet illam poſtremo loco recenſet ac declarat, ſicuti Auctor quoque hic facit. Quantum mihi videtur omnium plane minimo, ejuſmodi opinio, acri & maturo judicio expenſa, apparet tum veritati ſimilior, tum æquitati proximior. Nam Jus Canonicum nonniſi* longum uſum *ad* præſcriptam *conſuetudinem abſolute & indefinite expoſtulat; aliunde vero expreſſa Juris Civilis declaratione, adeoque judicio hominum prudentum graviſſimo, etiam* decennalis uſus *cenſetur* longus *ſeu* longævus.



gat legem ſpecialiter, ubi viget ipſa conſuetudo; abrogat autem generaliter, ſi ſit generalis.

3. In dubio an lex abrogata ſit, ipſa obligat. Nam lex lata obligat quandiu non conſtat eam non vigere. Quia lex eſt ſemper in poſſeſſione obligandi, & in dubio non amittitur poſſeſſio. Deinde in dubio tutior pars ſemper eligi debet.

4. Cum lex tota poſſit conſuetudine abrogari, a fortiori lex pœnalis poteſt conſuetudine fieri non pœnalis, & lex mixta fieri pure pœnalis. Item conſuetudo poteſt derogare legi, ſeu tollere partem legis, remanente alia. (1)

5. Præter conſuetudinem hic intelligitur etiam deſuetudo, ſeu non uſus. Porro conſuetudo legem abrogans inchoatur, ſaltem plerumque (2), per actus peccaminoſos priorum, qui legem non ſervant, deinde continuatur pleriſque bona fide agentibus, & putantibus legem jam non vigere; demum exacto decennio, vel quadrageſimo anno, deſit obligatio legis. (3)

Quæſt. VII. *An conſuetudo etiam immemorialis poteſt abrogari per Legem contrariam ſubſequentem?*

*Reſp.* Affirm. ex cap. 1. *de conſtit. in* 6. Quia conſuetudo non habet vim niſi auctoritate Principis illam approbantis, qui eadem auctoritate poteſt eam reprobare. Præterea conſuetudo præcedens non habet majorem vim quam lex præcedens, quæ tamen poteſt abrogari per conſuetudinem contrariam ſubſequentem.

Non abrogatur tamen conſuetudo particularis per legem contrariam, niſi recte præſumatur Princeps illam noſſe ſaltem confuſe, & voluiſſe eam abrogare, ex c. 1. *de conſtit. in* 6. (4). Hinc conſuetudo particularis unius provinciæ non abrogatur per legem generalem totius Eccleſiæ, vel Regni; niſi in Lege ſiat ejus mentio ſpeciatim, vel per clauſulam generalem dicatur: *Non obſtante quacumque conſuetudine, etiam immemoriali*: quia alioquin Princeps præſumitur ignorare conſuetudinem particularem, ideoque non voluiſſe illam abrogare; & jus ſtatuit, ut aliter talis conſuetudo non abrogetur. E contra quia con-

(1) *Abſolute parem eſſe vim juris* ſcripti, & conſuetudinarii, *Canoniſtæ docent ad unum omnes. Sicuti ergo lex potuit primitus condi vel quoad partem dumtaxat, vel ſine ulla pœna: ita poſtquam ſecus lata eſt, conſuetudo legitima poterit illam talem reddere. Profecto in legibus fere innumeris, quæ in Jure Canonico continentur, conſuetudinis contrariæ, ſeu deſuetudinis vi mutationem contigiſſe alterutro modo, tam evidens eſt, quam quod maxime. Sic ex. ca. Conc. Later. ſub Leone X.* (*ſeſſ.* 6.) *ſanxit unico legis graviſſimæ tenore, ut* in foro conſcientiæ nemo blaſphemiæ reus abſque graviſſima pœnitentia ſeveri Confeſſoris arbitrio injuncta poſſit abſolvi; ut audiens blaſphemantem teneatur eum verbis graviter objurgare, ſi citra periculum ſuum id fieri poſſe contingat; ut eumdem teneatur deferre apud judicem Eccleſiaſticum, ſeu Sæcularem, intra triduum. *Nunc tamen vix invenire eſt, ubi talis lex obliget* quoad omnes *partes; quia uſu non recepta. Idem dicas, relate ad plures Regiones extra Italiam, de celebri Pii V. Extrav.* Cum onus, *de Cenſibus. Pariter, quantum ad pœnas, numquid Clerici arma deferentes, comamque nutrientes, ubique nunc mulctantur juxta præſcriptum veterum Canonum?* (2. & 3. *tit.* 1. *de Vit. & Honeſt. Cler. l.* 3. *Decr.*) Clerici arma portantes excommunicentur. Si quis ex Clericis comam relaxaverit, *anathema ſit.*

(2) *Interdum, non ſemper evenit, ut dum conſuetudine ſeu deſuetudine lex tollitur, non peccent ii, qui etiam in ipſo principio legem non ſervant: quatenus nempe, licet verba legis non ſequantur, attamen agunt juxta Legislatoris mentem aut veram, aut præſumptam. Quomodo id intelligendum ſit, diſce ex Angelico ita ſcribente* (1. 2. *q.* 97. *art.* 3. *ad* 2.) Leges humanæ in aliquibus caſibus deficiunt. Unde poſſibile eſt quandoque præter legem agere, in caſu ſcilicet, quo deficit lex; & tamen actus non erit malus. Et cum tales caſus multiplicantur propter aliquam mutationem hominum; tunc manifeſtatur per conſuetudinem, quod lex ulterius non eſt utilis, ſicut manifeſtaretur, ſi lex contraria verbo promulgaretur. Si autem adhuc maneat ratio eadem, propter quam prima lex utilis erat; non conſuetudo legem, ſed lex conſuetudinem vincit. Niſi forte propter hoc ſolum inutilis lex videatur, quoniam non eſt poſſibilis ſecundum conſuetudinem patriæ, quæ erat una de conditionibus legis; difficile enim eſt conſuetudinem multitudinis removere.

(3) *Cur actus perſæpe* peccaminoſi *initio tandem conſtent conſuetudinem legitimam, qua lex humana amovetur, actus vero* vitioſi *nunquam poſſint conſuetudinem procreare, quæ naturalem aut Divinam legem abroget, diſcrimen facile patebit ex hactenus dictis. Nam ratio* humanæ *legis poteſt tandem deficere, ac ſæpe deficit, teſte Angelico citato: nunquam vero ratio legis* Naturalis, aut Divinæ. *Ex quo ſit, quod etiam ipſa humana conſuetudo, quantumvis valde diuturna, ſemper prava foret corruptela, ſi conſtanter primitiva ratio humanæ legis perduraret: ſicuti illegitima & caſſa cenſenda foret alia lex ſcripta eidem primæ legi contraria.*

(4) *Canonem ab Auctore indicatum e re erit hic integrum tranſcribere. Bonif. VIII. ibi ſic decernit:* Licet Rom. Pontifex, qui jura omnia in ſcrinio pectoris ſui cenſetur habere, conſtitutionem condendo poſteriorem, priorem, quamvis de ipſa mentionem non faciat, revocare noſcatur: quia tamen locorum ſpecialium, & perſonarum ſingularium conſuetudines, & ſtatuta, cum ſint facti, & in facto conſiſtant, poteſt probabiliter ignorare; ipſis, dum tamen ſint rationabilia per conſtitutionem a ſe noviter editam, niſi expreſſe caveatur in ipſa, non intelligitur in aliquo derogare. *Merito propterea Bened. XIV.* (*lib.* 11. de Syn. *c.* 5. *n.* 1.) *Epiſcopis hæc inculcavit:* Peculiarium conſuetudinum, quæ ab antiquo tempore in diœceſi, & regione receptæ, & juſtis de cauſis toleratæ, aut approbatæ dignoſcuntur, æquum eſt ab Epiſcopo rationem haberi, ne in Conſtitutionibus Synodalibus adverſus eas imprudenter inſurgens, novatoris nomen ſibi merito acquirat. *Quam quidem ad rem plura & illuſtria promit exempla, præſertim ex D. Carolo Borromæo* (*ibid.* & *c.* 1. *n.* 5. & 6.) *qui Mediolanenſibus non indixit quadrageſimale jejunium quatuor primis diebus, cum illud*



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

conſuetudines univerſales præſumuntur eſſe notæ Principi, abrogantur eo ipſo quod Princeps fert legem contrariam, etiam ſine clauſula univerſali derogatoria, quia videlicet ſtatuit contrarium conſuetudinis ſibi ſatis notæ. (1)

## ✠ APPENDIX

*Ad Uſum Miſſionariorum.*

QUæſt. I. *Utrum Miſſionarii teneantur proponere, atque inculcare Fidelibus ab ipſis baptizatis Jus poſitivum Eccleſiæ.*

*Reſp.* Affir. Etenim per baptiſma Eccleſiæ poteſtati, & Legibus ſubjiciuntur, ut ii, qui in aliquam ſocietatem cooptantur, illius Legibus ſubduntur. Miſſionarii autem obligationes explicare & inculcare debent novis Fidelibus, quas ſubeunt dum Eccleſiæ poteſtati ſubjiciuntur; adeoque jus poſitivum Eccleſiaſticum, ſive præcepta, quibus Eccleſia, quotquot ipſius poteſtati ſubſint, obligare contendit. Quamobrem ſupremæ Inq. decreto, approbante etiam Innoc. X. ann. 1646. definitum, ac ſub pœna etiam excommunicationis latæ ſententiæ Miſſionariis mandatum fuit, ut jus poſitivum Eccleſiaſticum enunciarent, obſervandumque præciperent.

*En dubium Sac. Cong. propoſitum.*

*Utrum Chriſtiani Chinenſes ſint obligati ad obſervantiam juris poſitivi, quantum ad jejunia, confiteri ſemel in anno, communicari, & feſta ſervare, eo modo, quo obligantur Indi in nova Hiſpania, & in Inſulis Philippinis, juxta diſpoſitionem Papæ Pauli III. pro Indis Occidentalibus, & Meridionalibus?*

*Cenſuerunt, jus poſitivum Eccleſiaſticum de jejuniis abſolute obligare Chinenſes, & a Miſſionariis hoc eſſe illis enunciandum, attenta vero Regionum, & Perſonarum qualitate, locum eſſe, ſi Sanctiſſimo placuerit, diſpenſationi, quæ fuit alias a fel. record. Paulo III. Indis conceſſa, qua obtenta, ſatagant Miſſionarii Sanctæ Matris Eccleſiæ pietatem illis patefacere, quibus ea, quæ in univerſum indixit magna ex parte benigne remittit, & indulget.*

*Cenſuerunt etiam, præfatos Chinenſes obligari ad Sacramentalem Confeſſionem ſemel in anno, & Miſſionarios hujuſmodi obligationem debere eis notificare.*

*Item prorſus cenſuerunt quoad ſacram communionem ſemel in anno ſumendam. Quo vero ad executionem tempore ſtatuto, hoc eſt in Paſchate id eſſe intelligendum, niſi adſit legitimum impedimentum, aut grave periculum immineat. Curandum tamen, ut intra duos, vel tres menſes, ante vel poſt Paſchati proximos quatenus ſine diſcrimine fieri poſſit, ſin minus alio quovis tempore, infra decurſum unius anni a Paſchate inchoandi, omnino communicent.*

*Demum cenſuerunt, Chinenſes ad fidem converſos teneri omnino feſta ſervare; Miſſionarios etiam teneri hoc eis notificare: locum tamen eſſe, ſi Sanctiſſimus annuat, limitandi eis numerum dierum feſtorum, juxta formam privilegii a Paulo III. Indis conceſſi.*

*Nota.* Paulus III. conceſſit, ut Indi tenerentur tantum ad abſtinendum ab operibus ſervilibus, in diebus Dominicis, Nativitatis, Circumciſionis, Epiphaniæ, Reſurrectionis, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Corporis Chriſti: nec non Nativitatis B. Mariæ, Annunciationis, Purificationis, Aſſumptionis, & Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli. Ita Verricellus de Apoſt. Miſſ. tit. 3. de Privil. Reg. q. 98. §. 20. Subdit autem non conſtare Innocent. X. hujuſmodi privilegium extendiſſe ad Chinenſes.

Quæſt. II. *Utrum Miſſionarii teneantur proponere jejunia, feſta, & alia Eccleſiæ præcepta ſervanda ad normam Kalendarii, quod Romana ſervat Eccleſia?*

*Reſp.* In iis Regionibus & locis, in quibus novæ ſtabiliantur Eccleſiæ, vel jam ſtabilitæ ſint juxta Romanæ Eccleſiæ ritum, Latini Miſſionarii Romanæ Eccleſiæ Kalendarium, quoad jejunia, & feſta proponere, & ſervare tenentur. Curare enim debent, ut quoad fieri poſſit, novæ Eccleſiæ, Romanæ omnium Eccleſiarum Matri & Magiſtræ, conformentur. Sed ubi Kalendarium Romanum, hoc eſt, juxta Gregorianam emendationem, non vigeat, ſed vetus a Nicæna Synodo ad annum uſque 1581. univerſim receptum, deinceps vero, permittente etiam Apoſtolica Sede, in aliquibus locis uſque ad hodiernum diem uſurpatum, cogere non debent Fideles ad jejunia, & feſta ſervanda juxta Kalendarium Gregorianum. Nam Apoſtolica Sedes Orientales, Anglos, Ibernos, alioſque Populos vetus Kalendarium retinentes, ad novi ſuſceptionem non adigit. Hinc propoſito dubio a Patriarcha Æthiopiæ: *An tolerari debeat, ut Abiſſini Paſcha celebrent alia Dominica præter illam, in qua ab Eccleſia Romana celebratur?* Supremæ Inq. decreto, die 27. Junii an. 1631. reſolutum fuit: *Nihil eſſe innovandum circa celebrationem Paſchatis, niſi aliquid interveniat, quod ſit in contemptum Religionis & fidei.* Immo ſi in Regione aliqua præter paucos Miſſionarios Latinos, alii non ſint, qui novum Kalendarium uſurpent, poterunt & ipſi antiquo juxta loci conſuetudinem, uti, ut in quadam Congr. Romæ habita pro Miſſione Theatinorum in Georgiam, die 31. Aprilis 1631. decretum fuit verbis, quæ ſequuntur: *Circa petitionem, ut Miſſionariis liceat uti veteri Kalendario, & circa illud ſe accommodare Georgianis, omnes concorditer affirmarunt: quia alii Latini præter ipſos in Iberia non ſunt.* Id etiam conceſſum fuit Miſſionariis Cappuccinis in nonnullis Armeniæ urbibus, die 3. Februarii 1623. ac deinceps aliis.

*Nota.* Quamquam Orientales nulla lege tenentur novum Kalendarium recipere, tamen Græci, & Albanenſes, qui in Italia, & in Inſulis Italiæ adjacentibus degunt, licet Orientalis Eccleſiæ diſciplinam ſervent, ſecundum hujuſmodi Kalendarium debent *Univerſalis Eccleſiæ jejunia & feſta celebrare, ut puta: jejunium quadrageſimale, Paſcha, Aſcenſionem Domini, Pentecoſten, Natalem Domini, Circumciſionem, Epiphaniam, & cetera hujuſmodi, quæ in Latina & Græca Eccleſia æque celebrantur*, ut habetur Conſtit. *Etſi Paſtoralis* S. M. Bened. XIV. §. 9.

*Quæres.* Utrum ii, qui celebrato Paſchate juxta proprium Kalendarium, in locum veniant, ubi juxta diverſum Kalendarium aliquot jejunii dies ſuperſint, ac Paſcha ſit celebrandum, jejunare ac Paſchatis feſtum cum loci incolis ſervare teneantur.

*Reſp.* Verricellus negative, ſecluſo ſcandalo, quia mens Eccleſiæ, eſt quadraginta dierum jejunium ante Paſcha præcipere, & ſemel tantum in anno Fideles ad Paſchatis celebrationem obligare: Hos vero hujuſmodi præceptis ſatisfeciſſe ſtatuitur. Sed licet id nemo in controverſiam revocet, dum de iis agitur, qui in locis veluti Peregrini verſentur, ac proprium adhuc Kalendarium ſervent: tamen jure atque merito dubitatur, dum de iis verba fiant, qui e Regione diſcedunt, ubi ex conſuetudine vetus Kalendarium tenentur adhibere, atque in locum veniant, ubi illico novæ obſervationi ſubjiciantur, vel viciſſim. Orientales v. g. & qui vetus Kalendarium ſervent reliqui, dum in Urbis collegia ſive Monachorum proprii Ordinis conventus veniunt, ſtatim novi Kalendarii uſum recipiunt, ac ſi ad Patriam redeant, ſtatim vetus juxta loci morem uſurpant. Ii ergo ea lege, ſive conſuetudine, qua loci in quem veniant Kalendarium ſervare debent, obligantur etiam ad jejunandum, ac feſtum ſervandum, ut ibi ſit, quamvis hæc ante fecerint, quemadmodum a proſequendo jejunio, & feſto celebrando excuſantur, ſi in locum veniant, dum hæc ibi peracta ſint; licet ipſi juxta alterius loci Kalendarium nondum abſolverint.

*Quæres iterum.* Num univerſim excuſentur Fideles a jejunio, feſtiſque ſervandis, ſi in locum veniant, ubi hæc celebrata ſint, dum ipſi ſecundum Kalendarium propriæ Eccleſiæ nondum quadrageſimale jejunium abſolverint, nec Paſcha celebraverint?

*Reſp.* Verricellus, hos excuſari a jejunio proſequendo, ſervandiſque feſtis, ſi in locum venerint, ubi Paſcha ſit celebratum; teneri autem ad Confeſſionem, & Euchariſtiæ communionem, quia Confeſſionis, Communioniſque præceptum a loco non pendet; pendet vero jejunii, Paſchatiſque celebrandi præceptum; ſed id non ita facile eſt univerſim probandum. Primum, quia nemo negat, non excuſari, qui in fraudem legis, hoc eſt vitandi jejunii, feſtiſque cauſſa, in locum illum ſe conferant, nec eos, qui in locis verſentur, in quibus ii reperiantur, qui juxta ipſorum Kalendarium jejunia, feſtaque celebrent; ut v. gr. ſi Armenus Liburnum veniat, ubi Catholicis Armeni ritus, ex conniventia Sac. Cong. de Propaganda Fide die 27. Septemb. an. 1699. permiſſus eſt uſus antiqui Kalendarii, donec ad Gregoriani obſervantiam diſponantur, cum onere tamen abſtinendi ab operibus ſervilibus in feſtis juxta Kalendarium Gregorianum occurrentibus, & audiendi ſacrum. Tum enim cum iis jejunium proſequi, & Paſcha deinceps celebrare tenentur. Deinde, ſi Sacerdotes eſſent, quos Verricellus loquitur homines, officium, ſacrumque facere deberent ad normam Kalendarii, quo ad diem uſque illum uſi eſſent. Ecqur ergo eodem modo jejunia proſequi & Paſcha etiam celebrare, ſi commode poſſint, non tenebuntur? Ait Verricellus jejunii feſtique præceptum a loco pendere. Sed ipſo fatente, non ita a loco pendent iſthæc præcepta, ut is, qui celebravit jam Paſcha ſecundum proprium Kalendarium, jejunare, & Paſchatis feſtum ſervare debeat in loco, ubi juxta diverſum Kalendarium jejunandum ſit adhuc, & Paſcha celebrandum. Numquid ergo, ita ſunt cum loco in quo verſamur hæc duo præcepta conjuncta, ut ſi in loco jejunandum ſit, ac feſtum ſervandum, ab ipſo nullo modo pendeant, ac fideles, qui jam præcepta illa ſervaverint, non obligent; pendeant vero, dum ibi jejunia, feſtaque celebranda ſint, quæ Peregrinis adhuc ſervanda forent? Demum Græci, qui in Italia ſunt, non tenentur Sabbato jejunare, & alia Latinæ Eccleſiæ propria jejunia ſervare, ut non debent Latini in Oriente Orientalis Eccleſiæ jejunia obſervare, ſed quiſque propriæ Eccleſiæ præcepta adimplere debet. Ergo qui in locum veniat, ubi juxta uſurpatum ibi Kalendarium Paſcha celebratum ſit; non vero juxta proprium, aut generali lege, qua propriæ Eccleſiæ jejunia ſervare tenetur, aut ea, qua Eccleſia quadraginta dierum jejunium fidelibus omnibus ante Paſchatis celebrationem indicit, vel etiam fortaſſe illa, qua ad proprii Kalendarii obſervationem adigitur, ſi ſine gravi incommodo poſſit, obligatur ad abſolvendum quadrageſimale jejunium, & Paſcha, quo modo poſſit, celebrandum.

Quæſt. III. *Utrum novæ Eccleſiæ, vel Romani* Pa-

---

*ex pervetuſto more non ſervarent: ipſos tamen a cibis vetitis prima Quadrageſimæ Dominica continendis compeſcuit, quoniam hoc ex gravi abuſu faciebant. Porro ſi ita eſt, plane oportebit ut Confeſſarii & Theologi priuſquam judicent ſcribantque de caſibus, maxime ad perſonas externorum locorum pertinentibus, illarum ſpeciales conſuetudines, aut privilegia, ſi quæ dantur, ſolerter explorent & diſcant: alioqui, ſi mente & oculis ſoli communi ſcriptoque juri Pontificio hærebunt, periculum erit, ne oracula & reſponſa effundant vel aerea, vel etiam inepta.*

(1) *Cum jam finem præſentis Tractatus graviſſimi feliciter Deo aſpirante attigerimus, eſt hic locus promendi, ac diluendi illud dubium de* Diſpenſationibus: *Quod ſupra (in fine quæſt. 3. cap. 7.) diluere omiſimus. Effinge iſtum caſum: inferior aliquis Prælatus ſeu Paſtor approximante Quadrageſimali jejunio, ubi peculiares loci, temporiſve circumſtantias mature perpendit, prævidet graves ſubeſſe cauſas indulgendi Communitati ſibi ſubditæ eſum ciborum alioqui vetitorum. Cum vero nec privilegii, nec conſuetudinis vi poſſit ipſe id præſtare, ad Superiorem ſuum idcirco ſupplex recurrit. Hic porro, audita, & examinata poſtulatione, omnino renuit aſſentiri. Quo ſe vertet Paſtor ſpe ſua fruſtratus? quid conſilii capiet, famelica Turba jam obmurmurante? Reſp. ad hanc, aliaſque difficultates etiam graviores enodandas, ſemina plura reperire eſt ſparſim jacta in variis iſtius Tractatus quæſtionibus: nonnulla item ſuppeditat Deciſſ. Gonzalez (Com. in cap. 5. Si quando; tit. 3. de Reſcript. lib. 1. Decr.) Igitur ad ea conquirenda, & invicem componenda Paſtor mentem ſuam convertat; nam qui quærit, invenit. Conſilium, quod mihi occurrit, iſtud eſt: vel obtemperandum, vel orandum, ut epikija de cælo proſpiciat.*

*Pontificis leges, & Conſtitutiones quæ pro tota Eccleſia feruntur, Græcos, Orientaleſque obligent, quin expreſſe nominentur?*

*Reſp.* Negat id Verricellus: contra vero Fr. Carolus Franciſcus a Breno tuetur, novas Romani Pontificis Leges, & Conſtitutiones, quæ ad univerſam Eccleſiam diriguntur, Orientalem quoque comprehendere, eas ſcilicet, in quibus *neque Orientalis, neque Occidentalis mentio fiat Eccleſiæ, ſed quibus ſupremus Pontifex in genere, pro cura quam gerit paſtorali, incommodis, abuſibuſque emergentibus occurrere ſtudent, univerſo ſibi concredito gregi, quidpiam præcipiat, vel pœnis interpoſitis prohibeat & interdicat.* At quamquam hæduæ opiniones invicem pugnare videantur; tamen facile conciliantur, ſi quo ſenſu ab Auctoribus explicatur, utraque accipiatur. Verricellus enim de Conſtitutionibus Eccleſiæ loquitur, quæ ad illa diſciplinæ capita pertineant, in quibus Latina ab Orientali omnino diſſidet. At palam eſt has Conſtitutiones ad Orientales non extendi. Nam Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. Innocentius IV. aliique Romani Pontifices, qui de Orientalibus quidpiam ſtatuere, ſemper declararunt *ſuſtinendos eſſe ritus, mores, conſuetudineſque Græcorum, quæ in parte nec fidei Catholicæ adverſantur, nec periculum generant animarum, aut Eccleſiaſticæ derogant honeſtati.* Ut in ſupra laudata Conſt. *Etſi Paſtoralis &c.* Igitur Conſtitutiones, in quibus agitur de diſciplina, quæ propria ſit Eccleſiæ Latinæ, a materia ipſa de qua agunt, ad ſolos Latinos coarctantur, juxta generales declarationes, quæ ritus moreſque Orientalium probant, ſive permittunt. Quamobrem hujus generis Conſtitutiones, niſi expreſſe de Orientalibus diſponant, ad ipſos non ſunt extendendæ. Duriſſimum enim eſſet, inquit Verricellus, cogere Orientales redeuntes ad obedientiam Sedis Apoſtolicæ ad obſervandas omnes Conſtitutiones novas Romanorum Pontificum: atque ad ritus, conſuetudineſque mutandas, quæ periculum non generant animarum, nec ſunt Eccleſiaſticæ honeſtati contrariæ.

At P. a Breno Conſtitutiones indicare videtur, quæ latæ ſunt pro tollendis abuſibus, qui ſunt vel eſſe poſſunt utrique Eccleſiæ communes, hoc eſt quibus pœnæ ſtatuuntur, ut ea e medio tollantur, vel impediantur, quæ Eccleſiaſticæ derogant honeſtati, vel periculum generant animarum; aut ut executioni mandentur præcepta, quæ ad utramque Eccleſiam pertinent. Id autem verum eſt, ac Sac. Cong. Decretis omnino conſonum. Dum enim Romani Pontifices, pro paſtorali, quam gerunt, Dominici gregis cura, ex univerſa Eccleſia ſeſe abuſus tollere velle declarant, ac ea amovere, quæ in ruinam cadunt animarum, & Eccleſiaſticis pœnis oves omnes ſibi concreditas ſtudent ad æternæ ſalutis viam revocare, præſumendum omnino eſt, velle omnes omnino obligare, dum ad univerſam Eccleſiam Conſtitutiones dirigunt, ac excludunt neminem. Hinc ſupremæ Inquiſitionis decreto anno 1551. die 4. Julii definitum eſt, Orientales tribus in caſibus Romanorum Pontificum Conſtitutionibus comprehendi. Primum, dum agunt de fidei dogmate. Deinde dum expreſſe Pontifex eos deſignat, ut in caſu Schiſmaticorum in Bulla Cœnæ. Demum, dum de iis implicite diſponit, ut in caſibus appellationis ad futurum Concilium, deferentium arma ad Infideles, & ſimilia.

Et anno 1635. die 7. Auguſti, ad dubium propoſitum a P. Michaele Angelo Albertino Soc. Jeſu: *Num Catholici ritus Græci habitantes in Inſulis Maris Ægæi comprehendantur cenſuris reſervatis Sedi Apoſtolicæ, & præſertim in Bulla Cœnæ?* Reſponſum fuit, *Affirmative, quod attinet ad executionem Bullæ Cœnæ. Idem dicendum de aliis æque generalibus. Sed tamen poſſunt excuſari ex aliquo capite, v.g. ignorantiæ.*

Atque hinc habes ad Orientales quoque ſpectare decreta omnia Conciliorum, quæ in Occidente celebrata ſunt, qua parte fidei dogmata definiuntur; vel ea vitari præcipitur, quæ ſunt bonis moribus contraria, vel Eccleſiaſticæ derogant honeſtati. Item Conſtitutiones, cum pœnis in iis contentis, quibus Pius V. Innoc. X. Alexander VII. Innocent. XI. Alexand. VIII. Clemens XI. aliique Romani Pontifices damnaverunt propoſitiones hæreticas, erroneas, falſas, ſcandaloſas, temerarias &c. Ac demum Conſtitutiones fel. rec. Benedicti XIV. quibus Confeſſarii prohibentur a Pœnitente nomen complicis exquirere; facultate privantur abſolvendi complices in peccatis contra ſextum præceptum; & pœnis ſubjiciuntur Confeſſarii ſollicitantes ad turpia pœnitentes. Vide Conſt. *Etſi Paſtoralis*, pluries laudatam, in qua §. 9. declarat, Græcos ſubjici *omnibus & ſingulis Conſtitutionibus, contra ſollicitantes, præſertim in Confeſſione, editis, quæ in ſingulas Nationes univerſim vires ſuas extendunt, & Latinos æque ac Græcos amplitudine ſua comprehendunt.*

*Nota* 1. Si nova Eccleſiæ vel Romani Pontificis lex ſub ea conditione ſit lata, ut in locis non obliget, niſi poſtquam in iis ſit publicata, ut eſt v.g. Tridentinum Decretum, quo irrita matrimonia clandeſtina declarantur, *in unaquaque Parochia poſt triginta dies ſuum robur habere incipiat, a die publicationis in eadem Parochia factæ numerandos*, vim obligandi non habet, niſi facta prius publicatione. Nam lex non obligat, niſi qua ratione Legiſlator ſubditos vult obligare.

*Nota* 2. Decreta Cong. Generalis de Propaganda Fide, *quotieſcumque ſint a Præfecto ejuſdem firmata, & a Secretario ſubſcripta, vim & valorem habere Conſtitutionis Apoſtolicæ* decrevit Urbanus VIII. ejuſque Decretum confirmavit Innocentius X. die 30. Julii 1625. occaſione litterarum Fratris Antonii a S. Maria Ord. Min. Strict. Ob. S. Franciſci, in quibus aſſerebatur in Inſulis Philippinis Miſſionarios fuiſſe, qui ſpargerent, *Decreta prædictæ Cong. facere tantum opinionem probabilem, ac eſſe puram & ſimplicem declarationem, unde poſſe etiam contrarium defendi.* Hanc autem vim habent decreta hujuſmodi ex auctoritate, quam huic Congregationi conceſſit Gregorius XV. Conſt. quæ incipit *Imperſcrutabili*, 1. Kal. Julii 1622. in qua ait, ut hujus Congr. Cardinales, *omnia & ſingula negotia ad fidem in univerſo mundo propagandam pertinentia cognoſcant & tractent, & graviora, quæ tractaverint, ad nos referant; alia vero per ſeipſos decidant, & expediant pro eorum prudentia. Miſſionibus omnibus ad prædicandum & docendum Evangelium, & Catholicam doctrinam, ſuperintendant: Miniſtros neceſſarios conſtituant, & mutent. Nos enim eis tam præmiſſa, quam omnia, & ſingula deſuper neceſſaria, & opportuna (etiam ſi talia fuerint, quæ ſpecialem, ſpecificam, & ex-*

*& expreſſam requirant mentionem) faciendi, gerendi, tractandi, agendi, & exequendi, plenam & liberam, & amplam facultatem, auctoritatem, & poteſtatem, Apoſtolica auctoritate, earumdem tenore præſentium concedimus, & impertimur.* Igitur quæ fiunt ab hac Sac. Cong. Decreta, habent a Summi Pontificis auctoritate vim Conſtitutionis Apoſtolicæ, atque ut vim obligandi obtineant, ſat eſt, inquit Verricellus, quæſt. 224. *Ut authentica copia petentibus detur, atque a Præfectis Miſſionum ſuis Miſſionariis intimetur.*

*Nota* 3. Si Miſſionarii, ſive Epiſcopi cenſeant non expedire novam legem Eccleſiaſticam, vel iſthæc Decreta publicare, quod prudenter credant, in illa Provincia impedimento eſſe poſſe Infidelium converſioni, ac Fidelibus apoſtatandi occaſionem afferre, novæ legis, vel Decreti publicationem ſuſpendere poſſunt, ut reſolutum fuiſſe in quadam Cong. a Doctiſſimis Theologis, refert Verricellus, tit. 3. de leg. q. 78. n. 3. Tum enim prudenter opinantur, Pontificem vel Sac. Cong. Cardinales, qui hujuſmodi Decretis communi Fidelium bono, & utilitati proſpicere volunt, nolle, ut in ea Provincia, in qua nil boni, & plurimum mali ſint allatura, publicentur. Tenentur vero Apoſtolicam Sedem, vel Sac. Cong. conſulere, eique circumſtantias omnes explicare, ut ex inſtructione, quam inde accipient, quid ipſis agendum ſit, & qua ratione ſe gerere debeant, intelligant.

*Nota* 4. In caſibus alicujus difficultatis, controverſiæ, & declarationis Decretorum Romani Pontificis, ſive Sac. Congregationis, ne privatis diſſidiis, & controverſiis, ac diſſona, circa ea quæ fideles docere debent, doctrina, fidelibus ſcandalo ſint, & infidelibus ludibrio exponant Religionem, & Apoſtolicam Sedem; tenentur recurrere ad eamdem Sedem Apoſtolicam, vel Sac. Congr. de Propaganda Fide, ac reſolutioni, ſive explicationi, quam inde habebunt, omnino acquieſcere: quemadmodum ab eadem Congregatione, approbante etiam Innoc. X. decretum fuit, die 27. Martii an. 1631.

Quæſt. IV. *Utrum Patriarchæ & Epiſcopi Orientales diſpenſare poſſint Fideles ipſis ſubjectos, a Romani Pontificis legibus, & ab iis quæ ex univerſali Orientalis Eccleſiæ conſuetudine pendent?*

*Reſp.* Ordinaria poteſtate non poſſe; poſſe autem ex Romani Pontificis conceſſione. Utraque reſponſionis pars iis argumentis oſtenditur, quæ Antoine affert c. 6. q. 1. de legibus; nam Epiſcopi, ac etiam majores Orientalis Eccleſiæ Patriarchæ, ut Alexandrinus, Antiochenus, Hieroſolymitanus, & Conſtantinopolitanus, Romano Pontifici, ejuſque legibus, ac etiam conſuetudinibus, quibus univerſalis Orientalis Eccleſiæ diſciplina continetur, ſubjecti ſunt. Inferior nequit ſe, ſibique ſubjectos a lege ſolvere, quæ a ſuperiore ſit lata, & cui ſit ipſe ſubjectus. Hinc cum Stephanus Patriarcha Armenus anno 1289. nobiles nonnullos diſpenſaſſet, ut in tertio conſanguinitatis gradu Matrimonium contraherent; Gregorius ejus Succeſſor, conjuges monuit nullum fuiſſe ita contractum Matrimonium. Et cum petiiſſent a Bonifacio VIII. diſpenſationem, Epiſtola, quæ eſt 168. l. 4. ita reſcripſit: *Solus Papa Romanus poteſt in univerſalibus legibus diſpenſare, qui legibus ſolutus eſt.* Et infra, *dictus Stephanus in hoc diſpenſare non potuit, propter quod non diſpenſator extitit, ſed deceptor.* Et ſan. mem. Benedicti XIV. Conſt. incipiens, *Demandatam cælitus: quæ inducta fuerat* ab Euthymio Archiepiſcopo Tyri, & Sidonis, *auctoritate propria, inconſultoque Romano Pontifice, nonnullarum Eccleſiæ Græcæ conſuetudinum immutationem revocat*, ac omnino irritam declarat, ſicut etiam *innovationem, & abſtinentiarum relaxationem, & coarctationem in detrimentum veteris Eccleſiarum Græcarum Diſciplinæ*, a Cyrillo Antiocheno Patriarcha factam, *deficiente auctoritate Apoſtolicæ Sedis*: atque decernit quoad ritus, & mores Eccleſiæ Græcæ, *nemini licuiſſe, aut licere, quovis titulo, & colore, aut dignitate etiam ſi Patriarchali, aut Epiſcopali præfulgeat, quidquam innovare, aut aliquid introducere, quod integram, exactamque eorumdem obſervationem imminuat.* Vide infra appendicem ad tractatum de jejunio, & notam ad q. 4. c. 3. de impedimentis Matrimonii. ✠



TRA-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®



# TRACTATUS
# DE PECCATIS. (1)

## CAPUT PRIMUM.

*De Peccati natura, diviſione, diſtinctione, & gravitate.*

QUæſt. I. *Quid eſt peccatum proprie dictum?*

*Reſp.* Eſt Legis divinæ violatio libera, ſive actus libere factus vel omiſſus contra Legem Dei. Nam 1. eſt Legis divinæ violatio, ex S. Ambroſ. lib. de Paradiſo c. 8. *Quid eſt peccatum, niſi prævaricatio Legis divinæ, & cæleſtium inobedientia præceptorum?* Et ex Aug. l. 22. contra Fauſtum c. 27. *Peccatum eſt factum, vel dictum, vel concupitum aliquid contra Legem Dei æternam.* Ubi ſub facto, dicto, concupito, comprehenditur omiſſio: nam nomine actus in moralibus intelligitur etiam omiſſio, quia hæc habetur ut actio in ordine ad mores & culpam: & omittens id quod facere tenetur, cenſetur moraliter facere contra id quod tenetur facere. Immo omiſſio pura libera, ſi detur, eſt moraliter & interpretative operatio, quatenus eſt virtuale & interpretativum libertatis exercitium. Nam ſi poſitis omnibus ad volendum & agendum prærequiſitis, voluntas abſtinet ab omni actu, tunc libere non vult, libere non agit; & perinde ſe habet in æſtimatione prudenti, atque in ordine ad imputabilitatem, ac ſi poſitive nollet, poſitive vellet non agere: proindeque tunc virtualiter & interpretative exercet libertatem ſuam, virtualiter & interpretative volendo non agere.

(1) *Superius a nobis monſtratum inter principia varia humanorum actuum quædam exiſtere, quæ allicientia nuncupantur, cujuſmodi ſunt* habitus *omnes, ſeu boni ſeu mali, quorum propria indoles eſt, judicio Philoſophorum, inclinare activas potentias ad producendas operationes ſibi conformes, uti experientia ipſa cuilibet ſatis compertum. Quandoquidem vero præſens Tractatus actualium æque, ac habitualium peccatorum notitiam generalem ſuppeditat; palam eſt hic jam inchoari tractationem de ejuſmodi principiis allicientibus: quæ quidem latiſſime protenditur, cum ſinu ſuo complectatur ſingulos conſequentes Tractatus, qui de vitiis, & virtutibus ſunt, quà univerſim, quà ſpeciatim conſideratis. Porro ſicuti præcitato loco admonuimus, in Legum materia ad ſolidam perfectamque cognitionem comparandam oportere lucem fœnerari a Canoniſtis: ita in hac alia de peccatis accerſenda ſubſidia, ſaltem quoad generaliora capita, a Theologiæ Scholaſticæ ſeu Speculativæ Profeſſoribus. Nam qui eadem informatus non eſt, haud* ſciet per habitum acquiſitum diſcernere inter perplexitates peccatorum, *ut D. Bonav. (in 4. ſent. diſt. 17. p. 3. dub. 3.) loquitur. Præterea, quæ juxta Moralium Scriptorum inſtitutum, & praxim in Tracta de Actibus Humanis accurate jam tradita ſunt, hic maxime præ oculis conſtanter habenda, ob arctam utriuſque materiæ neceſſitudinem. Jam vero animus noſter ferret, ſervatam hactenus in ſuperioribus Tractatibus methodum deinceps quoque tenere, ſpectata gravitate rerum, quæ ſerie continua ad finem uſque Operis ſeſe offerunt. Verum, quo minus ita fiat, obſtant peculiares rationes jam indicatæ in generali noſtra Præfatione. Quocirca prudens Lector haud mirabitur, ſi in poſterum animadvertet nos longe parciores, brevioreſque in Notis apponendis.*



re. Ratio eſt, quia omnis & ſola violatio Legis divinæ eſt offenſa Dei, ideoque peccatum. Porro cum Lex divina naturalis & poſitiva præcipiat obſervationem omnis præcepti humani legitimi, & omnis poteſtas ſit a Deo: qui illud non ſervat, violat Legem divinam, & ſic peccat.

2. Eſt violatio libera (1) vel in ſe, vel ſaltem in cauſa, aut periculo, ita ut non ſit ex ulla neceſſitate intrinſeca ac antecedente, (vid. N. 156.) & vere potuit (2) vitari. Nam Eccleſia damnavit ut hæreticam hanc Janſenii propoſitionem: *Ad merendum in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur in homine libertas a neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coactione.* Ratio eſt, quia nemo poteſt eſſe dignus vituperio & pœna propter actionem vel omiſſionem ei non liberam, ſed plane neceſſariam, ut docet S. Aug. l. de duabus animabus, c. 11. & per ſe patet. Præterea tenemur ad vitandum peccatum: at *nemo poteſt ad impoſſibile obligari*, reg. 6. jur. in 6. Hinc illud S. Aug. loc. cit. cap. 12. *Peccati reum tenere quemquam, quia non fecit quod facere non potuit, ſummæ iniquitatis eſt & inſaniæ.*

*Dices.* Poteſt dari peccatum mere philoſophicum: quod ſcilicet ſoli rationi, non Legi divinæ adverſetur, nec ſit offenſa Dei.

*Reſp.* Hoc repugnat: Quia qui peccat contra rectam rationem, ſimul & indiviſibiliter peccat contra Legem Dei: & ſic Deum offendit: nam dictamen rectæ rationis eſt intimatio Legis divinæ æternæ, neceſſario prohibentis quidquid dedecet naturam rationalem, & præcipientis quidquid eſt neceſſarium ad vivendum conformiter ac decenter naturæ rationali; & aliunde nemo poteſt ignorare, ſaltem invincibiliter, quidquid diſconvenit naturæ rationali, ut rationali, eſſe prohibitum a Deo ſupremo auctore ac rectore naturæ rationalis. Quoties enim recta ratio dictat, aliquid diſconvenire naturæ rationali, ſimul ſaltem confuſe dictat illud idem diſplicere ſupremo enti, naturæ rationalis auctori & rectori, cujus eſt eam convenienter ſapientiæ ac ſanctitati ſuæ regere. Hinc Alexander VII. ut erroneam damnavit hanc propoſitionem: *Peccatum philoſophicum ſeu morale, eſt actus humanus diſconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi: theologicum vero & mortale eſt tranſgreſſio libera Legis divinæ. Philoſophicum, quantumvis grave in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, eſt grave peccatum, ſed non eſt offenſa Dei, neque peccatum mortale diſſolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.*

Quæſt. II. *Quænam excuſant a peccato?*

*Reſp.* Cum peccatum ſit eſſentialiter liberum & voluntarium vel in ſe vel in alio, excuſat generatim ab eo, quidquid tollit voluntarium & liberum; ut ignorantia invincibilis, quia tollit voluntarium; vel impotentia phyſica, quia tollit liberum; aut metus vel paſſio antecedens tollens uſum rationis, quia utrumque tollit. Quod autem auget, vel minuit liberum, aut voluntarium, ceteris paribus auget, vel minuit peccatum. (3)

Quæſt. III. *An metus excuſat a peccato?*

*Reſp.* 1. Metus levis nunquam excuſat a peccato. Quia non tollit voluntarium, nec liberum, nec excuſat ab obſervatione ullius Legis, cum ſit vanus, & Lex quælibet obliget ſaltem cum aliquo incomodo. Hinc reg. 144. ſ. de reg. juris: *Vani timoris juſta excuſatio non eſt.*

*Reſp.* 2. Metus gravis nunquam excuſat hominem ſui compotem in iis, quæ ſunt intrinſece mala, ſeu prohibita Lege naturali. *Inter omnes conſtat.* Quia ea non deſinunt eſſe mala in quovis periculo, ac vetita; & aliunde metus ille non impedit voluntarium ſimpliciter, ac liberum. Nullum autem peccatum etſi veniale facere licet ad vitandum quodvis aliud malum; nam quodvis peccatum, etiam veniale, utpote offenſa Dei, entis ſupremi & in omni perfectione infiniti, eſt malum gravius quovis alio, quod non eſt peccatum. Deinde omne peccatum ut peccatum, eſt intrinſece & eſſentialiter illicitum: Ergo nunquam ob ullum bonum aut malum peccatum poteſt eſſe licitum: nam natura & eſſentia rerum mutari nequit. Unde ad tuendam vitam propriam non licet mentiri.

Metus tamen gravis minuit culpam, ex c. *Sacri*, de iis quæ vi &c. ibi: *Licet metus attenuet culpam, tamen non eam prorſus excludit*; quia minuit, ſed non tollit voluntarium. Nunquam tamen ſic culpam attenuat, ut eam de mortali faciat venialem in materia gravi, ut patet in iis, qui metu diræ mortis idolis ſacrificarunt; quia nempe relinquit conſenſum ſufficienter liberum: nam eo non obſtante actus procedit a voluntate cum cognitione etiam perfecta, & fit ex electione & abſque neceſſitate phyſica, ita ut poſſit non fieri.

*Reſp.* 3. Metus prudens damni gravis excuſat a peccato in iis, quæ ſunt contra Legem non obligantem cum gravi damno: nam excuſat ab obſervatione talis Legis. Lex autem humana ordinarie non obligat cum gravi detrimento, niſi caritas, vel bonum commune, vel vitatio ſcandali, aut contemptus religionis, poteſtatiſve legitimæ id exigat.

Quæſt. IV. *Quomodo dividitur peccatum?*

*Reſp.* Dividitur præcipue, 1. in originale, quod in ipſa origine ab Adamo contrahimus: & perſonale, quod peccantis voluntate phyſica propria committitur. 2. In mortale, & veniale. 3. In peccatum com-

*quamlibet humanorum actuum, habes integrum c. 12. Auctoris in Tract. de Act. Hum. necnon integram Sect. noſtram de Libero (n. 147. uſq. ad 177.) itemque aliam (N. 390. uſq. ad 394.) quæ de eſſ-ſſibus moralitatis eſt, videlicet de imputabilitate actuum.*

(1) *De libertate prorſus neceſſaria ad moralitatem*

(2) *Quomodo intelligere oporteat hanc* potentiam *vitandi peccati, jam explicatum (N. 161.) duce S. Bonaventura.*

(3) *De impedimentis* voluntarii *obiter hic ab Auctore indicatis, Vid. Tr.* De Actib. Hum. *c. 1. ar. 3. & 4. & Notas ad utrumque illum Articulum.*

commiſſionis & omiſſionis. 4. In actuale & habituale. 5. In peccata contra Deum, contra proximum, & contra ipſum peccantem, ratione ſcilicet virtutum, contra quas peccatur: ſunt enim quædam virtutes, quæ habent Deum pro objecto immediato, ut fides, ſpes, caritas: unde peccata quæ illis adverſantur, ſunt ſpeciali modo contra Deum. Aliæ habent pro objecto proximum, ut juſtitia, miſericordia, dilectio proximi: unde peccata quæ illis opponuntur, ſunt contra proximum. Aliæ demum recte diſponunt hominem erga ſeipſum, ut fortitudo, temperantia &c. unde peccata iis oppoſita ſunt ſpeciali modo contra ipſum peccantem: quamvis omnia peccata generali quadam ratione ſint contra Deum, qui illis omnibus offenditur, & contra ipſum peccantem, cui omnia nocent. 6. In peccata ignorantiæ, infirmitatis, & malitiæ. 7. In ſeptem capitalia.

Quæſt. V. *Unde petitur ſpecifica peccatorum diſtinctio?*

*Nota* 1. Species moralis (Vid. N. 248. & 296.) peccati eſt ſpecialis malitia, per quam unum peccatum eſſentialiter differt ab alio. Malitia autem actus eſt ejus diſſormitas ac oppoſitio cum natura rationali, & Lege divina. Unde illa peccata differunt ſpecie, quæ habent diſconvenientiam & oppoſitionem cum natura rationali & Lege divina notabiliter inter ſe diverſam.

*Nota* 2. Voce objecti hic intelligitur id totum, in quo voluntas tendit per actum malum; ex hoc enim omnis refundi poteſt malitia in actum ipſum. Unde objectum voluntatis complectitur objectum materiale, ſeu id quod vult; objectum formale, ſeu id propter quod vult; & circumſtantias in quibus vult, & fit actus. Ex his autem omnibus & ſingulis aliqua notabilis diverſitas malitiæ poteſt actui accedere.

*Reſp.* 1. Ea peccata ſpecie differunt, per quæ violantur præcepta ſpecie moraliter diverſa. Quia cum peccatum ſit tranſgreſſio Legis ſeu præcepti, tranſgreſſiones præceptorum ſpecie diverſorum, quæ ſunt tranſgreſſiones ſpecie & notabiliter diverſæ, ſunt peccata ſpecie diverſa. Præcepta autem ſpecie diverſa ſunt ea, quæ præcipiunt aut prohibent actus diverſæ ſpeciei moralis, vel actus ejuſdem ſpeciei, ſed ex diverſo motivo proximo. Actus vero diverſæ ſpeciei moralis ſunt ii, qui habent convenientiam vel diſconvenientiam notabiliter diverſam cum natura rationali & Lege divina.

Hinc ſi per unam eamdemque actionem vel omiſſionem violatur multiplex præceptum ſpecie morali diverſum, tunc committitur multiplex ſpecie peccatum. Sic 1. eadem percuſſio clerici eſt duplex ſpecie peccatum, unum injuſtitiæ, & alterum ſacrilegii. 2. Beneficiatus ſacro ordine initiatus, una omiſſione Horarum duo ſpecie peccata committit, quia violat ſimul duas virtutes ſpecie diverſas, nempe religionem, & juſtitiam, ex quarum præcepto obligatur ad horas. 3. Qui ex voto, & præcepto Confeſſarii tenetur jejunare feria ſexta, non jejunans, occurrente vigilia, v. gr. S. Matthæi, tria ſpecie peccata committit, unum intemperantiæ, ſecundum contra præceptum Confeſſarii ex motivo pœnitentiæ, tertium contra religionem propter votum. Immo peccata, quæ eidem virtuti, ſed modo notabiliter diverſo opponuntur, ſunt ſpecie diverſa; nam habent diſſormitatem notabiliter diverſam; ſic avaritia & prodigalitas, quæ liberalitati opponitur ſunt vitia ſpecie diverſa, quia ei opponuntur modo notabiliter diverſo, nempe per defectum & per exceſſum.

*Reſp.* 2. Diſtinctio ſpecifica peccatorum recte etiam petitur ab objecto, fine, & circumſtantiis, quæ ſpecialem habent diſconvenientiam cum natura rationali & Lege divina. Quia actus voluntatis ſumit malitiam moralem in aliqua ſpecie ab objecto, fine, & circumſtantiis moralibus: nam actus voluntatis fertur etiam interpretative in iſta omnia; & malus eſt hoc ipſo quod fertur etiam interpretative in aliquid malum, ſeu diſconveniens rectæ rationi & Legi, cum hoc ipſo diſconveniat naturæ rationali & Legi. Ergo ſi iſta habeant ſpecialem malitiam ſpecie diverſam, actus voluntatis habebunt quoque malitiam ſpecie diverſam, ideoque ſpecie different. Item actus voluntatis habet diſconvenientiam cum natura rationali, & Lege divina, ideoque malitiam moralem, hoc ipſo quod vult aliquid malum, vel vult aliquid etiam de ſe licitum, ſed vel ob finem malum, vel in circumſtantia mala ſeu diſconvenienti: nam talis volitio diſconvenit naturæ rationali, & prohibetur a Deo. Ergo habet ſpecialem malitiam hoc ipſo, quod vult objectum ſpecialiter malum, vel aliquid ob finem ſpecialiter malum, vel in circumſtantia ſpecialiter mala.

Id patet etiam inductione. Nam 1. actus, quo quis vult furari, ſumit a furto malitiam in ſpecie injuſtitiæ. 2. Actus, quo quis vult labore etſi licito lucrari ad ſe inebriandum, ſumit malitiam intemperantiæ ab hoc fine. 3. Celebratio Miſſæ in loco vetito ſeu indecenti, habet malitiam irreligionis ex circumſtantia loci, propter quam ipſa dedecet & prohibetur. 4. Actus, quo quis vult objectum malum, ob finem malum, in circumſtantia mala, ſumit ab his tribus malitiam in triplici ſpecie peccati, ſi hæc ſint diverſæ malitiæ: quia tunc habet triplicem diſconvenientiam & oppoſitionem cum natura rationali & Lege divina notabiliter inter ſe diverſam: ſic actus, quo quis vult furari in templo, ut fornicetur, habet triplicem malitiam ſpecie diverſam, ſcilicet injuſtitiæ, ſacrilegii, & luxuriæ. (1)

Quæſt. VI. *Unde petitur diſtinctio numerica peccatorum?*

No-

(1) *Ex ſerie eorum, quæ Auctor docuit in hac q. 5. percepiſti, Lector, duplicem diverſum modum explicandi moralem diſtinctionem* ſpecificam *peccatorum, quæ* commiſſionis *dicuntur. Nam, quoad peccata* omiſſionis *omnes unanimiter fatentur, eamdem ſpeciem, adeoque diſtinctionem ſumere ab actibus, quorum ſunt omiſſiones, ex. ca. omiſſionem officii, & omiſſionem eleemoſynæ, morali ſpecie inter ſe differre, quoniam recitatio officii, & erogatio eleemoſynæ, tum phyſice, tum moraliter inter ſe diſtinguuntur. Verum præter indicatas duas ſententias, quarum altera ab* objectis, *altera a* præceptis *diverſis repetit ſpecificam diſtinctionem peccatorum, jam a priſco tempore in Scholis celebris eſt tertia opinio, contendens eam diſtinctionem ſumendam non ab aliquo* poſitivo, *ſed potius a* privativo; *hoc eſt a privatione diverſæ rectitudinis, quæ juxta rectæ rationis regulam actibus ineſſe deberet. Quam quidem opinionem, ceu conſonam S. Auguſtini doctrinæ, ſtrenue olim propugnavit eximius*

Car-



*Nota* 1. Agitur hic de multiplicatione peccatorum non phyſica, ſed morali & in ordine ad confeſſionem, ſeu ad ferendum ſalutare ac rectum judicium de illis, & de ſtatu peccatoris. 2. Unus & idem actus ſi plures malitias habuerit, eſt peccatum multiplex moraliter, & in ordine ad Confeſſionem, in quo actus conſideratur non ſecundum entitatem phyſicam, ſed ſecundum malitiam. 3. Actus internus voluntatis, & externus alterius potentiæ, circa quem prior ille verſatur, unum numero peccatum conſtituunt, v. gr. volitio furandi, & ablatio rei alienæ; quia actus internus & externus ab eo imperatus unum eumdemque totalem actum moralem conſtituunt. (Vid. 382. 383.)

*Reſp.* Generatim peccata multiplicantur ſecundum numerum intra eamdem ſpeciem, pro numero ſeu multitudine objectorum totalium, vel actionum ex ſe completarum, aut quæ interius vel exterius conſummantur, vel quæ inter ſe non uniuntur: item per interruptionem moralem actuum. Nam tunc plures actus non cenſentur una moraliter actio, & habent plures numero malitias (2.) Sed hæc ſpeciatim explicanda ſunt.

1. Itaque peccata multiplicantur pro numero objectorum totalium, ita ut actus malus phyſice unus, verſans circa plura objecta totalia, ſit moraliter plura numero peccata. *Ita communior ſententia.* Quia tunc eſt multiplex & numero diſtincta moraliter malitia in ejuſmodi objectis: nam ſingula objecta habent ſuam malitiam numero diſtinctam a

mali-

*Carmelitarum Magiſter Joan. Bachonus* (*in* 2. *ſent. diſt.* 39. *q.* 1. *art.* 4.) *& nunc præter alios TT. univerſa Franciſcana Progenies amplectitur duce Subtili Præceptore, qui* (*in* 2. *ſent. diſt.* 27. *q.* 1. §. Ex hoc patet ſecundum) *hæc tradidit.* Cum privationes diſtinguantur ſpecie ex diſtinctione habituum ſpecifica, & numero ex diſtinctione numerali, peccata, quæ ſunt privationes quædam (*Vid. n.* 259. *& duos ſeq.*) ſcilicet rectitudinum, quæ deberent ineſſe actibus, diſtinguuntur formaliter ex diſtinctione talium rectitudinum: ut quando debent haberi diverſæ rectitudines ſpecie ſunt carentiæ diverſæ ſpecie &c. *Quiſquis hoc ſyſtema mente funditus aſſequi, ac feliciter contra adverſatores omnes tueri deſiderat, poterit conſulere P. Maſtrium* (*in* 2. *ſent. diſt.* 6. *q.* 2. *ar.* 4. *in Theol. Moral. diſp.* 25. *q.* 2. *ar.* 1.) *qui fuſe, ſolideque declarat, illud non ſic accipiendum* (*quomodo nonnulli minus perſpecte faciunt*) *quaſi peccata ſpecie differant inter ſeſe ob purum, putumque reſpectum ad vir*tutes diverſas; *cum exploratum ſit, plura peccata morali ſpecie diſcreta adverſari poſſe uni eidemque virtuti, cujuſmodi eſt liberalitas, religio, juſtitia, & aliæ omnes, quæ dicuntur conſiſtere in* medio, *ſive in certa quadam mediocritate; quique præterea demonſtrat, ſpecificam peccatorum diſtinctionem ex* objectis *non deſumi niſi* materialiter *ſeu* fundamentaliter, *& ex* præceptis *ſolum colligi* a poſteriore, *ſeu ab* extrinſeco. *ex D. Auguſtino* (*N.* 381.) *ſola* voluntas ſit, qua peccatur, & recte vivitur: *adeoque juxta multiplicationem actuum voluntatis, ſive per ſe, ſive per ſubjectas potentias agentis, neceſſe ſit multiplicari peccata.* 4. *Objecta cenſentur* totalia, *quando inter ſe integre diſtinguuntur adeo, ut unum non ſit quoquo modo pars alterius, uti ſunt ex. ca. plures homines alicujus cœtus. Actus vero voluntatis judicantur interrupti, ſicque numero multiplicati quando nec formaliter, nec virtualiter unus in altero perſeverat ita quidem, ut conſequens nequeat dici effectus antecedentis. Et hoc duobus modis poteſt evenire: nempe per* retractationem *prioris actus, ſeu per contrariam voluntatem, & per* ceſſationem *ab actu priori.* 5. *Explicatæ duæ regulæ, & quotquot aliæ ab Auctoribus proferuntur, ſubjici debent huic generaliori, ut rite intelligantur, & explicentur:* in definienda numerica peccatorum diſtinctione potiſſime attendendum ad prudentem, & communem hominum exiſtimationem. *Ratio manifeſta eſt; quia cum ingens ſit ingeniorum varietas, quod uni videtur vel objectum to*tale, *vel actus voluntatis* interruptus, *longe ſecus apparet alteri. Ex quo ſequitur, ut nullus ſit futurus diſſidiorum finis, niſi utraque adverſa litigantium pars ſeſe accommodet communiori hominum, maxime peritorum proborumve perſuaſioni.* 6. *Tandem quod ſpectat ad exempla varia, quæ Auctor in præſenti quæſtione identidem profert ad dilucidanda ſua theoremata, ea videntur quidem ſanioribus, & tutioribus morum doctrinis ſubnixa; ſed tamen apud DD. non ſunt undequaque certa & explorata, cum in multis diſſentiant alii TT. præſertim Probabiliſtæ: ut cuique vulgares libros evolventi facile innoteſcet. Ceterum Auctorum hiſce in rebus diſcrepantia,* moraliter loquendo, *tanta non eſt, quanta apparet extima ſpecie. Nam ex. ca. etſi ſcholaſtico more diſputando alii affirment, alii negent, unicum committi peccatum, dum una phyſice actione ſex homines offenduntur; nihilominus utrique fere conveniunt in morali judicio. Nam iſti ſex peccata numero diſtincta: illi unum peccatum, vel ſex malitiis numero diſtinctis, vel unica valde præponderante malitia, affectum aſſeverant. Conſimili ratione diſputare ſolent de Sacerdote, qui in ſtatu lethalis peccati Euchariſtiam conſecrat, & ſumit in Miſſa, eamdem pluribus adminiſtrat, plurium Sacramentales Confeſſiones excipit &c.*

(2) *Ut claritati idearum conſulatur, ac ſimul memoria juvetur, placet hic ſummatim referre, atque in varia membra apto nexu colligata diſtribuere, quæ in momentoſa iſta quæſtione fuſius ab Auctore proponuntur.* 1. *Peccata intra eamdem ſpeciem multiplicantur ſecundum numerum moraliter, juxta numerum* objectorum totalium, & malarum actionum invicem diſcretarum: *ita quidem, ut exinde duplex generalis regula eliciatur.* 2. *prima regula:* tot ſunt numero diſtincta peccata, etiam in uno eodemque phyſico actu, quot ſunt illius objecta totalia, numero diſtincta. *Secunda;* toties peccata multiplicantur numero, quoties pravæ voluntatis actus interrumpuntur. 3. *Priorem regulam Auctor tradit juxta ſententiam, quam paullo ante ipſe ſuſcepit ab iis TT. qui ex objectorum diverſitate ſpecificam hauriunt peccatorum diſtinctionem. Unde eadem regula non ita communi ſenſu admiſſa, neque a tot Scriptoribus aſſignata, ſicuti alia poſterior, quam nullus repudiare poteſt: cum*

malitia eorum. Ergo eſt multiplex ſaltem æquivalenter, & diſtincta numero moraliter malitia in actu voluntatis phyſice uno, tendentis in illa objecta; nam tota malitia objecti & actus externi communicatur actui voluntatis, cum ſit volita ſaltem indirecte & interpretative. Præterea ſicut unus actus eſt multiplex ſpecie peccatum, dum habet multiplicem ſpecie malitiam; ita eſt multiplex numero peccatum, cum habet multiplicem numero malitiam. Et quamvis eſſet unum peccatum in rigore metaphyſico, tamen ſunt plura moraliter in prudenti hominum æſtimatione. Ea autem peccata ſunt plura numero in ordine ad confeſſionem, quæ humano modo, ſeu in prudentum æſtimatione, plura reputantur. Hinc qui unico actu vult ſex homines occidere, vel reipſa unica tormenti bellici exploſione occidit, ſex moraliter peccata committit uno illo actu; & hic unus actus ſex homicidiis ſeorſim patratis æquivalet, etiam in ordine ad obligationem confitendi. Item qui uno actu tribus conviciatur, aut detrahit: triplicis peccati reus eſt: & hic actus judicio prudentum, etiam in ratione numeri æquivalet tribus actibus, per quos detraheretur ſingulis. In Confeſſione dicere tamen debet: *Uno actu tribus detraxi*; non autem *Ter detraxi*: alioqui ſignificaret tres malitias per tres actus diſtinctos contraxiſſe, quod falſum eſt.

2. Peccata, quæ interius conſummantur, ut hæreſis, odium, deſiderium, delectatio moroſa &c. multiplicantur per quamcumque ceſſationem, ſive voluntariam, ſive naturalem ex ſomno vel diſtractione animi ortam, & illorum repetitionem. Quia ſinguli actus repetiti, ſunt per ſe peccata, & nil eſt, in quo uniantur & contineantur ad conſtituendum unum peccatum. Nam non uniuntur nec continuantur in actu, objecto, vel affectu externo, ut ſupponitur; neque in actu interno, cum inter actus internos intercedat aliqua ceſſatio; unde ad ſingulos actus requiritur nova determinatio voluntatis. Ergo ſunt plura reipſa peccata. Ergo ut plura confitenda ſunt: nam multitudo numerica perinde ac ſpecifica declaranda eſt.

Hinc qui actum odii in proximum elicuit & poſt ſomnum, vel aliquam diſtractionem, eum renovat, duo peccata odii admittit. Quando autem horum peccatorum numerus iniri nequit, tunc ſatis eſt in confeſſione moram temporis explicare, v. g. perſeveravi per horam in delectatione venerea, per hebdomadam in odio &c. Et hos actus interea renovavi toties, vel ſæpe, vel raro; tunc enim declaratur numerus eo modo, quo moraliter fieri poteſt & per modum unius confuſæ multitudinis in tali mora incluſæ, quæ ex communi agendi modo a Confeſſario æſtimatur.

Item peccata, quæ conſummantur in actione externa, multiplicantur per ceſſationem totius actus tum interni, tum externi, & alterius ſimilis repetitionem. Quia tunc nihil remanet in quo uniantur & continuentur, & adeſt nova determinatio voluntatis ad ſingula peccata, ut dixi de mere internis, nec unum perſeverat virtualiter in alio.

At non multiplicantur per ceſſationem & repetitionem propoſiti circa idem objectum, quamdiu efficacitas primi propoſiti in libero aliquo effectu vel opere externo perdurat. Quia tunc prior actus voluntatis in illo effectu vel opere virtualiter perſeverat, & ſic ſemper virtualis voluntas continuatur & durat; unde unum moraliter peccatum ex illis omnibus actibus conſtituitur. Sic qui ex voluntate occidendi inimicum, mane ſurgit, gladio ſe accingit, proficiſcitur, quærit illum, & poſt plures horas repertum invadit, pluries vulnerat, & tandem occidit; quamvis in itinere cogitet de aliis rebus, confabuletur, legat, ſæpiuſque volitionem occidendi renovet, committit unum moraliter peccatum, eo tamen gravius, quo pluries renovavit voluntatem occidendi. Quia internæ illæ volitiones repetitæ cenſentur una moraliter continua actio humana; nam prior virtualiter in illa ſerie actuum externorum ſubordinatorum perſeverat ac continuatur. Neque ſeries illa cenſetur moraliter interrumpi per colloquium, aut diſtractionem voluntariam ad alia, quia iſtæ actiones ordinarie intermiſceri ſolent ſeriei diuturnæ actionum. Neque enim quælibet interruptio phyſica tollit unitatem moralem, ut patet in comeſtione, quæ cenſetur unica, licet interrumpatur per lectionem Epiſtolæ, colloquium &c.

Aliud eſſet, ſi interruptio illius ſeriei eſſet extraordinaria: nam hæc tollit unitatem moralem actionis, licet prior voluntas non retractetur. Quod contingit cum ex alio fine interrumpitur aliquod opus moram & attentionem talem exigens, ut ad reſumendam poſtea intermiſſam mediorum ſeriem neceſſe ſit primam intentionem renovare, & requiratur nova deliberatio ac determinatio; ut ſi homicida ille longius divertat a via, qua inimicum inſequitur ad conficiendum aliquod negotium ſuperveniens, quo confecto ad priorem viam revertatur.

3. Si actus externi mali plures phyſice ſint in ſe completi, & de ſe non ſpectent ad conſummationem unius peccati vel operis, ſunt plura numero peccata, quamvis ad unum finem ab operante referantur: nam non cenſetur una moraliter actio. Sic qui die Natali Chriſti tres legens continenter Miſſas, ter communicatur in peccato mortali, ter peccat, quamvis tres Miſſas ad unum finem ordinaret. Sic pollutio, quamvis fiat ex intentione copulæ, ſemper eſt peccatum ab ea diſtinctum: quia ex ſe non ordinatur ad copulam; immo eſt contra finem copulæ, nempe generationem: item copula ter patrata cum eadem, & eadem hora, tria ſunt peccata, quia una copula non facit unum moraliter actum cum alia, ſed ſunt ſingulæ actiones completæ ac totales. Item Sacerdos pluribus Euchariſtiam adminiſtrans in ſtatu peccati, plura perpetrat ſacrilegia, quia quælibet communio eſt actio completa, nec ulla ad aliam ordinatur.

4. Actus externi phyſice plures ex ſe non completi, ſed ſubordinati, ſi ad eumdem actum principalem ordinentur tamquam illius diſpoſitiones, media, inchoationes, ſintque cum illo ſimilis malitiæ, ac circa idem objectum, conſtituunt unum moraliter peccatum cum ipſo actu principali. Nam tunc ita uniuntur, ut judicio prudentum cenſeantur una actio in genere moris, & in illis actibus cenſetur una deliberatio ac determinatio voluntatis virtualiter ac moraliter perſeverans. Sic ictus & vulnera ordinata ad homicidium ejuſdem conſummandum, ſunt unum totale peccatum cum homicidio. Item tactus, verba, & oſcula impudica ordinata ad fornicationem ſubſequentem, faciunt cum ea unum peccatum moraliter & in ordine ad Confeſſionem. Un-

de



de non eſt neceſſe illorum numerum exprimere niſi generatim, eo quod multum aggravent peccatum, *quod tanto gravius eſt, quanto plura concurrunt*, ait S. Anton. art. 3. tit. 2. c. 1. §. 12.

Si quæ tamen circumſtantiæ extraordinariæ, per ſe malæ, illis adjungerentur, ſpeciatim explicandæ ſunt, ut monet Suarez.

Dixi, *Similis malitiæ*. nam ſi media aſſumpta, vel actus habeant malitiam ſpecie diverſam a malitia finis, ſeu actus principalis, ſunt plura ſpecie peccata exprimenda.

Delectationes vero moroſæ, tactus, & verba impudica, quæ ſubſequuntur copulam, ſunt peccata inter ſe, & a copula diſtincta. *Ita Suarez, Vaſquez, & alii*. Quia ſunt ex ſe inchoationes ac diſpoſitiones ad novam copulam. Et quia actus ſubſequentes actum principalem ac conſummatum, neque ſunt partes aut diſpoſitiones, nec proprietates prioris actus, neque etiam ejus complementum, cum ipſe actus ſit conſummatus, & ex ſe completus; neque in illo expreſſe intelliguntur, cum ei tantum per accidens ex malitia operantis adjungantur.

Quod ſi tales actus ſubordinati non referantur per intentionem peccantis ad eumdem actum principalem, ſunt multiplex peccatum. Quia tunc non uniuntur, nec in æſtimatione prudenti cenſentur una moraliter actio; & ad actum ſubordinatum, & actum principalem requiritur duplex, etiam moraliter, deliberatio & determinatio. Sic ſi Petrus primo voluiſſet tantum vulnerare Paulum, & poſtea ex ira ferveſcente eum occideret, ſunt duo peccata ſpeciatim explicanda. Item ſi Titius oſcula & tactus exercens non intendat copulam, ſive hæc poſtea ob libidinem auctam ſequatur, ſive non, debet numerum tactuum & oſculorum confiteri. Immo actus ſibi ſubordinati, & ad eumdem ordinati, ſunt plura moraliter peccata, ſi inter illos intercedat magna mora temporis; quia tunc cenſentur moraliter interrumpi, nec continuari.

Hoc totum debet cum proportione applicari ad unitatem vel pluralitatem aliorum peccatorum.

5. Peccata multiplicantur per interruptionem moralem, quæ vel ſit per retractationem etiam virtualem prioris voluntatis, & poſtea ejuſdem repetitionem. Nam poſita retractatione, ſeu voluntate contraria, jam prior voluntas non manet formaliter vel virtualiter, nec influit in actum poſtea ſecutum, ideoque ad novum actum requiritur alia deliberatio & determinatio: unde voluntas reſumpta non poteſt cenſeri unus moraliter actus cum priore. Vel ſit per deliberatam converſionem ad aliquid incompoſſibile cum priore actu interno; nam hæc eſt retractatio interpretativa, quæ multiplicat peccata repetita: hoc ipſo enim quod advertenter vis aliquid cum priore actu incompoſſibile, cenſeris tum non velle, quod prius volebas.

Item actus voluntatis interrumpitur moraliter, cum neque actu, neque virtute perſeveret: quod ſit non ſolum per retratactionem, ſed etiam per ſomnum, vel diuturnam applicationem ad aliam rem. Unde tunc ad quemlibet actum requiritur nova deliberatio & determinatio.

*Nota*. Cum hæc tota unitas & pluritas ſit moralis, æſtimari debet ex prudenti judicio, & uſu circa unitatem vel pluralitatem actionis humanæ, ſpectatis circumſtantiis & qualitatibus actionum.

Quæſt. VII. *An eſt multiplex peccatum in eadem actione vel omiſſione, ratione plurium præceptorum, quibus ſtatuitur ex motivo ejuſdem virtutis?*

*Reſp.* 1. Ex communi ſententia, eſt unicum, ſi hæc præcepta inter ſe ſubordinata aut connexa ſint, & idem numero objectum per ſe ſpectent ex eodem motivo proximo. Quia tunc hæc præcepta unicam eamdemque numero obligationem imponunt, ſicut eamdem numero honeſtatem intendunt, quando eumdem numero actum per ſe præſcribunt. Ergo illorum violatio unam eamdemque numero malitiam ac turpitudinem inducit. Sic uſura, etſi quadruplici jure vetita, unicum eſt peccatum, ſicut & violatio ejuſdem voti multoties renovati, aut jejunii quatuor temporum Quadrageſimæ.

Tamen cum violatur obligatio pluribus titulis ejuſdem rationis impoſita, tunc peccatum eſt gravius, quam ſi eſſet unicus titulus, quia cum ſinguli tituli imponant obligationem, plures illam augent, ac proinde aggravant illius violationem. Sic Religioſus Sacro ordine inſignitus, gravius peccat omiſſione Breviarii, quam alter eo non inſignitus.

*Reſp.* 2. Probabile eſt multiplex eſſe numero peccatum in Confeſſione declarandum, ſi præcepta ſint inter ſe diſparata, hoc eſt, nec ſubordinata, nec connexa inter ſe, neque eamdem numero actionem vel omiſſionem per ſe præſcribant. Quia ibi eſt multiplex numero peccatum, ubi violantur plures obligationes ab invicem numero contradiſtinctæ & ſimiles, nam violatio cujuslibet obligationis ſic diſtinctæ eſt peccatum; & proinde violatio duplicis eſt duplex peccatum. At ubi violantur plura præcepta diſparata, neque eamdem numero actionem vel omiſſionem per ſe præſcribentia, ibi violantur plures obligationes ab invicem contradiſtinctæ: nam quodlibet ex hujuſmodi præceptis imponit obligationem perfectam & completam, atque ſeparabilem ab obligatione alterius præcepti, a qua plerumque & per ſe ſeparatur, & reſpectu cujus ſe habet per accidens: ideoque plura præcepta imponunt plures obligationes contradiſtinctas. Ergo.

Nec obſtat quod interdum per unum eumdemque actum impleri poſſint, quia hoc ſit per accidens: & ſicut tunc unus ille actus habet rationem duplicis obſervationis; ita omiſſio illius habet rationem duplicis tranſgreſſionis, moraliter loquendo. Sic feſto S. Matthæi incidente in diem Dominicam; unica auditione Miſſæ duplex præceptum impletur, ea omiſſa, duplex erit tranſgreſſio. Item vigilia ejuſdem incidente in Sabbato Quatuor Temporum, ſufficiet ſemel jejunare; ſi autem violatur jejunium, duplex eſt peccatum. Quia tunc violatur duplex præceptum diſparatum, nec per ſe reſpiciens idem numero objectum: ſi enim feſtum & vigilia incideret in alium diem, ut fere ſit, eſſet obligatio ad duas Miſſas, & duo jejunia. Et hic videtur eſſe communis ſenſus fidelium, hæc tamquam duo peccata confitentium, dum ad id advertunt. Doctores autem hoc negantes opinative tantum loquuntur, & eorum argumenta probant ſolum primam reſponſionem. Saltem tale peccatum eſt gravius, quam ſi non eſſet talis præceptorum concurſus; nam pluribus ex cauſſis obligatus ad aliquid, ſi id omittat, plus peccat, cum plures obligationes, vel unam graviorem violet.

Quæſt. VIII. *Unde petitur gravitas peccatorum?*

No-

*Nota*. Gravitas peccati eſt quantitas ſeu menſura malitiæ, per quam peccatum eſt magis aut minus diſconveniens naturæ rationali ac legi, & offenſivum Dei, ideoque majore vel minore pœna dignum. Peccatum autem poteſt eſſe magis aut minus grave gravitate ejuſdem ſpeciei, aut diverſæ; ſic furtum ſex nummorum eſt levius homicidio, & gravius furto trium nummorum.

*Reſp.* 1. Gravitas peccati petitur ab objecto, fine, & circumſtantiis, prout diſconveniunt naturæ rationali & legi. Nam hæc gravitas æſtimanda eſt ex iis omnibus & ſingulis, ex quibus abſolute petitur malitia peccatorum: inde enim malitiæ quantitas petitur, unde ipſa malitia; & inde actus eſt magis malus, unde eſt ſimpliciter malus. At malitia actus ſumitur ex objecto, fine, & circumſtantiis, prout diſconveniunt naturæ rationali, & Legi divinæ. Ergo.

Hinc 1. Peccatum eo magis vel minus grave eſt, quo vel objectum, vel finis, vel circumſtantia ejus magis vel minus diſconvenit naturæ rationali ac Legi, & quo Lex magis vel minus obligat. Sic ebrietas gravior eſt mendacio officioſo; & furtum eo gravius eſt, quo quantitas ablata major eſt; quia magis diſconvenit, & magis prohibetur.

2. Ceteris paribus, actus habens objectum malum, & finem malum, pejor eſt, quam ſi eſſet ſolum malus ex alterutro; cum ſumat malitiam ab utroque, ideoque majorem habeat. Erit quoque pejor, ſi ſimul malitiam ab utroque, ideoque majorem habeat. Erit quoque pejor, ſi ſimul malitiam contrahat ex objecto, fine, & circumſtantia. Item malitia, ceteris paribus, tanto gravior eſt, quanto actus ſecundum plures vel pejores circumſtantias opponitur rationi & Legi; nam ſicut malitia, ita & ejus incrementum petitur a circumſtantiis moralibus, cum vel debitæ deſunt, vel diſconvenientes adſunt. Hinc S. Th. 2. 2. q. 125. art. 3. ad 3. ait: *Ceteris paribus, gravius peccat fidelis, quam infidelis, tum propter notitiam veritatis ex fide, tum propter Sacramenta, quibus eſt imbutus, quibus peccando contumeliam facit* (1).

3. Peccatum intra eamdem ſpeciem magis vel minus grave eſt, quo major vel minor eſt ejus intenſio, duratio, & quo fit cum majore vel minore advertentia, libertate, conatu &c. quia tunc magis vel minus diſconvenit naturæ rationali ac Legi.

*Reſp.* 2. Illa peccata, ceteris paribus, graviora ſunt, quæ præſtantioribus virtutibus, & actibus harum excellentioribus directe ac per ſe opponuntur. Quia, ut docet S. Thom. peſſimum eſt contrarium optimo: optimum autem in moralibus eſt maxima virtus, & peſſimum eſt graviſſimum peccatum. Præterea dignitas virtutis, & gravitas peccati oppoſiti, petuntur ex eodem objecto, ratione cujus directe opponuntur. Quare odium Dei eſt graviſſimum peccatum, utpote directe oppoſitum præſtantiſſimo caritatis actui.

Porro virtutes præſtantiores ſunt primo Theologicæ, hoc ordine; caritas, ſpes, fides: deinde religio, pœnitentia, quia Deum immediatius reſpiciunt: poſtea reliquæ morales, hoc ordine; prudentia, juſtitia, fortitudo, temperantia: & ſimili ordine procedunt aliæ virtutes his annexæ.

Malitiæ gravitas petitur etiam a modo, quo actus eidem virtuti opponuntur; nam oppoſitio contraria pejor eſt privativa; ſic odium Dei pejus eſt, quam omiſſio amoris præcepti.

Dixi 1. *directe*. Nam etiam minora vitia indirecte opponuntur majori virtuti, a qua prohibentur. 2. *Per ſe*, ſeu ex natura ſua. Nam quæ præſtantiori virtuti tantum ex præcepto poſitivo opponuntur, non ſunt, ceteris paribus, per ſe graviora iis, quæ minus nobili ex natura ſua & jure naturali opponuntur; cum non ſit par obligatio præcepti. Sic homicidium gravius eſt quam laborare die feſto, quamvis hoc religioni, illud juſtitiæ adverſetur. 3. *Ceteris paribus*. Nam malitia vel bonitas non ſolum deſumitur ex ratione generica objecti, ſed etiam ex multis aliis, ratione quorum poteſt eſſe exceſſus. Quare major vel minor gravitas unius peccati præ alio definienda eſt ex complexione eorum omnium, ex quibus augeri vel minui poteſt malitia.

Quæſt. IX. *An effectus malus vel noxius proximo ex peccato ſecutus, imputatur peccanti, & dat peccato novam malitiam?*

*Reſp.* Affirmat. Si ille effectus fuerit præviſus, vel potuerit ac debuerit provideri. Quia tunc eſt ſaltem indirecte & interpretative volitus, nempe in cauſſa illicite ac libere poſita. Quod verum eſt, etſi voluntas, antequam effectus eveniat, retractet cauſſam: quia hæc retractatio non facit ut reipſa non ſit libere poſita cauſſa, neque ut effectus ex illa non ſequatur. Et vero effectus ille ſequitur ex peccato ut præterito, & retractatio non facit, ut peccatum non fuerit pro præterito voluntarium. Hinc qui alterum lethaliter vulneravit, mors læſi, etiam poſt occiſoris contritionem ſecuta, ei imputatur quoad obligationem damni compenſandi; & is fit irregularis ex delicto.

Quæſt. X. *Quot modis poteſt quis eſſe reus peccati alieni, & illud contrahere?*

*Reſp.* His (2), nimirum juſſione, ſuaſione, cooperatione, auxilio, conſenſu, favore, laudatione ſeu adulatione, prava doctrina, exemplo, & ſilentio. Nam qui uno ex his modis cooperatur peccato alieno, cenſetur cauſſa moralis illius, eique vere conſenſit, vel expreſſe, vel virtualiter, vel interpretative, & ſic illius malitiam ac reatum contrahit: *Nam digni ſunt morte non ſolum qui ea faciunt,* ſed

(1) *Sic etiam, loquendo de fidelibus, Sacerdotum graviora eſſe quam Laicorum delicta, oſtendit S. Iſidorus Peluſ.* (*Epiſt.* 321. 322. 323.) *ſumpta ratione ab illorum* dignitate, & ſtatus magnitudine. *Religioſorum vero, & Sæcularium comparationem proponit, & expendit* (*Quodl.* 14. *q.* 16.) *Henricus Gandavenſis, Doctor ſollemnis Ord. Servorum B. M. V. Legatur etiam Angelicus* (2. 2. *q.* 186. *ar.* 10.) *itemque* (1. 2. *q.* 73. *ar.* 10.) *quo poſteriore loco generatim quæris*: Utrum magnitudo perſonæ peccantis aggravet peccatum.

(2) *Modos iſtos ſingillatim expendere ſolent DD. in Tract.* de Reſtit. *agentes de injuſta damnificatione, & cooperatione ad illam. Ibi enim ex Angelico* (2. 2. *qu.* 62. *ar.* 7.) *novem recenſent biſce verſiculis concluſos.*

Juſſio, conſilium, conſenſus, palpo, recurſus.
Participans, mutus, non obſtans, non manifeſtans.



*ſed etiam qui conſentiunt facientibus*: ad Romanos 1.

## CAPUT II.

### *De Peccato mortali, & veniali.*

Quæſt. I. *Quid ſunt, & quomodo differunt?* (1)

*Reſp.* 1. Peccatum mortale eſt legis divinæ tranſgreſſio gravis: eſt proinde gravis offenſa Dei, privans amicitia divina, & gratia ſanctificante, quæ eſt ſupernaturalis vita animæ, atque reddens peccatorem dignum odio Dei, ac pœna æterna. Veniale vero eſt Legis tranſgreſſio levis, & levis offenſa Dei, quæ nec privat gratia ſanctificante, nec amicitia divina, nec ex ſe meretur pœnam æternam, ſed ſolum temporalem: nec proinde excludit a cæleſti beatitudine, ſed ſolum retardat ejus aſſecutionem, nec extinguit caritatem, ſed ſolum ejus fervorem impedit.

Differunt inter ſe, quod mortale ſit Dei contemptus, ſaltem virtualis & interpretativus: nam peccatum mortale eſt prædilectio, ſeu prælatio creaturæ præ Deo, & averſio a Deo tamquam a fine ultimo, atque adhæſio creaturæ tamquam fini ultimo. Nam qui mortaliter peccat, Legem Dei aliquid pro jure ſuo graviter præcipientis vel vetantis violat graviter, ac proinde graviter violat jus divinum, & ſic gravem injuriam facit Deo: unde graviter illum offendit, & merito cenſetur contemnere auctoritatem, majeſtatem & amicitiam ejus. Hinc Deus de graviter peccantibus ait, Iſaiæ 1. *Ipſi ſpreverunt me*. Et lib. 1. Reg. cap. 2. *Qui contemnunt me, erunt ignobiles*. Item talis hoc ipſo præfert creaturam amicitiæ & poſſeſſioni Dei, ob aliquod bonum creatum, faciendo id quod privat amicitia & poſſeſſione Dei, & ſic eligendo potius frui creatura quam Deo, quod eſt contemnere Deum: quæ omnia non conveniunt peccato veniali, quod eſt ſolum levis tranſgreſſio, & offenſa, quæ non eſt digna privatione amicitiæ Dei.

*Reſp.* 2. Mortale & veniale, ut talia, ſemper differunt inter ſe ſpecie morali, ideoque eſſentialiter. Quia illorum malitiæ notabiliter inter ſe differunt in ratione offenſæ: nam mortale habet ſpecialem ac gravem malitiam, poſitam in contemptu Dei & averſione a Deo tamquam a fine ultimo, atque converſione ad creaturam, quæ non reperitur in veniali. Quilibet autem contemptus Dei, etiam virtualis, continet gravem deordinationem ac malitiam, propter infinitam Dei excellentiam, graviterque diſconvenit infinitæ Dei majeſtati. Quatenus tamen circa idem objectum verſantur, poſſunt eſſe ejuſdem ſpeciei, nam malitia petita ex objecto ejuſdem eſt ſpeciei in furto gravi & levi, cum ambo eidem præcepto & virtuti ex eodem motivo opponantur, & differant ſolum ſecundum plus & minus, ſintque in eadem ſpecie injuſtitiæ.

Quæſt. II. *Quænam requiruntur ad peccatum mortale?*

*Reſp.* Secundum omnes, duo. 1. Ex parte objecti aliquid grave, ſaltem ex fine. 2. Advertentia & conſenſus ſufficiens ad actum ſimpliciter liberum & humanum, qui conſenſus dicitur plenus ac perfectus. Nam ſi alterutrum deſit (Vid. 95. & 138.), violatio Legis non cenſetur imputabilis ad gravem culpam, nec gravis offenſa, nec contemptus Dei. Conſenſus autem plenus ac perfectus eſt ille, quo voluntas cum plena deliberatione objectum ab intellectu propoſitum firmiter amplectitur: ſive eſt ille, qui datur ab homine vigilante, plene ſui compote, & expeditum habente rationis uſum, qui advertit ad malitiam actus, ſeu omiſſionis, vel potuit ac debuit advertere. Quod ſi ad eam advertere non poſſit ex defectu cognitionis habitualis malitiæ, non excuſatur, ſi ignorantia fuit vincibilis.

Quæſt. III. *Quodnam voluntarium ſufficit ad mortale?*

*Nota*. Peccatum eſſe eſſentialiter voluntarium. *Uſque adeo peccatum voluntarium eſt malum, ut nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium*, ait S. Auguſt. lib. de vera religione, cap. 14. Quia peccatum eſt actio vel omiſſio imputabilis homini ad culpam, vituperium, & pœnam. At nil poteſt eſſe ſic imputabile homini, niſi ſit ei liberum, proindeque voluntarium. Nam omne liberum eſt eſſentialiter voluntarium, licet non omne voluntarium ſit liberum, ut patet in amore beatifico; quia liberum ſuperaddit voluntario immunitatem ab omni neceſſitate intrinſeca & phyſica. Voluntarium eſt id, quod procedit a principio intrinſeco, nempe voluntate, cum intellectuali cognitione, vel actuali, vel virtuali & interpretativa, hoc eſt, quæ potuit & debuit haberi, licet defuerit.

Voluntarium dividitur 1. in perfectum, quod fit cum plena advertentia, plenoque conſenſu: & in imperfectum, quod fit cum ſemiplena advertentia, & ſemipleno conſenſu: ut in ſemidormiente contingit. 2. In directum, indirectum & interpretativum. Illud eſt directe voluntarium, quod in ſe ac ſecundum ſe volitum eſt. Illud eſt indirecte voluntarium, quod non eſt in ſe ac ſecundum ſe volitum; ſed cenſetur volitum in alio directe volito, vel tamquam cum illo connexum, vel tamquam effectus inde ſequens, vel propter alias cauſſas. Ut autem aliquid ſit voluntarium indirecte & in alio, non ſufficit quod ſequatur ex illo, alioqui infidelitas negativa eſſet imputabilis; ſed inſuper requiritur, ut cognoſcatur vel cognoſci poſſit ſequi ex illo: quia alioqui non eſt voluntarium, ut connexum cum illo, ſeu ut ſequens ex illo: nam quod nullatenus cognoſcitur, nec cognoſci poteſt, nullatenus eſt voluntarium. Illud eſt interpretative voluntarium, quod non eſt poſitive volitum, ſed tamen ſecundum prudentem æſtimationem cenſetur volitum, & merito

(1) *Quæ in hujus q. tit. proponuntur, proculdubio maxime veniunt inter illa, quæ ſunt ſcitu neceſſaria ad legitimam adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ: ut ſcilicet Confeſſarius, quemadmodum loquitur Rituale Romanum* (*tit. de Sacram. Pœnit.* §. 1.) recte judicare queat, diſcernens inter lepram, & lepram, & tamquam peritus Medicus animarum morbos prudenter curare, & apta cuique remedia applicare ſciat. *Argumentum porro iſtud accurate evolvunt Angelicus* (*I.* 2. *q.* 88. *ar.* 1. & 2. *ac de* Malo *q.* 7. *ar.* 1.) *nec non Seraphicus* (*in* 2. *ſent. diſt.* 42. *art.* 2. *q.* 1. & 2. *atque in Opuſc.* de tribus ternar. peccat. *cap.* 4. & 5.) *ut reliquos DD. reticeam.*

to imputatur voluntati, eo quod non fecerit, vel non omiſerit quod debebat & poterat facere vel omittere. Sæpe hoc voluntarium cum indirecto confunditur.

*Reſp.* 1. Conſenſus ſufficiens ad mortale eſt ille, qui ab homine perfecte vigilante, & plene ſui compote datur actioni vel omiſſioni graviter malæ, cujus malitiam actu cognoſcit, vel cognoſcere potuit ac debuit. Quia talis conſenſus eſt plenus, & ſufficienter liber ac humanus, ut actio vel omiſſio ſit imputabilis ad culpam gravem, cum ejus malitia, aut malitiæ periculum potuerit ac debuerit cognoſci, & vitari. Neque enim inadvertentia vincibilis ac culpabilis voluntarium plenum impedit in æſtimatione morali.

*Reſp.* 2. Ad peccatum mortale non requiritur, ut malitia moralis ſit directe & propter ſe volita, quod potius diabolicum eſt quam humanum; ſed ſufficit ut ſit indirecte vel interpretative volita, hoc eſt, ut voluntas velit ex quocumque motivo aliquid graviter malum, etiamſi ejus malitiam ſecundum ſe averſetur, modo cognoſcat, vel poſſit ac debeat cognoſcere ejus malitiam. Quia 1. diſconvenit naturæ rationali, & Legi divinæ, velle aut acceptare ullo modo id quod malum ac illicitum eſt; & Lex naturalis prohibet, ne malum ullo modo velimus, & eligamus, non ſolum directe, ſed etiam indirecte, & interpretative: malum enim nullatenus eſt volibile, ſed malitia actus exigit quocumque modo fugi. 2. Merito imputatur voluntati ad culpam & vituperium, quod malum velit non ſolum directe, ſed etiam indirecte, vel interpretative: cum nempe non refugit nec impedit malum, quod poteſt & debet repudiare & impedire. Nam tunc non fugit nec averſatur malum ut debet; nam debet illud fugere & averſari ſumme & omni modo, cum ſit ſumme odibile & omni modo fugiendum. Igitur ad mortalem culpam ex parte voluntatis ſufficit voluntarium indirectum & interpretativum, ut conſentiunt omnes.

*Obj.* Ut actus ſit bonus, ejus bonitas debet eſſe directe volita. Ergo a pari &c. *Reſp.* Neg. conſeq. Diſparitas eſt (Vid. N. 322.) quod bonitas moralis ſeu honeſtas, ſit appetibilis directe & ſecundum ſe, exigatque ſic appeti: & ut actus ſit bonus moraliter, debet tendere in objectum modo decenti naturam rationalem, ac proinde debet in illud tendere ſub ratione honeſti & propter bonitatem. E contra malitia actus exigit quocumque modo fugi, & ut actus ſit malus, ſufficit ut appetat id quod eſt malum, aut quomodocumque velit id quod eſt malum, nam hoc ipſo diſconvenit naturæ rationali & Legi divinæ.

Quæſt. IV. *Quænam advertentia ſufficit ad peccatum mortale?*

*Reſp.* 1. Poteſt eſſe peccatum mortale imputabile, ſine advertentia actuali malitiæ. Quia 1. Dantur peccata imputabilia ad culpam mortalem, quæ tamen fiunt ex ignorantia vincibili malitiæ, & dum operans putat ſe recte agere, & obſequium Deo præſtare, ut conſtat ex Joan. 16. *Venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo.* Et tamen perſecutores Apoſtolorum vere in hoc peccabant mortaliter. Hinc illud Pſ. 18. *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me.* Et illud S. Aug. lib. de ſpir. & lit. cap. 36. *Attendat quam in multis offendamus omnes, dum putamus Deo, quem diligimus, placere, vel diſplicere quod facimus.* 2. Multi multa agunt contra Legem, ex habituali inconſideratione & negligentia, immo ex diſpoſitione habituali voluntatis non conſiderantis, an actio ſit licita nec ne: ſed ſtatim ſe determinantis ad id quod delectat, vel utile eſt, ſive ſit licitum ſive non. Certe hi ſæpe agunt ſine ulla cognitione actuali malitiæ, & tamen quis neget eos graviter peccare? 3. Ob reſponſionem ſequentem.

*Reſp.* 2. ad mortale, etiam ſecundum ſe imputabile, ſufficit advertentia virtualis & interpretativa malitiæ, aut periculi illius, conſiſtens in eo quod quis poſſit ac debeat advertere malitiam vel ejus periculum, nec tamen advertat. Quia 1. malitia actus ſecundum ſe ei merito imputatur, qui debuit & potuit illam advertere, & vitare actum, cui annexa eſt. Nam ei malitia ſatis voluntaria eſt, & libera, cum potuerit & debuerit ab eo vitari. 2. Ut malitia ſecundum ſe imputetur, ex communi ſententia ſufficit conſenſus voluntatis interpretativus, cum ſcilicet voluntas poteſt & debet repudiare objectum malum, & non repudiat. Ergo etiam ſufficit advertentia interpretativa: Nam ad peccatum imputabile non minus requiritur conſenſus voluntatis, quam advertentia rationis. 3. Peccatum mortale eſt libera tranſgreſſio præcepti graviter obligantis. Sed ad talem tranſgreſſionem ſufficit advertentia virtualis interpretativa: nam talis tranſgreſſio eſt libera, hoc ipſo quod poſita eſt ex defectu advertentiæ actualis, quæ potuit & debuit haberi: hoc ipſo enim talis tranſgreſſio ita poſita eſt, ut potuerit non poni a voluntate. 4. Advertentia virtualis & interpretativa eſt ea, quæ quidem non habetur, ſed haberi poteſt ac debet. Sed qui legem violat, quam potuit ac debuit cognoſcere, perinde ſe habet moraliter & in æſtimatione prudenti, in ordine ad imputabilitatem etiam moralem (licet non tantam, quando advertentia non eſt affectata) ac ſi eam actu cognoſceret, ac proinde non excuſatur a peccato etiam mortali. *Paullo aliter.* Advertentia interpretativa eſt ea, cujus privatio eſt culpabilis, cum ipſa potuerit ac debuerit haberi, ac proinde non excuſat a peccato actiones & omiſſiones ſecutas contra legem: cum ipſa ſit culpabilis, nec tollat voluntarium indirectum ac interpretativum ſufficiens ad culpam; nec culpa poſſit quemquam excuſare. Igitur malitia actus merito imputatur voluntati, hoc ipſo quod actus malus procedit a voluntate libere & ſcienter, vel cum vincibili ignorantia aut inadvertentia agente. 5. Vincibilis ignorantia ſeu carentia cognitionis habitualis, non excuſat a peccato. Ergo multo minus excuſat inconſideratio & inadvertentia vincibilis: nam (ut ait Suarez) ignorantia non refertur ad voluntarium vel involuntarium ratione habitualis ſcientiæ qua privat, ſed proxime & immediate ratione actualis conſiderationis quam tollit: quia voluntas non movetur proxime & immediate ab habituali cognitione, ſed ab actuali. Inadvertentia autem erit vincibilis & voluntaria, hoc ipſo, quod potuit, & debuit pelli per advertentiam; ſicut ignorantia habitualis eſt vincibilis & voluntaria hoc ipſo quod potuit & debuit depelli per inquiſitionem veritatis.

*Nota* 1. Equidem nihil eſt volitum quin præcognitum: & voluntarium eſt id, quod eſt a principio intrinſeco cum cognitione; ſed cum cognitione





vel actuali, vel virtuali & interpretativa. Nam ad voluntarium indirectum & interpretativum ſufficit cognitio virtualis & interpretativa. Item cum actus moralis definitur, actus, qui libere fit cum advertentia ad regulam morum, intelligi debet advertentia vel actualis, vel virtualis, & interpretativa; alioqui definitio mala eſt, cum non conveniat omni actui morali; nempe peccato commiſſo ex ignorantia, vel inadvertentia vincibili.

*Nota* 2. Advertentia virtualis & interpretativa adeſt, cum quis poteſt & debet advertere ad præceptum ſeu obligationem, vel malitiam actus, & tamen non advertit. Poteſt autem advertere, quando ex aliqua cognitione præſenti ejuſdem vel alterius objecti, aut circumſtantiæ, prudenter ac circumſpective agendo, deveniret in cognitionem malitiæ, quam novit quidem habitu, ſed actu non advertit. Tunc enim habet ſufficiens principium diſcutiendi & conſiderandi, an actus ſit licitus vel illicitus. Et ſi hoc non cognoſcit aut conſiderat, male conſultat & imprudenter agit: unde merito illi imputatur peccatum, quod inde ſequitur: Nam in omni deliberatione humana primo conſiderandum eſt, utrum res liceat nec ne: eodem enim præcepto, quo tenemur vitare peccatum & ſervare legem, tenemur adhibere advertentiam & conſiderationem, cum ſine ea lex obſervari nequeat.

Hinc in iis, quæ intrinſece mala ſunt & contra Legem naturalem, ad virtualem advertentiam malitiæ moralis habitualiter notæ ſufficit, ut conſideretur ipſa actio ſecundum ſe, ſeu ut quis recte advertat quid agat. Nam hoc ipſo facillime excitari poteſt actualis cognitio malitiæ, utpote habentis cum illa intrinſecam connexionem, ſi conſiderate & ſine præcipitatione agatur, ut notat Suarez. In iis vero, quæ non ſunt per ſe mala, ſed vetita ſolo jure poſitivo quamvis ſemper ſufficiat conſideratio ipſarum actionum ſecundum ſe, cum non habeant intrinſecam connexionem; tamen ſi quis non laboret ulla ignorantia facti, ſola objecti propoſitio ſimul cum cognitione habituali præcepti regulariter ſufficit ad excitandam cognitionem malitiæ, ſi, qua par eſt, conſideratione & mora, in agendo procedatur. Poſſunt & alia principia deliberandi in talibus rebus occurrere, ut ſi quis non cogitans de die abſtinentiæ, videat alios veſci cibis quadrageſimalibus; vel die feſto nihil cogitans de Sacro, audiat feſtivum campanarum pulſum, aut videat populum ad templum accurentem. Ex his aut ſimilibus excitari poteſt cogitatio præcepti: quæ tamen ſi adhibita ſufficienti attentione & conſideratione non habeatur, tunc inadvertentia erit naturalis & invincibilis, qualis eſſe ſolet in timoratis & ex circumſpectione agentibus, in aliis autem plerumque eſt vincibilis & culpabilis. Quod ſi malitia non ſit habitualiter nota, tunc actus eſt culpabilis, ſi ignorantia ſit vincibilis quia hæc non excuſat a peccato.

*Nota* 3. Cum aliqui Theologi dicunt, ad peccatum mortale requiri advertentiam malitiæ, vel ſuſpicionem aut dubitationem de illa; ut id cum veritate & certiſſimis ipſorum ac omnium principiis conſentiat, debet intelligi in ſenſu accommodo, nempe vel de peccato directe volito, & de peccato malitiæ ex certa ſcientia commiſſo: vel de advertentia malitiæ, ſive formali præſenti aut præcedente, ſive virtuali & interpretativa, in ſpecie, vel in genere, in ſe, vel in cauſſa.

Quæſt. V. *Quibus indiciis in dubio de conſenſu ſufficienti ad mortale, cognoſci poteſt eum fuiſſe datum, vel non?*

*Reſp.* Traduntur a Doctoribus hæ regulæ. 1. Si dubitans de conſenſu præſtito ſit vir probus & timoratæ conſcientiæ, ſeque ita habitualiter ac conſtanter diſpoſitum ſentiat, ut potius vellet mori quam mortaliter peccare; cenſendus eſt non dediſſe ſufficientem conſenſum, licet aliquam forte in repellenda tentatione negligentiam admiſerit. At ſi ſit homo pravus & peccatis aſſuetus, in dubio, cenſendus eſt conſenſiſſe. Quia in dubio prudens præſumptio a conſuetis ac communiter contingentibus; & habituali diſpoſitione ſumitur: & quia prior ſumme deteſtans peccatum habitualiter, ſi illud admiſiſſet cum pleno conſenſu, hanc mutationem ita advertiſſet, ut de ea nil dubitaret; poſterior vero parvipendens peccatum, ſi non plene conſenſiſſet, non dubitaret. Porro non eſt ſignum imperfecti conſenſus, ſed tantum mutatæ voluntatis, contritio, quæ actum peccati ſtatim conſequitur.

2. Quando ſuborta cogitatione ſeu tentatione de facienda re mala, non facis, cum facile poſſis, ſignum eſt conſenſum in opus non fuiſſe perfectum, quia potentia executrix voluntati omnino obtemperat.

3. Sola perſeverantia motus interni poſt advertentiam non indicat ſufficienter plenum conſenſum, ſicut perſeverantia motus exterioris membrorum illum arguit: quia his voluntas, non illis deſpotice imperat.

4. Quando quis dubitat, vigilans an dormiens, ſui compos an impos, quidpiam voluerit aut fecerit, probabile indicium eſt non plenæ deliberationis; quia hæc regulariter hominem de ſuis actibus certiorem reddit, & perfecte vigilans ſatis novit ſe vigilare, & ſui compos de hoc non dubitat, niſi forte mora temporis aliquam induxerit oblivionem.

Ceterum, cum hæ omnes conjecturæ veritatem non oſtendant, eſt obligatio confitendi conſenſum illum dubium.

Quæſt. VI. *An eſt mortale agere, vel velle aliquid graviter illicitum ob finem bonum.*

*Reſp.* Affirm. (Vide N. 264. item N. 309. uſq. 318.) *Ita omnes. Quia* 1. *ad Rom.* 3. graviter damnatur illud: *Faciamus mala, ut veniant bona.* 2. Voluntas mala eſt hoc ipſo, quod vult id quod malum eſt, ex quocumque motivo illud velit. Nam actus voluntatis ſumit malitiam ab eo omni in quod fertur, ex Oſee 9. *Facti ſunt abominabiles, ſicut ea quæ dilexerunt.* Neque enim finis bonus malitiam objecti ſeu medii tollit, cum ejus naturam non immutet. 3. Volitio finis honeſti ut per medium illicitum comparandi, eſt mala. Nam tendit in objectum modo naturam rationalem dedecente, & contra legem: diſconvenit enim naturæ rationali & Legi proſequi bonum per medium illicitum. Immo volitio finis honeſti per medium licitum, ſed in circumſtantia mala, eſt vetita & mala; nam diſconvenit naturæ rationali & Legi divinæ, & finis honeſtus non poteſt niſi dedecenter & diſconvenienter naturæ rationali appeti per medium licitum in circumſtantia mala, verbi gr. velle celebrare Sacrum propter bonum finem in loco dedecenti. *Quod eſt ſecundum ſe malum ex genere, nullo modo poteſt eſſe bonum & licitum; quia ad hoc quod aliquid ſit*

*bonum; requiritur quod omnia recte concurrant; bonum enim ex integra cauſſa, malum vero ex ſingularibus defectibus*, ait S. Th. 1. 2. q. 120. art. 3.

Quæſt. VII. *Quænam ſunt peccata mortalia venialia ex genere ſuo?*

*Reſp.* Ex S. Auguſt. Enchyrid. c. 78. *Quæ ſunt levia, quæ gravia peccata, non humano, ſed divino ſunt penſanda judicio.* Et c. 79. *Sunt autem quædam quæ leviſſima putarentur, niſi in Scripturis demonſtraretur opinione graviora: quis enim dicentem fratri ſuo, Fatue, reum gehennæ putaret, niſi Veritas dicere.*

*Reſp.* 2. Id, ſicut tota doctrina morum, reperi debet 1. Ex Scriptura. Quæ enim ab illa dicuntur abominabilia deteſtanda, execranda, Deo exoſa, digna morte, gehenna, excludere a regno Dei, vel ob quæ dicitur Væ; judicanda ſunt ex genere ſuo mortalia. 2. Ex traditione, quæ exſtat in ſcriptis Patrum. 3. Ex definitione & ſenſu Eccleſiæ, quæ ſemper eſt infallibilis in doctrina fidei & morum. 4. Ex ratione fide illuſtrata, & his principiis nixa. 5. Ex unanimi Doctorum conſenſu.

*Reſp.* 3. Peccatum mortale ex genere ſuo eſt illud, intra cujus objectum ſeu materiam datur aliquid grave, ſeu graviter repugnans rectæ rationi, vel fini Legis, qualia ſunt peccata contra virtutes Theologicas, fidem, ſpem, & caritatem, contra religionem, juſtitiam, & alias virtutes graviter obligantes; item quæ nos graviter corrumpunt. Peccata vero, quæ leviter tantum adverſantur naturæ rationali, vel præcepto leviter obliganti, & quæ non lædunt graviter caritatem Dei, & ejus honorem, vel proximum quoad perſonam, res vel jura, nec nos ipſos corrumpunt; ſed continent præciſe aliquam levem inordinationem, ut mendacium officioſum, verbum otioſum, ſunt venialia per ſe, & ex genere ſuo. S. Th. 1. 2. q. 88. art. 2. *Duo ſunt omnino genera mendaciorum, in quibus non magna culpa eſt, cum aut jocamur, aut, ut proſimus, mentimur*, ait S. Auguſt. in Pſalm. 5.

*Reſp.* 4. Mortale ex genere ſuo eſt duplex: aliud ex toto genere ſuo, & aliud ex genere ſuo non toto. Peccatum mortale ex toto genere ſuo eſt illud, cujus omne obejectum ſeu omnis materia eſt per ſe gravis, quia nempe quælibet ejus materia gravem inordinationem continet, vel per quamlibet ejus quantitatem læditur graviter virtus, quæ eſt finis præcepti gravis. Unde non poteſt eſſe veniale niſi ex imperfectione actus, ſeu ex defectu advertentiæ & conſenſus ſufficientis ad mortale. Talia ſunt ea, quæ ſunt directæ contra aliquod attributum divinum, ut odium & contemptus Dei, hæreſis, deſperatio, blaſphemia, perjurium &c. Nam hæc directe repugnant Dei bonitati, veracitati, miſericordiæ, majeſtati, excellentiæ infinitæ Dei, & per iſta graviter læduntur caritas, fides, ſpes, religio &c. Talia item ſunt, quæ graviter diſconveniunt naturæ rationali, ſeu ex ſe gravem habent inodinationem, ut delectatio venerea extra conjugium, pollutio &c.

Mortale vero ex genere ſuo, ſed non toto, eſt illud, intra cujus objectum ſeu materiam datur aliquid ex ſe grave & leve, ſeu graviter & leviter inordinatum ac prohibitum, quatenus per aliquam materiam graviter, & per aliam leviter læditur virtus, quæ eſt finis præcepti. Nam illa materia cenſetur gravis, per quam graviter læditur virtus, quæ eſt finis præcepti, & ea eſt levis, per quam leviter læditur talis virtus, ut patet in furto.

Quæſt. VIII. *An peccatum mortale ex genere ſuo fieri poteſt veniale, & viciſſim?*

*Reſp.* 1. Cum ad mortale requiratur gravitas materiæ, & ſufficiens advertentia & conſenſus, ſequitur, peccatum ex genere ſuo mortale, fieri veniale: 1. Ob levitatem materiæ, ut patet in peccatis contra juſtitiam, v. g. furto levi. Nam tunc leviter læditur juſtitia, quæ eſt finis præcepti vetantis furtum, & ſic tunc eſt levis inordinatio, & tranſgreſſio ac offenſa Dei. Peccata autem ex toto genere ſuo mortalia, non poſſunt fieri venialia ex parte materiæ, quia in quavis eorum materia reperitur gravis diſformitas, & per quamlibet eorum quantitatem graviter læditur virtus, quæ eſt finis præcepti. Porro materiæ levitas in iis, quæ levitatem materiæ admittunt, ex circumſtantiis, & præſertim ex quantitate materiæ & ejus condecentia ad finem dijudicanda eſt. 2. Ob imperfectionem actus ex parte intellectus & voluntatis. Ita S. Thom. 1. 2. q. 88. art. 6. *Poteſt id quod eſt ex genere mortale, eſſe veniale propter imperfectionem actus, quia non perfecte pertingit ad rationem actus moralis*: hoc eſt quia deeſt ſufficiens advertentia & conſenſus ad hoc, ut actus dicatur ſimpliciter liber & humanus. Actus autem ſeu conſenſus voluntatis imperfectus & ſemiplenus, ideoque inſufficiens ad mortale, eſt ille, qui datur cum impotentia plene advertendi ob impeditum rationis uſum, qualis eſt in ſemidormiente, modo hæc ſit omnino involuntaria: ſicut conſenſus dicitur plenus ac perfectus, cum datur ab homine plene ſui compote, & habente uſum rationis expeditum, & valente plene advertere. Similiter advertentia imperfecta ſeu ſemiplena eſt ea, quæ procedit ab homine non perfecte ſui compote, nec habente uſum rationis expeditum, qualis eſt ſemidormiens. Sicut enim hic non habet perfectum judicium rationis, nec plene advertere poteſt id quod agit; ita interdum fit, ut quis ob ſubitam & vehementem paſſionem, aut diſtractionem ad res alias, non advertat, nec advertere poſſit ad actum ſuum, quantum requiritur ad mortale. Unde delectatio de objecto malo, quæ ceteroquin eſſet mortalis, poteſt defectu ſufficientis advertentiæ eſſe ſolum venialis. Advertentia vero perfecta & plena eſt ea, quæ procedit ab homine ſui compote, & habente uſum rationis expeditum.

Hinc triplex diſtinguitur motus, nempe primo-primus, qui ſubito ante omnem mentis advertentiam inſurgit, nec ullatenus pendet a voluntate; & hic non eſt culpa ſecundum ſe: ſecundo-primus, qui eſt cum aliqua, ſed imperfecta advertentia, ſufficiente quidem ad culpam venialem, non autem ad mortalem, qualis eſt in ſemidormiente: & motus plene ac perfecte diliberatus, qualis eſt in vigilante, & plene ſui compote; & hic eſt mortalis, ſi ſit graviter inordinatus, & voluntarius.

Imperfectio tamen actus numquam impedit, quominus ea, quæ ſunt ex objecto venialia, revera ſint venialia, ut docet Suarez. Quia ad culpam venialem ſufficit quodcumque voluntarium & liberum, ſicut & quantulacumque inordinatio; ſecus vero ad mortale: nam homo non poteſt ex qualicumque actione & quantumvis imperfecta conſtitui reus perpetui





odii Dei, & damnationis æternæ; hoc enim repugnat bonitati, ſapientiæ, ac convenienti gubernationi divinæ.

*Reſp.* 2. Actus ex genere ſuo, ſeu objecto venialis vel indifferens, fit mortalis per accidens, ſeu per aliquid ei adjectum.

1. Ex errore conſcientiæ, quo quis putat id quod agit, eſſe mortale, licet reipſa non ſit. Nam tunc conſentit in mortale apprehenſum. (1)

2. Ratione effectus graviter inordinati in rem aliquam leviter malam vel indifferentem, conſtituendo in ea finem ultimum: ut ſi ex affectu ad illam paratus ſis illam velle, etiamſi mortalis eſſet; vel peccare mortaliter potius quam ab ea abſtinere, vel illam comparare per medium graviter illicitum. Nam tunc eam præferes divinæ amicitiæ, & violas graviter maximum præceptum diligendi Deum ſuper omnia.

3. Ratione finis mortaliter mali, ad quem ordinatur, ut adulatio ſeu laudatio ex ſe venialis ordinata ad ſubornandam virginem. Nam talis actus continet affectum ad rem mortaliter malam; & medium malitiam finis contrahit.

4. Ratione gravis damni vel ſcandali, quod ex re levi ſecuturum prævidetur, vel prævideri poteſt, ac debet, ut ſi ex furto rei levis prævideas alterum blaſphematurum. Nam ob talem effectum actus graviter adverſatur caritati: & cauſſa participat malitiam ſui effectus. (2)

5. Ratione periculi incidendi in mortale, in quod quis experientia didicit ſe ex actione de ſe leviter mala vel indifferenti incurrere, puta ſi aſpectus mulieris, vel colloquium inducat ad actum turpem, vel conſenſum in delectationem veneream; ſi ludus de ſe licitus ſit occaſio proxima pejerandi, blaſphemandi &c. Nam mortale eſt, exponere ſe morali periculo peccandi mortaliter; is quippe Dei amicitiam, & animæ ſalutem contemnit, qui ejus perdendæ periculum probabile non vitat, cum poteſt; & eodem præcepto, quo tenemur vitare peccatum, tenemur etiam ejus probabile periculum vitare.

6. Propter contemptum formalem præcepti, vel regulæ, vel ſuperioris, qua ſuperior eſt, ut ſi quis violat præceptum in re levi, quia præceptum eſt, ſive quia renuit ſubjici præcepto, vel ſuperiori. Talis enim inobedientia inducit contemptum poteſtatis a Deo derivatæ, & ſuperiori ut miniſter Dei eſt, ejuſque vices gerit; qui contemptus redundat in Deum, juxta illud, *Luc.* 10. *Qui vos ſpernit, me ſpernit.*

Item omiſſio conſilii evangelici ex contemptu, quaſi Deus inutilia & vana conſuleret, mortalis eſt.



(1) *Sic ex. ca. Sacerdos exiſtimans peccatum eſſe grave, deficiente juſta cauſſa, Miſſam vel ſemel celebrare* privatam, *non recitato prius Matutino Officio, mortaliter peccabit ratione* conſcientiæ erroneæ, *ſi celebret haud perſoluto ejuſmodi penſo. Nam ex Bened. XIV. (N. 76.) non adeſt revera gravis illa obligatio. En ejus verba, (lib. 3. de* Sacrif. Miſ. *c. 3. n. 4.)* Si ſermo ſit de Miſſa Conventuali, videtur peccatum eſſe mortale eam ante Matutinum & Laudes celebrare: id enim eſt contra generalem Eccleſiæ conſuetudinem. In Miſſis vero privatis, ſi qua ſit legitima cauſſa, puta ſi Princeps aut Prælatus Miſſam expeteret, videri poteſt a peccato etiam veniali immunis, qui eam celebraret, non recitato Matutino, & Laudibus. Si vero abſit cauſſa, perdifficile videtur ne veniali quidem peccato non eſſe locum, ut obſervat Meratus ad Gavantum tom. 1. par. 2. Quod ſi quis, nulla cauſſa urgente, perpetuo id faceret, ut videretur quaſi ſtatuiſſe animo nunquam celebrare, dicto Matutino & Laudibus, tunc . . . . concludi poſſet, hujuſmodi Sacerdotem peccare mortaliter.

(2) *Nomine* damni, *&* ſcandali *duplex indicatur nocumentum Proximo adveniens, ſcilicet* temporale, *&* ſpirituale. *Ratione gravis* damni temporalis *peccant mortaliter faciendo, quæ ex ſuo genere non conſentur graviter illicita, ex. ca. quotquot in domibus, villis, menſis, pinacothecis talem apparatum, ac luxum ſervant, ut ſubinde nequeant debita extinguere, mercedes rependere, legata ſolvere, eleemoſynas erogare, & ſimilia officia, ſeu juſtitiæ, ſeu caritatis lege præſcripta; adimplere, quibus deſtituti pauperes, operarii, artifices clamant præ anguſtia ad Deum quotidie. Legatur S. Iſidorus Peluſ. (Epiſt. 210. 306. 528.) acriter perſtringens intemperantes illos, qui* pauperum plagas adaugent, & certamen movent iis, qui cum indomabili & inexpugnabili paupertatis fera luctantur. *Ratione vero* ſpiritualis damni, *ſeu ſcandali, graviter delinquunt, ex. ca. juxta S. Iſid. Hiſpal.* (*lib.* 3. de Sum. Bon. cap. 38.) Sacerdotes & Clerici prave viventes, dum forma ceteris in malum exiſtunt, qui in bonis exemplum eſſe debuerunt: *quique propterea*, quoſcumque exemplo malæ converſationis ſuæ perdunt, de illis rationem ſine dubio reddituri. *Et iſti poſteriores*, qui ſive doctrinis, ſeu exemplis, vitam moreſque bonorum corrumpunt, deteriores ſunt his, qui ſubſtantias aliorum, prædiaque diripiunt. Hi enim ea, quæ extra nos ſunt, ſed tamen noſtra, auferunt; corruptores vero morum proprie nos ipſos diripiunt; quoniam divitiæ juſtorum mores eorum ſunt. *Porro in materia iſta potiſſime cavendum ab ea ſpecie ſcandali, quod dicitur* activum indirectum, *eſtque nihilominus juxta Angelicum* (1. 2. *q.* 43. *ar.* 1.) per ſe, *& non* per accidens; *impune namque ſolet in mundo graſſari, cum a multis vel ignoretur, vel negligatur. Hujus rei duplex videtur eſſe cauſſa: prima, quia dicta & facta ſua conſiderant ipſi, non ſecundum adjacentes circumſtantias, ob quas præſertim ſpiritualis pernicies Proximis enaſcitur; ſed tantummodo in ſe & ſecundum genus proprium, quo pacto ſpectata apparent aut leviter mala, aut etiam prorſus innoxia: altera, quia ſunt ſibi intime conſcii, ſe dictis factiſque ſuis non ruinam proximorum ullatenus appetere, ſed propriam dumtaxat oblectationem, aut utilitatem. Verum neutram excuſationem iiſdem ſuffragari, nullo negotio oſtenditur. Nam quantum ad priorem, Seraphicus expendens Apoſtolicum præceptum* (1. *ad Theſſal. c.* 5.) ab omni ſpecie mala abſtinete vos, *hæc appoſite ſcribit* (*Opuſc. de Pauper Chriſt. in reſp. ad* 18.) Dicendum, quod illa ſpecies eſt mala, dum homo rationabiliter poteſt ſuſpicari malum, circumſtantiis omnibus penſatis, quæ occurrunt. *Angelicus item* (*Lect.* 2. *in eum loc.*) *ait*: Dicit Apoſtolus, ſpe-

Nam eſt graviter injurioſa Deo, & Deus ipſe conſilii auctor contemnitur. (1)

Quæſt. IX. *An multa venialia poſſunt facere unum mortale.*

*Reſp.* 1. Peccata venialia quantumvis multiplicata, non poſſunt per ſe efficere unum mortale, niſi eorum materiæ vel effectus uniantur. *Eſt communis ſententia.* Quia 1. ex Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 5. per venialia a Dei gratia non excludimur. 2. Peccatum mortale, cum ſit contemptus Dei & averſio a fine ultimo, habet malitiam ordinis ſuperioris, immo infinitam, quam proinde æquare nequeunt quævis venialia. 3. Sola multiplicatio non conſtituit peccatum in alia ſpecie ſuperiore a veniali. Item quantumcumque multiplicentur venialia, ſingula ſunt, & manent in ſpecie inferiore, habentque differentiam eſſentialem aliam, quam ſpecies ſuperior. Ergo multiplicatio venialium non poteſt attingere ſpeciem peccati mortalis, quæ eſt ſuperior. Ex Patrum vero textibus ſequitur tantum multa venialia diſponere ad mortale, non vero illud conſtituere.

Qui tamen proponeret omnia venialia occurrentia committere, vel ad hoc paratus eſſet, velletque ſola mortalia vitare, ſecundum Sanchez & Bonacinam mortaliter peccaret, etiamſi contemptus formalis deeſſet. Quia illius propoſiti objectum continet apertiſſimum peccandi mortaliter periculum, quod talis vult ſubire, cum ex SS. Patribus & Doctoribus multa venialia deliberate & ex propoſito commiſſa, certo diſponant ad mortale, & in praxi patet: quæ culpa mortalis adverſatur præcepto caritatis.

*Reſp.* 2. Si plurium venialium materiæ, vel effectus moraliter uniantur, & unum objectum grave conſtituant contra unum præceptum, tunc mortale eſt peccatum, cujus materia, licet ſecundum ſe parva, tamen ob moralem conjunctionem cum objectis priorum, notabilis cenſetur, & effectum gravem malum producit. *Eſt communis ſententia.* Quia tunc per hoc ultimum peccatum, ponitur complementum gravis materiæ, vel effectus graviter prohibiti; & illud ponens cenſetur velle aliquid graviter inordinatum ac prohibitum. Sic qui uno die feſto pluries laborat per quadrantem diverſis horis, peccat mortaliter ultimo quadrantis labore, quo completur tempus notabile: quia illi omnes labores breves moraliter uniuntur, & tunc verum eſt dicere talem laboraſſe illo die feſto tempore notabili; verbi gratia, duas aut tres horas. Sic ebrietas per ultimum ſcyphum completur. Item qui intemperanter cibum ſumit, & ultima comeſtione agnoſcit valetudinem graviter lædendam, peccat tunc mortaliter, nam jam vult objectum graviter diſſentaneum naturæ rationali ac legi, & ſibi notabile damnum.

Si vero plurium venialium materiæ parvæ & effectus

---

cie: quia etiam quæ habent ſimilitudinem malitiæ vitare debemus, quæ ſcilicet non poſſumus ſervare coram hominibus abſque ſcandalo eorum. *Quoad poſteriorem vero idem Angelicus* (*art. præcit.*) *hæc habet*; Dictum, vel factum alterius poteſt eſſe dupliciter alteri cauſſa peccandi: per ſe, & per accidens. Per ſe, quando aliquis ſuo malo verbo vel facto intendit alium ad peccandum inducere; vel etiamſi ipſe hoc non intendat, & ipſum factum eſt tale, quod de ſui ratione habet, quod ſit inductivum ad peccandum; puta cum aliquis publice facit peccatum, vel quod habet ſimilitudinem peccati. Et tunc ille, qui hujuſmodi actum facit, proprie dat occaſionem ruinæ: unde dicitur ſcandalum activum. Per accidens autem aliquod verbum, vel factum unius eſt alteri cauſſa peccandi, quando & præter intentionem operantis, & præter conditionem operis, aliquis male diſpoſitus ex hujuſmodi opere inducitur ad peccandum; puta cum aliquis invidet bonis aliorum. Et tunc ille, qui facit hujuſmodi actum rectum, non dat occaſionem, quantum in ſe eſt: ſed alius ſumit occaſionem; & ideo hoc eſt ſcandalum paſſivum ſine activo. *Scandalum igitur activum per ſe, quantumvis* indirectum, *nec eſt confundendum cum ſcandalo* paſſivo per accidens, *nec parvipendendum. Hujuſce autem ſcandali exemplum habes apud Seraphicum, qui* (*Opuſc.* de Purit. Conſcient. *cap.* 14.) *poſtquam ob oculos poſuit* periculum familiaritatis Dominarum, *impendens etiam perſonis, quæ* ſpirituales videntur, *ita cum D. Bernardo concludit*: Quotidie converſari vis cum muliere, & continens putari? Eſto quod ſis, maculam tamen ſuſpicionis portas. Scandalum mihi es, tolle materiam, & cauſſam ſcandali. quia væ homini illi per quem ſcandalum venit. *Legendus de hac materia Bened. XIV.* (*Inſt. Eccl.* 83.) *diſſerens de Parochorum cum mulieribus contubernio. Quæ cum ita ſint, prudens quiſque ſemper impreſſum animo teneat D. Iſidori Pæluſ. monitum ſaluberrimum* (*Epiſt.* 306.) Nihil non age, & ſexcentis res tuas oculis circumſpice, ne qua a parte tua proximis noxa, damnumve obveniat, omnem ſcandali radicem exſcindendo.

(1) *Magni momenti eſt genuina, & accurata notitia hujus poſtremæ lethiferæ circumſtantiæ, quæ* legis contemptus *dicitur. Tria propterea; quæ ad talem finem conducunt, hic breviter indagabimus: nimirum, 1. Quid & quotuplex ille ſit. 2. Quæ, & quanta ejus malitia. 3. Quandonam adeſſe, aut abeſſe præſumatur. Quoad* primum *articulum, univerſim duplicem contemptum oportet ſtatim diſtinguere, puta* materialem & formalem. *Materialis eſt, quando quidpiam negligitur, rebuſque aliis poſtponitur, tametſi non hoc præciſe animo gerat, qui id facit. Formalis eſt, ubi hac ipſa intentione directa quidpiam prætermittitur. Prioris generis contemptus* (*de quo plerumque cenſendi ſunt diſſerere Aſcetici Magiſtri, & Concionatores Sacri*) *relate ad leges ſeu Divinas, ſeu humanas, adeoque relate ad ipſum Deum, a quo fluit omnis legiſlativa poteſtas, continetur in qualibet gravi earum tranſgreſſione. Nam ex Seraphico* (*Brevil. par.* 3. *cap.* 2.) *generatim loquendo* peccatum mortale eſt actualis a primo principio receſſus, qui non poteſt eſſe niſi per contemptum ipſius principii, vel in ſe ipſo, vel in ſuo præcepto. *Ita ex. ca. juxta eumdem Doctorem* (*Opuſc. de trib. tern. peccat. cap.* 4.) ſi luxurioſo proponatur ex una parte adulterium, prout eſt delectabile, & ex alia parte Deus prohibens: contemnit ille Dei prohibitionem; & ſe adulterinæ delectationi immergit, & deviat a fine. *Hoc ipſo communi ſenſu, quo intelligimus quævis peccata involvere aliquem Dei, legumque* contemptum *uſitato in Scripturis, & Patribus ſermone dicuntur*



ſectus non uniantur, nec in grave objectum coaleſcant; tunc omnia & ſingula peccata ſunt venialia, nec efficiunt mortale: quia tunc materiæ illæ non conflant unum objectum grave, nec materiam ſufficientem ad mortale, Sic qui pluribus feſtis per unum quadrantem laborat, non peccat mortaliter, ſecluſo ſcandalo & contemptu; quia tunc ſicut feſta ſunt diverſa, neque efficiunt unum moraliter; ita & labores ſunt diverſi, nec unum inter ſe conſtituunt. Item qui in Quadrageſima quotidie bolum panis extra tempora comedit, non peccat mortaliter, quia comeſtio una die facta non continuatur, nec conjungitur moraliter cum comeſtione alterius diei; cum obligatio abſtinendi affixa ſit ſingulis diebus, & tranſeat cum illis. Unde propoſitum comedendi ſingulis diebus Quadrageſimæ bolum panis extra tempora, eſt per ſe loquendo ſolum veniale, quia non fertur in illas omnes comeſtiones leves conjunctim ſumptas, ſed in omnes ſeparatas & ſingulis diebus vitandas, quæ cum ſolum ſint vetitæ ſub veniali, propoſitum non

---

*tur eadem fieri ex* ſuperbia, inobedientia, ingratitudine; *quamvis præter malitiam, quam ſingula ſortiuntur ex propriis objectis, non participent ſpecialem horum trium vitiorum deformitatem. Poſterioris vero generis contemptus ille eſt, quem ſolummodo attendunt Morales TT. ſicque relate ad leges poteſt deſcribi cum Angelico* (2. 2. *q.* 186. *art.* 9.) tunc committit aliquis, vel tranſgreditur ex contemptu, quando voluntas ejus renuit ſubjici ordinationi legis, vel regulæ: & ex hoc procedit ad faciendum contra legem, vel regulam. *Contemptus hujuſmodi dicitur a laudato Doctore* (*q.* 162. *ar.* 2.) *proprius* affectus, & actus ſuperbiæ, *quatenus ipſa* eſt ſpeciale peccatum; *atque ex tali contemptu Dei, ejuſque mandatorum ex. gr. Pharao olim Hebræos opprimebat, ac poſtea Julianus Apoſtata Chriſtianos perſequebatur. Hinc autem duo intelligimus.* 1. *Contemptum iſtum non reperiri per quamdam generalitatem in quolibet peccato, ſicuti de priore diximus. Siquidem ex eodem Angelico* quamvis omnia præcepta legis poſſit quis tranſgredi qualicumque peccato ex contemptu, qui pertinet ad ſuperbiam, non tamen ſemper ex contemptu aliquis præcepta Divina tranſgreditur: ſed quandoque ex ignorantia, quandoque ex infirmitate. Inde eſt, quod Auguſtinus dicit: multa perperam fiunt, quæ non fiunt ſuperbe. *Quare, quamdiu aliquis leges traſgrediendo non movetur principaliter ex eo quod poſitive renuat ſeſe illis ſubjicere; & illas vel illarum auctorem parvipendat, non cenſetur peccare ex contemptu, ut bene notat Navar.* (*Manual. cap.* 23. *n.* 42.) *quamvis ex ira, audacia, voluntate, induſtria, malitia, aliave paſſione peccet.* 2. *Peccata illa, quæ ex tali contemptu vere prodeunt, ad minus* duplicem *morali ſpecie diverſam deformitatem præſeferre, neceſſario aperiendam in Sacramentali judicio. Sic in allato exemplo Pharaonis & Juliani, eorum facinus gemina diverſa labe & injuſtitiæ, & ſuperbiæ inficiebatur, ut alias etiam omittam. Formalis porro contemptus poteſt eſſe aut* explicitus, *ut ſi quis ruptis legum vinculis expreſſe dicat,* non ſerviam (*Jer. c.* 2.) *aut* implicitus, *ut ſi quis ob aſſiduitatem delinquendi eo devenerit, ut prudenter præſumi poſſit, ipſum animo ſuo ſaltem ita ſtatuiſſe.*

*Quoad* ſecundum *Articulum, nemini dubium, quin idem* formalis *contemptus, utroque modo ſpectatus, ex ſuo genere ſit mortale crimen, quandoquidem facere aliquid contra præceptum ex contemptu ipſius præcepti ac Legiſlatoris præcipientis, inobedientia eſt directe contraria dilectioni Dei, & Proximi, uti Angelicus* (2. 2. *q.* 105. *art.* 1.) *docet. Idque ſentiendum indiſcriminatim de quolibet contemptu tum* legum *Divinarum, humanarumque quia ex Apoſtolo* (*Rom. c.* 2.) non eſt poteſtas niſi a Deo; *tum* conſiliorum *etiam Evangelicorum, quia valde injurioſum Chriſto nolle ſubjici ejus conſiliis ut conſiliis, eaque ceu vana, aut noxia aſpernari. Poteſt tamen quandoque peccatum hoc conſiſtere intra ſphæram* venialis *culpæ, ob* imperfectionem actus, *qui ſcilicet* non perfecte pertingit ad rationem actus moralis, cum non ſit deliberatus, ſed ſubitus *ut Angelicus* (1. 2. *q.* 88. *ar.* 6.) *loquitur. Quæſtio ſolum moveri poteſt, num ſit peccatum mortale ex genere ſuo* toto, *ita ſcilicet ut nunquam evadat veniale ob* parvitatem materiæ. *Nonnulli cum Cajetano* (*Summul. voce,* contemptus, & inobedientia) *ſuſtinent eſſe poſſe veniale, non tantum ex imperfectione actus non ſatis deliberati, ſed etiam ex imperfectione materiæ, quando eſt contemptus præcepti in re exigua, & ſecundum quid, non abſolute: hoc eſt, quando non abſolute contemnitur Legiſlator, ſed ſolum una aliqua ejus lex particularis; idque propterea, quia exigui momenti eſt res, quam per talem legem jubet. At rectius alii ſentiunt, omnem deliberatum contemptum legis in quacumque materia, ſeu gravi ſeu levi, præferre mortalem inordinationem, quia* deliberate *contemnere præceptum qua præceptum, qua juſſionem Legiſlatoris, eſt ſemper proprius actus ſuperbiæ ſpeciatim ſumptæ* (*juxta Angelicum in ſuper. art. laudatum*) *adeoque lethalis, eſto præceptum ſit de re modica. Et hæc quidem ſententia tum Scripturæ, tum Patribus apprime conſonare videtur.*

*Quoad* tertium *Articulum, ubi formalis contemptus eſt* explicitus, *jam opus non eſt conjecturis indiciiſve ad illum cognoſcendum: talis erat ex. gr. in utroque Tyranno ſuperius nominato, itemque in Judæis illis, qui Machabæorum tempore repudiatis patriis legibus ad Gentes tranſibant. Loquendo autem de contemptu* implicito, *arbitror, hunc nonniſi ex peculiaribus circumſtantiis perſonæ, loci, temporis, & ſimilium colligendum eſſe maturo, ac prudenti judicio. Inter indicia hujuſce poſterioris contemptus ſolet a Moralibus præcipue recenſeri diuturnitas, & frequentia tranſgrediendi aliquam legem. Sed ne hic quempiam errare contingat, audiendus inter alios Angelicus Magiſter, qui primo docet* (2. 2. *q.* 186. *ar.* 9.) Religioſum, quando propter aliquam particularem cauſſam, puta concupiſcentiam vel iram, inducitur ad aliquid faciendum contra ſtatuta legis; vel regulæ, non peccare ex contemptu, etiamſi frequenter ex eadem cauſſa, vel alia ſimile peccatum iteretur. *Et rationem aſſignat* (1. 2. q. 88. ar. 5.) Quia diuturnitas, & aſſiduitas non eſt circumſtantia trahens actum in aliam ſpeciem, niſi forte per accidens ex aliquo ſupervenienti. Non enim aliquid acquirit novam ſpeciem ex hoc quod mul-

non eſt de mortali. Idem dic de eo, qui plures inducit ad parum comedendum uno die jejunii, quia actio unius non unitur, nec facit unum moraliter objectum vetitum cum actione alterius. Unde inductio non eſt ad aliquid grave. (1)

Quæſt. X. *An & quomodo multa venialia diſponunt ad mortale?*

*Reſp.* 1. Multa venialia, ſi negligantur & continuentur, ſenſim diſponunt hominem ad mortale. Conſt. 1. ex Eccl. 19. *Qui ſpernit modica, paullatim decidet*. Et Luc. 10. *Qui in modico iniquus eſt, & in majori iniquus eſt*. 2. Ex conſenſu Theologorum, & ex Patribus docentibus venialia diligenter cavenda eſſe, ne labamur in mortalia. 3. Ex praxi & experientia.

*Reſp.* 2. Multa venialia diſponunt ad mortale: 1. Indirecte ſeu negative removendo id quod mortalia impediret. Nam & in peccante minuunt fervorem caritatis, & timorem Dei, ac horrorem peccati; & ex parte Dei impediunt providentiam illam ſpecialem, qua tentationes ac pericula removebat; & liberalitatem, qua uberes & potentiores gratias largiebatur.

2. Poſitive: tum quia cum mortale & veniale in hoc conveniant, quod ſint infractio Legis & ordinis; multitudo leviorum infractionum, maxime ſi deliberate & ex gravi negligentia fiant, hominem diſponit ad violandum Legem & ordinem in gravioribus: tum quia libido peccandi, & affectus erga rem venialiter malam, poteſt ſæpius peccando ita creſcere, ut in ea re conſtituatur finis ultimus, & ex affectu erga illam homo ſit paratus violare præceptum gravius, vel illius violandi, periculo ſe exponat. Venialia autem ejuſdem ſpeciei, magis adhuc per ſe ac directe diſponunt ad mortale; cum circa idem objectum ſpecifice ſumptum verſentur, & pariant ſimilem habitum. Sic levioribus furtis, contumeliis, detractionibus via ſternitur ad graviores injurias, & comparatur conſuetudo furandi, aut detrahendi, quæ magis adhuc in gravia objecta, utpote magis ad ſe allicentia, inducit quam in levia.

## CAPUT III.

### *De Peccatis commiſſionis, & omiſſionis.*

Quæſt. I. *Quid ſunt, & an differunt inter ſe talia peccata?*

*Reſp.* 1. Peccatum commiſſionis eſt actus poſitivus factus contra Legem eum prohibentem, ſive eſt violatio præcepti negativi. Peccatum omiſſionis eſt omiſſio

multiplicatur, vel protelatur; niſi forte in actu protelato, vel multiplicato ſuperveniat aliquid, quod variet ſpeciem; puta inobedientia, vel contemptus, vel aliquid hujuſmodi. *Poſtea vero monet* (*priori loc. cit.*) frequentia tamen peccati diſpoſitive inducit ad contemptum, ſecundum illud Prov. 18. Impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit; *quod quidem paſſim etiam tradunt Eccleſiæ Patres. Totum hoc ſic complectitur Navar. ſeq. doctrina* (*Manual. c. 23. n. 42.*) Ad tranſgreſſionem legis ex contemptu non ſatis eſt conſuetudo peccandi; quia quamvis conſuetudo multum faciat ad præſumendum prædictum contemptum in foro exteriori, nihil tamen facit quoad interius, ubi ſola veritas conſideratur. Sic etiam illa Gloſſa celebris *in c. Metrop. 2. q. 7.* quæ dicit, eum, qui ſine juſta cauſſa tranſgreditur, videri contemnere, intelligenda eſt in foro exteriori, non interiori. Verum tamen eſt, conſuetudinem tranſgrediendi aliquam legem multum incitare ad contemnendam illam, ideoque ab ea cavendum eſt. *Ad normam harum doctrinarum exigendum tritum illud argumentum, quo Morales DD. ſolent ex frequentia delinquendi arguere* interpretativum *legum contemptum, adeoque gravem culpam, in Sacerdotibus paſſim Miſſalis rubricas tranſilientibus, in Religioſis proprii Ordinis ſtatuta violantibus, in Beneficiariis a choro abſentibus, & ſimilibus aliis. Quod ſi moroſus quiſpiam a me poſtulet, quandonam præciſe ex aſſiduitate peccandi præſumatur oriri formalis iſte contemptus, is prius dignabitur mihi edicere, quot præciſe calices generoſi vini exhaurire oporteat ad contrahendam ſolemnem crapulam. Sicuti jam præmonui, in hujuſcemodi rebus prudens judicium pendet a ſerie particularium circumſtantiarum: idcirco fruſtra exquiritur generalis regula. Illud potius ad complementum præſentis diſquiſitionis e re erit obſervare, quod Angelicus* (*2. 2. q. 186. ar. 10. in fin.*) *ſcribit*. Juſti non de facili peccant ex contemptu; ſed quandoque labuntur in aliquod peccatum ex ignorantia, vel infirmitate, a quo de facili relevantur. Si autem perveniant ad hoc, quod ex contemptu peccent, efficiuntur peſſimi, & maxime incorrigibiles. Unde Auguſtinus dicit: ex quo Deo ſervire cæpi, quomodo difficile ſum expertus meliores, quam qui in Monaſteriis profecerunt, ita non ſum expertus pejores, quam qui in Monaſteriis ceciderunt. *Unuſquiſque igitur in ſortem Domini vocatus ſalutem ſuam operetur cum timore, & tremore, quoniam judicia Dei abyſſus multa.*

(1) *Iſtius q. 9. doctrinam junctam doctrinæ ſeq. q. 10. reperies erudite expoſitam, & confirmatam a Bened. XIV.* (*de Beatif. Serv. Dei lib. 3. can. 39. n. 8.*) *& multo ante traditam a Seraphico & Angelico, quorum prior ſic ait* (*in 2. ſent. diſt. 24. par. 2. dub. 2.*) Plura venialia non determinant, nec faciunt mortale, quantum eſt de ſe, ſed ſolum diſpoſitive, ex frequenti enim iteratione venialium intervenit contemptus: Et quia (*pergit in 2. ſent. diſt. 26. par. 2. art. 3. q. 1.*) iteratio actus diſponit ad libidinem, & contemptum, non diſpoſitione neceſſitatis, ſed pronitatis; ideo Auguſtinus comparat ea beſtiis minutis, guttis arenæ, ſcabiei: non quia ipſa in ſe faciunt naufragium, ſed quia ad hoc perducunt per accidens. *Poſterior vero id ipſum* (*1. 2. q. 88. ar. 3. & 4.*) *ſtatuit. Robertus Holkol* (*Lect. 36. in lib. Sapient.*) *hanc addit ſimilitudinem aptiſſimam*. Ex modicis peccatis diabolus inducit in graviſſima peccata. Circa dolium ſunt magni circuli, quibus aſſeres dolii colligantur, & illi magni in ſuis extremitatibus colligantur cum parvis viminibus: ſolutis ergo parvis ſolvuntur magni, & ſolutis magnis totum decidit. Sic moraliter eſt, qui ſpernit modica, paullatim decidit. *Ex iis lumen roburque etiam accedit iis, quæ in fine Notæ ſuperioris dicta ſunt.*



omiſſio actus præcepti, ſive violatio præcepti affirmativi.

*Reſp.* 2. Hæc peccata, etiam cum eidem virtuti aut Præcepto ex eodem motivo adverſantur, ſic moraliter inter ſe differunt, ſaltem ſecundum gravitatem, ut in Confeſſione ſingillatim explicanda ſint. Nam peccatum commiſſionis, ceteris paribus, eſt notabiliter gravius peccato omiſſionis: habet quippe notabiliter majorem diſconvenientiam ac oppoſitionem cum natura rationali, & Lege divina: magis enim, ceteris paribus, inordinatum eſt ac diſconveniens naturæ rationali ac Legi æternæ, facere quod non debes, quam non facere quod debes; & illud opponitur præcepto, *Declina a malo*: hoc autem, præcepto, *Fac bonum*. Sic odium Dei eſt longe gravior culpa, quam omiſſio actus amoris Dei præcepti, licet utrumque eidem præcepto caritatis opponatur; & qui utriuſque reus eſſet, non ſatisfaceret præcepto confitendi dicendo ſe bis peccaſſe mortaliter contra debitam caritatem Dei. Item longe pejus eſt patrem contumelia afficere, quam præciſe ei honorem debitum non deferre.

Immo ſunt qui docent, aliqua peccata commiſſionis & omiſſionis inter ſe differre ſecundum gravitatem ſpecificam, ut iſta allata, quia cenſent eam habere inter ſe diſconvenientiam & oppoſitionem cum natura rationali & Lege divina notabiliter diverſam; nam quamvis eidem virtuti ac præcepto ex eodem motivo adverſentur, tamen ei modo notabiliter diverſo opponuntur.

Quæſt. II. *Unde æſtimanda eſt ſpecies & gravitas omiſſionis culpabilis?*

*Reſp.* Ex ſpecie & bonitate actus præcepti. Nam privatio eo pejor eſt, quo forma ei oppoſita melior eſt. Ergo omiſſio actus præcepti eo pejor eſt, quo actus præceptus melior eſt. Sic omiſſio orationis longioris præceptæ, eſt culpa gravior omiſſione orationis brevioris etiam præceptæ.

Quæſt. III. *An Actus cum omiſſione culpabili conjunctus, eſt peccatum?*

*Reſp.* 1. Omnis actus, quatenus eſt cauſſa, finis vel occaſio proxima omiſſionis malæ, contrahit malitiam omiſſionis, ut ſi omittas Sacrum ut ſtudeas, vel dormias; quia prohibetur eodem præcepto, quo præcipitur actus omiſſus. Nam præceptum, utpote de ſe efficax, hoc ipſo quod præcipit actum aliquem, ſimul prohibet omnem actum, vi cujus ſequitur omiſſio actus præcepti. Sicut enim præceptum obligat ad ſervanda omnia, quæ neceſſaria ſunt ad ejus obſervationem: & ſic ad vitanda omnia, quæ eamdem obſervationem impediunt. Item in illo actu continetur virtualis ſaltem voluntas omittendi. Ergo habet idem objectum cum omiſſione, & proinde eamdem malitiam, & repugnantiam eidem præcepto. Idem eſt ſi actus aſſumatur ut medium omiſſionis: nam media contrahunt malitiam finis. Hinc ſi actus ſit aliunde malus, habet duplicem malitiam; ut ſi quis omittat Sacrum, quia tempore Sacri furatur. Si vero non ſit aliunde malus, habet unam & eamdem malitiam cum omiſſione culpabili, cum ſolum habeat malitiam ab illa omiſſione, & eidem præcepto adverſetur. Docet tamen Suarez, quod ſi quis advertit ſe hoc tempore omittere, & ex nimio affectu ad illud opus de ſe licitum, velit nihilominus illud exercere, & ſic omittere; tunc actus ille habet malitiam ſpecie diſtinctam: quia vere eſt contra rectitudinem propriæ virtutis, & quia conſtituitur ultimus finis in illo opere.

*Reſp.* 2. Quando actus, qui fit tempore omiſſionis, non eſt cauſſa, nec finis, nec medium, nec occaſio omiſſionis, ſed tantum aſſumitur conſequenter ad voluntatem efficacem omittendi ob alium finem, juxta multos non contrahit malitiam omiſſionis, nec proinde eſt peccatum, ſi aliunde non ſit malus: ut ſi quis poſtquam decrevit omittere Sacrum ad aliquod leve incommodum vitandum, oret domi, vel ſtudeat tempore Sacri, ut otium vitet. Quia Lex præcipiens aliquid, non vetat actum alium, niſi ſit cauſſa, vel medium, vel occaſio omiſſionis actus præcepti; & ſuppoſita voluntate omittendi actum præceptum, alius actus materialiter & per accidens ſe habet ad omiſſionem, & nullo modo in eam influxit.

Quæſt. IV. *Quandonam admittitur peccatum omiſſionis.*

*Reſp.* 1. Peccatum omiſſionis externum admittitur eo ſolo tempore, quo urget præceptum faciendi Actum. Quia hoc peccatum conſiſtit in omiſſione actus debiti ex præcepto: Actus autem non eſt debitus, niſi eo tempore, quo ſervandum eſt præceptum. Interdum vero committitur, dum quis expreſſe aut virtualiter, indirecte vel interpretative, vult omittere actum præceptum; nam tunc ponitur voluntas violandi præceptum.

*Reſp.* 2. Qui ponit cauſſam, ex qua prævidet probabiliter ſecuturam omiſſionem, tunc peccat (Vid. N. 144.), & contrahit malitiam omiſſionis: quia qui ponit cauſſam omiſſionis, vult indirecte, vel ſaltem interpretative ipſam omiſſionem: qui enim vult cauſſam, cenſetur velle effectum, qui ex illa ſequitur. Præterea eodem præcepto, quo vetatur omiſſio, prohibetur etiam poſitio libera cauſſæ illius. Hinc qui die feſto mane ſe ſomno tradit, prævidens ſe ſomno ſepultum iri tempore ultimi Sacri, tunc peccat contra religionem, etiamſi per accidens excitetur & poſtea Sacrum audiat. Nam tunc habuit voluntatem, ſaltem interpretativam ac virtualem, omittendi Sacrum, quamvis poſtea eam mutaverit.

Idem dic de eo, qui ſcienter, aut nonniſi cum ignorantia vel inadvertentia culpabili, exponit ſe morali periculo omittendi. Nam tunc contrahit totam malitiam omiſſionis, licet poſtea omiſſio non ſequatur, quia ſic exponendo ſe morali periculo omittendi, ſaltem interpretative voluit omiſſionem. Quod ſi is, qui poſuit cauſſam omiſſionis, vel expoſuit ſe morali periculo omittendi, poſtea poſſit præceptum, dum urget, implere, deſiſtendo ab opere incompoſſibili, non implens præceptum, denuo peccat peccato omiſſionis; & tunc omiſſio ejus eſt in ſe libera eo modo, quo actus externus liber eſſe poteſt: quia tunc denuo vult ſaltem indirecte ipſam omiſſionem actualem. Porro non contrahitur (Vid. N. 145.) cenſura, niſi eo tempore, quo actus ex præcepto faciendus eſt: nam tunc ſolum ponitur omiſſio externa, cui annexa eſt.

*Reſp.* 3. Probabile eſt, eum, qui poſuit omiſſionis cauſſam, qua factus eſt impotens ad implendum præceptum, peccare non ſolum quando poſuit illam cauſſam, ſed etiam dum reipſa actum præceptum omittit, ſi non retractet ejus cauſſam culpabilem, cum poteſt. Sic Sacerdos, qui Breviarium in mare libere

bere projecit, unde factus eſt impotens ad illud recitandum, non ſolum peccavit projiciendo, ſed etiam ſingulis diebus denuo peccat non recitando, quamdiu priorem culpam non retractat. Item qui ante Sacrum longæ viæ ſine neceſſitate ſe dedit, unde factus eſt impotens ad audiendum Sacrum, peccat contra religionem, non ſolum cum ſe dedit longæ viæ prævidens impotentiam audiendi Sacrum inde ſecuturam, ſed etiam poſtea dum celebratur Sacrum, niſi tunc eliciat contritionem. Ratio eſt, quia omiſſio actualis eſt imputabilis voluntati, quamdiu eſt voluntaria in cauſſa non retractata, quæ poſſit retractari; tamdiu enim libere continuatur, & ponitur voluntarie omiſſio, quamdiu & poteſt retractari ejus cauſſa, & non retractatur; nam eſt tunc in poteſtate hominis efficere, ne ſit amplius voluntaria ac moralis.

*Sed quid ſi homo non poſſit retractare cauſſam culpabilem omiſſionis, ut ſit in ſomno vel ebrietate; An peccat non ſolum quando poſuit cauſſam, ſed etiam cum præceptum urget?*

*Reſp.* Alii affirmant, eo quod talis omiſſio ſit illi ſufficienter voluntaria in cauſſa non retractata. Alii probabilius negant, docentes talem omiſſionem nil per ſe malitiæ imputabilis addere culpabili poſitioni cauſſæ ejus, eo quod tunc omiſſio non ſit voluntaria & libera niſi in cauſſa; & voluntas tempore omiſſionis non continuetur libere, nec ullum exercitium liberum habeat, cum ne poſſit quidem ejus cauſſam retractare.

Cæterum neceſſe eſt omnes omnino omiſſiones actuales confiteri, & non tantum cauſſam earum culpabilem. Nam ex praxi perpetua fidelium, ex qua neceſſitas materiæ confeſſionis potius, quam ex principiis metaphyſicis metienda eſt, conſtat actiones & omiſſiones in cauſſa moraliter culpabiles, eſſe neceſſario confitendas, ſive illæ ſecundum ſe peccata ſint, ſive ſolum effectus & objecta peccati in cauſſa libere poſita commiſſi. Præterea id etiam neceſſarium eſt, vel ad explicandam ſicut oportet peccati gravitatem, vel ad detegendum damnum tertii, obligationem reſtituendi &c. vel ob periculum reſervationis, aut cenſuræ.

## CAPUT IV.

### *De Ignorantia, & ejus peccatis.*

Quæſt. I. Quid eſt Ignorantia, & quotuplex? (Vid. N. 188. 189.)

*Reſp.* 1. Ignorantia late eſt carentia cognitionis veræ in ſubjecto capaci. Stricte, ut hic ſumitur, eſt carentia cognitionis debitæ, ſeu cognitionis eorum, quæ quis ſcire debet. Nam qui ignorat ea quæ ſcire non tenetur, non eſt in eo ignorantia, ſtricte loquendo, ſed mera neſcientia.

Dividitur 1. In invincibilem, & vincibilem (Vid. N. 195. 207. uſq. ad 216.). Ignorantia invincibilis, quæ etiam inculpabilis vocatur, eſt ea, quæ morali diligentia adhibita depelli non poteſt. Vincibilis eſt ea, quæ morali diligentia adhibita depelli poteſt.

2. In antecedentem, & concomitantem, & conſequentem (Vid. N. 191. uſq. ad 195.), Antecedens eſt ea, quæ nullo modo fuit volita & eſt cauſſa actionis, quatenus ea ſublata non fieret actio: ut cum venator adhibita ſufficienti diligentia ne hominem occideret, occidit amicum, putans eſſe feram. Concomitans eſt ea, quæ non eſt volita, nec eſt cauſſa actionis, in quantum ea ſublata adhuc fieret actio, quæ proinde non fit ex ignorantia, ſed præciſe cum ignorantia, talis eſt in eo, qui adhibita ſufficienti diligentia ne hominem occideret, inimicum latentem occidit, quem æque occidiſſet, ſi ſciviſſet ibi latere. Conſequens eſt ea, quæ volita eſt directe vel indirecte; ut cum quis neſcit talem diem eſſe feſtivum; quia aut expreſſe noluit aut neglexit inquirere. Unde eſt ſemper vincibilis, & quandoque eſt cauſſa actionis, quandoque non; quia ea ſublata quandoque adhuc fieret actio, quandoque non fieret.

3. In ignorantiam juris, & facti (Vid. N. 190.). Prior eſt, qua ignoratur jus aut præceptum aliquod. poſterior eſt, qua ignoratur id quod fit, eſſe juxta vel contra præceptum, & poteſt eſſe de opere, vel aliqua ejus circumſtantia: ut cum quis neſcit eſſe, diem Veneris, quo comedit carnes.

4. In negativam, & poſitivam (Vid. N. 189.). Negativa eſt mera privatio debitæ cognitionis alicujus rei abſque judicio erroneo de illa re; poſitiva eſt error, ſeu judicium falſum de aliqua re.

5. In habitualem, & actualem (Vid. N. 198.). Habitualis, eſt privatio cognitionis habitualis, & dicitur ſimpliciter ignorantia. Actualis eſt privatio debitæ cognitionis actualis, & melius dicitur inadvertentia, inconſideratio, vel oblivio.

Quæſt. II. *An ignorantia vincibilis eſt ſecundum ſe peccatum?*

*Nota*. Ignorantia vincibilis (Vid. N. 196. 197.) alia eſt affectata, ſeu directe volita, & eſt ea, quam quis directe & expreſſe vult ut liberius peccet, juxta illud Job. 21. *Recede a nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus*. Alia non affectata, & eſt ea, quæ non eſt directe & expreſſe volita, ſed eſt ſolum volita indirecte, nempe in negligentia addiſcendi. Hæc ſubdividitur in craſſam ſeu ſupinam, & non craſſam. Craſſa eſt, cum aut nulla adhibetur diligentia ad ſciendum, aut nonniſi pro rei gravitate valde exigua adhibetur: unde ſemper oritur ex gravi negligentia diſcendi. Non craſſa eſt, cum ad ſciendum adhibetur quidem aliqua diligentia, ſed non adhibetur ſufficiens.

*Reſp.* Ignorantia vincibilis eorum quæ quis ſcire tenetur, etſi non affectata, eſt ſecundum ſe (Vid. N. 210. uſque ad 215.) peccatum imputabile. *Eſt communis ſententia*. Prob. 1. ex Pſal. 24. *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris*. Et Eccl. 23. *Ne adincreſcant ignorantiæ meæ, & multiplicentur delicta mea*. 2. Quia talis ignorantia eſt libera tranſgreſſio præcepti, ſeu omiſſio rei præceptæ. Nam omnia & ſingula præcepta obligant ad id, ſine quo obſervari nequeunt, ideoque ad ſui cognitionem comparandam, ſine qua ſervari non poſſunt: præcipiens quippe finem, præcipit media per ſe neceſſaria ad illum. Igitur cum cognitio obligationum, tum omnibus communium, tum ſpecialium, quæ ad cujuſque ſtatum, officium, & munus ſpectant, præcepta ſit, talis cognitionis privatio vincibilis eſt tranſgreſſio præcepti; & quidem libera ac voluntaria ſaltem indirecte, nempe in negligentia diſcendi, ideoque eſt peccatum. Unde ignorantia eſt peccatum, & mala imputabiliter ob negligentiam voluntatis, a qua manat. 3. Qui ignorat ea quæ ſcire poteſt & debet, ſe exponit voluntarie morali periculo violandi præcepta quoties urgent, ideoque multoties peccandi. Ergo peccat graviſſime.

*Obſ.* 1. Gravitas peccati ignorantiæ æſtimanda eſt ex gravitate præcepti ignorati, & ex negligentia diſcendi. 2. Ut aliquid ſit voluntarium interpretative, ſufficit ut tenearis illud vitare: nec facias, cum poſſis, id quod eſt neceſſarium ad illud vitandum: hoc enim ipſo tibi merito imputatur quod non vitaveris. 3. Ignorantia (Vid. N. 212.) eorum, quorum cognitio ratione ſui præcipitur, ut ſunt myſteria fidei, eſt peccatum ſpeciale oppoſitum virtuti fidei, quamvis fidei habitum non deſtruat. Ignorantia vero eorum, quorum cognitio requiritur ſolum in ordine ad opus, eſt peccatum ejuſdem ſpeciei, cujus eſt tranſgreſſio præcepti ignorati: nam eidem præcepto ac virtuti opponuntur, cum omne præceptum, utpote efficaciter obligans ad ſui obſervationem, obliget etiam ad ſui cognitionem & conſiderationem. 4. Peccatum ignorantiæ (Vid. N. 214.) continuatur & multiplicatur, ſicut peccatum omiſſionis reſtitutionis debitæ.

Quæſt. III. *An quæ ſunt contra Legem ex ignorantia vincibili, ſunt peccata imputabilia?*

*Reſp.* 1. Actio vel omiſſio omnis contra Legem poſita ex ignorantia vincibili, etiam non affectata, vel cum ea, eſt peccatum imputabile, etiam ſecundum malitiam ignoratam, etiamſi putetur bona, ac proinde quælibet ignorantia vincibilis (Vid. N. 199. 202. 203.) non excuſat a peccato. *Ita omnes*. Prob. 1. ex Num. 15. *Si anima neſciens peccaverit, offeret capram anniculam pro peccato ſuo; & deprecabitur pro ea Sacerdos, quod inſcia peccaverit coram Domino: impetrabitque ei veniam, & dimittetur illi*. Certe quæ non ſunt peccata imputabilia, non indigent expiatione & venia, nec ſunt ſimpliciter peccata coram Deo. Et ex Luc. 12. ſervus ignorans voluntatem domini ſui, & faciens digna plagis, *vapulabit*. Et ex Act. 3. *Fratres, ſcio quia per ignorantiam feciſtis, ſicut & principes veſtri*. Et 1. ad Cor. 2. *Si enim cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent*. Ubi mors Chriſto a Judæis ex ignorantia illata eſſe dicitur: & tamen illis ad graviſſimum peccatum imputata eſt, ut patet ex excidio urbis, & everſione ac reprobatione totius gentis. Item ex Luc. 23. *Pater dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt*. Certe ubi eſt locus ignoſcendi, ibi eſt peccatum imputabile. 2. Ex SS. Patribus, & ſpeciatim Hieron. & Auguſt. qui hanc veritatem ut fidei dogma contra Pelagianos propugnarunt; & S. Auguſt. epiſt. 154. ſic ait: *Si quis bonum putaverit eſſe, quod malum eſt, & fecerit hoc putando, utique peccat: & ea ſunt omnia peccata ignorantiæ, quando quiſque bene fieri putat quod male fit*. 3. Ex can. 16. diſt. 37. & c. 2. de ſortil. 4. Quia ea, quæ cum vel ex ignorantia vincibili fiunt contra præceptum, ſunt ſufficienter libera ac voluntaria ſaltem indirecte & in cauſſa, nempe in voluntaria negligentia addiſcendi, & ſic merito ad culpam imputantur voluntati, quæ potuit & debuit præceptum cognoſcere & ſervare; tunc enim nullam habet juſtam excuſationem. Nam culpabilis negligentia diſcendi quæ cognoſci debent, non poteſt eſſe juſta excuſatio, cum ſit culpa; & qui vult cauſſam, vult conſequenter effectum, qui ex ea neceſſario ſequitur, & quem ſcit vel ſcire poteſt ex ea ſecuturum. Immo quæ contra legem fiunt, ex, vel cum ignorantia vincibili etiam non affectata, ſunt moraliter & æquivalenter voluntaria in ſe, etiam quoad malitiam moralem in ordine ad veram & gravem, quamvis non tantam, imputabilitatem; quatenus qui culpabiliter ignorat, proinde ſe habet in æſtimatione prudenti in ordine ad veram & gravem, etſi non tantam, imputabilitatem, ac ſi actu ſciret. 5. Si ignorantia vincibilis excuſaret a peccato, melior eſſet conditio negligentis addiſcere ea quæ poteſt & tenetur ſcire, quam adhibentis debitam ad ea diſcenda diligentiam, quod eſt abſurdum.

*Obſ.* 1. Ignorantia præcepti eſt vincibilis, cum venit in mentem dubitatio de illo, vel aliquid, quo poſſit homo excitari ad inquirendam talis præcepti cognitionem, & omiſit inquirere: nam tunc debuit & potuit illud cognoſcere inquirendo. (Vid. N. 207.)

2. Ut quis ſit reus mortalis culpæ, non requiritur maxima negligentia, ſed ſufficit ſi omittatur diligentia moralis pro rei qualitate & gravitate neceſſaria. *Ita omnes teſte Suarez*. Quia tunc culpa mortalis ei merito imputatur, cum potuerit & debuerit vitare id quod eſt graviter malum.

3. Quoties ex vel cum ignorantia vincibili actio, vel omiſſio mala deliberate ponitur, toties fit novum peccatum diſtinctum numero a priori ignorantia & negligentia diſcendi. Quia tunc libere fit denuo aliquid malum, cujus malitia imputatur voluntati ad culpam, cum illam potuerit ac debuerit cognoſcere & vitare, & voluntas perſeveret velle ſaltem interpretative ignorantiam. Hinc homo ignorans ea, quæ neceſſaria ſunt ad Judicis munus recte obeundum, peccat graviter contra juſtitiam tunc ſuſcipiendo tale munus; & poſtea toties peccat actu mortaliter, quoties fert ſententiam injuſtam. Nam libere fert ſententiam injuſtam, quamvis putans eſſe juſtam, & ejus injuſtitiam potuit & debuit cognoſcere, & ſic ea ipſi merito imputatur: immo cognoſcit ſaltem confuſe ex ſua imperitia ſecuturas multas ſententias injuſtas, & ob eam adire periculum eas ferendi, aut ſaltem poteſt ac debet id cognoſcere & conſiderare, & non judicare, ne ſe exponat periculo faciendi injuriam. Idem dic de Advocato, Medico, Superiore, Confeſſario, Opifice &c.

*Obj.* Malitia actus ignorati non fuit volita, cum non fuerit cog[illegible]ta. *Reſp.* Fuit volita ſaltem indirecte in negligentia diſcendi, & interpretative, quatenus libere factus eſt actus malus, cujus malitia potuit & debuit cognoſci ut vitaretur, quod ſufficit ut imputetur voluntati ad culpam. Præterea malitia actus cognoſcitur ſaltem confuſe ab ignorante. Nam hoc ipſo quod ſcit ſe ignorare cognoſcit multa peccata ex ſua ignorantia ſecutura, & ſe exponere periculo peccandi, cum ſit ineptus ad cognoſcendum quid ſit illicitum vel licitum; idque identidem conſiderat, vel ſaltem conſiderare poteſt ac debet. Quare non depellendo ignorantiam, vult ſaltem indirecte & interpretative omnia iſta peccata confuſe cognita, ut ex illa ſecutura.

*Dices*. Negligentia addiſcendi non fuit poſitive volita. *Reſp.* Fuit volita ſaltem interpretative, nam potuit & debuit vitari; unde merito imputatur voluntati, quod illam non vitaverit, adhibendo diligentiam debitam poſſibilem ad diſcendum ea,

quæ homo ſcire tenetur. Ignorantia autem vincibilis eſt voluntaria & culpabilis in negligentia diſcendi: nam propter illam negligentiam merito imputatur voluntati.

*Reſp.* 2. Peccata ex ignorantia qualibet vincibili, vel cum ea admiſſa, ejuſdem ſunt ſpeciei (1) cum peccatis ſcienter admiſſis circa idem objectum. *Eſt communis ſententia.* Quia 1. Ignorantia & negligentia, & peccatum quod ex illa fit, adverſantur eidem præcepto & virtuti. Nam quodlibet præceptum cognitionem & diligentiam in ſua materia ex ſuo motivo injungit, cum utraque per ſe ſit neceſſaria ad illud obſervandum. 2. Actus ſumit malitiam ſpecificam ex objecto. Ergo actus ignoranter, & actus ſcienter factus, ſi ſint circa idem objectum malum, ſumunt ab eo eamdem malitiam ſpecificam.

Hinc qui ex ignorantia vel inconſideratione vincibili juris aut facti facit contractum injuſtum, peccat peccato injuſtitiæ; ſi omittat Sacrum præceptum, peccat contra religionem &c.

Quæſt. IV. *Quænam ignorantia minuit vel auget peccatum?* (Vid. N. 202. 206.)

*Reſp.* 1. Ignorantia vincibilis non affectata minuit malitiam peccati. *Eſt communis ſententia.* Prob. 1. ex Luc. 12. *Ille ſervus qui cognovit voluntatem domini ſui & non fecit ſecundum voluntatem ejus, vapulabit multis; qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis*, hoc eſt minus punietur. Ex Luc. 23. *Pater dimitte illis: non enim ſciunt quid faciunt.*

2. Quia talis ignorantia minuit voluntarium; nam impedit ne mens peccatum in ſe apprehendat, & illud in ſe voluntas velit: & ſic facit ut peccans minus afficiatur ad malum.

Quando tamen negligentia diſcendi gravis eſt, ignorantia nunquam eo uſque minuit peccatum, ut ex mortali fiat veniale, quia non tollit ſufficiens voluntarium ad mortale. Enimvero Judæi qui ex ignorantia Chriſtum (Vid. N. 280.) crucifixerunt, & Apoſtolos perſecuti ſunt, profecto peccarunt mortaliter. Hinc S. Auguſt. lib. de grat. & lib. arb. c. 3. ait: *Sed & illa ignorantia, quæ non eſt eorum qui ſcire nolunt: ſed eorum qui tamquam ſimpliciter neſciunt, neminem ſic excuſat, ut ſempiterno igne non ardeat ... ſed fortaſſe ut minus ardeat.*

*Reſp.* 2. Ignorantia affectata auget malitiam peccati. *Ita communiter cum S. Th. 1. 2. q. 76. art. 4.* Nam illud auget malitiam peccati, quod reddit illud magis voluntarium. At ignorantia affectata hoc præſtat: quia per illam directe & expreſſe volitum eſt periculum peccandi, nempe ipſa ignorantia, ex affectu liberius peccandi. Immo expreſſe volitum eſt quodvis peccatum ex ignorantia ſequi natum; nam per illam homo vult ignorare, ut liberius peccet: Et aliunde peccatum ſufficienter cognitum eſt ſaltem confuſe, nempe in ejus periculo directe volito. Hinc homo ob talem ignorantiam ut peccatum aggravantem arguitur Pſal. 35. *Noluit intelligere, ut bene ageret.* Præterea talis ignorantia in ordine ad imputabilitatem in æſtimatione prudenti æquivalet certæ ſcientiæ.

Quæſt. V. *An ignorantia invincibilis cujuſvis Legis etiam naturalis, excuſat a peccato formali ſeu imputabili?*

*Reſp.* Affirm. (Vid. N. 199. 202.) Conſtat 1. ex S. Auguſt. lib. 3. de lib. arb. c. 19. *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, ſed quod negligis quærere quod ignoras.* Hinc paullo poſt docet ea, quæ male fiunt ex tali ignorantia juris naturalis, non eſſe niſi improprie & metaphorice peccata; ſicut lingua græca vel latina non dicitur niſi improprie lingua. 2. Ex S. Th. 1. 2. q. 76. art. 3. *Si ſit ignorantia, quæ omnino ſit involuntaria, ſive quia eſt invincibilis, ſive quia eſt ejus quod quis ſcire non tenetur, talis ignorantia omnino excuſat a peccato.* 3. Alexander VIII. damnavit hanc propoſitionem: *Tametſi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipſa non excuſat a peccato formali.* 4. Quia omne peccatum imputabile ut peccatum, eſt eſſentialiter voluntarium ut peccatum ſeu in ratione peccati, ita ut nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium; ut docet S. Auguſt. Nam quod non eſt voluntarium, non poteſt imputari voluntati, cum nullatenus ſit a voluntate. At actus ex ignorantia invincibili factus contra Legem, nullatenus eſt voluntarius prout oppoſitus Legi, & ut peccatum; cum ejus malitia non cognoſcatur, nec cognoſci potuerit, vel in ſe vel in ejus periculo: voluntarium enim eſt id quod eſt a voluntate cum cognitione vel actuali, vel virtuali & interpretativa. 5. Quia alioquin homo teneretur ad impoſſibile, & damnari poſſet, quod non ſervaverit præceptum, quod omnino non potuit ſervare, cum illud non potuerit cognoſcere, nec proinde velle ſervare.

*Obj.* 1. Ignorantia juris naturalis fuit voluntaria in cauſſa ſua, nempe in peccato originali, & voluntate (Vid. N. 128. 199.) Adami. *Reſp.* 1. Alexander VIII. damnavit hanc propoſitionem: *In ſtatu naturæ lapſæ ad peccatum mortale & demeritum ſufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in cauſſa ſua, peccato originali, & voluntate Adami peccantis.* 2. Cum ad omne peccatum requiratur voluntarietas & libertas, ad omne peccatum perſonale requiritur voluntarietas & libertas perſonalis. 3. Alioqui ea, quæ male fiunt in phreneſi, & amentia, imputarentur ad culpam, cum utraque ſit effectus peccati originalis, ſicut ignorantia.

*Obj.* 2. Ex reg. jur. *Ignorantia facti, non juris excuſat.* *Reſp.* Hoc intelligi debet quoad præſumptionem fori externi, in quo non præſumitur quis ignoraſſe inculpabiliter, quod debuit ſcire: non autem quoad forum internum.

*Obj.* 3. Conc. Palæſtinum damnavit hanc propoſitionem Pelagii: *Oblivionem & ignorantiam non ſubjacere peccato: quoniam non ſecundum voluntatem, ſed ſecundum neceſſitatem eveniunt.* *Reſp.* Ibi agitur de oblivione & ignorantia vincibili, ſed quæ non eſſet affectata, & directe procurata. Nam Pelagius docebat omnem ignorantiam, quæ non eſſet affectata, ſeu directe volita, vacare culpa, quia ex neceſſitate ſeu ex conditione naturæ, & innata infirmitate evenit: quod falſum eſt: nam ignorantia non affectata, nec directe volita, ſed quæ adhibita mor-

(1) *Loquendo de operabilibus, non de credibilibus. Vid. N. 212.*



-rali diligentia vinci poteſt & debet, culpabilis eſt, cum ſit indirecte, ideoque ſufficienter voluntaria in negligentia addiſcendi. Et quamvis non oriatur a voluntate eam procurante, ſed ex neceſſitate; tamen ejus perſeverantia volita eſt indirecte in omiſſione voluntaria diſcendi; nec hæc ignorantia tunc neceſſario manet niſi neceſſitate conſequente.

*Obj.* 4. S. Auguſt. variis locis. *Reſp.* in iis locis qui objici ſolent, loquitur de ignorantia vincibili, ſaltem cum ordinariis gratiæ auxiliis, & quæ oratione ac diligentia morali expelli poteſt. Similiter explicabis textus, qui ex S. Hieron. & aliis Patribus objici poſſunt.

Ex dictis collige (Vid. N. 94.), non excuſari in actu niſi malitiam invincibiliter ignoratam, non autem quæ fuit cognita, vel vincibiliter ſolum ignorata. Hinc occidens hominem quem invincibiliter ignorat eſſe Clericum, reus eſt homicidii, non ſacrilegii.

*Nota.* Moralis malitia actus voluntatis duplex eſt (Vid. N. 290.), nempe materialis, & formalis. Malitia materialis conſiſtit in difformitate ac diſconvenientia actus cum natura rationali, & Lege divina. Formalis eſt materialis malitiæ imputabilitas ad vituperium, & pœnam. Quod ſi actus diſconveniens naturæ rationali, & Legi, fiat libere & cum cognitione, vel ſaltem cum ignorantia aut inadvertentia culpabili malitiæ, hoc ipſo malitia actus interni imputabilis eſt ad vituperium & pœnam; & ſic actus eſt complete ac ſimpliciter moralis. Si autem non ſic fiat; malitia materialis non poteſt imputari ad vituperium & pœnam, & ſic actus non eſt niſi inchoate & ſecundum quid moralis. Nam actus malus adæquate moralis, eſt actus diſconveniens naturæ rationali & Legi, imputabilis ad vituperium & pœnam. Porro præter utramque actus interni malitiam eſt etiam malitia objectiva, quæ eſt ſpecialis difformitas ac diſconvenientia, quam habet objectum cum natura rationali, & Lege divina.

Quæſt. VI. *An datur ignorantia invincibilis juris naturalis?*

*Reſp.* 1. Non datur neque circa prima principia morum: quippe quæ ſunt per ſe nota, & cuilibet rationis compoti per ſe obvia: qualia ſunt iſta: *Bonum eſt faciendum: malum fugiendum: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; Deus eſt colendus & amandus &c.* Neque etiam circa præcepta, quæ vel per ſe nota ſunt, vel (*) facile ex per ſe notis colliguntur, cujuſmodi ſunt præcepta Decalogi, ac ſimilia: tum quia & facili diligentia cognoſci poſſunt; & natura ipſa ac conſcientia, inquit Suarez, ita pulſat in actibus eorum, ut non permittat ea inculpabiliter ignorari: Tum quia Apoſtolus, ad Roman. 1. & 2. ait, gentiles contra iſta peccantes eſſe dignos morte, & inexcuſabiles, & perituros, habereque opus Legis ſcriptum in cordibus ſuis.

*Reſp.* 2. Datur in aliquibus ignorantia invincibilis circa quædam præcepta particularia juris naturalis valde abſtruſa, & remota a principiis. *Eſt communis ſententia.* Prob. 1. Experientia. Nam Theologi etiam ſanctiſſimi, & doctiſſimi, veritatiſque ſtudioſiſſimi, paſſim in re ad jus naturale pertinente inter ſe diſſident, alii affirmando, alii negando aliquid eſſe contra jus naturale, quorum proinde aliqui errant: cum ex duabus opinionibus contradictoriis unam eſſe falſam neceſſe ſit. At hi non errant niſi invincibiliter, cum orationem, diligentiam debitam, & alia media ad aſſequendam veritatem neceſſaria adhibuerint. 2. S. Thomas, & S. Bonaventura de multis ad Legem naturalem pertinentibus inter ſe diſſident. Ergo alteruter erravit in materia Legis naturalis; & tamen neuter ullam opinionem ante mortem retractavit. Ergo ſi non datur ignorantia invincibilis Legis naturalis in aliquibus, alteruter in gravi peccato mortuus eſt, cum ſit gravis culpa docere culpabiliter errorem circa præcepta divina; ſicque damnatus eſt. 3. Quia cum aliqua præcepta ſint valde abſtruſa, & remota a primis principiis, a quibus ſine longo ac difficili diſcurſu deduci nequeunt, facile ignorari poſſunt invincibiliter; præſertim a rudioribus, & hominibus tardioris ingenii, qui non ſunt moraliter capaces longioris diſcurſus, & quibus etiam ſine illorum culpa poſſunt deeſſe occaſiones & opportunitates ad comparandam notitiam veritatis. 4. Quia inter varios articulos hic ordine tertius, teſte P. de la Croix, confixus eſt Romæ, an. 1685. die 8. Aug. *Nullam admittimus ignorantiam invincibilem juris naturæ in ullo homine, dum hic & nunc contra jus naturæ agit.*

*Nota.* Fallitur Lacroixius ſcribens Romæ anno 1685. ſupra relatam propoſitionem fuiſſe proſcriptam. Prohibitus fuit libellus anonymus plures continens theſes, in quo etiam propoſitio illa reperitur; ſed quis inde inferat fuiſſe propoſitionem damnatam, quam deinceps tot graviſſimi Theologi propugnaverunt? Nullam enim eſſe admittendam juris naturæ ignorantiam invincibilem docuere Marius Diana, Noriſius, Palancus, Ginnet; ac alii bene multi Auctores Catholici etiam hac noſtra ætate tuentur.

Quæſt. VII. *Quid dicendum de inadvertentia, inconſideratione, & oblivione?*

*Nota.* Inadvertentia eſt privatio actualis attentionis. Inconſideratio eſt privatio debitæ inſpectionis. Oblivio eſt privatio recordationis rei alias notæ. Unde differunt ab ignorantia habituali, quæ eſt privatio ſcientiæ habitualis. Poſſunt tamen comprehendi ſub nomine communi ignorantiæ actualis, quatenus ſunt privatio debitæ cognitionis actualis.

*Reſp.* Illæ eodem modo ſe habent ad peccatum, quo ipſa ignorantia habitualis; ita ut harum quælibet vincibilis, ſit peccatum ſecundum ſe; & actio vel omiſſio mala, quæ ex illa ſequitur, deputetur ad culpam; ſecus, ſi invincibilis ſit. Quia ad voluntarium & involuntarium ſe habent inadvertentia, inconſideratio, & oblivio perinde ac ignorantia habitualis. Nam ſicut cognitio habitualis non dirigit immediate actum voluntatis, ſed ſolum mediante cognitione actuali proponente objecta: Ita nec quidquam facit ignorantia habitualis, niſi ratione ignorantiæ actualis, ſeu privationis cognitionis actualis.

Quare inadvertentia & inconſideratio vincibilis, quæ ſcilicet potuit & debuit vitari, eſt peccatum. Nam homo tenetur conſiderare & prudenter procedere in actibus ſuis, & quodlibet præceptum obligat ad adhibendam advertentiam ac conſideratio-nem

(*) *Facile ſive immediate.*

nem, utpote neceſſariam ad ſui obſervationem. Et vero quæ ex illa fiunt contra Legem, ſunt peccata imputabilia: quia non tollit voluntarium indirectum & interpretativum, quippe ſunt voluntaria etiam ut peccata in ipſa inadvertentia ſeu inconſideratione, quæ potuit, & debuit vitari. E contra ſi ſit invincibilis in homine habente cognitionem habitualem debitam, eſt prorſus inculpabilis, & excuſant a peccato ea quæ ex illa fiunt contra Legem; quia malitia actus tunc nullatenus, ne interpretative quidem, eſt voluntaria, nam ſine poteſtate cognoſcendi non poteſt eſſe volitio.

Porro inadvertentia ſeu inconſideratio culpabilis poteſt eſſe voluntaria. 1. In ſe ipſa, quando adeſt illa reflexio intellectus advertentis eſſe amplius conſiderandum, aut inquirendum, & voluntas vult agere ſine majore conſideratione. 2. In alio, nempe vel in actu poſitivo, quo quis vult aliud quod advertentiam impediat, v. g. ſequi paſſionem: vel in omiſſione diligentiæ, quæ poſſet & deberet adhiberi vel in aliquo defectu habituali non ignoto, v. gr. in nimia præcipitatione in agendo, in negligentia ordinaria in attendendo, in prava conſuetudine, quam quis emendare non curat.

## CAPUT V.

### *De Concupiſcentia, & peccatis infirmitatis, malitiæ, & habitus.*

Quæſt. I. AN *motus Concupiſcentiæ ſunt peccata?*

*Reſp.* 1. Inordinati concupiſcentiæ motus, ſi libera voluntate excitentur, ſunt peccata mortalia in materia gravi, & venialia in levi. Quia ſunt inordinati & plene voluntarii, ac liberi. Ergo nil illis deeſt ad culpam materiæ commenſuratam.

*Reſp.* 2. Inordinati concupiſcentiæ motus, quamvis a dæmone excitati, vel ſua ſponte neceſſario exurgentes, accedente aliqua advertentia imperfecta, & conſenſu voluntatis imperfecto, ſunt peccata venialia: quia homo non poteſt abſque culpa ullatenus, etiam imperfecte, admittere vel approbare quod ex ſe malum ac inordinatum eſt, & diſconvenit naturæ rationali. Non ſunt tamen mortalia, etiamſi ſint de ſe graviter illicita, propter imperfectionem actus. Accedente vero perfecta advertentia; ſi voluntas eos velit vel approbet, ſunt peccata mortalia, ex *Reſp.* 1. Quia mortale eſt velle perfecte, & approbare quod graviter ex objecto inordinatum eſt, & dedecet naturam rationalem; hoc enim a Deo graviter prohibitum eſt.

*Reſp.* 3. Motus indeliberati concupiſcentiæ, rationem ac voluntatem prævenientes, licet graviter inordinati, non ſunt peccata imputabilia, nullo accedente voluntatis conſenſu, etiam interpretativo. Conſtat, 1. Ex Conc. Trid. ſeſſ. 5. cap. 5. docente concupiſcentiam non poſſe nocere non conſentientibus, quinimmo coronatum iri, qui legitime certaverit. 2. Ex his Baji propoſitionibus (Vid. N. 128.) damnatis a Pio V. & Gregorio XIII. 50. *Prava deſideria, quibus ratio non conſentit, & quæ homo invitus patitur, ſunt prohibita præcepto, non concupiſces.* 51. *Concupiſcentia ſive Lex membrorum, & prava ejus deſideria, quæ inviti ſentiunt homines, ſunt vera Legis inobedientia.* 3. Quia tales motus nullo modo ſunt voluntarii ac liberi, voluntate ac libertate perſonali requiſita ad demeritum perſonale; non enim poſſumus pro arbitrio voluntatis noſtræ illos non habere. (Vid. N. 220. uſq. ad 237.)

*Nota.* Idem dici debet de omnibus pravis cogitationibus, & aliis motibus internis graviter ex objecto malis. Nam ſi actus illi ſint penitus indeliberati ac involuntarii etiam in cauſſa, & a voluntate improbentur, nullatenus ſunt peccata, quia nullatenus ſunt voluntarii. Quod ſi ſint imperfecte deliberati ac voluntarii, ſunt peccata venialia ob imperfectionem actus: ſi vero plane deliberati ſint & approbentur a voluntate, ſunt peccata mortalia in materia gravi, quia ſunt plene voluntarii, & graviter mali.

Quæſt. II. *An paſſio ſeu motus vehemens concupiſcentiæ tollit peccatum, vel malitiam ejus minuit?*

*Reſp.* 1. Eſt peccatum obſequi paſſioni, etiam antecedenti, hoc eſt, quam voluntas non excitat ſeu imperat, quando non tollit uſum rationis, nec omnem deliberationem. Conſtat, 1. Ex Daniel. 13. *Concupiſcentia ſubvertit cor.* Et ad Rom. 7. *Paſſiones peccatorum operabantur in membris noſtris, ut fructificarent morti.* Et Ezech. 15. *Ne ſequaris concupiſcentiam cordis tui: Deus enim vindicans vindicabit.* Hinc illud Galat. 5. *Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis.* 2. Quia eſt quid inordinatum; & tunc eſt liberum, nam voluntas poteſt ei non obſequi. (Vid. N. 229. uſq. ad 235.)

Tamen paſſio illa antecedens minuit malitiam peccati. *Ita S. Th.* 1. 2. *q.* 77. *art.* 6. Quia minuit cognitionem, ac deliberationem requiſitam ad libertatem, ideoque libertatem. Nam facit ut objectum delectabile appareat magis conveniens, & ut intellectus magis conſideret rationem boni delectabilis, quam rationem illiciti, quæ voluntatem a conſenſu avertere poſſet.

Sed non ita malitiam minuit, ut ex mortali veniale faciat in motibus deliberatis, ut quando ex paſſione aliquis procedit ad actum peccati, vel ad conſenſum deliberatum: quia tunc voluntas poteſt ſimpliciter non conſentire, & non obſequi paſſioni, cum habeat ſufficientem ad id deliberationem. Ita *S. Th. art.* 8.

Si vero talis paſſio tollat totaliter (Vid. N. 235. 236. 239.) uſum rationis, vel advertentiam omnem impediat, impedit peccatum: quia tunc id quod ex illa fit, non eſt liberum, nec voluntarium in ſe, neque in ſua cauſſa. Si tamen motus illi fuerint voluntarii in cauſſa, in qua prævideri potuerint, ut in ebrietate, tunc actus mali ex iis ſequentes imputantur ad culpam, cum ſint indirecte & interpretative voliti.

*Reſp.* 2. Paſſio conſequens (1), ſeu libere excitata, vel voluntaria in prava conſuetudine non retractata, non minuit, ſed potius auget peccatum, quod ex illa fit: quia non minuit, ſed auget voluntarium & intenſionem affectus. Ita *S. Th. art.* 6. inde inferens: *Et ſic verum eſt, quod quanto aliquis majori libidine vel concupiſcentia peccat, tanto magis peccat.*

(1) *Quod ſpectat* conſequentem *concupiſcentiam, Vid. N.* 238.



Quæſt. III. *Quod & quale eſt peccatum infirmitatis & malitiæ?*

*Reſp.* 1. Peccatum ex infirmitate eſt illud, quod procedit ex paſſione antecedente, ſeu quæ non eſt voluntaria in ſe, nec in cauſſa, puta in prava conſuetudine, efficaciter non retractata, nec tamen tollit libertatem. Peccatum ex malitia eſt illud, quod fit ex pura libertate, ſive quod neque ex ignorantia indirecte tantum volita, neque ex paſſione antecedente committitur, ſed ex mera electione voluntatis: & ſic nihil habet quo minuatur ejus malitia. Unde peccatum procedens ex ignorantia affectata (Vid. N. 220.), vel ex paſſione libere excitata, eſt etiam peccatum ex malitia, aut ei æquivalet, cum ejus prima radix ſit ſola prava voluntas, quæ paſſionem vel ignorantiam procurat, nec minuit libertatem.

*Reſp.* 2. Peccatum ex infirmitate ſeu paſſione ex ſuo genere gravius eſt, quam peccatum ex ignorantia non affectata. Quia talis ignorantia minuit liberum & voluntarium; at paſſio antecedens minuit quidem liberum, ſed auget voluntarium, nam auget voluntatis intenſionem ac conatum. Omnium vero, ceteris paribus, ex ſuo genere graviſſimum eſt peccatum ex malitia, quia omnium maxime voluntarium & liberum eſt.

Quæſt. IV. *An peccata commiſſa ex prava conſuetudine, quam quis emendare non curat, æquivalent peccatis malitiæ?*

*Reſp.* Affirm. (Vid. N. 240. uſq. ad 248.) Ita S. Th. 1. 2. q. 78. art. 2. ibi: *Manifeſtum eſt, quod quicumque peccat ex habitu, peccat ex certa malitia.* Quia peccans ex habitu, peccat ex majore inclinatione & intenſione voluntatis. Nam, ut ait S. Thom. habitus vertitur in naturam. Nec conſuetudo tollit deliberationem ſaltem citam, quæ ficuti ad recte agendum, ita ad actu peccandum ſufficit, licet ſit imperceptibilis ob facultatem & promptitudinem agendi, ut patet in homine aſſueto ad amandum Deum, qui audito ejus nomine ſtatim prorumpit in amorem ex cita deliberatione, ut notat Suarez. Et quamvis peccaret ex minus perfecta deliberatione, hoc tamen non minuit ejus malitiam: quia defectus ille eſt ei voluntarius in cauſſa, nempe in conſuetudine non retractata efficaciter, & in negligentia illam tollendi. Quam ſtulte igitur aliqui conantur excuſare ſua peccata, eo quod ex pravo habitu oriantur, cum inde augeantur! Unde Concil. Later. III. c. 7. ait: *Tanto graviora ſunt crimina, quanto diutius animam infelicem tenuerint.*

Quæſt. V. *Ad quid tenetur implicatus conſuetudine peccandi mortaliter?*

*Reſp.* Tenetur ſub mortali illam efficaciter retractare & emendare. *Eſt communis ſententia.* Quia mala conſuetudo eſt occaſio proxima & periculum morale peccandi, immo & neceſſitas quædam moralis, in quam homo voluntarie ſe conjecit: *Dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas*, ait S. Auguſt. lib. 8. Conf. c. 5. Mala quippe conſuetudo vehementer pertrahit ad ſimiles actus malos. At quiſque ſub mortali tenetur vitare, & a ſe removere occaſionem proximam, ac morale periculum peccandi mortaliter, cum teneatur velle efficaciter vitare peccatum, alioqui cenſetur velle, ſaltem interpretative, peccatum. Immo talis toties actu peccat, quoties ad pravam illam conſuetudinem advertens, non proponit efficaciter illam corrigere. Nam tunc voluntarie retinet in ſe occaſionem proximam peccati, & vult ſaltem interpretative in morali periculo peccandi immorari, adeoque vult ipſum peccatum. Adde quod pravus habitus, quem non ſtatim curat evellere, neceſſitatem moralem peccandi augeat; & pariat cordis duritiam, obſtinationem, deſperationem, ac demum impœnitentiam finalem.

Hæc procedunt etiam de conſuetudine circa actus quoſdam malos externos, v. gr. blaſphemiam, juramentum falſum, licet abſque advertentia & animo blaſphemandi aut jurandi prolata. Nam ex communi ſententia, gravis eſt obligatio etiam ejuſmodi conſuetudinem tollendi, quia (ut ait Delugo) talia verba, etiam ſic prolata, habent gravem turpitudinem ac difformitatem objectivam, ob quam graviter diſconveniunt naturæ rationali, & ratione cujus homo tenetur ea non velle neque in ſe, neque in cauſſa: quippe exterius ſonant blaſphemiam, aut juramentum, & eum ſenſum generant apud audientes. Igitur ſicut illicitum eſt Deum blaſphemare, vel adducere in teſtem falſitatis, aut cum periculo falſitatis, & uſurpare verba, quæ exterius ſonant & ſignificant audientibus blaſphemiam vel perjurium; ita illicitum eſt velle in cauſſa ponere illos actus; & præcipitur deſtructio cauſſæ illorum, nempe conſuetudinis, quæ conſuetudo voluntarie permiſſa; eſt grave peccatum. Non velle autem efficaciter illam emendare, eſt velle indirecte & ſaltem interpretative actus illos illicitos ex ea ortos. Adde quod iſta grave ſcandalum parere apta ſint.

Item motus alii ſubiti graviter inordinati, qui ex prava conſuetudine quaſi inadvertenter accidunt, non excuſantur a mortali, quamdiu non adhibetur diligentia & conatus ut præcaveantur, & conſuetudo corrigatur. Quia ſi non in ſe, certe in cauſſa, nempe in mala conſuetudine non retractata, vel negligentia, ſufficienter noti & voluntarii ſunt.

## CAPUT VI.

### *De Peccatis mere internis, quæ ſcilicet conſiſtunt in ſolis actibus internis, abſque ullo opere & ſigno externo.*

NOta. Actus voluntatis generatim dividitur (V. N. 99.) in proſecutivum, & adverſativum. Proſecutivus circa objectum illicitum triplex eſt: Primus eſt volitio efficax objecti, qua voluntas vult adhibere media, quæ ſunt in ejus poteſtate ad illud objectum aſſequendum, ſeu opus volitum exequendum. Secundus eſt deſiderium, ſed inefficax. Tertius eſt ſimplex delectatio, ſeu mera complacentia de objecto ſeu opere apprehenſo, abſque propoſito exequendi & deſiderio aſſequendi, quæ eſt ſimplex quidam voluntatis affectus, quo res apprehenſa tamquam jucunda placet, & grata atque accepta habetur.

Quæſt. I. *An & quale peccatum eſt deſiderium operis ſeu objecti mali?*

*Reſp.* Quodlibet deſiderium rei vel actionis malæ, etiam inefficax, illicitum eſt, utpote prohibitum præ-

præcepto, *Non concupiſces*: juxta ſenſum Eccleſiæ; & habet malitiam mortalem vel venialem, ac eamdem ſpeciem, quam habet res vel actio in quam fertur. *Ita omnes*. Conſtat ex Pſ. 15. *Abominatio Domini cogitationes malæ*. Ex Pſ. 10. *Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam*. Et Oſee 9. *Facti ſunt abominabiles ſicut ea, quæ dilexerunt*. Quod indefinite ac generatim dictum intelligi debet de omni affectu etiam inefficaci, cum hic etiam tendat in objectum ſuum. Quia turpe ac inhoneſtum eſt velle & deſiderare quovis modo aliquid turpe ac illicitum. Item omnis affectus proſecutivus circa aliquid graviter malum, graviter diſconvenit naturæ rationali, & Legi divinæ prohibenti tale objectum; ſumitque malitiam ac ſpeciem ab objecto malo, ratione cujus opponitur rectæ rationi & Legi: objectum autem voluntatis eſt id omne, in quod ipſa fertur. Et vero ad mortale non requiritur conſenſus efficax in opus: alioquin approbans crimen alterius, ſine voluntate illud patrandi, non peccaret mortaliter, contra illud ad Rom. 1. *Digni ſunt morte, non ſolum qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus*.

Hinc deſiderium licet inefficax occidendi, fornicandi &c. eſt peccatum mortale injuſtitiæ, luxuriæ &c. Deſiderium vero leviter nocendi proximo, eſt veniale. Nam omnis actus internus ſumit malitiam & ſpeciem ab actu externo tamquam objecto. (Vid. N. 282. 382.)

Quæſt. II. *an actus externus auget malitiam actus interni* (1)?

*Reſp*. 1. Actus externus per ſe non auget bonitatem vel malitiam formalem ſeu imputabilem volitionis efficacis, quia ſcilicet fit id omne quod eſt in poteſtate voluntatis. *Eſt communis ſententia*. Prob. 1. Ex Geneſ. c. 22. *Quia feciſti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi &c.* Et Matth. 5. *Omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo*. Ubi voluntas ſola pro facto reputatur. 2. Ex S. Aug. in Pſ. 57. *Quidquid vis, & non potes, factum Deus computat*. Et lib. 1. de lib. arb. c. 3. *Si cui etiam non contingat facultas concumbendi cum conjuge aliena, planum tamen aliquo modo ſit id eum cupere, & ſi poteſtas detur facturum eſſe: non minus reus eſt, quam ſi in ipſo facto deprehenderetur*. 3. Quia actus externus non habet ullam imputabilitatem ad meritum & demeritum ſibi propriam, & diſtinctam ab imputabilitate actus interni: nam non habet libertatem nec rationem voluntarii diſtinctam a libertate actus interni, a quo imperatur, cum immediate procedat a potentia neceſſaria, & non ſit liber, niſi quia imperatur ab actu interno. 4. Quia cum actus internus efficax eſt, ſi actus externus non ponitur, ideo non ponitur quia deeſt poteſtas illum ponendi, ac proinde quod tunc non ponatur actus externus, eſt omnino involuntarium. At quod eſt prorſus involuntarium, non minuit imputabilitatem ſive ad laudem & præmium, ſive ad vituperium & pœnam, ut docet S. Th. 1. 2. q. 20. art. 4. & per ſe patet.

Nihilominus actus externus plura affert commoda, ſi bonus eſt: nam parit ædificationem, & quandoque etiam gratiam confert, ut Sacramentum & martyrium. Si vero malus eſt, plura affert incommoda; nam parit ſcandalum, infamiam, obligationem reſtituendi, & ſubjicit pœnis humanis ac cenſuris.

*Reſp*. 2. Actus externus ſæpiſſime auget per accidens, ſeu occaſionaliter bonitatem vel malitiam actus interni, a quo imperatur: quia ſæpiſſime eſt occaſio, cur augeatur bonitas aut malitia actus interni, vel multiplicetur actus internus; aut diutius duret. Nam actus internus in executione intenditur propter arduitatem aut delectationem ortam ex actu externo; vel continuatur diutius propter longiorem temporis moram neceſſariam ad perficiendum opus externum, vel ob utramque cauſſam ſæpius iteratur. Hinc S. Aug. l. 13. de Trin. c. 5. ait: *Mala voluntate vel ſola quiſque miſer efficitur, ſed miſerior poteſtate, qua deſiderium malæ voluntatis impletur*.

Quæſt. III. *An deſiderium conditionatum, ſeu conſenſus conditionatus in opus malum, vel delectationem illius, eſt peccatum, & quale?*

*Reſp*. 1. Deſiderium conditionatum rei vetitæ, per ſe loquendo, non eſt mortale, ſi conditio appoſita aufert totam, vel ſaltem gravem operis malitiam. *Eſt communis ſententia*. Quia talis affectus non eſt graviter inordinatus, neque ſecundum ſe, neque ex objecto, a quo per conditionem gravis malitia vere excluditur. Non eſt autem per ſe peccatum deſiderare præciſe objectum, a quo vere ſublata eſt malitia.

Si tamen, ut ſæpe fit, inducat periculum probabile conſenſus abſoluti, erit mortale ratione talis periculi. Quia mortale eſt ſe exponere periculo probabili peccandi mortaliter: nam eſt velle interpretative mortale peccatum. Immo ſecluſo tali periculo, ejuſmodi deſideria raro vacant culpa ſaltem veniali, ratione inutilitatis, otioſitatis, aut alicujus inordinati affectus.

Quod ſi conditio non aufert malitiam, tale deſiderium vel delectatio in re gravi eſt culpa mortalis, in levi venialis. Quia talis affectus tendit in objectum malum, & quidem abſolute, cum appoſita conditio non vere tollat malitiam ab objecto, etiam ut repræſentato; & ſic malitia objecti in actum voluntatis tota transfunditur. Sive tunc eſt affectus admittendi malum, vel delectatio de illo, remanente tota objecti malitia.

Conditio autem aufert malitiam mortalem objecti, quando vel reipſa ſubeſt, vel poſſibilis eſt, &, ea poſita, res ſeu actio non eſt amplius mala ſaltem graviter, ut contingit. 1. In iis quæ ſolo jure poſitivo vetita ſunt. Hinc non peccat mortaliter, qui dicit: Vellem comedere, ſeu comederem carnes die Veneris, ſi Eccleſia non vetuiſſet, vel optarem ne eſſet hodie prohibitus uſus carnium, ut illis veſci poſſem. 2. In prohibitis quidem jure naturali, ſed licitis tamen in aliqua circumſtantia, ſi hæc pro conditione apponatur, v. g. Si eſſem judex, hunc homicidam morte mulctarem &c. Recte tamen monent ejuſmodi deſideria eſſe periculoſa & vitanda, atque (ut ait Cajet.) fatuas ac diabolicas tentationes. Et revera ſunt plerumque occaſio peccati, præſertim in materia periculoſa, ut ex multorum lapſu conſtat, ſi dicas; Vellem uxorem ducere, ſi non eſſem Sacerdos.

At

(1) *Vid. Tract.* Act. Human. c. 3. *art.* 7. *& N.* 384. *uſq. ad* 390.



At malitiam non tollit conditio, quando ea appoſita adhuc manet objectum graviter inordinatum, ut ſi dicas: Vellem fornicari, ſi non eſſet infernus; Inimicum occiderem, ſi non eſſem Sacerdos. Unde peccas mortaliter perinde ac ſi non poneretur conditio. Item quando conditio per ſe impoſſibilis eſt, ut ſi ea quæ intrinſece mala ſunt, ponantur non eſſe vetita, ut ſi dicas: Vellem furari, ni eſſet peccatum, vel ni Deus prohiberet, nam eſt vere conſenſus in objectum malum, & ut tale cognitum. Immo hoc optare eſt gravis culpa: nam eſt velle ut id quod eſt per ſe malum, ſit licitum, nec a Deo prohibeatur; ac proinde ut ordo naturæ pervertatur, ut lex æterna immutetur, atque ut natura rationalis non ſapienter regatur a Deo: quod deſiderium eſt graviter inordinatum, & pejus eſt quam ſemel furari; nam pejus eſt furtum licere, quam ſemel committi.

*Reſp*. 2. Delectatio (1) appetitus ſenſitivi de objecto graviter malo, etiam ſub conditione, ſub qua eſt licitum, v. g. delectatio carnalis de copula cum femina, ſi eſſet uxor, eſt mortalis, quia appetitus ſenſitivus ſemper fertur in objectum ut eſt in ſe, & omni conditione deſtitutum: nam imaginatio, cujus apprehenſione movetur, quam ſola ſequitur, nullam conditionem apponere poteſt, nec præſcindere malitiam ab objecto. Immo juxta varios, quævis delectatio de objecto intrinſece malo perinde mala eſt, poſita quacumque conditione, ac foret illa ſublata: quia delectatio eſt affectus complacentiæ de objecto ut præſenti, qui unice pendet ex delectabili quod in objecto apprehenditur. Ergo ſi objectum ſit malum, delectatio erit mala. Conditio autem quævis appoſita nil operatur ad delectationem, nec tollit ejus malitiam, niſi tollat rationem quæ delectat, ſeu ipſam delectabilitatem.

Quæſt. IV. *Quænam prohibentur præcepto iſto*: Non concupiſces? (Vid. N. 378. 379.)

*Reſp*. Prohibentur tum quodvis deſiderium, & complacentia objecti ſeu actus mali, & conſenſus pravis concupiſcentiæ motibus; tum etiam deſiderium habendi quodvis bonum proximi, ſive uxorem, ſive ſervum, ſive fundum &c. juxta Deut. 5. *Non concupiſces uxorem proximi tui, non domum, non agrum, non ſervum, non ancillam, non bovem, non aſinum, & univerſa quæ illius ſunt*; ita ut ſit mortale, proximi bonum notabile expetere cum ejus damno, vel appetere proprium commodum aut lucrum cum damno gravi proximi: nam hoc graviter repugnat caritati, vetanti, ne alteri fieri velis quod tibi non vis fieri. Hinc (ut ait Catechiſmus Rom.) *Graviter peccant mercatores, qui rerum penuriam, annonæque caritatem expetunt: atque id ægre ferunt, ut alii præter ipſos ſint, qui vendant aut emant, quo carius vendere, aut vilius emere poſſint. Item qui alios egere cupiunt, ut aut vendendo aut emendo ipſi lucrentur. Medici item, qui morbos deſiderant, judices, advocati, procuratores, ſcribæ, qui cauſſarum litiumque vim & copiam concupiſcunt &c.*

Quæſt. V. *Quale peccatum eſt ſimplex delectatio moroſa, ſeu deliberata rei illicitæ?*

*Reſp*. 1. Delectatio moroſa (2) ſeu deliberate admiſſa, de quolibet objecto vel opere mortaliter malo, eſt peccatum mortale, etiam ſecluſo omni deſiderio, propoſito, conatu & periculo illud efficiendi.

(1) *Duplex delectatio diſtinguenda circa objecta mala; una* abſoluta, *altera* mere conditionata. *Ex. ea. dum Eccleſiaſticus quiſpiam dicit: ſi myſtes non eſſem, connubium inirem cum illa puella, quæ omnium Charitum ſedes fortunata videtur: is dupliciter poteſt eſſe animo affectus: 1. vel dumtaxat cupit delectari de eo connubio, poſita conditione, quod illicitum non eſſet ob votum ſeu legem cælibatus: ceterum actualiter minime delectatur, eo quod reipſa nunc illicitum eſſe competiat. 2. Vel potius optat quidem illicitum non eſſe tale connubium, interim tamen de eo, ſub iſta præciſione apprehenſo, delectatur actualiter. Jam juxta poſteriorem hypotheſim delectatio ſemper peccatum eſt, aut mortale aut veniale, pro varietate rei malæ, de qua cogitando quis delectatur; quia conſenſus præbetur delectationi præſenti, quæ mala eſt, utpote tendens in objectum nunc reapſe malum, ſuaque malitia minime exſpoliatum ob abſtractam illam apprehenſionem. Et de hujus generis delectatione procedit Auctoris reſponſio. Juxta hypotheſim vero priorem delectatio* per ſe *non eſt dicenda mala, niſi forte venialiter ob otioſitatem & vanitatem, vel ſolum* per accidens *poteris eſſe mortaliter mala, ob probabile periculum alterius abſolutæ delectationis. Ratio eſt, quia conſenſus non fertur niſi in delectationem mere conditionatam, quæ non eſt mala, quatenus ei præſtituitur tantummodo objectum, quod interveniente conditione fiat licitum. Et ideo, proprie loquendo, ob defectum hujus conditionis non adeſt in præſenti nec conſenſus, nec delectatio: ſed potius voluntas hominis ita comparati præſumitur refugere objectum, quod nunc eſt, & concipitur ſecundum ſe malum. Igitur, ubi de delectationibus, quæ conditionatæ dicuntur, ferendum eſt judicium, prius examinetur, ad quodnam genus illæ pertineant.*

(2) *Ex Angelico* (1. 2. *q.* 74. *art.* 6.) Delectatio dicitur moroſa, non ex mora temporis, ſed ex eo, quod ratio deliberans circa eam immoratur, nec tamen eam repellit, tenens & volvens libenter, quæ ſtatim ut attigerunt animum, reſpui debuerunt, ut Auguſtinus dicit. *Poteſt igitur etiam citiſſime concipi, & nihilominus* moroſa *vocatur; quatenus ratio illam, poſtquam in animo enatam advertit, non coercet, aut propulſat, ſicuti deberet, ſed circa illam immoratur, & diſſimulanter agit. Tunc namque, ob hujuſmodi diſſimulationem & incuriam, ipſa ratio ponitur in mora (ſicuti in Jure actor, commodatarius, & quilibet alius non explens munus ſuum, quando poteſt debetque, juxta reg. 25. in 6.* mora ſua cuilibet eſt nociva); *id eſt, ſin minus expreſſus, tacitus ſaltem, & interpretativus rationis conſenſus in eamdem delectationem pravam arguitur. Hinc autem Seraphicus* (*in* 2. *ſent. diſt.* 34. *par.* 2. *dub.* 2.) *occaſionem captat explicandi duo hæc; nempe quomodo mora de veniali faciat mortale: & quanta mora temporis ad id requiratur.* Mora temporis, quantum eſt de ſe, non facit, ut quod prius erat veniale, fiat mortale, ſed ſolum occaſionaliter; videlicet quod inducit conſenſum verum, vel interpretativum. Tunc autem inducit conſen-

di; ſumitque ſpeciem & malitiam a tali objecto. *Eſt communis ſententia.* Et conſtat, 1. ex Prov. 2. *Qui lætantur, cum male fecerint, & exultant in rebus peſſimis, quorum viæ perverſæ ſunt, & infames greſſus eorum.* Et Sap. 1. *Perverſæ cogitationes ſeparant a Deo.* 2. Ex S. Aug. l. 12. de Trin. c. 12. *Totus homo damnabitur, niſi hæc quæ ſine voluntate operandi, ſed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi, ſolius cogitationis ſentiuntur eſſe peccata, per mediatoris gratiam remittantur.* 3. Naturæ rationali & legi divinæ diſconvenit ac repugnat, quod voluntas gratum, & acceptum habeat, id quod naturæ rationali diſſentaneum eſt, Deo diſplicet, & ab eo prohibetur. Ergo eſt peccatum grave vel leve, pro gravitate vel levitate malitiæ objecti. 4. Delectatio deliberata de objecto malo eſt effectus complacentiæ, & inclinatio appetitus in illud; nemo enim delectatur de eo, quod non amat. At omnis affectus in rem vel actionem mortaliter malam eſt mortalis, nam graviter naturæ rationali ac Legi divinæ adverſatur, & ſumit totam objecti (Vid. N. 282. 382.) malitiam, ex Oſee 9. *Facti ſunt abominabiles, ſicut ea, quæ dilexerunt.* Ergo. 5. Ita S. Th. 1. 2. q. 74. art. 8. *Nullus delectatur*, inquit, *niſi in eo, quod eſt conforme appetitui ejus. Quod autem aliquis ex deliberatione eligat, quod affectus ſuus conformetur his, quæ ſecundum ſe ſunt peccata mortalia, eſt peccatum mortale. Unde talis conſenſus in delectationem peccati mortalis, eſt peccatum mortale.* Idque verum eſt, quamvis delectatio ſit propter bonum finem, quia finis (Vid. N. 310. 311. 312.) quantumvis bonus non tollit malitiam objecti (1).

Hinc mera complacentia de actu ſeu objecto mortali contra juſtitiam, v. g. de furto, vel homicidio a ſe aut ab alio patrato, eſt peccatum mortale contra juſtitiam, eſt tamen minus grave, quam ipſe conſenſus efficax in tale opus, ut docet S. Auguſt. loc. cit. Nam conſenſus efficax habet longe plus determinationis. Item mortale eſt contra caſtitatem, gaudere ſe amari amore libidinoſo ab alio, quamvis non ſic redamato. Delectatio vero de actu vel objecto veniali eſt venialis.

Non eſt tamen mortale, gaudere præciſe de objecto ex ſe non malo, ſed ſola Lege poſitiva vetito, quatenus non eſt de ſe malum, v. g. de cogitato eſu carnium die Veneris, non ut tali die poſito aut ponendo. Nam neque objectum illud de ſe illicitum eſt, neque ipſe actus delectationis mere internæ eſt prohibitus ab Eccleſia. Hæc tamen delectatio eſt venialis, quia includit affectum quemdam intemperantiæ, etiam deformiorem quam ſi alio tempore contingeret.

*Nota.* Deliberata triſtitia ſeu diſplicentia de opere bono eſt peccatum. Nam opponitur virtuti, cujus eſt actus; & naturæ rationali ac Legi divinæ diſconvenit odiſſe bonum, & amare malum ei oppoſitum, gaudere de malo, & dolere de bono ejus contrario.

*Reſp.* 2. Eſt mortale, gaudere de actu ex ſe mortali, ſed qui a culpa excuſatur ratione ignorantiæ invincibilis, vel defectu libertatis; ut de homicidio in ſomno patrato, de violatione jejunii ex ignorantia &c. *Ita Suarez, Azor, Sanchez, & alii.* Quia eſt declaratio voluntaria de objecto graviter illicito, cum talis actus ſit ex objecto mortalis. Nec delectatio excuſari poteſt: nam ideo actus non fuit culpabilis, quia non fuit voluntarius. Sed nunc voluntas libere eum approbat, & de eo gaudet ſine ignorantia; quod graviter diſconvenit naturæ rationali ac Legi. Quare hæc regula. *Talis eſt delectatio, quale ejus objectum*, intelligi debet, quando eadem cauſſa opus excuſans reperitur in delectatione.

*Reſp.* 3. Ex communi ſententia, delectatio deliberata de ſolo (1) modo artificioſo patrandi malum, qui ex ſe malus non eſt, vel de aliqua ejus circumſtantia inſolita, ſed non mala, per ſe loquendo non eſt mortalis. Quia, 1. in parabola, Luc. 16. *Laudavit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter feciſſet.* 2. Ex ſenſu communi hominum, qui crimini non vertunt, quod quis delectetur de modo, quo ebrius tremule incedit; quo quis ex equo decidit; vel de induſtria, qua fur ſubtiliter crumenam emungit &c. & aliis non malis circumſtantiis actuum malorum, qui ſimul quoad ſubſtantiam diſplicent. 3. Objectum talis delectationis non eſt malum.

Poteſt tamen conſenſus in ejuſmodi delectationem eſſe culpa venialis, ratione otioſitatis, curioſitatis, aut ſimilis inordinationis; immo & mortalis, ratione ſcandali, vel periculi conſentiendi in delectationem de ipſo actu malo. Quod ſi circumſtantia vel modus eſſet malus, non liceret de eo delectari (2).

Quæſt. VI. *An licet gaudere de effectu bono ſecuto ex peccato?*

*Reſp.* Per ſe loquendo licet, non tamen prout eſt

---

ſenſum verum, quando ex diuturnitate delectationis creſcit libido, adeo ut homo velit omnino in vitiorum delectatione perſiſtere, & morari. Tunc vero inducit conſenſum interpretativum, quando homo advertens periculum delectationis retentæ, negligit eam reprimere; hoc enim non eſt abſque contemptu ſalutis propriæ, pro eo quod diſcrimini ſe exponit. Quanta vero mora hoc faciat, in generali determinatur, quod tanta, in qua adeo creſcit delectatio, & libido, quod ſuperveniat conſenſus: quod aliquando eſt majoris, aliquando eſt minoris ſpatii, ſecundum diverſos ſtatus, & conditiones perſonarum. Unde hoc non determinat ſcientia, vel lectio, ſed potius conſcientia recta, & punctio.

(1) *Ex dictis igitur deprehenditur*, interiorem delectationem moroſam *de aliqua re prava duplicem eſſe poſſe: nempe* voluntatis efficacis, *quando ſimul jungitur cum propoſito perficiendi externum opus cogitatum*, vel complacentiæ ſimplicis, *quando ſejuncta eſt a tali propoſito. Utrovis autem modo ſpectatam peccatum eſſe* lethale, *quoties verſatur circa rem* graviter *malam (quidquid olim contra ſenſerint nonnulli, refutati ab Angelico q.* 25. de Veritate *art. 4. qui ſolius peccati venialis reatum in pura delectatione rei malæ agnoſcebant) invicte probant argumenta Auctoris, tum ab auctoritate, tum a ratione petita. Ex iiſdem pariter argumentis facile detegitur præceptum vetans ejuſmodi delectationes etiam a voluntate operis exequendi ſeparatas; nempe illud ipſum eſt, quo prohibetur nefarium opus, delectationis tempore mente apprehenſum; uti docet Angelicus (q. 15.* de Veritate *art. 4. ad 9.) ita ſcribens:* Conſenſus in delectationem ſi in nullo præcepto ſpeciali prohiberetur, ex hoc ipſo, quod fornicatio prohibetur, prohibentur omnia conſequentia, quæ ad idem genus pertinent. *Statuta theſis complectitur delectationes omnes ad quamlibet promiſcue materiam pertinentes, ut Seraphicus notat (in 2. ſent. diſt. 24. p. 2. dub. 1.)* In omnibus peccatis delectatio moroſa vigilanter, & ſtrenue vitanda. Tamen verbum Auguſtini præcipue videtur intelligi in peccato carnis, quod habet ex carnis incentivo delectationem magis ſibi conjunctam, & ad quam homo facilius incurvatur. *Neminem porro moveat dictum S. Jacobi (cap. 1. verſ. 15.)* peccatum, cum conſummatum fuerit, generat mortem. *Non enim ſignificat, eſſe mortalia ea tantum peccata, quæ exteriori opere complentur (ſecus cap. 3. & 4. non reprehendiſſet adeo graviter* zelum amarum, contentiones, quæ ſunt in cordibus, & duplices animo) *ſed innuit dumtaxat, externa peccata hominem tandem pertrahere ad gehennam, quatenus ubi homo prorupit in opus nefarium, non eſt contentus ſemel illud patraſſe; ſed audacior factus ipſum repetit, ſicque peccandi conſuetudinem contrahit, ob quam tandem ducitur ad æternam mortem. Itaque aliud eſt*, reddere hominem dignum morte, *& aliud*, ducere ad mortem. *Primum præſtant etiam ſolæ delectationes moroſæ, alterum ordinarie efficiunt externa peccata continuata.*

(1) Indicium autem, ex quo conjiciatur, quando quis delectatur de mero artificio, eloquentia, eruditione (*inquit perdoctus P. Cuniliatus Tract.* de Peccat. *c. 1. §. 7. n. 8.*) an vero de re mala artificio adnexa, illud eſſe poteſt: Si ſint alia honeſta, in quibus æqualis, & etiam major eloquentia, eruditio &c. reperitur: & nihilominus eligat legere, videre, audire artificium, eloquentiam &c. in turpibus, & malis; urgens motivum eſt prudenter conjectandi, quod delectetur de turpibus, & non de artificio ſolo in eis reperto.

(2) *Circa* delectationes moroſas *nonnulla ſunt adjicienda textui Auctoris, eaque animadverſione digna.* In primis *ex integra ſerie iſtius qu. 5. ſatis evidens ac certum, interiorem delectationem deliberatam de aliquo objecto malo eamdem moralem ſpeciem participare, quam habet ipſum objectum, circa quod verſatur, ita ſcilicet ut malitiam fornicationis, furti, homicidii induat, ſi de his concipiatur; & eamdem prorſus malitiam (quantum attinet ſimpliciter ad rationem peccati* mortalis, *aut* venialis) *præſeferat, quam habent ex proprio genere ipſa exteriora opera; etſi intra lineam mortalis, venialiſque peccati, minor videatur eſſe quantitas malitiæ in ſola delectatione ſimplicis complacentiæ, quam vel in ipſo opere conſummato, vel in alia delectatione efficacis voluntatis. Sed cum exteriora objecta delectationum internarum multis, variiſque circumſtantiis, interdum etiam ſpeciem peccatorum transmutantibus, affici poſſint, utrum ſimplex delectatio interior ab iiſdem quoque circumſtantiis ſpeciem moralem ſumat, etſi qui ſic delectatur, ipſas per mentis præciſionem minime in objecto interiori attendat, non eſt apud DD. undequaque exploratum. Ex. gr. an delectatio, reſpiciens actum venereum conſummatum circa mulierem aliquam, nedum fornicationis, ſed etiam inceſtus, adulterii, ſacrilegii ſpeciales malitias complectatur, ſi ea mulier, ſit conſanguinea, conjugata, ac per votum ſollemne Deo ſacrata. Et hæc ipſa inquiſitio relativa ad* objectum *delectationis poteſt fieri etiam de* ſubjecto *ejuſdem delectationis: ex. ca. ſi Sacerdotem, aut Religioſum invadat nefaria delectatio de libidinoſis oſculis, aut tactibus alicujus puellulæ, num talis delectatio contineat duplicem ſpecie diverſam malitiam, & incontinentiæ, & ſacrilegii. In iſto poſteriore caſu quin ita ſit, nullum dubium apud cultores ſanæ doctrinæ moralis; ecquis enim prudens a ſacrilegii noxa excuſabit Clericum, aut Monachum hanc ob cauſſam, quia in favenda delectatione venerea ſe expoliavit ſacra dignitate per mentis abſtractionem? In priori quoque caſu affirmat potior TT. pars duce D. Antonino; quoniam etſi ob mentalem illam præciſionem non videatur oblectare expreſſe muliere, qua conſanguinea &c. attamen ſemel ac ex una parte ea qualitates ſunt notæ, & ex alia eadem mulier nihilominus aſſumitur pro objecto delectationis; jam ſaltem implicite & interpretative mulier, ut talibus qualitatibus affecta, videtur eſſe objectum delectationis; maxime cum qualitates ejuſmodi ex ſe potius avocare deberent a delectatione. Tum quia ex Angelico (qu. 15.* de Veritate *ar. 4.)* Delectatio alicujus operationis, & ipſa operatio ad idem genus peccati reducuntur; ſicut & operatio virtutis, & delectatio de eadem ad eamdem virtutem reducuntur. *Si ergo operatio cum tali muliere triplex, aut quadruplex malitiæ genus complectitur ratione diverſarum circumſtantiarum, quæ juxta eumdem Angelicum (1. 2. qu. 18. art. 5.) ubi actibus accedunt, ſpeciem eorum moralem immutare valent; profecto & delectatio de hujuſmodi operatione totum illud malitiæ genus participabit. Hanc ſententiam tuetur etiam Auctor, c. ſeq. art. 4. q. 10.* Secundo loco, *ut de delectationibus moroſis verum, & adæquatum efformari poſſit judicium, præſertim in ordine ad Sacramentum Pœnitentiæ, rectiſſime obſervat Card. Gajet. (Summ.* voce Delectatio (*neceſſariam eſſe* ex duplici capite diſcretionem; ſcilicet ex parte conſenſus, & ex parte actus, de quo fuit delectatio, qui actus dicitur objectum delectationis. *Et ex parte quidem* actus *monet, quatuor diſcernere oportere.* 1. an delectatio ſit de opere cogitato, vel de ipſa cogitatione. 2. an delectatio ſit de ipſo opere malo cogitato, an de modo operandi concogitato. 3. diſcernendum inter cogitatum malum opus ſimpliciter & abſolute, vel relatum ad cogitantem; ſtat enim, quod opus ſit peccatum alicui, & alteri non. 4. diſcernendum inter objectum, & objectum: nam ſi opus cogitatum delectans eſt veniale, delectatio erit venialis; & ſi mortale, mortalis. *Ex parte vero* conſenſus, *cum ab ipſo delectationes denominentur moroſæ, ac vitioſæ (juxta Notam 1. ad præſent. q.) ut ipſo ſecluſo non imputentur ad culpam, quantumvis diuturnæ, & vividæ fuerint (juxta Notam 2. ad ar. 2. c. 2. Tract.* de Act. Human.) *idcirco potiſſime inveſtigandum, num iterum conſenſus adſuerit nec ne. Si de* expreſſo *fiat ſermo, id facile dignoſcetur. Quoad* implicitum *autem, ſeu interpretativum, Angelicus (priori loc. cit.) illud ſuppeditat indicium*, Antequam ratio delectationem perpendat,





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

eſt a peccato : quia objectum talis gaudii non eſt malum, nec proinde ipſum gaudium. Sic Eccleſia gaudet de Redemptione per Chriſtum ſecuta ex peccato Adami : *O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem!*

Quæſt. VII. *An delectatio de ſola cogitatione ſeu cognitione rei graviter illicitæ eſt mortale?*

*Reſp.* Nego (1), modo abſit periculum conſenſus in objectum. Quia rei malæ cognitio, quæ eſt objectum talis delectationis non eſt ſecundum ſe mala; & Deus ipſe cognoſcit omnia mala & obſcœna. Immo hæc cognitio ſæpe eſt neceſſaria vel utilis Confeſſario aut Doctori. Delectatio autem ſpecificatur a ſuo objecto directo, & immediato. Quare ſi cognitio ſeu cogitatio ſit vana vel inutilis, delectatio de ea erit venialis. Si vero cognitio ſit utilis aut neceſſaria, delectatio de ea per ſe non erit culpa. S. Th. 1. 2. q. 74. ar. 8.

Hinc licet gaudere de ſcientia rei obſcœnæ ob bonum finem, puta ad fungendum officio Confeſſarii, Medici. At cognitio rei obſcœnæ ex affectu veniali, puta ex curioſitate, etiam abſente delectatione & periculo omni, eſt venialis; mortalis vero, ſi ſit ex affectu graviter inordinato, vel cum periculo gravi, aut referatur ad finem graviter malum.

CA-

dat, vel nocumentum ipſius, non habet interpretativum conſenſum, etiamſi non reſiſtat: Sed quando jam perpendit ratio de delectatione inſurgente, & de nocumento conſequente, utpote cum percipit homo ſe totaliter per hujuſmodi delectationem in peccatum inclinari, & in præceps ruere, niſi expreſſe reſiſtat, videtur conſentire. Et tunc peccatum ad rationem transfertur per actum ejus, quia agere, & non agere, cum quis agere debet, ad idem genus actus reducuntur, ſecundum quod peccatum omiſſionis ad peccatum actus reducitur. Poſtremo, *ſi vel de conſenſu quomodocumque exhibito, vel alia quavis conditione jam expoſita, exiſtat dubitatio; tunc Seraphici conſilium erit amplectendum, qui de præſenti, alteraque conſimili materia diſputans* (in 2. *ſent. diſt.* 24. *par.* 2. *dub.* 1. & *art.* 1. *qu.*) *hæc ſcribit:* Multa frequenter creduntur eſſe venialia, quæ mortalia ſunt, & difficillimum eſt in talibus diſcernere . . ſi cui hoc contingat, ſanum eſt conſilium, quod de ipſo ut de mortali pœniteat: in dubiis enim ſecurior via eligenda eſt: *Porro quæ huc uſque tum ab Auctore, tum a nobis prolata ſunt, ad delectationes referuntur, quatenus eis homo aſſentitur aliquo modo. Sed quid ſtatuendum, ſi caſus fingatur, in quo homo pravas apprehenſiones, aut delectationes in animo ſuo ſentiens & advertens, mere* negative *ſe habeat, iiſdem ſcilicet nec aſſentiendo, nec diſſentiendo? De hac diverſa quæſtione paulo infra* (*c. ſeq. ar.* 4. *q.* 5.) *fiet ſermo.*

(1) *Ut diſcrimen præſentis qu. a præced. q.* 1. *nitide percipias, hæc conſidera. Pravis animi delectationibus* duplex *præfigi poteſt objectum. Quandoque enim objectum eſt res ipſa inhoneſta, quæ apprehenditur, & apprehenſa delectationem in animo excitat: interdum vero objectum eſt ſola rei illicitæ apprehenſio ſeu notitia, quam habere oblectat, etſi diſpliceat res ipſa apprehenſa. Delectationes habentes objectum prioris generis examinatæ fuerunt in* 5. *illa quæſtione; quæ autem circa poſterioris generis objectum verſantur, ad quæſtionem hanc pertinent, cujus tripartitam reſolutionem Auctor recte aſſignat. Docet videlicet* 1. *cogitationem de re mala, delectationem de tali cogitatione, conſenſum in eamdem delectationem*, per ſeſe *culpa vacare.* 2. *aliquando culpam præſeferre* venialem, *deficiente quavis* neceſſaria, *aut* utili *cauſſa*, 3. *quandoque complecti* mortalem *culpam, accedente* gravi, & probabili *periculo progrediendi ad delectationem noxiam de ipſa re inhoneſta. Audiatur Angelicus, qui claritatis cauſa indicatam gemini objecti diſtinctionem ita proponit* (*q.* 14. de Veritate *ar.* 4.) *differens exempli cauſſa de materia impudica.* Sciendum, quod ſicut ad exteriorem fornicationis actum ſequitur ſua delectatio ſenſibilis, ita ad actum cogitationis ſequitur ſua delectatio interior. Sed ad cogitationem duplex delectatio ſequitur: una quidem ex parte ipſius cogitationis, alia vero ex parte ipſius cogitati. Delectamur enim quandoque in cogitatione propter ipſam cogitationem, ex qua nobis acquiritur quædam cognitio in actu aliquorum, quamvis illa nobis diſpliceant; ſicut aliquis juſtus cogitat de peccatis, de eis diſputando & conferendo & in veritate illius cogitationis delectatur. Sed tunc propter ipſa cogitata delectatio ſequitur, quando ipſa res cogitata affectum movet, & allicit. *Tum de utriuſque generis delectatione hanc promit definitionem* (1. 2. *q.* 74. *ar.* 8.) Cogitatio ipſa de fornicatione non eſt peccatum mortale. Immo quandoque eſt veniale tantum; puta cum aliquis inutiliter cogitat de ea. Quandoque autem ſine peccato omnino, puta cum aliquis utiliter cogitat de ea: *ut in exemplo mox allato. Accedit etiam Subtilis Doctor* (*in* 2. *ſent. diſt.* 42. *q.* 4.) *ſcribens*: Patet, quod in eadem cogitatione poteſt eſſe peccatum, non & eſſe. Quia quantumcumque cogitatio ſit delectabilis, cum tamen objectum non ſit delectabile, *hoc eſt quamdiu ex objecto non capitur delectatio*, non eſt peccatum: unde vir ſanctus poteſt delectari in cogitatione alicujus peccati, quod deteſtatur. Delectari tamen in cogitatione alicujus peccati, quatenus objectum ſit ſibi præſens, ut delectetur in illo ut in objecto, eſt peccatum... Et iſto modo ſancti viri deteſtantur cogitationes illicitas. *Porro autem, quamvis duæ delectationis ſpecies hactenus deſcriptæ & concipiantur, & ſint reipſa* diverſæ *inter ſeſe; haud raro tamen in* unam *ſenſim coaleſcunt in nonnullis hominibus. Sic ex. gr. ſæpe delectatio in Adoleſcentibus ſtudioſis, aut etiam in provectis Magiſtris, & Confeſſariis, quæ initio habebat pro objecto puram putamque rerum pravarum notitiam ob honeſtos, & laudabiles fines conceptam, paullatim deflexit ad res ipſas pravas; ut proinde tandem ingemiſcerent, ſe carne conſummatos, cum ſpiritu cœpiſſent. Hanc delectationum varietatem, viciſſitudinemque* in praxi *diſcernere non adeo facile, in lubricis præſertim materiis, ut prælaudatus Angelicus notavit* (*priori loc. cit.*) Hæ duæ cogitationes, *ſeu* delectationes in quibuſdam actibus manifeſte differunt, & aperte diſtinguuntur: ſed earum diſtinctio in cognitione de peccatis carnis magis latet: eo quod propter corruptionem concupiſcibilis ad cogitationem talium concupiſcibi-

bi-



## CAPUT VII.
### *De Peccatis Capitalibus.*

NOta. Peccata capitalia ſunt ea, quæ non ſolum ſunt per ſe peccata, ſed etiam radix & cauſſa impulſiva multorum aliorum peccatorum. Septem numerantur a Theologis poſt S. Gregorium, nimirum, ſuperbia, avaritia, gula, luxuria, ira, invidia, acedia.

### ARTICULUS I.
#### *De Superbia.*

Quæſt. I. Q*Uid eſt Superbia, & quale peccatum?*

*Reſp.* 1. Superbia eſt inordinata cupiditas propriæ excellentiæ & celſitudinis. Cupiditatis nomine intelligitur etiam amor, deſiderium, complacentia. Ejus actus ſunt. 1. Inordinata ſui æſtimatio, qua quis ſeipſum æſtimat ſupra id quod eſt, & afficitur erga ſeipſum tamquam aliquid excellentius quam revera ſit. 2. Finem ſuum ultimum in propria excellentia conſtituere, & virtutem, ſcientiam, & alia ad excellentiam ſpectantia non appetere propter Deum ſaltem ultimate, nec ad ejus gloriam referre; ſed unice & ultimate propter ſuam ſatisfactionem ac excellentiam. 3. Ab aliis velle magni fieri, honorari, laudari: ſi non faciant, dolere, iraſci. 4. Judicio proprio pertinaciter adhærere. 5. Alios & aliena parvi facere, ſe & ſua pluris æſtimare, vel velle videri ſingulariter habere quæ poſſidentur. 6. Si putes te habere bona quæ non habes, vel majora quam habeas, aut in eo ponas excellentiam ubi non eſt, & inde te extollas. 7. Si bona tua æſtimes quaſi ex te ipſo habeas, & non a Deo. 8. Si bona tua accepta quidem a Deo credas, ſed ea æſtimes tamquam meritis propriis debita, vel ea ad Dei gloriam non referas. Tamen ad ſuperbiam (ut notat S. Thom.) non eſt neceſſe, ut quis revera judicet ſe bona a ſeipſo habere, aut propriis meritis abſque Dei gratia obtinuiſſe (hoc enim eſſet hæreticum): ſed ſatis eſt quod conſideratis ſuis bonis ſine relatione ad Deum, perinde ſe gerat, & omnino ſe extollat, ac ſi non a Deo haberet. 9. Nolle ſe ſubjicere ſuis ſuperioribus, quaſi id ſit indignum. 10. Nolle etiam ſe Deo ejuſque præceptis ſubmittere, id æſtimans tamquam contrarium dignitati ſuæ, & volens ſuo arbitratu vivere, quaſi Deo non indigeat, aut ab eo non dependeat.

*Reſp.* 2. Superbia ex genere ſuo eſt peccatum mortale. Nam ad Rom. 1. *Superbi & elati* numerantur inter eos, qui *digni ſunt morte*. Et Prov. 8. *Deus arrogantiam & ſuperbiam deteſtatur.* Ratio eſt, quia ſuperbia adverſatur caritati Dei, ejus honori, majeſtati & excellentiæ. Superbia eſt etiam radix omnis peccati, ex Eccli. 10. *Initium omnis peccati eſt ſuperbia, qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis, & ſubvertet eum in finem.* Et ex S. Aug. lib. 2. de peccat. merit. c. 17. *Vitiorum namque omnium humanorum cauſſa ſuperbia eſt.*

Hinc ſuperbia perfecta eſt ſemper culpa mortalis, ut 1. Quando præ ſuperbia quis ſubjici renuit Deo, vel ſuperioribus eorumve præceptis etiam in re minima. 2. Cum quis bona ſua æſtimat a ſe ipſo habere, vel eſſe propriis meritis debita, vel ſolis viribus acquiſita. 3. Quando finis ultimus ponitur in propria excellentia, vel in rebus graviter malis propria excellentia conſtituitur; aut ex illis quæritur.

Imperfecta tamen ſuperbia, qua quis ſine Dei & aliorum contemptu, nec ſubjici ſuperioribus renuens, ſolum plus juſto ſe effert, agnoſcendo ſe omnia Deo debere, eſt venialis, quia non eſt gravis inordinatio, nec graviter repugnat caritati.

Quæſt. II. *Quænam ſunt ſuperbiæ remedia?*

*Reſp.* Generatim eadem ſunt, quæ humilitatis adjumenta, ſpeciatim vero hæc: 1. Sæpe humilitatem a Deo petere.

2. Sæpe conſiderare ſuum nihilum, ſuam effrænatam ad malum propenſionem, ſuas pravas cupiditates ſeu peccata, vitia, defectus, miſerias tum corporis, tum animæ, infirmitatem, impotentiam ſine Dei gratia actuali ad quemlibet actum ſalutarem; item infinitam Dei excellentiam, ad quam omnia ſunt inſtar nihil; omnia quæ habemus eſſe a Deo: noſtra merita eſſe illius dona; *Quis te diſcernit? Quid habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* 1. ad Cor. 4. Ex horum conſideratione complacentiam ſui coercere, ſe ipſum contemnere: & ex ſui contemptu humiliationes & quaſvis afflictiones, tamquam ſibi propter peccata debitas, libenter pro Chriſto ſuſcipere & ſuſtinere.

3. Meditari ſuperbiæ pœnas & humilitatis præmia, 1. Petri 5. *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Et Matth. 23. *Qui ſe exaltaverit, humiliabitur: qui ſe humiliaverit, exaltabitur.* Item & maxime exempla Chriſti, qui humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem Crucis, & opprobriis ſatiatus eſt, quemque imitari debemus: *Fruſtra enim appellamur Chriſtiani, ſi imitatores non ſimus Chriſti, qui ideo ſe viam dixit eſſe: ut converſatio Magiſtri forma eſſet diſcipuli: & illam humiliationem eligeret ſervus, quam ſectatus eſt Dominus,* ait S. Leo Magnus ſer. 5. de Nativ.

4. Omnia ſua bona ac opera ad Dei gloriam ſæpiſſime actu referre, & crebro exercere actus internos ac externos humilitatis, atque opera ac miniſteria vilia & abjecta obire, infimum locum eligere, hoſpitalia viſitare, pauperibus & ægrotis miniſtrare &c.

Quæſt. III. *Quænam ſunt filiæ ſuperbiæ, hoc eſt, vitia quæ a ſuperbia tamquam radice oriuntur?*

*Reſp.*

bilium ſtatim ſequitur motus in concupiſcibili, ex ipſis concupiſcibilibus cauſſatus. *Duntaxat Comes & Interpres Angelici, nemini fortaſſe ſecundus, generale iſtud indicium adhibet* (*initio Com.* 1. 2. *q.* 74. *ar.* 8.) *ad dignoſcendum, utrum delectatio ſit de ſola cogitatione, vel potius de ipſo cogitato.* Si cogitatio cum delectatione ſæpe alicui ſe ingerat, ſignum eſt, delectationem eſſe de ipſa re: eo quod illa frequentia cogitationis, ubi nulla eſt ejus neceſſitas, vel utilitas, videatur oriri ex prava inclinatione affectus ad res ipſas. Si vero talis cogitatio non ſit importuna, ſed ſequatur judicium, ac moderamen rationis; ſignum eſt, quod delectatio ſolum ſit de cogitatione.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

*Reſp.* Tres ſunt, ſcilicet præſumptio, ambitio, & vanagloria.

I. *Præſumptio*, & hæc eſt inordinata cupiditas faciendi aliquid facultatem ſuam excedens. Mortalis eſt. 1. Ratione gravis injuriæ Dei, ut cum Lucifer dicere præſumpſit: *Aſcendam, & ſimilis ero Altiſſimo*. 2. Ratione gravis damni proprii vel alieni, aut periculi talis damni; ut ſi præſumas exercere ſine ſufficienti peritia officium Medici, Advocati, Judicis, Confeſſarii &c. 3. Cum uſurpatur dignitas, vel poteſtas, vel officium Sæculare aut Eccleſiaſticum: ut ſi audias Confeſſiones, aut judices, aut exerceas actum Ordinis ſine poteſtate legitima. *De præſumptione oppoſita ſpei dicetur infra.*

II. *Ambitio*, & eſt inordinata cupiditas honoris, vel dignitatis, aut potentiæ. Eſt autem inordinata, 1. Si appetas honorem quem non mereris, vel majorem quam mereris, vel ob rem qua cares: ut ſi honorari cupias ob doctrinam, nobilitatem, virtutem &c. qua cares: item ſi aſpires ad officium, & munus, quo es indignus. 2. Si appetas honorem propter ſe, non illum referendo ad Dei gloriam, vel utilitatem proximi. 3. Si appetas honorem ex re illicita, v. g. duello. 4. Si nimio affectu honorem appetas.

Ambitio ſæpe mortalis eſt, nempe vel ratione materiæ graviter malæ, vel damni gravis, quod proximo infertur, vel periculi peccati gravis, vel medii graviter illiciti quod adhibetur, vel finis mortalis ad quem refertur, vel affectus graviter inordinati, ut ſi quis paratus ſit peccare mortaliter ad honorem vel dignitatem obtinendam aut tuendam.

III. *Vanagloria*, & eſt inordinata cupiditas humanæ exiſtimationis ac laudis. Proprius ejus actus eſt inordinata manifeſtatio propriæ excellentiæ ſive veræ, ſive fictæ. Eſt autem inordinata illa cupiditas, dum gloria quæritur ex ſimulatæ doctrinæ, peritiæ, aut virtutis excellentia, vel ex rebus malis aut indifferentibus aut major quam par ſit, aut præciſe propter ſe, non referendo illam ad honorem Dei.

Vanagloria mortalis eſt, eodem modo quo dixi de ambitione, ut ſi quis velit gloriam, vel laudes admittat de re mortali, v. g. fornicatione, vindicta gravi &c. ſi in gloria humana ponatur finis ultimus, omnia ad illam referendo &c. Sæpe tamen eſt ſolum venialis, quia ſæpe non graviter repugnat caritati, nec gravem continet inordinationem.

Ceterum debitum honorem, gloriam, laudem, favorem hominum, non propter ſe, ſed propter honorem Dei vel bonum proximi, acceptare, aut moderate expetere, non eſt peccatum, ſed actus caritatis, ex S. Thom. 2. 2. q. 131. art. 2.

Quamvis vanagloria ſit filia ſuperbiæ, tamen a S. Thoma, poſt S. Gregorium, numeratur inter peccata capitalia, eo quod ex ea ſeptem alia immediate oriantur, nimirum inobedientia, jactantia, hypocriſis, contentio, pertinacia, diſcordia, & inventio novitatum.

IV. *Inobedientia*, formalis ſcilicet & ſpecialis, eſt peccatum, quo violatur præceptum ſuperioris ex contemptu, ſive quia præceptum eſt. Ex ſententia communi ſemper eſt mortalis, etiam in re minima: quia tunc contemnitur ſuperior ut ſuperior & miniſter Dei, ideoque Deus ipſe contemnitur, juxta illud, Luc. 10. *Qui vos ſpernit, me ſpernit*, & quia tunc quis ita affectus eſt, ut nullo modo velit obſequi ſuperiori, quidquid præcipiat.

Violatio autem præcepti non ex contemptu, ſed ex alio motivo; puta ob delectationem vel utilitatem, aut difficultatem, eſt ex S. Thom. inobedientia generalis pertinens ad aliam ſpeciem peccati. Eſtque mortalis vel venialis prout præceptum quod violatur, ſub mortali vel veniali obligat: atque etiam prout motivum graviter vel leviter malum eſt, cum actus participet malitiam finis, utpote per eum voliti.

V. *Jactantia*, qua quis verbis inordinate prædicat de ſe id quod gloriam ac laudem apud alios parit, vel falſo parere putat, vel gloriatur de peccato. *Quandoque eſt peccatum veniale, quando ſcilicet aliquis de ſe talia jactat, quæ neque ſunt contra Deum, neque contra proximum*, ait S. Th. q. 112. ar. 2. Eſt vero mortalis culpa. 1. Si quis proferat aliquid contra gloriam Dei, ut illud Ezech. 28. *Elevatum eſt cor tuum & dixiſti: Deus ego ſum*. 2. Ratione gravis ſcandali, damni, contumeliæ, vel contemptus proximi. 3. Si ſit de actione mortaliter mala: quia includit approbationem actus mali, quæ eamdem cum illo ſpeciem habet: quia ſicut laudare opus mortale, v. g. duellum; ita & de illo gloriari eſt mortale, opponiturque eidem virtuti opus illud vetanti; nam quævis virtus non ſolum obligat ad actum quem directe præcipit, ſed etiam indirecte obligat, & vetat ne ipſa contemnatur, aut irreverenter tractetur; contemnitur autem virtus, cum quis gloriatur de ejus violatione, vel cum ejus violatio laudatur in alio. Hinc glorians de peccato aliquo, vel illud laudans, contrahit ſpeciem talis peccati. *Sanchez & alii.*

VI. *Hypocriſis*, & eſt ſimulatio virtutis, hoc eſt factum quo quis mentitur, ſe virtutem ſeu ſanctitatem habere, quam non habet, vel majorem quam habeat. Unde ſemper eſt peccatum ſaltem veniale, cum ſit mendacium facti. Sed mortale eſt ſi habeat conjunctum vel contemptum virtutis, vel damnum proximi grave; item ſi ſimuletur ſanctitas ob finem graviter repugnantem caritati Dei, aut proximi, puta ut quis falſam doctrinam diſſeminet, ut decipiat proximum in re gravi, vel ut adipiſcatur beneficium Eccleſiaſticum, aut quodvis officium, etiam ſæculare, quo indignus eſt. Si autem abſit contemptus virtutis ac damnum proximi, vel honoris Dei, nec finis intentus repugnet graviter caritati, erit ſolum veniale. *Ita S. Th. q. 111. art. 4.*

VII. *Pertinacia*, & eſt perſeverantia in propria ſententia contra veritatem cognitam, vel ſufficienter propoſitam. Mortalis eſt, quando illa veritas ad fidem, vel bonos mores, pietatem, pacem, bonum grave proximi pertinet: nam materia gravis eſt.

VIII. *Inventio ſeu præſumptio novitatum*, & eſt, cum quis ex inani gloria præſumit nova excogitare. Novitatum inventio vel uſus mortalis eſt, ſi fidei, bonis moribus, pudicitiæ adverſetur, vel pariat ſcandalum, aut grave damnum proximo. *His adde contentionem & diſcordiam, de quibus in tract. de caritate.*

Vanæ gloriæ remedia eadem ſunt, quæ ſuperbiæ, quibus adde actus oppoſitos vitiis, quæ ab illa oriuntur.



ARTICULUS II.

*De Avaritia.*

Quæſt. I. Q*Uid eſt Avaritia, & quale peccatum?*

*Reſp.* 1. Avaritia eſt inordinata cupiditas divitiarum, hoc eſt pecuniæ, & rerum pecunia æſtimabilium, ut ſunt agri, domus, pecora &c. Mortalis eſt, 1. Cum in divitiis finis ultimus ponitur ex Epheſ. 5. *Avarus, quod eſt idolorum ſervitus, non habet hæreditatem in regno Chriſti & Dei*. 2. Cum quis ad divitias acquirendas, augendas vel conſervandas adhibet media graviter illicita, & injuſta; vel paratus eſt peccare mortaliter, aut ita peccat, v. gr. injuſte alienum accipiendo, retinendo, eleemoſynas debitas omittendo &c. Hinc illud Eccl. 10. *Avaro nil eſt ſceleſtius . . . Nihil eſt iniquius, quam amare pecuniam*. Eſt peccatum capitale, quia eſt fons & origo multorum aliorum. *Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Radix enim omnium malorum eſt cupiditas*, 1. ad Tim. 6.

*Si autem inordinatio amoris intra hoc ſiſtat, ut ſcilicet homo, quamvis ſuperflue divitias amet, non tamen præfert earum amorem amori divino, ut ſi propter divitias non velit aliquid facere contra Deum, & proximum, ſic avaritia eſt peccatum veniale*, ait S. Th. 2. 2. q. 118. art. 4.

Præcipua avaritiæ remedia ſunt oratio, meditatio bonorum cæleſtium, periculi ac vanitatis bonorum terreſtrium, paupertatis Chriſti, mortis &c. crebra & larga eleemoſynarum largitio, reſignatio in jactura bonorum &c.

Quæſt. II. *Quænam ſunt filiæ Avaritiæ?*

*Reſp.* Ex S. Greg. ſunt hæ. 1. Obduratio cordis contra miſericordiam, miſeris & egenis non compatiendo, non opitulando, eos objurgando, debita dure exigendo a debitore, qui non eſt ſolvendo par &c. Mortalis eſt quoties ex ea præceptum eleemoſynæ vel caritatis graviter violatur.

2. Inquietudo cordis, quæ eſt inordinata, & anxia applicatio mentis ad acquirendas vel conſervandas divitias, cum inani timore ne non acquirantur, aut ne amittantur. Mortalis eſt, quando retrahit a ſpiritualibus vel aliis officiis, ad quæ graviter obligantur; vel cum quis divinæ providentiæ diffidit.

3. Violentia, qua res aliena per vim injuſtam uſurpatur. Mortalis eſt ex genere ſuo contra juſtitiam.

4. Fallacia ſive dolus, qui eſt alterius deceptio ſive verbis ſive factis: & fraus, quæ eſt aſtuta deceptio proximi per ſola facta. Utraque eſt ex genere ſuo mortalis contra juſtitiam, & ſæpe confunduntur.

5. Perfidia, qua fides in promiſſis, pactis, & rebus creditis violatur. Mortalis eſt in re gravi contra juſtitiam.

6. Proditio, quæ eſt manifeſtatio rei alicujus, vel perſonæ, in proximi damnum contra fidem ei debitam. Mortalis eſt ex genere ſuo contra caritatem, & juſtitiam, & contingit tripliciter. 1. Circa perſonam, quo modo Judas Chriſtum prodidit. 2. Circa res, ut ſi miles declaret hoſti modum capiendi arcem; vel ſi alterius veſtem, pecuniam &c. abſconditam prædoni oſtendas. 3. Prodendo alterius ſecretum tuæ fidei commiſſum.

ARTICULUS III.

*De Gula.*

Quæſt. I. Q*Uid eſt Gula, & quale peccatum?*

*Reſp.* 1. Gula eſt inordinatus appetitus vel uſus cibi aut potus. Unde opponitur abſtinentiæ & ſobrietati. Sumitur aliquando ſtrictius, prout continet inordinationem ſolum in cibo & potu non ebriante. Ex S. Gregorio, committitur quinque modis. 1. Si edas ante tempus. 2. Si nimis exquiſita, id eſt, pretioſiora, quam conveniat tuo ſtatui vel neceſſitati. 3. Si plus juſto. 4. Si voraciter. 5. Si nimis exquiſite præparata; juxta hunc verſum.

*Præpropere, laute, nimis, ardenter, ſtudioſe.*

Quod ſpectat ad qualitatem cibi & potus, hæc debet eſſe accommodata ſtatui, conditioni, facultati, infirmitati, neceſſitati perſonarum, & loco ac tempori.

*De quantitate autem cibi & potus non poteſt dari una certa regula omnibus ſecundum eamdem menſuram. Sed plus & minus exigitur ſecundum varietatem complexionum & fatigationum. Unus etiam & idem plus indiget uno tempore quam alio, ſecundum diſpoſitionem ſui corporis . . . Tantum ergo poteſt, & debet quis comedere & bibere, quantum credit ſe indigere ad ſuſtentationem & executionem eorum, quæ ſibi incumbunt agenda, ita ut non uſque ad nauſeam ſumat, ſed cum aliquali adhuc appetitu finem faciat. Cum autem ex delectatione cibi vel potus plus ſumit quam ſibi dictat conſcientia opportunum, tunc peccat*, ait S. Antonin. p. 2. tit. 6. c. 1. §. 5. Peccat, inquam, etiamſi viliſſimi ſint cibi & potus, ut paullo ante notat poſt S. Aug. qui lib. 10. Confeſſ. c. 11. ait: *Hoc me docuiſti, ut quemadmodum medicamenta, ſic alimenta ſumpturus accedam.*

*Reſp.* 2. Peccatum gulæ mortale eſt in multis caſibus: unde ad Gal. 5. comeſſationes inter opera excludentia a regno Dei numerantur. Et 1. quidem ratione affectus graviter inordinati, quo quis ita inhæret oblectationibus cibi vel potus, ut in iis finem ſuum ultimum conſtituat, juxta illud ad Philip. 3. *Quorum Deus venter eſt*. Idque quamvis ſolum interpretative, ut cum quis ex affectu gulæ paratus eſt peccare mortaliter: nam hoc ipſo quod mortaliter peccat, Deum propter voluptatem deſerit, hancque illi ſuo facto præfert. Itemque cum quis nil quærit aliud, quam edendi & bibendi voluptatem, ad id cogitationes ac curas fere omnes referendo: nam is vitæ finem in delectatione cibi vel potus ponit.

✠ Huc ſpectat propoſitio 8. ex damnatis ab Innoc. XI. *Comedere & bibere uſque ad ſaturitatem ob ſolam voluptatem non eſt peccatum, modo non obſit valetudini, quia licite poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui.* ✠

2. Si quis bibat ad ebrietatem. 3. Si quis ob ſolam voluptatem cibo & potu uſque ad vomitum ſcienter ſe ingurgitet; nam hoc, etiam ſecluſo ſcandalo & ebrietate, continet gravem inordinationem, ac periculum lædendi ſanitatem, & graviter repre-

hen-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

hendit ur ab Iſaia c. 28. *Omnes menſæ repletæ ſunt vomitu, ſordibuſque*. Idem dic, ſi quis poſtquam multum comedit, ad vomitum ſe excitet, ut iterum ob ſolam voluptatem edat; nam hoc graviter dedecet naturam rationalem, præſertim elevatam, eſtque plus quam beſtiale. 4. Ratione gravis nocumenti, quod quis ob gulam ſibi, aut familiæ ſuæ, aut creditoribus infert, ſanitatem corporis graviter lædendo, ſe reddendo impotentem ad ſolvenda debita, filios vel filias in ſtatu convenienti non collocando, item non opitulando gravem neceſſitatem patienti: aut ſi inde notabiliter ineptus fiat ad functiones ad quas ſub mortali tenetur &c. 5. Si quis ſaltem extra neceſſitatem extremam, carne humana aut ſanguine veſcatur. *Ita communiter*. Nam hoc eſt contra honorem defunctis debitum, & contra ordinem ac inſtinctum rectum naturæ: unde ab hoc tamquam a re valde inordinata & extremæ feritatis abhorrere Gentes omnes non penitus barbaræ. Licet tamen uti carne humana in medicamentis, quia tunc ſic alterata eſt, ut dici nequeat carnis humanæ ſumptio. 6. Ratione gravis ſcandali vel periculi peccandi graviter.

Extra hos caſus peccatum gulæ eſt ſolum veniale. *S. Th.* 2. 2. *q.* 148. 2.

Quæſt. II. *Quænam ſunt Gulæ remedia?*

*Reſp.* Hæc: 1. Conſiderare gulæ incommoda ac damna: nempe intellectum obnubilat, mentem deprimit, bona deſideria extinguit, aggravat animam, reddit hominem ineptum ad ſua officia, & exercitia ſpiritualia; impedimenta apponit gratiæ divinæ, & gaudiis ſpiritualibus; vitam minuit, & morbos & multa peccata parit; aditum vitiis aperit, & intercludit virtutibus. Item cogitare, quam cito tranſeat cibi & potus delectatio, gravia autem mala ex gula orta maneant.

2. Vitare occaſiones.

3. Sectari in omnibus temperantiam; nil ultra neceſſitatem convenientem edendo & bibendo.

4. Semper ſibi in menſa ſubtrahere aliquid modicum, quod adhuc licite ſumi poſſet, & præſertim quod magis arridet palato.

Quæſt. III. *Quid eſt ebrietas, & quale peccatum?*

*Reſp.* Ebrietas eſt exceſſus in potu uſque ad violentam privationem rationis, ejuſque poteſtatis proximæ. Eſt peccatum mortale (1), ut inter omnes conſtat. 1. Ex Iſa. 5. *Væ qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam*. Et 2. ad Corint. 6. *Neque ebrioſi regnum Dei poſſidebunt*. Vox græca ſignificat ebrios (*). Et ad Galat. 5. ebrietas recenſetur inter opera carnis quæ excludunt a regno Dei. 2. Ex conſenſu Patrum & Doctorum. Pro omnibus ſint, S. Baſil. hom. 14. *Ebrietas dæmon eſt voluntarius... Ebrietas malitiæ mater eſt, virtutis inimica*. S. Ambr. lib. de Helia c. 14. *Noxia eſt ebrietas ad corporis ſanitatem, mentis etiam crimen adjungit*. S. Hieron. ep. 33. *Qui inebriatur, & mortuus & ſepultus eſt*. 3. Quia eſt gravis inordinatio & difformitas violenter adimere ſibi poteſtatem proximam utendi ratione, exercendi opera virtutum, obeundi ſua munera, vitandi malum, faciendi bonum, & ſubveniendi neceſſitatibus ſubitis animæ ac corporis; atque ita ſe ad brutorum ſtoliditatem abjicere, & imaginem Dei deturpare. Ebrietate autem hæc poteſtas ſic amittitur.

Quare non licet ſe inebriare, ſive ad vitandam mortem ab altero intentatam: nam (ut ait S. Auguſt. ſerm. 232. vel S. Cæſarius.) *Etiamſi ad hoc veniretur, ut tibi diceretur: Aut bibas, aut morieris; melius erat, ut caro tua ſobria occideretur, quam per ebrietatem occideretur*. Ebrietas quippe, ſicuti fornicatio, non eſt medium ex ſe ordinatum ad vitandam mortem. Sive in medicamentum, quod tamen raro & fere nunquam eſſe poteſt, cum, teſte Hypocrate, ebrietas ſit valde periculoſa corporis ſanitati. Ita S. Antonin. p. 2. tit. 6. c. 3. ibi: *Non excuſaretur per hoc quis ab ebrietate ſecundum Thomam, quamvis faceret cauſſa medicinæ: & per conſequens peccat mortaliter & ſumens, niſi crederet ex illo potu non poſſe inebriari, & medicus, vel alius qui hoc ſibi ſcienter conſuleret, & propinaret hoc exiſtimans*. Nam ebrietas quovis modo intenta ac procurata, ſemper graviter diſconvenit naturæ rationali qua rationali, cum violenter rationem perturbet, adimat poteſtatem ea utendi, & ſubveniendi neceſſitati animæ ac corporis, Dei imaginem fœdet, atque hominem ad ſtatum bruti redigat.

Nec dic ebrietatem conſiſtere tantum in exceſſu vini, voluptatis cauſſa. Nam quamvis voluptas in nimio potu non intendatur, tamen effectus recenſiti ſemper ſequuntur, & temperantia violatur, cum immoderata potus vel cibi ſumptio, præciſo hoc vel illo fine, ei opponatur: neque enim ad violandam aliquam virtutem neceſſe eſt agere ex voluptate. Enimvero ſi duo, propoſito præmio, inter ſe contenderent, uter illorum plus vini biberet, & uſque ad privationem rationis biberent abſque voluptate, immo cum moleſtia, ſaltem quantum ad exceſſum; nonne contra temperantiam peccarent, & ebrietatis malitiam contraherent? Et ideo SS. Patres exceſſum vini ſine ulla exceptione ſemper damnant.

Ut autem ebrietas ſit mortalis, ſufficit quod ſit voluntaria indirecte vel interpretative. Quare peccat mortaliter. 1. Qui expreſſe non vult ſe inebriare, ſed tamen tantum bibit, quantum poteſt, non ſatis attendens, an ſequatur privatio rationis, necne. 2. Qui probabiliter putans, vel ſuſpicans ſecuturam privationem rationis ſi pergat bibere, vel de hoc dubi-

(1) *Quando nimirum ipſa ebrietas eſt* voluntaria *directe vel indirecte, ſimulque* plena *ſeu perfecta, uti Auctor in decurſu hujus quæſt. aperit. P. Anacletus (Theol. Moral. tract. 3. diſt. 3. q. 6. n. 48.) ebrietatem* plenam perfectamque *eſſe negat*, ſi quis poſt potum adhuc diſcernere poſſit inter bonum, & malum, licet nonnihil phantaſia turbata ſit, aut ſequatur vomitus, lingua titubet: pedes vacillent, oculi cernant duplicia, vel domus gyrari videatur. *Peraccommoda ſane deſcriptio venialis & ſemiplenæ ebrietatis, quam nemo, ut reor, incuſabit nimiæ ſeveritatis. Non videtur tamen aptari poſſe ſingulis promiſcue temperamentis hominum potantium; quippe in iis, qui firmi capitis, ac æruginoſi ſtomachi non ſunt, ea phænomena poſſunt eſſe indicium uſus rationis omnino intercepti, adeoque effectus rotundæ, ſeu perfectæ ebrietatis.*

(*) *Ebrios, & magis ebrioſos ex habitu ebrietatis.*



bitans, adhuc bibit: quia ſaltem ſe exponit periculo ebrietatis, & vult ebrietatem ſaltem interpretative. Item ſi hoc periculum advertere poſſit, & negligat, etiamſi privatio rationis ſolum eventura ſit poſt unam alteramve horam, cum nempe ad aerem prodibit. 3. Qui ex amicitia vel urbanitate alium invitat ad hauſtus, quibus probabiliter prævidet inebriandum: quia invitat ad id quod alter ſine mortali facere nequit; & cum vere inducit in ebrietatem, vel ejus periculum. Idem dic de iis, qui alios ad æquales hauſtus incitant vel cogunt: aut ſe invicem obligant, ex *cap. 14. de Vit. & Honeſt. Cleric.* ex Concilio Generali Lateran. nam ſaltem alios vel ſe conjiciunt in periculum probabile ebrietatis. Similiter de iis, qui ebrioſis, vel ebrietati proximis vinum ſubminiſtrant; & de iis, qui non impediunt, ne alius inebrietur, cum commode impedire poſſunt.

*Nota* 1. Ebrietas ſic eſt peccatum grave reſpectu omnium, ut ſit gravius in quibuſdam perſonis, ſcilicet: 1. In mulieribus, ob turpitudinis & luxuriæ periculum tum in ſe, tum in aliis. 2. In iis, qui debent ex officio alios regere, ut ſunt paterfamilias, magiſtratus &c. 3. In Clericis (1) præſertim ſacro ordine inſignitis, & maxime curatis, tum propter ſcandalum majus, tum quia ebrietas eſt libidinis fomes, ac nutrix, tum propter damna quæ aliis oriri poſſunt, cum Sacerdos ebrius fungi nequeat officio in neceſſitate occurrente: unde a multis Conciliis ſub gravibus pœnis ebrietas illi ſpeciatim prohibita eſt.

*Nota* 2. Ebrietas perfecta cognoſcitur. 1. Quando quis non novit diſcernere inter licitum & illicitum, vel non poteſt ſolita officia exequi. 2. Quando quis poſtridie non meminit quod dixerit, egerit, quomodo domum redierit &c. 3. Si ea fecit quæ nunquam integra mente ſolet: ut ſi turpia vel abſurda protulerit, cum alias ſit pudicus & prudens; ſi jurarit, blaſphemarit, vel familiam perturbarit, cum alias ſit modeſtus, & benignus &c.

Quæſt. IV. *An mala & peccata in ebrietate culpabili commiſſa imputantur ad culpam, ut cædes, vulnera, blaſphemia &c.*

*Reſp.* Affirmat. ſi præviſa ſint ut veriſimiliter ſecutura, vel prævideri potuerint. *Eſt communis ſententia*. Quia ſunt ſufficienter voluntaria: qui enim vult cauſſam, vult conſequenter effectum ſaltem interpretative, ſi hanc cognoſcat vel cognoſcere poſſit probabiliter ex ea ſecuturum: ad culpam autem mortalem ſufficit voluntarium indirectum & interpretativum. Ita S. Th. 1. 2. q. 77. ar. 7. ibi: *Aliquid poteſt eſſe voluntarium vel ſecundum ſe, ſicut quando voluntas directe in ipſum fertur; vel ſecundum ſuam cauſſam, quando voluntas fertur in cauſſam & non in effectum, ut patet in eo qui voluntarie inebriatur: ex hoc enim quaſi voluntarium ei imputatur quod per ebrietatem committit.*

Immo peccata, quæ probabiliter ſecutura novit ebrius, vel prævidere potuit, ei imputantur coram Deo, etiamſi reipſa poſt non ſequantur: quia iſtud eſt per accidens defectu objecti, & quia ſe exponere periculo probabili peccati mortalis, etiamſi illud non perficiatur, eſt peccatum mortale ejuſdem ſpeciei cum illo, cujus probabile periculum adire voluit: nam hoc ipſo tale peccatum indirecte, vel ſaltem interpretative volitum eſt. Secus de peccatis, quæ nullo modo prævideri potuerunt, quia nullo modo ſunt voluntaria.

Quæſt. V. *Quænam ſunt filiæ Gulæ?*

*Reſp.* Ex S. Gregorio hæ ſunt ex parte animæ. 1. Hebetudo mentis, ſeu ſtupiditas orta ex crapula. Eſt mortalis, quando quis ex intemperantia fit ineptus ad intelligenda, vel præſtanda ea, quæ ad ſalutem ei ſunt neceſſaria, aut ad quæ graviter obligatur. *Attendite vobis, ne forte graventur corda veſtra in crapula & ebrietate, & curis hujus vitæ, & ſuperveniat in vos repentina dies illa &c.* Luc. 21.

2. Inepta lætitia, quæ movet ad cantiones obſcœnas, actus turpes, choreas inhoneſtas &c. Mortalis eſt, quando eſt inductiva ad conſenſum, vel actum, vel delectationem mortalem, aut ad aliquid ſcandalum pariens.

3. Multiloquium, in quo invenietur ſtultitia, nec deerit peccatum. *In multiloquio non deerit peccatum*. Prov. 10.

4. Scurrilitas, quæ excitat ad indecora, vel turpia agenda aut dicenda, riſus movendi cauſſa.

## ARTICULUS IV.

### *De Luxuria.*

Quæſt. I. *Quid eſt Luxuria?*

*Reſp.* 1. Eſt inordinatus appetitus, vel uſus venereorum, aut voluptatis venereæ. Eſſe peccatum mortale ex genere ſuo, inter omnes conſtat. 1. Ex Galat. 5. *Opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria . . . quæ prædico vobis, ſicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur*. 2. Quia cum uſus rei venereæ ex natura ſua ſit inſtitutus ac neceſſarius ad conſervationem ac propagationem generis humani, cenſetur res gravis: Ergo inordinatio in hac materia eſt in re gravi: Ergo mortalis.

Luxuria dividitur in perfectam ſeu conſummatam, quæ conſiſtit in voluntaria effuſione ſeminis; & in non conſummatam, in qua non intervenit effuſio ſeminis. Conſummata duplex eſt: alia naturalis, quæ eſt voluntaria ſeminis effuſio, in qua ſervantur conditio-

(1) *Sanctus Auguſtinus (ſer. 232. de Templ)* Tanta infelicitate ſe inebriant homines, quia putant ebrietatem aut parvum, aut nullum eſſe peccatum. Sed pro iſta ignorantia maxime Sacerdotes in die judicii reddituri ſunt rationem, ſi commiſſis ſibi populis, quæ vel quanta mala de ebrietate naſcuntur, aſſidue noluerint prædicare . . . Definiat, & deliberet unuſquiſque apud ſe, ebrietatem grave eſſe peccatum, & tunc aut nunquam, aut difficile eum ebrietas poterit ſuperare . . . Hæc quidem non ſolum laicis, ſed etiam Clericis dicimus: quia, quod pejus eſt, multi ſunt etiam majoris ordinis Clerici, qui cum aliis ſobrietatis bonum deberent jugiter prædicare, non ſolum hoc non faciunt, ſed etiam & ſe, & alios inebriare non erubeſcunt, nec metuunt. Sed agnoſcant, & doleant quicumque tales ſunt: quia ſi ſe noluerint emendare, & pro ſe, & pro aliis neceſſe eſt eos æterna ſupplicia ſuſtinere,

ditiones, quas poſtulat natura actus ad hominis generationem requiſiti: alia innaturalis ſeu contra naturam, in qua conditiones illæ non ſervantur.

Quæſt. II. *Quot ſunt ſpecies luxuriæ conſummatæ naturalis?*

*Reſp.* Sex, nempe, ſimplex fornicatio, ſtuprum, raptus, adulterium, inceſtus, & ſacrilegium, quorum quinque ultimæ habent ſpecialem, & notabiliter diverſam inter ſe difformitatem ſuperadditam luxuriæ.

1. Simplex fornicatio eſt copula ſoluti cum ſoluta non virgine ex mutuo conſenſu extra matrimonium. Solutos voco, qui nullo vinculo ſeu impedimento ab ineundo inter ſe conjugio prohibentur. Dixi, *non virgine*. Nam ex S. Th. qu. 154. ar. 6. *Fornicatio eſt concubitus, qui fit cum mulieribus jam corruptis*. Fornicationem eſſe ſemper per ſe peccatum mortale, fide conſtat ex Ap. ad Epheſ. 5. *Omnis fornicator non habet hæreditatem in regno Chriſti, & Dei*: Et ex 1. ad Cor. 6. *Neque fornicarii regnum Dei poſſidebunt*. Et ad Gal. 5. ſup. cit. Eſſe vero intrinſece malum graviter, patet ex eo quod per ſe graviter repugnet bonæ ac debitæ educationi prolis: hæc enim requirit operam viri, & feminæ, qui ſint inter ſe conjuncti Lege matrimonii: alioqui ex natura rei incerta eſſet, & periculo expoſita prolis inſtitutio. Unde ejuſmodi inordinatio eſt gravis, utpote in re magni momenti, qualis eſt bona prolis inſtitutio. Et quamvis hoc incommodum poſſit impediri in aliquo caſu, id eſſet per accidens, & nihilominus debuit a Deo, auctore naturæ, generaliter prohiberi pro omni caſu: nam alioqui homines cupiditate excæcati facile ſibi fingerent & promitterent illud incommodum ceſſaturum in multis caſibus, in quibus non ceſſaret, cum magno prolis damno. Immo nunquam poteſt ceſſare hoc damnum & incommodum, quod eſt naſci extra matrimonium, & a parentibus Lege matrimonii non obligatis ad curandam & recte educandam prolem. Unde Innocentius XI. damnavit hanc propoſitionem: *Tam clarum videtur, fornicationem ſecundum ſe nullam involvere malitiam, & ſolum eſſe malam quia interdictam, ut contrarium omnino rationi diſſonum videatur*.

Ceterum fornicatio cum concubina eſt ceteris gravior: quia concubinatu homo non ſolum peccat, ſed etiam manet in ſtatu peccati, & in continua voluntate ſaltem virtuali peccandi. Quare concubinarius, quamvis mors immineat, abſolvi non debet quin prius concubinam ejecerit, niſi ejiciendi tempus omnino deſit, tunc enim ſufficit verum ejiciendi propoſitum. Immo etiamſi eam domi non retineat, extra mortis articulum non eſt abſolvendus antequam habeatur experientia de ejus continentia.

Item fornicatio fidelis cum infideli eſt ſecundum omnes, longe gravior, quam cum catholica. Immo juxta De-Lugo, & alios, hæc circumſtantia mutat ſpeciem, quia prohibitum eſt ab Eccleſia matrimonium cum infideli in honorem religionis catholicæ, atque ob periculum malæ educationis prolis, & nimii amoris erga infidelem, & defectionis a vera fide: Ita ob idem motivum cenſetur prohibita ab Eccleſia quævis copula cum infideli, quæ ſemper vergit in dedecus religionis, ac proinde talis fornicatio eſt non ſolum contra caſtitatem, ſed etiam contra virtutem religionis, ac cultus veri Dei.

Item fornicatio in Chriſtianis habet peculiarem deformitatem. Nam corpora noſtra per Baptiſmum & Euchariſtiam facta ſunt membra Chriſti, & templa Spiritus Sancti, 1. *ad Cor.* 9.

Copula vero cum alterius ſponſa præter luxuriam continet malitiam mortalem injuſtitiæ, poſitam in eo quod fides data violetur, & res alteri promiſſa & ex juſtitia debita, notabiliter corrumpatur. Quod idem de ſponſo affirmant multi, quia pariter violat in re gravi fidem datam.

2. Stuprum eſt concubitus, quo mulier virgo extra matrimonium defloratur, ſeu corrumpitur. Qui ſi fiat virgine coacta, vel per dolum ſeu fraudem ſeducta, præter malitiam fornicationis continet duplicem injuriam mortalem, unam factam virgini, cui honor virginitatis per vim vel fraudem adimitur: alteram ejus patri, in cujus cuſtodia manet.

Quod ſi nec invita, nec ſeducta fuerit, tamen ejus defloratio, præter fornicationis malitiam, continet tum injuriam illatam parentibus, qui jus habent tuendi integritatem corporalem ſuæ virginis, donec nuptui collocetur: juxta illud Eccli. 7. *Filiæ tibi ſunt, ſerva corpus illarum*. Tum malitiam contra pietatem illis debitam, præbendo iis graviſſimam mœſtitiæ ac ignominiæ cauſſam, ob periculum augendi dotem; vel inuptam retinendi filiam. Item conſtituit feminam in gravi periculo deinceps peccandi, & aufert ſignaculum virginitatis, cui multiplici malitiæ cooperatur ſtuprator. Quare circumſtantia defloratæ virginitatis feminæ, etiam abſque vi, dolo, falſis perſuaſionibus, debet in confeſſione exprimi, præſertim cum ſit verum ſtuprum, ex S. Th. 2. 2. q. 154. ar. 6.

Porro eſt etiam ſtupri ſpecies cum adoleſcens virgo a muliere vi vel dolo ad copulam pertrahitur. Nam tunc eſt illicita ac violenta virginis defloratio.

3. Raptus eſt, cum perſona aliqua per vim abducitur ab uno loco in alium, concubitus illiciti, vel alterius libidinis, aut etiam matrimonii cauſſa, ſive ſit mas, ſive femina, nupta aut innupta, virgo aut corrupta, ſive vis inferatur ſoli perſonæ abductæ, ſive parentibus ſolis, ſive utriſque. Unde duplicem continet malitiam mortalem, unam contra caſtitatem, alteram contra juſtitiam, ob injuriam illatam perſonæ abductæ invitæ, vel ſaltem ejus parentibus aut tutoribus, dum conſtituta ſub ipſorum cuſtodia extrahitur, ipſis rationabiliter invitis. Graviſſimæ pœnæ in utroque jure contra raptores ſtatuuntur.

4. Adulterium eſt concubitus perſonarum, quarum alterutra, vel utraque eſt conjuncta matrimonio cum alia tertia. Præter malitiam luxuriæ mortalem, continet gravem injuriam, tum contra conjugem, nam vir non habet poteſtatem corporis ſui, ſed uxor; nec uxor ſui, ſed vir, ex 1. *ad Cor.* 7. tum contra matrimonii ſtatum & ſanctitatem. Unde ſpecialiter prohibetur a Deo; *Non mœchaberis*. Et 1. Cor. 6. *Neque idolis ſervientes, neque adulteri Regnum Dei poſſidebunt*.

Quod ſi conjux adulterantis conſentiat, adhuc concubitus erit contra juſtitiam. Quia eſt ſemper contra jus conjugii, & conjugis ut conjux eſt, cui cedere valide non poteſt, eo quod ei competat non ad bonum privatum, ſed ratione ſtatus, qui communis eſt. Unde cum ceſſio juris ſit nulla, jus manet, & ſic tunc violatur; ideoque ſemper eſt verum adulterium





rium. Hinc Innocentius XI. damnavit hanc propoſitionem: *Copula cum conjugata, conſentiente marito, non eſt adulterium, adeoque ſufficit in confeſſione dicere, ſe eſſe fornicatum.*

Triplex eſt adulterium. Nam vel eſt copula conjugati cum ſoluta, vel ſoluti cum conjugata, vel conjugati cum conjugata. Si femina ſit conjugata, gravius eſt peccatum, quam ſi vir tantum, propter incommoda graviora, nempe incertitudinem prolis, ſuppoſitionem prolis alienæ cum damno mariti & veri hæredis, & ſæpe impedimentum generationis. Unde hæc circumſtantia declarari debet, etiam ab adultero, quia ipſe cooperatur feminæ ad illam gravitatem majorem, & ad pericula ac damna inde ſequi nata. Si vero uterque ſit conjugatus; adhuc gravius eſt, quia eſt duplex adulterium, & duæ injuriæ mortales in utriuſque conjugem, exprimendæ in confeſſione.

5. Inceſtus eſt copula perſonarum conſanguinearum, vel affinium intra gradum prohibitum. Opponitur caſtitati, & pietati; nam præter luxuriæ fœditatem, continet turpitudinem contrariam reverentiæ conſanguineis vel affinibus debitæ. Eo gravius ſcelus eſt, quo gradus eſt propinquior, qui proinde in confeſſione exprimi debet; nam conſanguineis & affinibus pro diverſitate graduum diverſus honor ac pietas debetur, & tunc violatur.

Item multo gravior eſt inceſtus cum conſanguinea, quam cum affine, v. gr. cum ſorore propria, quam cum ſorore uxoris. Quia vinculum illud eſt multo arctius: nam plus eſt eſſe conjunctum ex proprio ſanguine, quam ratione ſanguinis uxoris; conſanguinitatis propinquitas, utpote immediata ac naturalis, major eſt propinquitate affinitatis, quia eſt dumtaxat mediata & voluntaria. Immo inceſtus in conſanguinitate differt ſpecie ab inceſtu in affinitate, nam reverentia debita conſanguineis, quæ violatur, eſt notabiliter diverſa a reverentia debita affinibus, cum habeat motivum notabiliter diverſum, nempe communionem ſanguinis, & originem ab eodem ſtipite: ac proinde ii duo inceſtus habent turpitudinem notabiliter diverſam.

Inceſtus vero ſpiritualis, qui eſt copula illicita inter perſonas impeditas ob cognationem ſpiritualem ortam ex Baptiſmo vel Confirmatione, continet tum malitiam propriam inceſtus, quatenus eſt copula inter perſonas vinculo ſpirituali conjunctas, cujus conjunctionis intuitu Eccleſia prohibuit inter illas matrimonia: tum malitiam ſacrilegii, eo quod prohibitio iſta facta ſit propter reverentiam debitam Sacramento, quæ reverentia violatur per talem copulam. Unde debet explicari cognatio ſpiritualis in ſpecie, ut innoteſcat utraque malitia. *Ita Delugo, Sanchez &c.*

6. Sacrilegium venereum eſt violatio rei ſacræ per actum luxuriæ. Unde duplicem continet malitiam mortalem, unam contra caſtitatem, & alteram contra religionem, quia gravis irreverentia Deo irrogatur. Res autem ſacræ, quæ ſic violari ſolent, ſunt perſona voto caſtitatis etiam ſimplici obſtricta, & locus ſacer.

Quare ſacrilegium eſt. 1. Omnis actus tum externus, cum etiam mere internus luxuriæ ſive conſummatæ, ſive non conſummatæ, a perſona voto caſtitatis obſtricta, vel ab alia cum illa, aut circa illam commiſſus: ut ſunt pollutio, copula, oſcula, tactus, deſideria, delectatio moroſa &c. Nam per tales actus violatur ſanctitas perſonæ, quæ per votum caſtitatis corpus ſuum, & affectus ſuos omnes quoad voluptatem veneream Deo conſecravit. Quod ſi utraque perſona ſit ſacra, erit duplex ſacrilegium.

2. Omnis actus venereus illicitus exterior, etſi occultus, ut fornicatio, pollutio, & tactus impudici in loco ſacro, nempe in Eccleſia vel cœmeterio. Nam ſunt contra reverentiam loci ſacri, & ejus intuitu ab Eccleſia prohibentur. Item copula conjugalis etiam occulta, quam non permittit ſanctitas loci, & quæ in ejus reverentiam ab Eccleſia prohibetur.

Porro tanto gravius eſt ſacrilegium, quanto fœdior eſt luxuria; quia tanto magis repugnat reverentiæ debitæ rebus ſacris.

*Nota*. Peccatum luxuriæ Confeſſarii cum Pœnitente continet malitiam duplicis ſacrilegii, tum contra votum caſtitatis, tum contra reverentiam Sacramenti, quod per hoc redditur odioſum ac ſuſpectum maxime ſi ſumitur ut medium ad peccandum. Immo licet tale peccatum non ſit proprie inceſtus, quia non contrahitur cognatio ſpiritualis, niſi ex Baptiſmo, & Confirmatione, c. 5. *de cognat. ſpirit. in 6.* tamen habet etiam malitiam tamquam inceſtus ſpiritualis: nam eſt inceſtus quidam ſimilitudinarius, ex cap. *Non debet* 30. qu. 1. ubi Cæleſtinus Papa ait: *Non debet Epiſcopus, aut Presbyter commiſceri cum mulieribus, quæ ei ſua fuerint confeſſæ peccata. Si forte (quod abſit) hoc contigerit; ſic pœniteat, quomodo de filia ſpirituali, Epiſcopus quindecim annos, Presbyter duodecim, & deponatur, ſi tamen in conſcientiam populi devenerit*. Et ex cap. *Omnes* eod. *Quia per pœnitentiam contrahitur quoddam fœdus inter ſacerdotem & mulierem confitentem, ſimile cognatione ſpirituali, ut tantum peccet eam carnaliter cognoſcens, ac ſi eſſet ſua ſpiritualis filia*, ait S. Th. in 4. diſt. 42. q. 1. ar. 4. ad 8. Hinc circumſtantia hæc in confeſſione exprimi debet. *Sanchez, Delugo &c.*

Quæſt. III. *Quænam ſunt ſpecies luxuriæ conſummatæ contra naturam?*

*Reſp.* Cum hæc peccata ſint ea, in quibus non ſervantur conditiones, quas poſtulat natura actus venerei, ut ex eo poſſit fieri conceptio hominis, & hæ conditiones quinque ſint, ſcilicet conjunctio duorum, eadem in utroque ſpecies, ſexus diverſus, organa ſeu vaſa apta, & debitus modus, ideo ſunt quinque ejuſmodi peccata.

1. Mollities, ſeu pollutio proprie ſumpta, quæ eſt voluntaria ſeminis effuſio ſine ullo concubitu; ſive illud foras effundatur, ut in maribus; ſive intus diſtcat in matricem, ut in feminis.

2. Inordinatus concumbendi modus, quo ſemen extra vas effunditur, aut effundendi periculum infertur, eſt peccatum mortale, cum repugnet generationi, ad quam ſemen ex natura ſua ordinatum eſt: & quidem gravius pollutione, cum ei ſuperaddat inordinatum congreſſum. Quod ſi modus debitus non ſervetur, ſed vir ſuccumbat, vel averſe accedat more pecorum, vel a latere ſtet aut ſedeat, tunc, modo diligenter avertatur periculum effuſionis extra vas, juxta communem ſententiam non eſt peccatum per ſe mortale, ſed veniale grave, nec contra naturam, ſed præter naturam. Dico *per ſe*, quia poteſt eſſe, & eſt plerumque ſignum concupiſcentiæ mortalis, cum ſit ex



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

ſola libidine ſine cauſſa, ut dicit S. Th. Sed nullum erit peccatum, ſi hoc fiat ex neceſſitate, cum ſcilicet ob diſpoſitionem alterutrius corporis conjuges non poſſunt ſervare modum ordinarium; nam tunc alter modus non eſt incongruus reſpectu illorum: ſed conveniens, modo diligenter avertatur periculum effuſionis extra vas.

3. Sodomia imperfecta, quæ eſt commixtio maris cum femina non ſervatis debitis organis, ſeu inſtrumentis naturalibus.

4. Sodomia perfecta, quæ eſt commixtio duorum ejuſdem ſexus, ut maris cum mare, vel feminæ cum femina. Nec refert in quo vaſe coeant maſculi inter ſe, & feminæ, ſive in vaſe exteriori aut poſteriori, ſive in ore, aut quavis alia parte, cum Sodomiæ perfectæ malitia conſiſtat in affectu ad ſexum indebitum, & ſit completa eo modo quo poteſt, dum eſt applicatio membri ad membrum ejuſdem ſexus. Præter malitiam mortalem graviorem pollutione, poteſt habere alias adjunctas, ut adulterii, ſi fiat in perſona conjugata vel cum illa; ſacrilegii, ſi cum ſacra; inceſtus, ſi cum conſanguinea aut affini &c. Debet autem pœnitens explicare in confeſſione, an fuerit agens vel patiens, quia ex parte agentis intervenit pollutio propria, quæ forte non intervenit ex parte patientis (quamvis plerumque interveniat utrinque; & cum ſic interveniſſe noſcitur, exprimi debet). Nam diverſa ſunt peccata voluntarie pollui, & ſolum cooperari pollutioni alterius: aliud enim eſt non cohibere delectationem propriam illicitam, aliud procurare alienam. *Delugo*.

Hæc ſodomia eſt diverſæ ſpeciei ab imperfecta. Nam non ſervare in copula carnali debitum ſexum, eſt deformitas contra rectam rationem, notabiliter diverſa a deformitate, quæ ineſt congreſſui, a quo non ſervatur debitum inſtrumentum ſeu vas, ſervato debito ſexu.

5. Beſtialitas, quæ eſt coitus cum beſtia, ſive ejuſdem, ſive diverſi ſexus, eſt ſcelus ceteris gravius: nam magis dedecet naturam rationalem ad Dei imaginem factam; & diverſitas ſpeciei magis repugnat inſtituto naturæ. Ad hoc revocatur congreſſus cum dæmone in forma hominis vel bruti, qui præter malitiam luxuriæ contra naturam eſt etiam contra virtutem religionis, propter commercium & ſocietatem cum capitali hoſte Dei.

Porro hæc omnia peccata inter ſe ſpecie differunt: nam ſingula habent ſpecialem & notabiliter diverſam deformitatem caſtitati repugnantem. Hinc Alexander VII. damnavit hanc propoſitionem: *Mollities, Sodomia, & beſtialitas ſunt peccata ejuſdem ſpeciei infimæ, ideoque ſufficit dicere in confeſſione ſe procuraſſe pollutionem*. Sunt etiam graviora aliis ſpeciebus luxuriæ naturalis in ratione luxuriæ: nam per ſe magis ſunt contra naturam & finem generationis. Aliquæ tamen ex his ſpeciebus poſſunt eſſe graviores culpæ ex alia parte, ut ſcilicet involvunt malitiam alterius ſpeciei contra caſtitatem, pietatem, religionem: nam ſimplex pollutio non eſt abſolute majus crimen quam concubitus cum matre, vel cum moniali.

Quæſt. IV. *An* (1) *pollutio voluntaria eſt per ſe ſemper peccatum mortale?*

*Reſp.* Affirmat. *Ita omnes*. Conſtat 1. Ex 1. ad Cor. 6. *Neque adulteri, neque molles regnum Dei poſſidebunt*. Et ad Epheſ. 4. *Omnis fornicator, aut immundus non habet hæreditatem in regno Chriſti, & Dei*. Pollutio autem eſt vera immunditia ac impuritas, & quidem ſpecialis. 2. Quia eſt intrinſece mala, & crimen ſimplici fornicatione gravius. Nam graviter repugnat generationi & propagationi generis humani, ad quam ex natura ſua ordinatum eſt ſemen humanum: ideoque gravem continet inordinationem, quam Scriptura indicat, Geneſ. 38. ubi de Onan fundente ſemen in terra, ait: *Et idcirco percuſſit eum Dominus: quod rem deteſtabilem faceret*. Innoc. XI. damnavit hanc propoſitionem: *Mollities jure naturæ prohibita non eſt: unde ſi Deus eam non interdixiſſet, ſæpe eſſet bona, & aliquando obligatoria ſub mortali*.

Quare, ſecundum communem Doctorum ſententiam, nullo caſu, etſi non voluptatis, ſed ſolius mortis vitandæ cauſſa, licet in ſe vel in alio quovis modo, pollutionem voluntarie procurare, admittere vel intendere, aut aliquid ſumere ea intentione, ut etiam ſomno accidat. Nam ipſe actus pollutionis independenter a delectatione, ſecundum ſe graviter repugnat generationi, quæ ſola eſt finis ſeminis humani. Et ideo neque licet probare, aut ſumere medicamentum ad corrumpendum ſemen, illudque emittendum via ordinaria ſine delectatione.

Porro de diſtillatione, quæ eſt fluxus humoris quaſi medii inter urinam & ſemen, idem ſentiendum eſt, quod de pollutione, ſi fiat cum ſenſu delectationis venereæ. Cum autem ſit ſine ulla commotione ſpirituum genitalium, & abſque omni carnali delectatione, de ea non eſt magis curandum quam de ſudore, inquit Cajetanus.

*Obj.* Licet corporis ſui partes abſcindere ad vitæ ſuæ conſervationem. Ergo &c. *Reſp.* Diſparitas eſt, quod partes corporis per ſe & primario ordinantur ad totum conſtituendum; unde de illis diſponere licet ad totius conſervationem. At ſemen ſolum inſtitutum eſt & ordinatum ad ſpeciei propagationem: ideoque eo uti non licet, niſi modo ad ſpeciei propagationem convenientem idoneo, & intra matrimonium. Addit Sanchez, quod ſi ullo caſu liceret ſeminis effuſionem procurare extra actum conjugii, periculum eſſet ne ob vehementem voluptatem, quæ in ea ſentitur, homines paſſione excæcati & illecti, eam licentiam facile extenderent ad plures alios caſus, in detrimentum ſpeciei humanæ, & ſæpiſſime illum caſum adeſſe ſibi falſo perſuaderent. Nam ſi ſimul voluptate frui, & onera educandæ prolis vitare liceret, impediretur propagatio generis humani. Unde ad commune bonum, & ad occurrendum periculis alias futuris, debuit pollutio jure naturali prohiberi in omni caſu. At cum abſciſſio membri ſit de ſe moleſta, periculum non eſt, ne extendatur ultra caſus a natura conceſſos.

Dixi, *voluntaria*. Quia ſi pollutio non ſit voluntaria nec in ſe, nec in cauſſa, ut ſæpe ſit in ſomno, vel quando ex cauſſis naturalibus licitis oritur,

(1) *De pollutione multifariam ſpectata habes multa in Opuſc.* De modo confitendi, & puritate conſcientiæ (*c. 7. & ſeq. trib.*) *quod reperitur impreſſum inter Opuſcula tum Angelici, tum Seraphici*.



tur, non eſt peccatum, ſecluſo conſenſu in delectationem. Nam omne peccatum imputabile eſt eſſentialiter voluntarium, vel directe, vel indirecte, aut interpretative, in ſe vel in alio.

Pollutio tamen in ſomno facta mortalis eſt, ſi ante directe procurata eſt, vel ſi poſt ſomnum in ipſa evigilatione, cum plena advertentia placuit ob delectationem veneream. Alias non eſt peccatum, niſi indirecte procurata fuerit in exceſſu cibi vel potus, quia nemo poteſt peccare in ſomno defectu libertatis. Ita *S. Th. in 4. diſt. 9. art. 4.* Quod ſi (ut multi docent) liceat evigilanti non impedire, ſed permittere abſolvi pollutionem jam in ſomno cœptam ad vitandum morbum, (modo non ſit periculum conſentiendi in delectationem veneream, ad quod opus eſt oratione) quia inquiunt, eſt præciſe pati ex neceſſitate effuſionem ſeminis, non autem illam procurare; tunc ſaltem eſt obligatio reprimendi delectationem per poſitivam diſplicentiam internam; nam non licet ſe habere indifferenter ad illam. Certo autem peccat, qui expergefactus promovet pollutionem in ſomno cœptam, addendo conatum; quia non præciſe patitur, ſed poſitive continuat illam. Immo dum pollutio naturaliter fluere ſentitur, quovis tempore tenemur eam cohibere, alioqui diſplicentia interna, quam tenemur de venerea delectatione elicere, non eſt efficax.

*Nota*. Sæpe pollutio, præter propriam malitiam, habet aliam in confeſſione exprimendam, petitam, vel ex qualitate perſonæ ſe polluentis, ſi eſt ſacra vel conjugata, vel ex affectu ad aliam, cum qua deſideratur concubitus, quæ ſi ſoluta, malitiam habet fornicationis; ſi ſacra, ſacrilegii; ſi ejuſdem ſexus, ſodomiæ; ſi conjugata, adulterii &c. vel ex modo quo ſe polluit, ſi nempe fiat per tactus mutuos cum illa perſona; nam hæc circumſtantia pertinet ad ſpeciem ſodomiæ, ſi ambo ſint ejuſdem ſexus, ad inceſtum ſi ſint conſanguinei aut affines &c. Idem dic de aliis luxuriæ peccatis.

*Sed an licet deſiderare pollutionem in ſomno contingentem, ut natura levetur, ſeu ſanetur, non intendendo pollutionem ipſam, nec delectationem veneream; nec aliquid adhibendo, ut pollutio in ſomno ſequatur?*

*Reſp.* Azor cum aliis negat, quia pollutio eſt mala ex objecto ſuo & natura; at non licet etiam ob bonum finem deſiderare id quod ex objecto ſuo malum eſt. Affirmant alii cum S. Anton. 2. p. tit. 8. c. 5. ubi ait: *Appetere habere pollutionem propter alleviationem naturæ tantum ſine peccato, idest, ſine hoc quod det operam, ſed via naturali, non eſt peccatum*. Ratio quam affert Sanchez, eſt, quia talis pollutio non procurata, ſed via naturali proveniens, nullatenus eſt actus hominis, nec ejus voluntati ſubjectus, ſed actus quidam & evacuatio naturalis, ſicut ſudor. Secus de homicidio & fornicatione, quæ non ſunt actus naturales, ſed ſuapte natura liberi, & hominis voluntati ſubjecti.

Item controverſia eſt, utrum liceat de pollutione in ſomno inculpabiliter eveniente gaudere, præciſe ob levamen naturæ & ſalutem corporis; quamvis conſentiant omnes licitum eſſe gaudere de bono effectu illo ex ea orto. *S. Th. in 4. diſt. 9. ar. 4. q. 1. ad 5.* de pollutione nocturna & inculpabili, ait, *Si autem placeat ut naturæ exoneratio, vel alleviatio, peccatum non creditur*. Porro conſtat eſſe mortale de illa gaudere propter delectationem veneream.

Quæſt. V. *An eſt peccatum ponere actionem, ex qua prævidetur ſecutura pollutio, vel delectatio venerea?*

*Reſp.* 1. Eſt mortale ponere ſine urgenti neceſſitate actionem, ex qua, tamquam cauſſa proxima, prævidetur ſecutura pollutio, vel delectatio venerea, quamvis neutra aliunde intendatur, immo adſit propoſitum illos motus comprimendi cum inſurgent. Quia 1. Lex naturalis obligans ad non procurandam pollutionem & delectationem veneream, ſimul obligat graviter ad vitandas & auferendas cauſſas horum motuum proxime excitativas, & per ſe in illos notabiliter influentes, ubi abeſt neceſſitas tales cauſſas honeſtans. 2. Merito effectus cenſetur voluntarius, & imputatur ponenti cauſſam proximam ſine neceſſitate eam cohoneſtante. Hinc graviter teneris ejuſmodi actionem inchoatam deſerere ſtatim ob inſurgentem pollutionem, vel delectationem veneream: nam ſi pergas in illa actione, effectus ſecutus cenſetur in illa volitus; volitio enim continuandi cauſſam eſt virtualiter & moraliter volitio effectus. *Leſſius, Valentia &c.*

Cauſſæ autem ſeu diſpoſitiones proximæ horum motuum excitativæ, ſunt actiones quæ per ſe ſunt turpes, & natæ excitare motus venereos, & turpitudinis ſpeciem habent, niſi propriæ vel alienæ neceſſitatis titulis honeſtentur, ut aſpectus, & tactus partium pudendarum proprii vel alieni corporis, præſertim diverſi ſexus; lectio, auditio, locutio rerum valde obſcœnarum, & ad libidinem allicientium quamvis ex ſola curioſitate fiat.

Dixi: *ſine neceſſitate*: nam aſpectus & tactus partium pudendarum alterius corporis ob neceſſitatem medendi, non eſt peccatum, ſecluſo affectu pravo, & periculo conſenſus in delectationem veneream. Nam in tali caſu pollutio ſecuta non cenſetur voluntaria in cauſſa, ſed ſolum permiſſa; quia adeſt juſta ratio ponendi cauſſam illam, & proſequenti jus ſuum non imputatur effectus præter intentionem ſecutus. Neque enim tenemur motus illos naturales & per ſe involuntarios impedire, cum adeſt juſta cauſſa non impediendi, & abeſt conſenſus periculum. Sic chirurgus exercens ſuam artem circa mulierem, non peccat, etſi prævideat pollutionem inde ſecuturam, modo abſit periculum conſenſus in delectationem.

*Reſp.* 2. Ex communi ſententia, non eſt mortale contra caſtitatem ponere actionem, ex qua tamquam cauſſa ſeu diſpoſitione remota & per accidens, prævidetur ſecutura pollutio vel delectatio venerea, modo neutra intendatur, & abſit periculum conſenſus in delectationem veneream. Quia 1. cum illi motus facillime & frequenter inſurgant naturaliter, in æſtimatione prudenti non cenſentur ſufficienter voluntarii in cauſſa remota, ut imputentur illam ponenti ex alio fine; ſed a ſola natura corrupta oriri cenſentur: alioqui e im homo teneretur abſtinere a multis actionibus licitis ac neceſſariis, ne illos motus experiretur. Nec cauſſæ illæ remotæ cenſentur moraliter illorum cauſſæ, nec in illas conſentiens cenſetur velle talem effectum propter ſummam facilitatem, qua illi motus excitantur ex naturæ corruptione, ſed potius illa effuſio procedit e virtute naturali expellente. 2. Quia jus ſuum proſequenti non



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

imputatur effectus per accidens, & præter intentionem ſecutus.

Sanchez tamen ex communi docet, tales cauſſas ſine juſta cauſſa ponere, eſſe veniale, etiam contra caſtitatem: quia aliquantulum adverſatur caſtitati quod ſine utilitate honeſta cogente ponatur cauſſa remota, & per accidens motuum caſtitati inimicorum, & ad malum incitantium.

Cauſſæ autem remotæ & per accidens horum motuum ſunt eæ, quæ non ſunt per ſe turpes, nec ad luxuriam, ſed ad alios ſines licitos per ſe ordinantur, nec turpitudinis ſpeciem habent, ſed vel per ſe honeſtæ ſunt, ut auditio confeſſionum, vel indifferentes, ut equitatio, eſus calidorum, ſtudium medicinæ, medicamenta &c. Quare hæc, accedente honeſta & utili cauſſa, & ſecluſo periculo conſenſus, ſunt licita, quamvis præter intentionem ex iis ſequatur pollutio, vel delectatio venerea. Nam tunc illi motus cenſentur ſolum permiſſi, non voliti; eo quod nulla ſit obligatio relinquendi opus honeſtum & utile, propter motum inordinatum & indeliberatum, occaſione illius ex naturæ corruptione, præter intentionem & ſecluſo periculo conſenſus, exurgentem.

Quod ſi eſſet periculum probabile conſentiendi in delectationem veneream, (ut ſi pluries quis in tali occaſione conſenſerit) tunc is, ex communi ſententia, tenetur ab illa actione, quantumvis honeſta, & utili, v. gr. auditione confeſſionum, abſtinere; nam non licet ſe probabili peccandi periculo exponere.

Quæſt. VI. *An eſt ſemper peccatum non expellere cogitationes de rebus venereis, ſed in illis immorari?*

*Reſp.* Qui immoratur cum plena advertentia in cogitatione de rebus venereis, ſi adſit delectatio venerea, quæ non reprimatur, vel periculum conſenſus in illam, aut in rem cogitatam, peccat mortaliter ratione talis delectationis vel periculi, venialiter vero ſi advertentia ſit ſolum imperfecta ac ſemiplena, qualis eſt in ſemidormiente. Qui autem de talibus rebus cogitat ex juſta & honeſta cauſſa, v. gr. ut tales res melius diſcernat ad confeſſarii vel medici munus recte obeundum, non peccat, ſecluſo periculo conſenſus in rem cogitatam & delectationem: quia talis cogitatio non eſt mala neque in ſe, neque in effectu aut ratione periculi. Erit autem venialis culpa, ſi hoc ex mera curioſitate ſiat, ſecluſis delectatione venerea, & periculo conſenſus in rem cogitatam, & affectu in ipſam: quæ tamen omnia raro abſunt in cogitatione de his rebus abſque ſine honeſto; nam hæc materia eſt valde lubrica & periculoſa.

Quæſt. VII. *Quænam ſunt peccata luxuriæ non conſummatæ?*

*Reſp.* Sunt deſideria, delectatio moroſa venerea, aſpectus, amplexus, & tactus impudici, oſcula, verba obſcœna, geſtus turpes &c. ſine effuſione ſeminis. Jam conſtat ex dictis c. 6. deſiderium ſimplex etti inefficax actus luxurioſi, habere malitiam mortalem ejuſdem ſpeciei; ſic deſiderium ſimplex copulæ cum conjugata vel conſanguinea habet malitiam adulterii vel inceſtus: Nunc de ceteris agam.

Quæſt. VIII. *An delectatio moroſa venerea extra conjugium eſt mortalis?*

*Nota* 1. Delectatio moroſa eſt delectatio deliberata, ſive delectatio poſt ſufficientem advertentiam admiſſa, ſeu approbata, etſi unico inſtanti. Dicitur enim moroſa, non a mora temporis quo durat, cum peccatum mortale unico inſtanti committi poſſit; ſed voluntatis, quæ poſt advertentiam ſufficientem ei immoratur, eam acceptando aut non rejiciendo. Hinc poteſt eſſe delectatio moroſa quamvis inſtantanea, ſi nempe voluntas in eam advertenter per unicum inſtans conſenſerit.

*Nota* 2. Triplex eſt delectatio, nempe ſpiritualis, mere ſenſibilis, & venerea. Spiritualis eſt ea, quæ in ſola voluntate reſidet ſine ullo motu ſenſibili in corpore; ſive quæ eſt independens ab omni motu ſenſibili in corpore. Hæc delectatio, ſi ſit de actu mortali, eſt mortalis, & ſumit ſpeciem ab illo ut objecto. Delectatio mere ſenſibilis eſt, quæ oritur ex proportione ac conformitate rei ſenſibilis cum organo ſenſus, ſine ulla commotione ſpirituum genitalium circa partes venereas; qualis eſt delectatio, quæ percipitur ex actu rei blandæ, ex guſtu, ex muſica &c. Delectatio venerea eſt ea, quæ ſentitur circa partes venereas ex commotione ſpirituum genitalium, ſeu generationi inſervientium.

*Reſp.* Omnis deliberata delectatio venerea vel minima, extra conjugium quæſita aut admiſſa; eſt mortale peccatum, nec poteſt eſſe veniale ex levitate materiæ. *Eſt communis Doctorum ſententia*. Prob. Quia 1. Omnis delectatio venerea ex natura ſua ordinatur ac tendit ad ſeminis effuſionem, eſtque inchoatio quædam illius: nam in omni delectatione venerea ſit quædam reſolutio ſeminis, ejuſque deductio ad partes venereas, ut teſtantur Ariſtot. Galen. Hypocr. & medici. Ergo cum ſeminis effuſio voluntaria extra actum conjugalem ſit mortalis, ut patet ex dictis de pollutione & fornicatione, omnis actus ad illum ex ſe tendens & ordinatus, eſt per ſe mortalis; nam diſpoſitio ſumit ſuam ſpeciem ac malitiam moralem a forma, ad quam diſponit, motus a termino ad quem tendit, medium a fine, cauſſa a ſuo effectu. 2. Inter omnes conſtat, moraliter & practice loquendo, minimam delectationem veneream quæſitam, vel deliberate admiſſam extra conjugium, habere annexum periculum proximum peccati mortalis: eo quod difficillimum ſit & moraliter impoſſibile in re tam lubrica dijudicare ac determinare materiam levem, & ob ſummam naturæ corruptæ in talia propenſionem ſiſtere in certa delectationis parvitate, ita ut animus leviore delectatione illectus, graviores non appetat, nec admittat. Ergo certum eſt etiam ſpeculative, delectationem veneream vel minimam, quæſitam aut admiſſam, eſſe mortalem: cum certum ſit etiam ſpeculative omnem actionem, cui per ſe annexum eſt periculum morale peccati mortalis, eſſe mortaliter malam, *nam qui amat periculum, in illo peribit*, Eccli. 3. & qui vult morale periculum peccati, vult ſaltem interpretative ipſum peccatum.

*Obj.* In furto, in exceſſu cibi vel potus datur levitas materiæ. Ergo &c. *Reſp.* Diſparitas eſt, quia rei vilis ablatio, levis exceſſus in cibo vel potu per ſe non ordinatur ad actum mortalem, nec inducit periculum graviter peccandi. At delectatio venerea vel minima ex ſe ordinatur ad effuſionem ſeminis mortaliter malam extra conjugium, & per ſe inducit periculum conſentiendi majori delectationi.

No-



*Nota*. In ſocietate noſtra omnibus in virtute ſanctæ obedientiæ prohibitum eſt, ne quis publice, vel privatim ſententiam huic oppoſitam, non modo ut veram & probabilem, ſed ne ut tolerabilem quidem ulla ratione doceat, aut ſibi placere ſignificet, aut ſecundum illam cuiquam conſilium dare &c. Ex Congr. 9. Decr. 24.

Quæſt. IX. *An peccat mortaliter, qui poſt ſufficientem advertentiam negative ſe habet ad delectationem veneream, eam neque approbando, neque reprimendo?*

*Reſp.* Affirmat. (1) Quia voluntas tenetur reprimere poſitive motus illicitos delectationis & ſenſualitatis, ſaltem per actum diſplicentiæ. Ita S. Antoninus, Suarez, Vaſquez, Azor, Leſſius, & alii communius cum S. Th. 1. 2. qu. 74. art. 6. ubi ait: *Contingere peccatum eſſe in ratione dupliciter. Uno modo quando imperat illicitas paſſiones .... alio modo quando non reprimit illicitum paſſionis motum: ſicut cum aliquis poſtquam deliberavit, quod motus paſſionis inſurgens eſt inordinatus, nihilominus circa ipſum immoratur, & ipſum non expellit*. Prob. Quia 1. Concil. Trid. ſeſſ. 5. can. 5. definit concupiſcentiam non poſſe nocere *non conſentientibus, ſed virtualiter per gratiam repugnantibus*. Ergo ut non noceat, non ſufficit mera negatio conſenſus, ſed requiritur repugnantia ſeu diſplicentia poſitiva. Tales motus ſunt ex objecto graviter inordinati, cum juxta omnes, ſit mortale illis poſitive conſentire: item ſunt ex natura ſua diſpoſitiones proximæ ad opus mortale, ad quod valde pertrahunt & alliciunt appetitum. Ergo graviter diſconvenit naturæ rationali & Legi divinæ ſe habere indifferenter ad illos; & voluntas, cujus eſt regere paſſiones ſecundum rectam rationem ac Legem divinam, tenetur illos expreſſe ac poſitive reprobare per formalem diſplicentiam. 3. Sicut non licet ſe habere indifferenter ad actus turpes ab alio circa ſe exercitos, ita nec ad motus turpes a dæmone vel ex naturæ corruptione in ſe excitatos. 4. Illis motibus per ſe annexum eſt periculum intrinſecum rei mortaliter malæ, & conſenſus in delectationem; nam ex ſe ſunt diſpoſitiones proximæ ad actum mortalem, nempe effuſionem ſeminis, & per ſe vehementer alliciunt voluntatem ad conſenſum per ſympathiam appetitus ſenſitivi cum rationali. Ergo requiritur poſitiva diſplicentia ad impediendum voluntatis conſenſum, ſine qua non tollitur periculum conſentiendi, cum moraliter impoſſibile ſit, voluntatem diu ſe negative habere circa objectum vehementer alliciens. Hinc illud Prov. 4. *Omni cuſtodia ſerva cor tuum*.

Immo ſola illa diſplicentia non ſufficit, ſed illi motus prorſus expellendi ſunt, præſertim deſerendo actionem, quæ eos excitat, ſi obſtet cauſſa juſta. Tum quia tunc ſola diſplicentia non videtur ſatis ſincera, cum vix diſcerni poſſit, utrum ſit vera diſ-

pli-

(1) *Multæ, ac variæ adjungi poſſunt, ac debent hypotheſes circa hominem affectum prava aliqua delectatione, quas recenſet Seraphicus (in 2. ſent. diſt. 24. p. 2. q. 2.) De hac vero hypotheſi, quam Auctor in præſenti quæſt. proponit, hæc profert S. Doctor*. Si advertit homo periculum, & delectationem illam non repellit: ſed mentem in talibus cogitationibus revolvi ſinit: tunc dicunt Magiſtri, quod peccat mortaliter. Quia quamvis non ſit ibi conſenſus verus, *id eſt expreſſus, & formalis*, eſt tamen ibi conſenſus interpretativus, & comedit ſola mulier. Nihilominus tamen peccatum illud imputatur viro; quia cum eam compeſcere debuiſſet, & teneretur, non tamen compeſcuit (*nominibus mulieris, & viri deſignat cum Magiſtro Sent.* inferiorem, & ſuperiorem portionem rationis). Hoc tamen quod nunc ultimo dictum eſt, non eſt uſquequaque certum. Negant enim aliqui eſſe mortale in negligentia reprimendi, ubi eſt diſplicentia, quantumcunque quis periculum advertat. Sed tamen ſecurior via tenenda eſt; quidquid ſit rei veritas. Et ſi cui hoc contingat, ſanum eſt conſilium, quod de ipſo ut de mortali peniteat: in dubiis enim ſecurior via eligenda eſt. *Et antea (dub. 1. ejuſdem diſt.)*: Sicut ſalutem ſuam corporalem negligeret, qui ſerpentem juxta ſe ſcienter collocaret; ſic qui in tali delectatione advertens periculum, vel debens advertere, voluntarie verſatur, exponit ſe diſcrimini, quando negligit repellere: & pro tanto dicit Magiſter ipſum peccare mortaliter. *Similiter Angelicus in textu alibi recitato*: Antequam ratio delectationem perpendat &c. *deducit conſenſum* interpretativum, *&* peccatum omiſſionis, *ex quo aliquis expreſſe non reſiſtat delectationi, quam ſibi hærentem advertit. Quare ſicuti ex Scoto (in 4. ſent. diſt. 4. qu. 4.)* adultus, qui actualiter ratione utitur, ſi tantum negative non conſentit, negative etiam non dimentit baptiſmo, etſi difficile ſit aliquem talem invenire, non eſt capax baptiſmi; quia ſi non habeat devotionem aliquam, *hoc eſt poſitivum conſenſum* ad ſacramentum, videtur illud contemnere: *ita ex oppoſito quiſquis in ſeipſo advertit æſtuantem aliquam delectationem inhoneſtam, videtur ei ſaltem indirecte aſſentiri, ſi in ipſa moretur abſque ulla poſitiva, & efficaci repugnantia. Hinc autem intelligitur, adverſæ ſententiæ Theologos fruſtra præſentis quæſtionis ſtatum ſic exprimere*: an ſecluſo periculo expreſſi conſenſus in rem malam cogitatam, adſit gravis obligatio poſitive reſiſtendi inordinatis motibus, & delectationibus, quæ ex concupiſcentia naturaliter oriuntur? *Periculum enim, illudque* naturale, *&* ordinarium, *ſaltem inducte conſentiendi poſt plenam rationis advertentiam, eſt in praxi inſeparabile ab ea voluntatis indifferentia ſive ſuſpenſione, quam ipſi ſpeculative ab omni periculo abſtractam concipiunt. Præſentiſſimum autem illud periculum facile deprehendent, ſi hæc tria ſerio obſervent, ſimulque uniant; videlicet 1. grande illicium, quod ſecum fert quilibet perfectus motus ſenſitivi appetitus, præſertim concupiſcibilis. 2. ingentem voluntatis propenſionem ad ſectandas illecebras ejuſdem appetitus; quippe ex Scoto (in 2. ſent. q. 41. q. 5.)* ſicut intellectus conjunctus appetitui ſenſitivo natus eſt intelligere ſenſibilia: ita voluntas propter conjunctionem ſui cum appetitu ſenſitivo nata eſt tendere in delectabilia tali appetitui, & maxime in maxima delectabilia. 3. *ſummam generatim animæ infirmitatem ex peccato communi ortam, ob quam tentationibus potiſſimum interioribus facillime ſuccumbit, niſi Divinis roboretur ac ſuſtentetur auxiliis, quæ utique, non inertibus aut oſcitantibus, ſed legitime certantibus ſunt promiſſa*.

plicentia, an fallacia voluntatis ſibi imponentis, & illis motibus frui volentis. Tum quia homo tenetur impedire & expellere motus per ſe graviter inordinatos, ſaltem cum abeſt juſta cauſſa eos permittendi. Hinc teneris ſub mortali actiones etſi leviter turpes, ut ſunt viſus, locutio, lectio rerum leviter obſcœnarum, ex ſola curioſitate dimittere ſtatim atque excitant in te pollutionem, vel delectationem veneream vehementem, ut docet Valentia. Ubi autem adeſt juſta cauſa non ſic expellendi, ut ſi probabilis timor ſit, ne ex majore reſiſtentia magis augeantur, aut illis depulſis graviores inſurgant, vel ſi ad illos motus expellendos dimittenda eſſet actio honeſta, neceſſaria vel utilis, v. gr. auditio confeſſionum, ſtudium caſuum conſcientiæ, tunc ſufficiet diſplicentia vera: alioqui homines deberent ſemper eſſe anxii, & multa bona omittere. (1)

Porro medium aptiſſimum compeſcendi motus illos eſt, mentem ſtatim alio avertere, & ſi perſeverent, orare, ſigno Crucis ſe munire, oculos ad imaginem Chriſti crucifixi convertere, cogitare de ejus paſſione, de igne æterno, morte &c. interdum de re indifferenti, aut negotio quod animum applicet, & a tali objecto avocet. (2)

Quæſt. X. *An delectatio moroſa de actu luxuriæ v. gr. copula cogitata, contrahit non ſolum malitiam ſubſtantiæ operis, ſed etiam circumſtantiarum cognitarum ei annexarum, & ſpeciem mutantium?*

*Reſp.* Affirmat. *Ita S. Antonin. Cajetan. Suarez, & alii.* Quia talis delectatio verſatur circa opus ut cogitatum; ergo illius objectum eſt id omne quod cognoſcitur; ac proinde non ſolum opus, ſed etiam circumſtantiæ illi annexæ & cognitæ, ſunt ejus objectum. Actus autem ſumunt ſpeciem ac malitiam a toto objecto ſuo, & ad illam contrahendam ſufficit voluntarium indirectum ac interpretativum. Hinc ſimplex delectatio deliberata de copula cogitata cum conjugata vel conſanguinea pertinet ad ſpeciem adulterii vel inceſtus.

Quæſt. XI. *An oſcula, aſpectus, tactus impudici ſunt culpa mortalis in non conjugatis?*

*Reſp.* 1. Iſta omnia, immo & amplexus, oſcula, & tactus partium etiam honeſtarum, ut faciei, manus, ſunt culpa mortalis, ſi extra conjugium fiant ob delectationem veneream, quæ poteſt ex illis ſequi, etiam ibi ſiſtendo. Idem dic de tactu partium proprii corporis. Eſt communis ſententia, & conſtat ex dictis: nam mortale eſt, extra conjugium quærere aut advertenter admittere quamlibet delectationem veneream vel minimam, cum hæc parvitatem materiæ non admittat, & ex ſe tendat ad ſeminis effuſionem, ideoque ad pollutionem vel fornicationem in non conjugato.

Hinc (ut docet S. Antonin.) eſt etiam mortale permittere ſe tangi, etiam in facie vel manu, ab eo qui noſcitur ad id moveri amore libidinoſo, quia eſt cooperari & conſentire alterius culpæ mortali. Digni autem ſunt morte, non ſolum qui mala faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus, *ad Rom.* 1.

*Reſp.* 2. Tactus partium pudendarum aut pudendis proximarum corporis, ejuſdem vel diverſi ſexus, ſunt mortales, ſi fiant vel admittantur ſine neceſſitate medendi, etſi non ob delectationem veneream, ſed ex ſola curioſitate vel joco. *Ita Sanchez, Layman, & alii communiter.* Quia 1. Hi tactus ad delectationem veneream ex ſe tendunt, illamque valde excitant, & ſic ſunt cauſſa illius proxima, immo ex ſuapte natura ad effuſionem ſeminis referuntur. Ergo ſimul cum illa graviter prohibentur: nam prohibita graviter re aliqua, prohibentur etiam graviter omnia, quæ per ſe ad illam excitant & ordinantur. Deinde cauſſa participat malitiam ſui effectus. 2. Hi tactus ſunt impudici, & comprehenduntur nomine impudicitiæ, quæ ad Gal. 5. dicitur excludere a regno Dei.

Hinc ſecluſa neceſſitate medendi, tactum partium inhoneſtarum in ſe permittere ab alio fieri, eſt mortale; & quiſque tenetur quantum poteſt, omnino talia impedire in ſe, & illis reſiſtere, cum ſint intrinſece mala.

Item mortale eſt propria pudenda ſine neceſſitate tangere, ſi delectatio venerea ex eo tactu oriatur & prævideatur, quia per ſe tendit ad pollutionem. Ita Sanchez, ſecus dicens, ſi tactus ille ex curioſitate, levitate, abſque libidine, & delectationis ac pollutionis periculo fiat: quia deficit animus libidinoſus, nec intervenit ea turpitudo, quæ in tactu alieno; nec idem periculum. Hoc tamen non omnino vacat periculo, nec peccato.

*Reſp.* 3. Adſpectus partium pudendarum alterius ſexus, item concubitus viri cum femina, quamvis non animo libidinoſo, ſed ex ſola curioſitate vel levitate, mortalis eſt. Quia ad veneream libidinem & pollutionem in hac naturæ corruptione per ſe multum excitat, & periculum morale conſentiendi in delectationem veneream affert, & valde honeſtati naturali adverſatur. *Ita Sanchez, Reginald. Layman, &c.*

Adſpectus vero pudendorum ejuſdem ſexus vel proprii corporis, aut coitus animalium ex ſola curioſitate vel levitate, ſecluſis affectu venereo, ſcandalo, & periculo pollutionis, ac delectationis venereæ, juxta multos eſt ſolum venialis, quia nec graviter honeſtati adverſatur, nec adeo luxuriam per ſe incitat. Poteſt tamen eſſe mortalis ratione periculi, ſpectata aſpicientis ſpeciali fragilitate: quod non raro adeſt in juvenibus, quare ab his graviter deterrendi ſunt. Et certo mortalis eſt, ſi fiat ex voluptate deliberate quæſita.

*Reſp.* 4. Amplexus, tactus & oſcula etiam in partibus honeſtis, ob ſolam delectationem, mere ſenſibilem & nondum actu veneream, ſunt culpa mortalis inter perſonas diverſi ſexus libidinis capaces, ſaltem ſi fiant cum mora vel repetitione, quamvis non intendatur expreſſe delectatio venerea. Quia illi actus ſic exerciti, per ſe non parum excitant commotionem ſpirituum genitalium, & delectationem veneream, quæ neceſſitate quadam phyſica oritur ex tali delectatione ſenſibili, ſaltem repetita vel diuturna: & quia ſuppoſita propenſione naturæ inordinata in voluptatem carnis, non poſſunt ſic uſurpari abſque delectatione moroſa concubitus: aut ſaltem in hac naturæ corruptione ingerunt periculum morale delectationis venereæ, & conſenſus in illam; & ſic ſunt cauſſaliter libidinoſi, utpote libidinis cauſſæ. Malitia autem talium actuum non ex fine ſolum, ſed etiam ex effectu, quem pariunt, ſumi debet. Hinc Alexander VII. damnavit hanc propoſitionem: *Eſt probabilis opinio, quæ dicit eſſe tantum venialem, oſculum habitum ob delectationem carnalem & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris, & pollutionis.*

*Reſp.* 5. Amplexus, contactus manuum, oſcula in facie, ſi juxta morem patriæ fiant urbanitatis ac benevolentiæ honeſtæ cauſſa, non ſunt peccata per ſe, quia non ſunt impudica, nec per ſe tendunt in actum venereum, & fiunt ob rationabilem cauſſam. Ita communiter cum S. Thom. 2. 2. qu. 154. art. 4. Si vero iſta fiant ex aliqua vanitate, joco, levitate, petulantia veniali, juxta multos, ſunt ſolum venialia; modo abſit omnis affectus libidinoſus, & periculum peccati gravis tam in ſe quam in alio, nec, habita ratione conſtitutionis perſonarum, delectationem veneream multum excitent.

Si autem iſta ſine cauſſa exercita, longiora ſint, aut crebro fiant inter perſonas libidinis capaces, ſunt mortalia. Quia augent affectum ad libidinem, & excitant delectationem veneream, afferuntque morale periculum conſenſus in illam. Nam (ut recte monent) in materia tam lubrica, quæ de ſe eſſent ſolum venialia, ſi repetantur aut diutius protrahantur, ſiunt mortalia, curioſitate aut levitate degenerante in libidinem.

Quare admittens oſcula moroſa, aut crebra, aut indecentia, item tactus mamillarum, peccat mortaliter. Quia cooperatur affectui libidinoſo alterius, qui ſatis per iſta indicatur.

*Nota.* Oſcula, amplexus ob delectationem veneream, tactus & aſpectus impudici mortales ſupradicti ex communi ſententia ſunt ejuſdem ſpeciei mortalis ac actus conſummatus, ſeu concubitus, ad quem ſuapte natura referuntur, quamvis hic non intendatur. Quia ſunt diſpoſitio proxima ad concubitum, & media per ſe ad illum tendentia: diſpoſitio autem & media ſumunt malitiam a ſuo termino & fine: ac proinde iſta omnia contrahunt diverſam ſpecie malitiam, pro diverſitate perſonarum, a quibus & circa quas exercentur: uti malitiam ſodomiæ, ſi cum ſimili ſexu exerceantur: adulterii, ſi cum conjugata aliena: inceſtus, ſi cum cognata, &c. Nam cum opera circa eas perſonas differant ſpecie, ita etiam actus, qui ſunt diſpoſitio & media per ſe ad illa tendentia: quare circumſtantia agentis & patientis exprimi debet in confeſſione. *Ita Sanch. Leſſius, & alii.* Impudicus vero ſui ipſius tactus ad mollitiem pertinet, niſi alio referatur ex intentione agentis.

Quæſt. XII. *Quale peccatum eſt loqui, canere, legere, vel audire turpia & obſcœna?*

Reſp.

---

(1) *Quando motuum, & delectationum turpium proxima cauſſa non eſt peccaminoſa (qualis eſſet ex. gr. curioſus adſpectus, aut tactus obſcœnarum rerum) ſed potius rationabilis, juſta, honeſta (cujuſmodi ſunt miniſteria medendi corporibus, excipiendi Sacramentales Confeſſiones, publice docendi, & ſimilia) tunc ſi contingat, ut ea cauſſa perdurante nequeat quis vel abſolute, vel ſine gravi difficultate & anguſtia actualiter reluctari ſenſualibus motionibus, delectationibuſque, propter magnam ſcilicet in prædictis miniſteriis occupationem, vel attentionem, ille minime peccabit hoc nomine præciſe, quod eoſdem non expellat, aut non dimittat miniſteria ſua; dummodo ſit ita comparatus, ut talibus ſtimulis nec actu conſentiat, nec verſetur in* proximo *conſentiendi periculo. Siquidem in iſta hypotheſi deeſt omne voluntarium, tum* directum, *tum* indirectum. *Directum quidem, ut per ſe liquet: indirectum etiam, quia ad hoc requiritur, ut agens &* poſſit, *& ſimul debeat amovere cauſſam effectus mali quam obligationem non habent ii, qui ſeu in Eccleſiæ, ſeu in Republica neceſſariis, & utilibus inſudant occupationibus. Deficiente autem utraque, vel alterutra illarum conditionum, iſtos quoque peccare evidens eſt juxta generalem, & indefinitam Apoſtoli regulam:* non ſunt facienda mala, ut eveniant bona (*vid. N.* 314.) *Quare qui ejuſmodi officiis vacant, ubi proprio experimento noverint, ſe aut conſentire, aut proximum ſubire periculum conſentiendi pravis illis motibus, & delectationibus, jam omnino tenentur ſibi conſulere, amovendo cauſſas lapſus, aut periculi, tametſi in ſe honeſtas, juxta Evangelicum Chriſti præceptum:* Si oculus tuus, vel manus tua ſcandalizat te, erue eum, abſcinde eam, & projice abs te. *Neque, ubi grave ipſi offendiculum patiuntur, poſſunt a Superioribus urgeri ad ea officia exercenda, quia nulla humana poteſtas præſcribere poteſt contra Deum, & conſcientiam.*

(2) *Admiſſa doctrina ſaniore, & communiore, quam Auctor in theſi principali hujus 9. qu. aſſeruit, noſque in ſuperiore Nota communivimus, notum remanet obſervandum, quod ad praxim moralem valde conducit. Quotieſcumque grave extat periculum aſſentiendi alicui pravo motui, ſeu delectationi ſenſuali, ut dicatur homo eidem* efficaciter *reſiſtere, ſatis non eſt, ſi* nullo *prorſus elicito actu contrario voluntatis ſe convertat ad ſtudium, laborem, aliaque diſparata negotia, ſed debet habere* poſitivam diſplicentiam *erga illam delectationem, ſive poſitivam voluntatem non obſequendi eidem delectationi. Nam ſola illa occupatio extranea, eſto juvare poſſit ad impediendum expreſſum voluntatis conſenſum proxime imminentem, atque etiam ad interturbandum indirectum, ſi ob longiorem retentæ delectationis moram jam interveniſſe præſumitur juxta Angelici, ac Seraphici judicia in ſuperiore Nota jam expoſita: attamen minime ſufficiens videtur ad efficacem reprehenſionem inordinatarum delectationum præſertim venerearum. Hæ namque cuilibet occupationi etiam ſacræ faciliime ſe immiſcent, ac denuo animum ad aſſenſum ſollicitant, ac pelliciunt, ut experientia multiplici ſatis compertum. Quocirca, ut ſit in tuto quiſquis ejuſcemodi aculeos ſentit, & adhuc quaſi indifferens hæret, debet ſe ab hac hæſitatione eximere, primum celeri aliqua voluntatis averſatione illos ſpernendo, dein honeſtum aut indifferens quodpiam opus aggrediendo. Sed potiſſime oratione aliqua ſaltem jaculatoria implorandum erit Divini Spiritus adjutorium; quoniam ſine ejus numine nihil eſt innoxium, nec poſſumus eſſe continentes, niſi ipſe dederit. Si monitum hoc reſpuere non debent, etiam qui ſunt ad excolendas virtutes exercitati: quanto minus oportebit ab eo deſciſcere reliquos in ſpirituali pugna vel imperitos, vel infirmos? E tamen nonne plurimos reperire eſt, qui in prædicto agone conſtituti putant, ſe ſat feliciter e cœno emergere extima oris contorſione, vel ſcapularum agitatione?*

*Reſp.* Eſt mortale, ſi fiat extra conjugium ob delectationem veneream, cum probabili periculo illius in ſe vel in aliis, aut cum animo ſe oblectandi rebus illis. *Ita S. Antonin. Navar. Sanchez, & alii communiter.* Quia delectatio venerea extra conjugium eſt ex objecto mortalis, cum ſit mortale ei conſentire. Ergo eſt mortale intendere vel procurare illam, aut ejus periculum probabile in ſe vel in aliis. Delectatio vero de actu turpi apprehenſo eſt per ſe mortalis; ergo & illam verbis fovere.

Secluſo autem omni affectu venereo, & periculo delectationis venereæ ac ſcandali, turpia loqui vel canere ſolum ex levitate, vel legere aut audire ex mera curioſitate, eſt ſaltem veniale. Nam hæc adverſantur caſtitati, & prohibentur Epheſ. 4. *Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat.* Et c. 5. *Fornicatio autem, & omnis immunditia nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos; aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas.* Tamen juxta S. Antonin. & alios, non eſt mortale, quia non eſt per ſe gravis inordinatio. *De hoc nulli dubium eſt, quod qui dicit verba turpia & laſciva hac intentione, ut ſe vel alium provocet ad luxuriam, vel ſe mente delectandi in locutione & cogitatione turpium, extra matrimonium, mortaliter peccat.... Sed ubi talia verba turpia dicuntur ex quadam levitate ad ſolatium, quamvis de ſe non videantur mortalia, quia peccata oris, ſecundum Thomam, per ſe maxime judicantur quoad gravitatem peccati ex intentione proferentis; tamen per accidens poteſt eſſe mortale ibi, ratione ſcandali ſeu ruinæ inde ſequentis in mente alicujus; ut cum audientes ſunt debiles ſpiritu, & verba eſſent multum laſciva. Idem videtur dicendum de facientibus vel cantantibus cantilenas plenas laſciviis*, ait S. Antonin. p. 2. to. 5. c. 1. §. 8.

Sed quia in praxi raro abeſt periculum turpis deſiderii aut complacentiæ, ſive in proferente ac legente (1), ſive in audientibus ſermones, cantiones vel lectiones rerum turpium ac laſcivarum, in, vel coram juvenibus aut aliis infirmis ſpiritu, raro vacant culpa mortali, nam *corrumpunt mores bonos colloquia mala*, 1. ad Cor. 15. *& præbent verba ad res ipſas ingreſſum*, ait S. Athanaſ. Hinc obſcœna proferens tenetur in Confeſſione exprimere numerum eorum, quibus fuit occaſio turpis deſiderii vel delectationis. Qui vero alteri præbet occaſionem ſermonis turpis continuandi cum aliorum periculo, vel præſtat auctoritatem verbis turpibus, peccat mortaliter, etiamſi rem narratam interius non approbet, nam complacentia vel approbatio exterior rei mortalis, eſt mortalis.

Idem eſt de geſtibus turpibus ac de turpiloquiis; cum ſint etiam ſigna ad luxuriam incitantia, & de turpibus ſpectaculis ac comœdiis. Qui autem libros turpes & amatorios habent, non ſunt abſolvendi, niſi illos comburant.

Quæſt. XIII. *An licent oſcula, amplexus, tactus &c. in ſponſis, & viduis?*

*Reſp.* 1. Omnis delectatio venerea, aſpectus & tactus turpis ſeu partium pudendarum, & quivis actus luxuriæ, ſunt mortales in viduis & ſponſis. *Ita Sanchez, & alii communiter.* Quia cum omnis delectatio venerea & actus libidinoſus ſuapte natura ordinetur ac tendat ad effuſionem ſeminis & copulam, eſt mortalis in non conjugatis; cum effuſio ſeminis & copula ſit in ipſis mortalis: nam medium a fine, & actio a termino, ad quem tendit, malitiam ac ſpeciem ſumit. Cum ergo copula tam ſit ſponſis ac viduis illicita, quam aliis ſolutis: tum etiam iis illicitus eſt omnis actus turpis ac impudicus. Et vero cum ſponſalia ſint ſolum promiſſio futuri matrimonii, non traditio corporum, nullum tribuunt jus præſens in corpus alterius in ordine ad copulam hic & nunc exercendam, nec proinde ad actos qui ad illam per ſe ordinantur: ſicuti munus judicis exercere hodie non licet ei, cui præciſe promiſſum eſt.

Itaque ſolum licent ſponſis amplexus & oſcula honeſta, juxta morem patriæ, amoris honeſti ſignificandi & fovendi cauſſa: Hinc ſponſi non debent relinqui ſoli, ob periculum actuum impudicorum, vel etiam copulæ, ut S. Carolus & Doctores paſſim monent.

*Reſp.* 2. In ſponſis ac viduis mortalis eſt voluntaria delectatio carnalis ſeu delectatio appetitus ſenſitivi de copula futura aut præterita, vel de copula apprehenſa ſub conditione, ſi adeſſet matrimonium. *Ita Sanchez, Azor, & alii communiter.* Quia delectatio carnalis, quæ ex cogitatione copulæ futuræ vel præteritæ, vel conditionalis oritur, eſt delectatio abſoluta, præſens & conjuncta cum actuali commotione ſpirituum genitalium per ſe ordinata ad copulam præſentem: ſive carnalis illa delectatio eſt delectatio venerea præſens & voluntaria, quæ ex ſe ordinatur ad copulam præſentem, ideoque ſemper mortalis eſt in non conjugatis. Nam copula præſens ſeu actualis ſemper eſt mortalis in non conjugatis: Ergo & omnis actus ad illam ex ſe ordinatus ac tendens. Et vero appetitus ſenſitivus ſequitur imaginationem, quæ non poteſt præſcindere, nec apponere conditionem.

Porro ſunt qui docent, poſſe excuſari a mortali eos, qui abſque commotione venerea apprehendunt actum conjugalem ut præteritum vel futurum, appro-

(1) *Inter obſcœnos libros recentiores, quorum lectio in praxi* proximum *ſpiritualis ruinæ præſefert periculum, utique a cunctis promiſcue evitandum ſeu deſtitutis, ſeu præditis quacumque facultate legendi prohibitos libros, ex. gr. eſt proculdubio libellus ille, qui ſub fallaci titulo*, elegantiarum latini ſermonis, *maximas complectitur rerum turpitudines, ut merito crederes (niſi aliunde conſtaret, Catholicorum typis recenter fuiſſe excuſum tum extra, tum intra Italiam) nonniſi ex veterum Nicolaitarum, aut Gnoſticorum ſordidis officinis prodiiſſe. Appoſite hanc ad rem D. Bonaventura* (*Serm. 2. de Invent. Sanctæ Crucis*) *ſcripſit*: Qui vere continens eſſe vult, debet non ſolum tactus impudicos fugere, ſed vanos aſpectus, vanos auditus, & vanas locutiones vitare. Nam Lacedæmones tamquam caſtitatis amici (ut narrant eorum hiſtoriæ) libros cujuſdam Philoſophi extra civitatem juſſerunt aſportari, eo quod illorum lectio non erat omnino pudica, ſed potius ad luxuriam inflammativa. Noluerunt enim filios ſuos talibus lectionibus imbui, ne honeſtis moribus plus nocerent, quam ingeniis prodeſſent. Ergo ſi talia Pagani fecerunt, quid deberent facere Chriſtiani?



probantes quod illum exercuerint aut exercituri ſint; eo quod non approbent illud opus niſi quatenus fuit vel erit iis licitum; ſed monent talem mentis apprehenſionem, cum vix poſſit eſſe ſine delectatione venerea, eſſe ſtatim rejiciendam, & nunquam arceſſendam. Neque enim eſt in noſtra poteſtate ſiſtere in delectatione mere ſpirituali, dum certa objecta apprehendimus.

Quæſt. XIV. *Quænam ſunt filiæ Luxuriæ?*

*Reſp.* Ex S. Gregorio & Thoma ſunt octo. Quatuor ex parte intellectus, nempe cæcitas mentis, præcipitatio, inconſideratio, & inconſtantia: quæ ſunt mortales, cum ideo præceptum aliquod in re gravi violatur. Et quatuor ex parte voluntatis. 1. Amor ſui inordinatus quo luxurioſus carnem ſuam & carnis voluptates ita diligit, ut in iis finem ultimum ponat, ſuas cogitationes ac curas ad illarum aſſecutionem referendo. 2. Odium Dei, qui voluptates illas graviter vetat & punit. 3. Affectus præſentis ſæculi, hoc eſt, vitæ præſentis & rerum hanc oblectantium, quo ita illis inhæret, ut contentus eſſet in hoc mundo ſemper manere de beatitudinis cæleſtis conſecutione haud ſollicitus. 4. Horror, & deſperatio futuri ſæculi: horror quidem, quia ſcit ſe poſt mortem impuris voluptatibus privatum iri, & earum loco ſupplicia acerbiſſima ſubiturum. Deſperatio vero, quia obſcœnas voluptates deſerere quaſi impoſſibile reputat. Hæc quatuor ſunt mortalia.

Quæſt. XV. *Quænam ſunt remedia contra Luxuriam?*

*Reſp.* Iſta. 1. Oratio humilis & frequens, nemo enim poteſt eſſe caſtus, niſi Deus det, *Sap.* 8.

2. Mortificatio & cuſtodia ſenſuum, maxime viſus. *Virginem ne conſpicias, ne forte ſcandalizeris in decore illius ... Averte faciem tuam a muliere compta, & ne circumſpicias ſpeciem alienam. Propter ſpeciem mulieris multi perierunt. & ex hoc concupiſcentia quaſi ignis exardeſcit.* Eccl. 9. & S. Aug. epiſt. 19. ait: *Oculi veſtri etſi jaciuntur in aliquem, figantur in neminem ... Nec ſolo tactu, ſed affectu quoque & aſpectu appetitur, & appetit fœmina. Nec dicatis vos habere animos pudicos, ſi habeatis oculos impudicos.* Unde illud S. Greg. M. l. 21. moral. cap. 2. *Intueri non licet, quod non licet concupiſcere.*

3. Sobrietas, ſeu uſus moderatus vini, quod non ſolum modicum, ſed etiam aqua permixtum ſit, præſertim in juvenibus: nam ex Prov. 20. *Luxurioſa res vinum.* Item abſtinentia ſeu moderatus uſus ciborum, nam copia nimia humorum & ſanguinis ſuppeditat materiam tentationum carnis: temperantia autem ſuperfluitatem humorum impedit ac tollit. Unde Ezech. 16. dicitur: *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ, ſuperbia, ſaturitas panis, & abundantia, & otium ipſius & filiarum ejus . . . & fecerunt abominationem coram me.*

4. Vitatio occaſionum, quales ſunt familiaritates & colloquia inter perſonas diverſi ſexus, frequentatio improborum, lectio librorum obſcœnorum, & amatoriorum, choreæ, comœdiæ, ſpectacula &c. Hoc vitium vincitur fugiendo. *Contra libidinis impetum apprehende fugam, ſi vis obtinere victoriam*, ait S. Aug. Et, *Qui amat periculum, in illo peribit*, Eccli. 3. Quocirca monendi ſunt parentes, ne unquam lectum communem permittant pueris diverſi ſexus, etiam fratribus & ſororibus, nec patiantur ſecum liberos decumbere in eodem lecto, nec ſi grandiores ſint, in eodem cubiculo: hoc enim pernicioſum eſt eorum caſtitati, ut experientia conſtat.

5. Fuga otii: *Multam enim malitiam docuit otioſitas*, Eccli. 33.

6. Frequens Confeſſio, & Communio cum diſpoſitionibus.

7. Carnis macerationes, & jejunia, cilicium, catena ferrea &c. *Nam hoc genus non ejicitur niſi per orationem, & jejunium*, Matth. 17. & contraria contrariis curantur.

8. Eleemoſynæ, & alia caritatis opera, quæ valent ad obtinendas a Deo uberiores ac potentiores gratias.

9. Aſſidua piorum librorum lectio, & meditatio paſſionis Chriſti, ac æternorum: *In omnibus operibus tuis memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis*, Eccli. 7.

10. Occurrente tentatione cogitare Deum adeſſe præſentem, juſtum peccati vindicem, & virtutis remuneratorem; & ſæpe animo volvere illud S. Gregorii: *Momentaneum eſt quod delectat, æternum quod cruciat.*

11. Initio tentationis fortiter reſiſtere, & ſtatim avertere cogitationem ad quidvis aliud licitum primo occurrens, ſed præſertim ad Paſſionem (1) Chriſti &c. *Diabolus ſerpens eſt lubricus, cujus ſi capiti, hoc eſt, primæ ſuggeſtioni non reſiſtitur, totus interna cordis, dum non ſentitur, illabitur*, ait S. Hier. in Eccli. cap. 9. *Reſiſtite diabolo & fugiet a vobis*, Jac. 4. Si nihilominus tentatio duret, orare, cogitare de morte, de pœnis inferni &c. intueri imaginem Chriſti patientis, vel eum animo contemplari: ſigno Crucis cor munire: conſiderare neminem, quantacumque fame prematur, ſumpturum eſſe cibum, ſi ſciret venenum ei eſſe admixtum, ideoque ſibi mortem illaturum: *Numquid poteſt aliquis guſtare, quod guſtatum affert mortem?* Job. 6. Quanto magis metus certæ mortis animæ deterrere debet!

12.

(1) *Pia memoria Dominicæ Paſſionis quam validum ſit medium ad abigendos dæmones, adeoque etiam ad quaslibet ipſorum tentationes ſuperandas, colligere poſſumus ex facto, quod D. Bonav. refert* (*ſerm. 4. in Dom. 13. poſt Pentec.*) *ſibi ipſi accidiſſe, hiſce verbis*: Armatura, quæ debemus indui ad hoc, ut poſſimus ſuperare diaboli tentamenta, eſt memoria Paſſionis Chriſti, quæ ſi ad memoriam affectuoſe reducatur, omnes dæmones cum tremore effugantur, ſecundum quod experientia me docuit pluries. Nam ſemel cum diabolus fortiter me ſtringens in gutture vellet ſtrangulare, jam non valens præ nimia ſtrictione gutturis clamare, ut Fratrum adjutorium imprecarer, incipiebam cum ingenti dolore ſpiritum exhalare: ſtatimque, habita Dominicæ Paſſionis memoria, incœpi, ex compaſſione Dominicæ Paſſionis ſingultum geminare, & magna ſuſpiria loco vocis ſubmitteos e cordis medullis emittere, quo finito virtute Dominicæ Paſſionis ego ſervus Crucis tam crudeli nece profiteor me eſſe liberatum. Sed nullus poteſt iſtam armaturam induere, niſi carnis luxuriam per continentiam coarctet.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

12. Naſcentem voluptatis ſenſum præſenti aliquo dolore accito extinguere.

Denique multum juvabit habere ſtabilem Confeſſarium pium ac prudentem, ejuſque pia conſilia ſequi; nam ſuggeret remedia, quæ pœnitenti erunt utiliora, & huic tentationi ſuperandæ aptiora.

*Nota*. Iſta remedia valent etiam contra alia vitia & tentationes.

### ARTICULUS V.

#### *De Ira*.

Quæſt. I. *QUid eſt Ira?*

*Reſp.* Eſt inordinatus appetitus vindictæ. Ira autem eſt inordinata dupliciter. 1. Ex parte objecti, cum quis vindictam optat ei, qui non meruit, vel majorem quam meruit, vel inferendam ſine legitima auctoritate; vel licet ſit juſta, non tamen eam appetit ut juſtam, ſed ut ſatiativam animi ſui malevoli. Ira ſic inordinata, eſt peccatum mortale ex genere ſuo, cum ſit contra caritatem & juſtitiam. Hinc ad Gal. 5. ira numeratur inter opera carnis excludentia a Regno Dei. Poteſt tamen eſſe venialis ob defectum ſufficientis advertentiæ, vel ob levitatem materiæ.

2. In modo iraſcendi, *utpote ſi quis nimis ardenter iraſcatur interius, vel ſi nimis exterius manifeſtet ſigna iræ. Et ſic ira ſecundum ſe non habet ex ſuo genere rationem peccati mortalis*; ait S. Th. q. 158. art. 3. Poteſt tamen eſſe mortalis ratione ſcandali, blaſphemiæ, injuriæ, convicii, maledicti &c. quæ ex nimia iræ commotione oriuntur.

Quæſt. II. *Quænam ſunt filiæ iræ?*

*Reſp.* Sunt. 1. Indignatio quæ eſt animi commotio contra alium, ob malum ab alio acceptum, quia hoc indignum reputat. Sæpe venialis eſt: mortalis vero ratione maledicti, contumeliæ, gravis odii, contemptus, vindictæ, vel ſcandali.

2. Tumor mentis, qui eſt æſtus quidam excandeſcentis animi, & excogitantis diverſas vindictæ vias. Mortalis vel venialis eſt pro qualitate vindictæ excogitatæ, & expetitæ.

3. Clamor, qui eſt inordinata & confuſa locutio. Poteſt eſſe mortalis ratione convicii, maledicti, ſcandali &c.

Denique blaſphemia, contumelia, maledictio, rixa, pugnæ, ſeditiones, vulnera, homicidium. Quæ omnia ſunt ex genere ſuo mortalia, utpote contra caritatem & juſtitiam.

Quæſt. III. *Quænam ſunt iræ remedia?*

*Reſp.* Præcipua ſunt, conſiderare quam ſit injuſta & pernicioſa; orare, meditari manſuetudinem Chriſti; nil unquam agere & loqui ex motu vel in motu iræ, ſed ſolum poſtquam ſedatus eſt; omni cura impedire iræ motum, & excitatum ſtatim reprimere, exercere frequentes actus caritatis, manſuetudinis, patientiæ, humilitatis &c.

### ARTICULUS VI.

#### *De Invidia*.

Quæſt. I. *QUid eſt Invidia?*

*Reſp.* Eſt triſtitia de bono proximi, quatenus videtur imminuere gloriam, vel excellentiam noſtram, quia nempe in eo bono ab eo æquamur vel ſuperamur. Ad eam revocatur gaudium de malo alieno, quatenus id bonum invidentis æſtimatur. Mortalis eſt ex genere ſuo: nam directe opponitur caritati, cujus eſt de bono proximi gaudere, & de illius malo dolere: & ad Galat. 5. invidia dicitur excludere a regno Dei. Eſtque diabolicum vitium, ex Sap. 2. *Invidia Diaboli mors introivit in orbem terrarum. Imitantur autem illum, qui ſunt ex parte illius*. Invidia autem ſumpta pro habitu, eſt vitium inclinans ad talem triſtitiam, & ad gaudium prædictum.

*Nota*. Ex S. Th. 2. 2. qu. 36. art. 2. triſtitia de bono alieno poteſt contingere quatuor modis. 1. Cum quis dolet de bono alicujus, v. gr. poteſtate, in quantum ex eo ſibi vel aliis damnum timet. Talis triſtitia eſt licita, ſi inde timeas malum certo injuſte inferendum, ob quod liceret eum privare tali bono, ſi haberes poteſtatem ad id legitimam: ſecus, eſt illicita. 2. Poteſt quis dolere de bono alterius, non ex eo quod ipſe habet bonum, ſed ex eo quod ſibi deeſt bonum illud, quod alter habet, ita ut minime cupiat alterum illo carere. Et hoc non eſt invidia, ſed æmulatio, quæ ſi ſit circa bona ſpiritualia, & honeſta, laudabilis eſt: ſi autem ſit de bonis temporalibus, poteſt eſſe cum culpa & ſine culpa, prout bonum eſt dolenti proportionatum & neceſſarium, vel improportionatum & ſupervacaneum, & prout refertur ad bonum vel malum finem. 3. Cum quis dolet de bono alterius, quia is eo indignus eſt. Quæ triſtitia mortalis eſt, ſi ſit de bonis ſupernaturalibus, vel ſi quis Dei providentiam arguat, quod peccatoribus bona temporalia largiatur & bonos affligat; nam eſt Blaſphemia. 4. Cum quis dolet de bonis alicujus, in quantum alter æquat aut ſuperat ipſum bonis illis. Hoc eſt proprie invidia, *& iſtud ſemper eſt pravum, ut etiam Philoſophus dicit. 2. Reth. Quia dolet de eo, de quo gaudendum eſt, ſcilicet de bono proximi*, ait S. Th.

Quæſt. II. *Quænam ſunt filiæ Invidiæ?*

*Reſp.* Sunt. 1. Odium. 2. Delectatio. 3. Gaudium in malis proximi. 4. Suſurratio, quæ eſt ſermo, quo ſine juſta cauſſa refertur alicui de alio aliquid aptum ad diſſolvendam ejus amicitiam cum illo. Mortalis eſt contra juſtitiam, quia per illam grave damnum proximo injuſte infertur: nam quiſque habet jus, ne per injuriam, ſeu ſine juſta cauſſa privetur amicitia alterius, quæ eſt magnum bonum, juxta illud Eccli. 6. *Amicus fidelis protectio fortis: qui invenit illum, invenit theſaurum. Amico fideli nulla comparatio &c.* Hinc illud Eccli. 21. *Suſurro coinquinabit animam ſuam, & in omnibus odietur*. Et illud 28. *Suſurro & bilinguis maledictus: multos enim turbabit pacem habentes*. Quare ſuſurratio eſt graviſſimum peccatum; ut patet etiam ex Prover. 6. ibi dicitur: *Sex ſunt quæ odit ſpecialiter Dominus, & ſeptimum deteſtatur anima ejus*, nempe, *eum qui ſeminat inter fratres diſcordias*.

Ad ſuſurrationem mortalem ſufficit quod ſine juſta cauſſa referatur alicui de alio aliquid aptum ad diſſolvendam ejus amicitiam cum illo, licet referatur ſine intentione eam diſſolvendi: quia tunc ponitur injuſte & voluntarie cauſſa diſſolutionis amicitiæ. Quare ſuſurro tenetur reſtituere, in quantum poteſt, amicitiam injuſte ab ipſo ablatam, & alia damna inde



ſecuta; perinde ac detractor famam, cum ſit cauſſa injuſta talium damnorum.

Alia ſunt etiam mortalia ex genere ſuo. Unde ad Rom. 1. inter eos, qui digni ſunt morte recenſentur *pleni invidia, malignitate, ſuſurrantes, detractores, ſine affectione &c.*

Quæſt. III. *Quænam ſunt invidiæ remedia?*

*Reſp.* Præter orationem ſunt hæc. 1. Conſiderare te non ideo minus habere; invidiam invidenti nil prodeſſe; nam non ideo alter carebit bono, quod tu invides, nec tu illud obtinebis, etiamſi eo careat: quinimmo graviſſimum inferre malum, privando invidum gratia ac amicitia Dei, & beatitudine æterna; e contra gaudendo de bono proximi propter Deum, te mereri augmentum gloriæ æternæ, quod eſt bonum infinite majus omnibus bonis temporalibus. 2. Sæpe gaudere de bono proximi, quia eſt proximus, quem ſicut te ipſum diligere debes propter Deum. 3. Gratificari ei cui invides, illum laudare, orare Deum pro ejus bono, & gratias agere Deo propter beneficia ab eo in ipſum collata &c. 4. Humilitas & contemptus gloriæ ac honoris humani: *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes*, ad Gal. 5.

### ARTICULUS VII.

#### *De Acedia*.

Quæſt. I. *QUid eſt Acedia, & quale peccatum?*

*Reſp.* Acedia late ſumpta eſt quodvis tædium, ſeu animi remiſſio in exercitio virtutum, ob laborem ſeu moleſtiam ac difficultatem adjunctam. Sic ſumpta non eſt vitium ſpeciale, ſed generale, quia (ut ait S. Th.) omne vitium refugit bonum virtutis oppoſitæ; eſtque contra illam virtutem, cujus actus refugit. Eſt autem peccatum mortale vel veniale, prout ex illa violatur præceptum in re gravi vel levi.

Acedia ſtricte ſumpta eſt triſtitia & tædium de divina amicitia apprehenſa ut mala propter adjunctam difficultatem illius obtinendæ & conſervandæ per laborioſa virtutum exercitia, & voluptatum illicitarum fugam; unde fit, ut quis amicitiam illam non curet. Sic ſumpta, eſt vitium ſpeciale, & per ſe mortale, nam ſpecialiter & graviter caritati Dei repugnat.

Quæſt. II. *Quænam ſunt filiæ acediæ?*

*Reſp.* Sunt. 1. Malitia, qua quis odit bona ſpiritualia, & vellet ea non eſſe; aut quia ipſum pœnitet bonum feciſſe; aut qua contemnit Dei beneficium, v. g. cupiendo non agnoviſſe Chriſtum, non fuiſſe Religionem profeſſum &c. ob difficultates, quæ in Dei obſequio ſuperandæ ſunt. Eſt mortalis ex genere ſuo. 2. Puſillanimitas. 3. Deſperatio. 4. Rancor, qui eſt indignatio & faſtidium adverſus eos, qui ad virtutum opera & fervorem inducunt, ideoque eos refugit.

5. Torpor qui eſt languor animi, quo bonum vel omittitur, vel negligenter fit. Eſt mortalis, ſi bonum ſit graviter præceptum, & ſemper valde pericuſoſus eſt, diſponitque ad mortale.

6. Evagatio mentis in oratione aliiſve exercitiis ſpiritualibus. Mortalis eſt in oratione vel exercitio ſpirituali graviter præcepto, ſi in parte notabili voluntarie duret; venialis vero in oratione non præcepta, niſi ſit circa objecta graviter illicita; quæ placeant.

Quæſt. III. *Quænam ſunt Acediæ remedia?*

*Reſp.* Præcipua ſunt oratio, omnia religionis & pietatis exercitia, quotidiana meditatio rerum cæleſtium, laborum ac Paſſionis Chriſti & Sanctorum, perfectionum ac beneficiorum Dei, præmiorum fervidæ caritatis, brevitatis laborum, æternæ beatitudinis, damnorum torporis &c. lectio librorum ſpiritualium, quotidiana auditio Miſſæ, frequens confeſſio & communio cum debitis diſpoſitionibus, temperantia, fuga otii, maceratio carnis &c. (Vid. N. 144.)

*Finis Partis Secundæ Tomi Primi.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

UAN
IDAD AUTÓNOMA DE NUEV
CCIÓN GENERAL DE BIBLIOTEC